1638

ment ſeruis, Nous declarons que nous n'entendons donner à l'aduenir aucunes ſuruiuãces, ny reſerues d'aucuns eſtats, & offices, charges, & dignités ſoit de noſtre Couronne, ou de noſtre [illegible] ou autre; comme auſſi

tholique, nous auons creé & erigé, creons & erigeons de nouueau vn office de Conſeillier en noſtre dicte Court de Parlement de Paris, aux meſmes gages, droicts priuileges, au[illegible] & fonctions, que les autres. Et le[illegible]

noſtre bon parent, & fidel ſubiect, & ſeruiteur, comme auſſi les autres Princes, Ducs, Pairs, Officiers de noſtre Couronne, ſeigneurs Gentils-hommes, villes, communautés, & au-

XI.

Voulons & ordonnons que tous ceux, qui ont eſté pourueus par les Roys nos predeceſſeurs, ou par Nous, des charges, eſtats, offices,

EX-LIBRIS



CHRONOLOGIA

Sanctorum & aliorum virorum Illustrium, ac Abbatum Sacræ Insulæ Lerinensis.

a Domno VINCENTIO BARRALI SALERNO Monacho Lerinense. in vnum compilata

Cum annotationibus eiusdem

M.DC.XIII.

LVGDVNI,
Sumptibus Petri Rigaud, in Vico mercatorio sub signo Fortunæ.

R/2.520



ADMODVM REVEREN-

DO IN CHRISTO PATRI,

DOMINO ANTONIO DE MVRIS,
Archimandritæ meritiſſ. ſacræ Lerinenſis
Eremi, venerabilibuſque Patrib. totó-
que conuentui Lerinenſi.

VINCENTIVS BARRALIS SALERNA,
alumnus. S. P. D.

Mnia flumina (ait Sapiens) è mari exeunt & in mare reuertuntur (digniſſime Præſul venerandique Patres) & mare non redundat, ortúſque ſuos cuncta repetunt, matrémque requirunt, quibus ſanè elogiis cuilibet datur intelligi omnia, vt debitus ſeruetur ordo, debere reuerti ad illud à quo ſumpſere principium, vnde omnis creatura niti debet ad ſuum remeare creatorem, vt annulus, non imperfectus, ſed completus ſit, quo perfectio deſignatur, vt & iuſtitiæ virtus locum habeat, quæ præcipit vnicuique ius ſuum eſſe reddendum, dicente domino: reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. *Quibus præceptionibus ego alumnus veſter ſatis adhærens, non diù mihi cogitandum fuit, quorum potiſſimùm auſpiciis, ſanctorum virorum Lerinenſium geſta in Lucem ederentur, cùm ad vos iure hæreditario hæreditas Patrum veſtrorum ſpectet, ne iuſta vobis detur occaſio trenicè decantare cum propheta:* hæreditas noſtra verſa eſt ad alienos. *Accipite igitur (Reuerende Præſul venerabiléſque commilitones) prompta manu hilarique fronte, hanc Chronologiam Sanctorum aliorúmque illuſtrium virorum præ-*

ceſſorum veſtrorum, licet paruulam, ſed tamen fidelem, fructum gracilis propaginis, magnæ vineæ veſtræ Lerinenſis prodeuntis & inſulſa fabuloſaque deliria, quæ à multis nec dum nimis auidè aſſeruantur, & leguntur, ad quæſtum compoſita & excogitata perpetuo exilio à finibus veſtris relegate. Hæc quantis laboribus & ſudoribus, & expenſis perquiſita ſint, non eſt qui facilè exprimat, immotum ſiquidem nullum non reliqui lapidem inueſtigando. Tu potiſſimùm, digniſsimè Abbas, enitere, vt ſpes omnium de te concepta, opere accreſcat, vt ſecundùm nomen tuum, ita ſit & laus tua: prodiiſti enim ex illa nobili familia de Muris, ex Brixia Allobrogum, vt ſis nunc domui diui Honorati contra cuncta aduerſa inſurgentia, pro muro & antemurali, ipſam defendens, nutriens, & fouens, cumque egregius ſis & habearis œconomus, ipſam œconomiam vigilanti ſtudio exerce. Vale iterúmque vale, Archimandrita religioſiſſime, in annos plurimos ſaluus & incolumis.

PIO

PIO CANDIDO'QVE LECTORI.

VINCENT. SALERN.

POtiſſima omnium quæ me diutiùs ad hanc Lerinenſis Cœnobij necdum traxit, immò & abſtraxit, in ſcribendam Chronologiam cauſa extitit, quòd cùm frequenti ſermone perciperem à ſummæ viris virtutis ex variis ſpatioſi orbis partibus illuc aduentantibus magnalia ineffabiliaque prædicari & inquiri illius ſancti Heremi marini Lerinici pręconia, illáque diuino incendio inflammata, Archiflaminis verba ſancti Cæſarij Arelatenſis aliquando perlegerem, dicentia; *O fœlix & beata Inſula Lerinenſis quæ licet parua & plana eſſe videaris in terris, tamen magnos montes conſtat miſiſſe ad cœlos;* Et alia huiuſmodi apud Sidonium Apollinarem reliquoſque; & tamen aliquod dignum monimentum, ad ardentem exploratorum explendam ſitim ſimul compactam non extaret, anxiè angore angebar nimio, & quomodo huic mederi morbo valerem meditabar, ita quod ſenſim ab ineunte ætate, in calenti corde exarſit flagrans cupido meo, inquirendi inſcribendique: ſed diutiùs à tam grandi auſu, etſi iuſto & pio, contradicente imperitia mea (mihi enim benè conſcius eram) abſtinui. At inualeſcente morbo auidæ huius cupidinis precibuſque multorum, quibus non obedire iniquum erat, victus & illa ſententia, qua dicitur in arduis incœpiſſe ſat eſt, animatus opus aggreſſus ſum, nullis parcens laboribus, vel ære ab vnico germano ſubminiſtrato, nullumque non moui lapidem, nam pluſquam viginti diœceſes Gallicanas, tum varia monaſteria, ac eorum carthophilacia, priſcáque manuſcripta, vbi me aliquid adinuenire ſperabam inquiſiui, & quæ Chriſto duce ad notitiam meam peruenere hæc ſcripta hic in vnum congerere curaui, vt vel aliqualiter indagatoribus ſatisfactum foret. Verſatur itaque hæc Lerinenſis Chronologia, in trifaria differentia, nam primariè Diuos ordine menſium diſpoſitos complectitur: inde Archimandritas Lerinenſes, eorumque aliqua acta, ſerie temporum digeſtos retinet: ſupremò varia miſcellanea inter quæ opera cuncta docta ſimul & deuota patris Dionyſij Fau-

cherij inſtitutionis Lerinenſis monachi continét: & hæc eſt totius noſtri ſumma inſtituti; in quo promptum affectum animi mei non maleuolorum pumilionum vipereo viro æſtuantium, cor infectum attendas oro, qui plus ſæpè ſæpius ſummo hiatu, magnalia ſe præſtare rectiúſque valere minantur, quorum guttur ſepulchrum patens ore tabifico verbis venenatis benè operantes inſequuntur, qui vnquam nec minima quidem præſtarunt in omnibus Momo ſimiles: attamen ſi (vt ſe iactant) magna poſſunt, ne me deſpiciant parua potentem, nam prodeſſe poteſt, obeſſe nequit noſtra bona voluntas, quæ nihil antiquius habuit, quam cunctis pro ſuo eſſe prodeſſe, nec curo ab obſcuro dictum, mea me nihil cudere minerua cùm probè ſciam nihil dictum quod non ſit dictum prius, & ſat mihi ſit in hoc opere, antiquitatem cum ſancto Cœleſtino Papa, & Vincentio Lerinenſi ſequi, prophanaſque nouatorum voces declinare, quæ niſi lethalem peſtem in Rempublicam Chriſtianam inducunt. Animaduerte tandem, lector, aliqua ineſſe in hoc tractatu propriorum nominum vocabula, quæ variè ponuntur & inſcribuntur & potiſſimum illa vox, *Lerinum*, quæ nunc in prima ſyllaba per litteram, E, nunc per, I, Latinum, modo per, Y, Græcum à priſcis ſcriptoribus effertur, quos & nos indifferenter ſecuti ſumus, cum nullum generent diſcrimen. Inſunt inſuper aliqui hymni in gratiam ſolum ſanctæ Antiquitatis appoſiti, quàm redolent cætera quæ monitu variis in locis digna videntur, annotationes interiectæ te docebunt. Tandem te plurimùm oratum velim, vt ſi aliquid inconcinnè, malè, inuersè dictum vel poſitum occurrat, boni æquiúque conſulas: nam aliquando tam inuerſa turbidaque erat membranarum lectio, vt diuinare fuerit neceſſitas, itaque vt dixi affectum, non ſiquid ſit malè poſitum inſpicias. De his verò, quæ appoſitè, rectè & ordinatè, ſummo factori vniuerſi immenſas mecum gratias agas oro, qui linguas infantium diſertas, oraque muta dignè fari facit, qui nos pariter ad ſua permanſura præmia perducat. Bene vale, candide Lector.

DESCRI

DESCRIPTIO SITVS ET POSITIONIS SACRÆ INSVLÆ LIRINENSIS, EIVSdémque deuoti Cœnobij in patria Prouinciæ Galliæ Narbonenſis.

VINCENT. SALERN.

ANtequam inſignium Heroum, procerũ, æthereumq; montium, id eſt, ſanctorũ ſacrati ac fœcundi Aluearij Inſulæ Lerinenſis tractatum ſeu narrationem inchoare exordiamur, non abs re iudicatum erit, imò conſonum ac per neceſſarium ſitum, poſitionem, aliquaſq; proprietates ipſius Inſulæ Cœnobiiq; in ipſa conſiſtentis vel aliquatenus inſinuare, quo clariùs (veluti præmicanti apposita face) dicendorum notionem in ſuæ cupidæ mentis arcana vigilax beneuoluſq; transfundat lector, & ne forte ſitus illius Inſulæ ignari aliis in oris eam ſitam eſſe exiſtiment: non enim defuerunt in Gallia aliqui religioſi viri, qui in vetuſtis cœnobiorum ipſorum bibliothecis admiranda de fœliciſſima Inſula Lerinenſi perlegentes, eſſe in Aegypto nec dum ſibi ipſis perſuaſerint, imò & aliis enunciarint. Eſt igitur ſciendum quod in ipſo ingreſſu patriæ Prouinciæ Narbonenſis animoſæ Galliæ, quæ aliàs Gallia bracchata vocatur, in iúmque habet à Varo flumine propè Niceam Prouinciæ olim Cimelam orientem verſus in Apenninorum calce, & ibi inter ciuitates antiquiſſimas Antipolim & Foroiulium ineſt ſinus circunfuſi Maris Mediterranei Gallici à binis tractibus terræ ſeu capitibus cinctus, quorum vnum caput rubeum, alterum verò caput Gallupe à neptunicolis nautis vocitatum, à ſe inuicem intercapidine ſegreges permilliaria circiter viginti, in cuius ſinus peripheria in modum ampli Amphiteatri, inſunt oppida ſecus mare poſita Neapola olim Auinionetum contermina Foroiulij, fluuius Siagne vorax, amnigeris piſcibus abundans. Canoæ aliàs caſtrum Marcellinum & Francum denominatum. In vertice collis Mugi-num antiquitus Villa vetus. Valis-aurea in confinio Antipolitano cuncta iuris Cœnobij Lerinenſis, in cuius ſinus ipſius maris gallici centro binæ grandiores extant Inſulæ, quatuor aut quinque paſſuum millibus à continente diſtantes, quæ à Caio Plinio libro tertio, cap. quinto ſuæ hiſtoriæ naturalis, Lero & Lerina nuncupantur, & ab Antonio Auguſto in ſuo prouinciarum Itinerario ſic referuntur ab Antipoli Lero & Lerinus Inſulæ. M. P. XI. à Lero & Lerino Foroiulij portus M. P. XXVIII. & à Strabone in quarto libro ſuæ Geographiæ ſic enunciantur poſt Sthecadas Inſulas eſt

Planaſia & Leron in quibus ſunt pagi Lerone, quæ eſt Antipoli obiecta etiam ſacellum eſt Leronis; Inſunt & aliæ duæ paruulæ ſaxoſæ Inſulæ memoratu non dignæ his ſupra nominatis quaſi pediſſequæ adhærentes, quarum vna Trāſlero nunc corrupto vocabulo terra de Lhiera, *& altera ſancti Ferreoli Inſula cognominatur: illa autem quæ videtur maior olim vocata Lero nunc dicitur Inſula ſanctæ Margaritæ à ſacro ſacello priſcis ſæculis inibi in honorem dictæ virginis & martyris excitato, erátque velut receſſus vaſtæ heremi patrum Lerinenſium, in qua & egiſſe aliquando ſanctum Eucherium monachum Lerinenſem & Epiſcopum Lugdunenſem ſanctus Hilarius Epiſcopus Arelatenſis commemorat in ſermone funebri de vita ſancti Archipræſulis Arelatenſis Honorati, in qua etiam Romani Auguſti cùm penè vniuerſum vrbem ſuo tenerent potenti ſubactum imperio auleata domicilia validáſque munitiones conſtruxerunt (vt adhuc monſtrant antiqua veſtigia) pro regifico apparatu veliuolarum claſſium dirigendarum in Galliarum partes occiduas: quæ Inſula inter ſe & continentem, à quo diſtat per bimilliarium arcticum verſus ſtelliferum polum non ſpernendum fluctiuagis naucleriis ſuo, apertum amœnúmque ſinu, conſtituit portum, duplicia patentia habentem ora, ab ortu & occaſu ſcilicet. Eſt ipſa Inſula oblonga, parum ſublimata in petroſæ rupis portus plaga: Ibi torpens ſtagnum in quo olim albidum ſal coagulabatur ad vſus mortalium, nunc omnia dirupta & ſolo æquata: tum fertilis rei frumentariæ, pauidos nutrit cuniculos, erátque antiquitùs quaſi per dimidiam partem muris lapideis circumcincta ad diuerſigenas animalium ſpecies includendas more garenarum: habet putealem verſus portum fonticulam aquæ dulcis: eius circuitus eſt circiter quatuor milliaria. Diſtat à Lerina traiectu ſexcentorum paſſuum & hæc ſat ſint de Lerone Inſula. Iuxta quam, vt dictum eſt, meridiem verſus adiacet ſacrata Lerina Inſula ſuo adhuc contenta priſco vocabulo, Alpino haud longè iugo ſubdita, ob reuerentiam tamen ſui primi Incolæ à Chriſticolis ſacra Inſula ſancti Honorati adnominatur: Nam cum antea inanis eſſet & vacua ob nimietatem ſqualloris & inacceſſa venenatorum animaliū metu ſecurius & intrepidus, hanc circa annos noſtræ ſalutiferæ redemptionis ſeptuaginta quinque ſupra trecentos, tertio iam completo ſæculo & quarto per tertiam partem iam elapſo (vti antiqua ipſius monaſterij monumenta edocent) expetiit vir per cuncta laudabilis & nomine & re honorandus Honoratus noſter, Pater Inſularum, & poſt Rector Eccleſiarum, purificauit, ac mundauit à contactu cultúque nefando impuri delubri Leronis, & fulgida aſtra caſtáque illic Dei colloeauit & habitaculis apta monachorum clauſtra ſilentia conſurgere, latices profluè in patenti puteo ab ipſo eruderato in Inſulæ medio, in mediáque obſtrepentis Maris amaritudine dulces ac potabiles emanare fecit: vnde vndique*

Anno domini 375. fundatur monaſterium Lerinenſe.

dique innumeri turbarum greges ex diuerſis terrarum oris, etſi linguis diſſoni charitate tamen conſoni ad ipſum patrem Honoratum illic certatim confluebant, vt melioris frugem vitæ adipſci valerent, & non fuit natio quæ ibi non haberet monachum.

Eſt igitur noſtra fœlix Lerinenſis Inſula parua (à Strabone Planaſia dicta) ſed plano ſchemate formoſo delectabiliq́, ac ſi penicillo quodam ſolertis induſtria magiſtri efformata foret, figura ouali oblongaq́, angulos habens acutos ad orientis & occidentis plagas poſitos, duo verò latera ſeptentrionem & meridiem reſpicientia, huius circuitus ad duo millia paſſuum aſcendit numerum, circunfuſo aëre aperto & ſalubri, dulci gratóque aſpectu, per girum continentis portuũ, ciuitatum, caſtrorum, montium, vaſtiq́ maris gaudet: æquoreis fluuialibuſq́ ſquamoſis piſcibus abundans, ramoſiſq́ arboribus ac arbuſtis & omni ferè plantarum ſponte naſcentium & ſatarum genere fertilis & fœcunda altis hirſutiſq́ pinis tremulis triumphalibuſq́ palmis pinguibus paciferíſque oleis, victricibus laureis, quam ſolam non percutit fulmen, cyparíſſis mœſtis, paphia, myrtho redolente infinitíſque penè aliis lætis arbuſculis lentiſco, geniſta, brucho, cade, & herbis dines fulget humus ſemper vario veſtita colore, & grato florum iugiter odore ſpirans. Sed dum iſta leuiora gratioraq́ ſenſibus humanis ad procliuia ſuaptè natura tendentibus ſcribere curſu feror volatili, grauiora immò ſanctiora ſilentio videor tegere Pythagoreo, & quibus primæ dandæ erant in nouiſſimis recumbere coguntur, non hoc certè ex animi ingrati deliberatione aut pigra aliqua obliuione factum velim quis exiſtimet, verùm dedita opera quia hymniſona omnis laus in fine canitur & quæ in ſupremo eloquuntur halitu tenacius in mortalium mente retinentur.

Habet ergo noſtra marina Lerinenſis Heremus nec dum antiquiſſima, verùm etiam venerabilia cuncto orbi ac votiua ſacella & monachorum clauſtra ſilentia, ineſtq́ in ipſius Inſulæ medio Eccleſia ſanctæ Dei genitrici virgini perpetuæ Mariæ ſolẽniter dedicata, tum Eccleſia maior S. Archiflamini & primo ſuo fundatori Honorato deuotiſſimè cõſecrata quæ celebri titulo ſacroſanctæ videlicet à ſummis Pontificibus in ſuis diplomatibus & à laicis in ſuis oblationibus inſigniri meruerunt, his annexa manet capella ſancti Patriarchæ noſtri Benedicti, iuxta quas clauſtrum & vetus refectorium omnia ex dolatis lapidibus: circa girum Inſulæ viæ ſtratæ ad peregrinorum ſolamen viſitantium oratoria ſanctiſſimæ & indiuiduæ Trinitatis ſanctorum martyrum, Cypriani & Iuſtinæ, beatiſſimi Archangeli Michaëlis, ſanctiſſimæ Transfigurationis domini noſtri ſaluatoris Ieſu Chriſti: ſancti Capraſij confeſſoris, ſancti Apoſtolorũ principis Petri Apoſtoli Lerinenſium incolarum protectoris, ſancti Porcharij Abbatis & quingentorum & eò amplius monachorum martyrum, qui hanc Inſulam proprio ef-

fuſo cruore conſecrarunt, quæ numerum decennarium perfectè complet: In vno verò latere ipſius Inſulæ ad meridiei proſpectum intra æquoreas ſcabráſque rupes ſpumáſque vndas adeſt, & ipſa ex alto inuitans refugam terrificúmque Maurum cæteróſque crudeles Piratas aërea ſolidáque Turris, intra cuius ambitum apta altáque conſiſtunt cœnobitarum habitacula cum decenti capella victoriſiſsimæ ac viuificæ Cruci in perpetuum conſecrata, in qua auguſtiſsimum ac ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum aſſeruatur, tum theca ſacrarum reliquiarum, ſpinæ coronæ domini noſtri Ieſu Chriſti, ligni vitalis ſanctæ Crucis, corporis ſancti Honorati Archiepiſcopi Arelatenſis, ſancti Aygulphi & ſociorum martyrum & aliorum plurimorum ſanctorum ibi chorus pſallentium die noctúque laudes altiſsimo factoria. Inſunt, & ibi cellulæ, deambulatoria, dormitoria & aliæ officinæ cœnobio religioſorum neceſſariæ, vt non iam turrim ſed amplum theatrum putes. Meritò igitur his ſuprà narratis attentis hæc ſacroſancta Lerinenſis Inſula à ſanctis patribus, qui acta ſanctorum illius referunt, nempè Hilario & Cæſario Arelatenſibus, Sidonio Aruernenſi, Ennodio Ticinenſi, Honorato Maſſilienſi, Fauſto Regienſi Epiſcopis, aliiſque præclaris viris, his potiſsimùm effertur præconiis, vt dicatur & ſit. (Sitientibus vitam æternam) acies inſtructa præliis Admirabilis conſuetudo. Aluearium mellis. Ara ſacrificij. Beata Inſula. Benedicta terra. Conſacrata habitatio. Commendata congregatio. Comprobata inſtitutio. Caminus humiliationis & agonis. Caſtra Dei. Cellulani monachi. Celebranda tellus. Cohors ſanctorum. Deſertum Lerinenſe. Dulcis locis. Dulce ſolamen. Domus Dei, decorata, dedicata. Eremum Lerinenſe, marinum, Inſulanum, Exercitus ſanctorum. Fons gratiarũ, fœcunda, fœlix, fœlicior, fœliciſsima manſio. Fines gallicani. Glorioſa ciuitas. Habitatio iam venenatorum animalium vacans, inacceſſa, horridáque, nunc Hieruſalem ſuperna. Horreum vitæ. Inſula Lerinenſis marina, ſacra, ſacrata, plana, parua, lætans, pollens, illuſtris, locuples, vtilis. Ignotum exilium, interior vmbra & domus, inimica aduerſario, latebra ſanctorum, latibulum illuminatum, menſa Chriſti, mons Lerinenſis, manſio in Chriſto viuentium, nutrix ſanctorum, nauis Lerinenſis, ouile dominicum, porta cœli, paleſtra Eremitidis congregationis, Paradiſus terreſtris, quies piorum, religionis exemplar, ſecretum opportunum, ſchola Chriſti, ſacer locus Deo dicatus, ſtadium Inſulanum, ſolitudo, ſedes remota, ſpeculum ſanctimoniæ, ſinus tranquilliſsimus, templum ſanctum, mirabile Inſulanum, ſacrum monaſterium, Vmbraculum monachorum ſimilem mari, quod viuos retinet & mortuos foras reiicit, fundatum ab illo patre præmemorato Honorato primo Inſularum poſtea Rectore Eccleſiarum. Lætentur igitur ſummoperè

Prœconia Lerinenſis Inſulæ per Epilogum.

moperé qui inibi habitant, memores iugiter ſanctimoniæ loci illius intelligentes, quod locatum loco & è contra ad amuſsim reſpondere debeat, laudéſque immenſas ſummo referant creatori pro tanto eis indulto munere in illo tam ſecuro Aſylo Lerinenſi, & orent pro me indigno peccatore eiuſdem Alumno.

***

DOMINI ISIDORI CREMENSIS
Monachi Caſſinenſis Carmen in laudem Inſulæ Lerinenſis.

INſula laudanda eſt: latum quia proſpicit æquor,
In qua planicies, tempus in omne viret.
Sunt hîc perpetui flores, hîc bruma tepeſcit,
Temperat hîc rabidum lenior aura canem.
Cœli temperies hominum magis apta ſaluti:
Et nuſquam nunquam hîc it ſine ſole dies
Lentiſci Myrthus, laurus lentæq; Geniſtæ
Arbuta ver faciunt herbaque ſemper olens.
Gaudet ab obſcuris exere cuniculus antris
Diſcolor: hîc paſcit, currit hîc, ille ſalit
Ludit per campos timidúſque fugaxq; virentes,
Atque inſpectori pulchra theatra facit.
Melliſluo volucres permulcent aëra cantu,
Flebilis & dulces dat philomela modos.
Fons dulcis media maris in ſalcedine manat.
E ſaxo Moſis redditus inſtar aquæ,
Pulchrior in toto non eſt locus orbe Lerina.
Diſpeream, hîc ſi non viuere ſemper amem.
Parua licet, magnos miſiſſe ad ſydera montes
Noſcitur, & germen ſparſit in orbe ſuum.
Martyribus pluſquam quingentis Inſula dives,
Dives Honorato concelebrata viget.

ECCE SCHEMA.

APPROBATIONES DOCTORVM.

VTile ſanè opus, & quod dum in gratiam non tantùm eorum, qui ſub Regula D. Benedicti militant (quamquam illorum maximè) ſed quorumlibet etiam aliorum monaſticæ vitæ profeſſorum, ſcriptum eſſe videtur, non in paruum quoque Doctorum virorum quos Patrum lectio delectat, commodum in lucem prodire poteſt. Nihil porrò Orthodoxæ fidei aduerſum habet. Ita ſentio. Lugduni vltima die Iunij 1612.

Fr. ROBERTVS BERTHELOT
EPISCOPVS DAMASCENVS.

IOANNES CLAVDIVS DE VILLIVS, *in ſacra Theologia Magiſter, in ſancti Pauli Lugdunenſis Canonicus, & diuini verbi Prædicator. Fidem facimus, nos hunc librum, cui inſcriptio eſt,* Chronologia Sanctorum & aliorum virorum illuſtrium, ac Abbatum Monaſterij ſacræ Inſulæ Lerinenſis, *euoluiſſe, nec quod fidei orthodoxæ, aut probis moribus aduerſetur, inueniſſe. Lugduni apud ſanctum Paulum, prid. Calend. Julias.* M. DC. XII.

C. DEVILLE.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, *Canonicus, Cantor & Comes Eccleſiæ Lugdunenſis, Vicarius generalis in ſpiritualibus & temporalibus, Reuerendiſſimi Domini Petri Saulnier miſeratione diuina Epiſcopi Eduenſ. regimen & adminiſtrationem ſedis Archiepiſcopalis Lugdunenſis, ipſa ſede vacante iure regali habentis,* Chronologiam hanc Sanctorum & aliorum virorum illuſtrium, ac Abbatum Monaſterij ſacræ Inſulæ Lerinenſis, *à domino Vincentio Barrali Salerna, Monacho Lerinenſi, in vnum compilatam prodeuntem typis mandari atque diuulgari concedimus: Quia nobis præſtantium ſupraſcriptorum ſacræ Theologiæ Doctorum atteſtatione conſtat nihil apud eam reperiri quod candori fidei orthodoxæ boniſve moribus repugnet. Econtra verò ipſam eſſe rerum priſcarum varia cognitione refertam, omnibúſque Eccleſiaſticis potißimùm & literarum profeſſoribus proficuam.*

Datum Lugduni, quinto Idus Julij, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo duodecimo.

MESCHATIN LA FAYE.

Per reuerendum dominum noſtrum Vicarium generalem Præfatum. LIVET.

PETRVS SEVE, Conſiliarius Regius, & Prætor in Seneſchallia Lugdunenſi, typis mandari concedimus librum omnibus vtilem atque in gratiam meritiſſimi authoris Petro Rigaud Bibliopolæ Lugdunenſi, vt cudat & diuendat permittimus.

Actum Lugduni 11. Iulij 1612.

SEVE.

AVCTORES A QVIBVS GESTA *Sanctorum Lirinenſium deprompta ſunt.*

SAnctus Hilarius Arelatenſis Epiſcopus.
Sanctus Sidonius Aruernenſis Epiſcopus.
Sanctus Iſidorus Spalenſis Epiſcopus.
Sanctus Ado Viennenſis Epiſcopus.
Sanctus Gregorius Papa I.
Sanctus Gregorius Turonenſis Epiſcopus.
Sanctus venerabilis Beda.
Sanctus Ennodius Ticinenſis Epiſcopus.
Frater Laurentius Surius Carth.
Vincentius Bellouacenſis.
Petrus Æquilinenſis Epiſcopus.
Illuſtriſſimus Cæſar Baronius Cardinalis.
Gregorius Cortheſius Cardinalis.
Dionyſius Faucherius Monachus.
Gennadius Presbyter Maſſilienſis.
Honorius Presbyter Auguſtudonenſis.
Ioannes Thritemius. Carolus Sigonius.
Mattheus Lauretus Abbas ſancti Saluatoris.
Arnoldus Vuion Belga monachus.
Aymonius monachus Pariſienſis.
Cyprianus Epiſcopus diſcipulus ſancti Cæſarij.
Sigibertus Gemblacenſis.
Fauſtus Epiſcopus Rhegienſis.
Molanus in Martyrologio.
Dinamius Patricius Arelatenſis.
Marcellinus in Chronica.
Iacobus Seuertius in Chronologia.
Vſuardus in Martyrologio.
Galeſinus in Martyrologio.
Petrus Suffredus. Paulus Diaconus.
Ioannes Sauaro Claromontanus.
Manuſcripta Lerinenſia.
Manuſcripta Eccleſiæ Vencienſis.
Manuſcripta Eccleſiæ Carpentoratenſis.
Manuſcripta Eccleſiæ Valentiæ.
Manuſcripta Eccleſiæ Arelatenſis.
Manuſcripta Eccleſiæ Auenionenſis.

CHRO

AVCTORES A QVIBVS GESTA

Sanctorum Lucubrationes depromptæ sunt.

Sanctus Hilarius Arelatensis Episcopus.
Sanctus Sidonius Augustensis Episcopus.
Sanctus Isidorus Hispalensis Episcopus.
Sanctus Ado Viennensis Episcopus.
Sanctus Gregorius Papa I.
Sanctus Gregorius Turonensis Episcopus.
Sanctus venerabilis Beda.
Sanctus Ennodius Ticinensis Episcopus.
Frater Laurentius Surius Carth.
Vincentius Bellouacensis.
Petrus Aquilanensis Episcopus.
Illustrissimus Cæsar Baronius Cardinalis.
Gregorius Cerlerius Cardinalis.
Dionysius Carthusianus Monachus.
Gennadius Presbyter Massiliensis.
Honorius Presbyter Augustodunensis.
Ioannes Trithemius, Cæsarius Sigonius.
Nicephorus Laurentius Abbas sancti Salvatoris.
Arnoldus Vion Belga monachus.
Antonius monachus Parisiensis.
Cyprianus Episcopus Gilofipulus sancti Caroli.
Sigibertus Gemblacensis.
Paulus Episcopus Rhegiensis.
Molanus in Martyrologio.
Ioannes Petreius Arelatensis.
Marianus in Chronica.
Iacobus Sanctius in Chronologia.
Vsuardus in Martyrologio.
Galesinius in Martyrologio.
Petrus Suffredus. Paulus Diaconus.
Ioannes Sanctus Clatomontanus.
Manuscripta Lerinensia.
Manuscripta Ecclesiæ Venetiensis.
Manuscripta Ecclesiæ Carpentoratensis.
Manuscripta Ecclesiæ Valentinæ.
Manuscripta Ecclesiæ Arelatensis.
Manuscripta Ecclesiæ Auenionensis.

CHRO

CHRONOLOGIA SANCTORVM ET ALIORVM VIRORVM ILLVSTRIVM, AC Abbatum Monaſterij ſacræ Inſulæ Lerinenſis.

Sermo Luculentus ſancti Hilarij Archiepiſcopi Arelatenſis de vita ſancti Honorati eius præceſſoris, & primi fundatoris ſacri Monaſterij Lerinenſis ex MM. SS. Lerinenſibus, præfuit Arelatenſi Eccleſiæ temporibus Theodoſij iunioris, & Valentiniani III. Imperatoris, cùm Romanam Eccleſiam regeret Cœleſtinus & poſt eum Sixtus anno Dominici Natalis 426. & ſequentibus. 16. Ianuarij, fundato antea cœnobio Lerinenſi circa annum Domini 375.

AGNOSCITIS, dilectiſſimi, diem publicis fidelium mœroribus conſecratum, qui mihi quandiu hos caducos vitæ huius dies Dominus indulſerit, ſemper quidem acerbitatibus grauis, plenus tamen conſolatoria laude aduenier. Hodie enim ille ſanctæ recordationis Eccleſiæ huius Antiſtes virtute, ſacerdotio, & nomine Honoratus, corpore exutus, quicquid ad clauſulam eloquutionis adiecero, abſurdum poterit iudicari. Si enim dixero ad aſtra migrauit, ille etiam, dum in terris moraretur, inter ſplẽdiſſima illa regni Dei aſtra numeratus eſt. Ad dã Chriſto adſtat? Quando autem ei in vita ſua ille non adſtitit, cuius omnis vita illam Heliæ vocem habuit: Viuit Dominus, cui adſto hodie? Dicam terrena deſeruit? cuius, vt Apoſtolus ait, conuerſatio ſemper in cœlis fuit? Similiter itaque quantum certè animus meus habet, quidquid de tali viro dicendum occurrerit, ipſa ſua magnitudine congruo exitu caret. Compugnant mœroribus gaudia. Talem reminiſci dulce eſt, tali carere ſupplicium. Duplex itaque materia me prouocat, illinc me laudum ſuarum gratia ad ſermonem trahit, hinc ad ſingultus retrahunt damna communia. Ignoſcite itaque, ſi diripientibus his affectibus mentem meam oris mei officium tanquam duobus Dominis famulatum congruum negat. Quicquid recordatio in laudis partibus ſuggerit, totum hoc ſibi inter damna numerans dolor vendicat. Quanquam etſi adeſſet mihi ſerenitas mentis, & famulatu idoneo menti lingua ſeruiret, num abundantiùs laus eius proferri ſermonibus meis poterat, quàm in veſtris ſenſibus manet? Nemo eſt (vt puto) cui non illius viri gratia maior occurat, quam poſſit opulen-

3. Reg. 18.

Philip. 3.

Prouerb. 10. tissima cuiuslibet proferre facundia. Quia ergo, vt scriptura loquitur, memoria iustorum cum laudibus semper est, nec potest quisquam meritorum illustrium viros non cum laude memorare, proferam, vt facultas datur, aliqua ex his, quæ de illo dilectionis vestræ corda meditentur. Adiuuabunt vtique sensus vestri conatus meos, & quod sermone meo expediri difficile est, vestra sibi pectora propriis cogitationibus eloquentur. Scriptura quodam loco continet: Sapientia in exitu canitur, hoc est dicere: sapientis conuersatio in con-

Eccl. 11. uersationis fine laudatur. Vnde & in alio loco: Ne laudes, inquit, hominem in vita sua & iterum: Ante mortem ne laudaueris quenquam, tanquam si diceret: lauda post mortem. In viuentis enim laudibus & laudato locus vanę exultationis offertur, & laudatori vel maximè nota assentationis affigitur. Multis

Laudare defunctos vtile. autem modis vtile est laudare defunctum, primùm, quia dum abest, cui gratificari laudatione possimus, necesse est vt ad largitorem gratiæ Deum laus tota referatur, deinde quia sola virtutis admiratio residet, vbi suspicio assentationis aufertur. Defuncti itaque laus in sancta fidelium congregatione prolata plena est ædificationis, vacua iactantiæ, merita quoque eius in hoc qui laudatur accrescunt, quòd plures sua laude proficiunt. Nec verebor ne nimis forsitan fauorabiliter de meo loqui credar, quia præter quàm quod nihil non inferius dici suis virtutibus potest, nemo est, qui non illum suum senserit, suúmque crediderit. Non tamen ego ingenij fiducia, neque fretus eloquio, ad attingendam tanti viri vitam manum mitto: quam si quis priscæ eloquentiæ auctor attingeret, non solum facundia non ornaret, sed victus materiæ mole succumberet. Vester me amor prouocat, vester affectus de illo aliquid loquẽdi fiduciã subministrat. Animabitur ipsius (vt credimus) meritò sermo quamuis tepentis ingenij, & quod iacet verbis eleuabitur rebus, & effusa in illum charitate vestrorum pectorum condietur. Et illud notum est omnibus oratoriæ disciplinæ, quorum laudandam receperint vitam, patriam priùs & originem prædicare, vt quod in propriis virtutibus deest, in patrum gloria præcessisse videatur. Nos autem in Christo vnum sumus, & fastigium est nobili-

Summa nobilitas in filijs Dei numerari. tatis inter Dei filios computari. Nec addere nobis quicquam ad dignitatem terrenę originis decus, nisi cõtemptu suo potest. Nemo est in cœlestibus glorioſior, quàm qui repudiato patrum stemmate sola elegit Christi paternitate censeri. Prætermitto itaque commemorare auita illius sæcularium honorum insignia, &, quod concupiscibile ac penè summum mundus habuit, vsque ad consulatum prouectam familiæ suæ nobilitatem maiore generositate pectoris fastiditã, nec placuisse illum sibi de superuacuis suorũ honoribus, qui pro amore veritatis iã suos non optabat. Ad illud potius meus sermo festinat, qua fide baptismũ in adolescentiæ annis proprio cõcupierit arbitratu, quã maturo

Expetit baptismum adolescens. consilio sanus mortem expauerit, qualiter ante Baptismum vita cariturum se esse perspexerit, qua siti vitam suam desiderauerit vitali fonte renouari. Quàm dulcis ei infantia, quàm modesta pueritia, quàm grauis adolescentia fuerit, quàm omnes etiam ætatum gradus gratia semper & virtute transcenderit, maiórque se semper inuentus sit, vt prorsus diuino quodam pædagogio educatum putes. Eruditur sine aliqua suorum instantia, serua iuuante Deo baptismum præter vllam hominum solicitudinem, & quod his maius est, recenti adhuc & illibato nitore ad fontes sine admonitore conuertitur. Sine admonitore dixi? Et vbi illud est, quòd patria obstabat? quòd obluctabatur pater? quòd propinquitas tota renitebatur? Intrauerat enim gratia sua omnium sensus, & cum eum sibi Christus assumeret, certatim in

suis

ſuis omnibus mundus tenebat. Alios dulcedo ipſius obligauerat, alios collegij blandimenta deuinxerant, alios in variis iuuenum exercitiis admiratio ſæcularium virtutum tenebat. Quot illi vitę prioris gratiæ fuerant, tot à conuerſione vinculis retrahebatur. Commune quoddam familiæ decus præripi ſibi omnes timebant. Et verè quis vnquam illum habitus non quaſi proprius accepit? quos aliquando amictus non ornauit? Itaque velut ſplendidiſſimam gemmam & commune omnium decus eripi ſibi ſimul patria, ſimul familiares, ſimul parentes putabant. Neque immutanda hæc omnia, & reformanda in melius, vt vidimus, ſed quaſi moritura eſſe credebant. Et inde illud erat, quod (quia ad omnia quæ adorſus erat, ſtrenuè eum pater agere perſpexerat) à baptiſmate, quandiu potuit, auertit, timens ne totus ſimul, ſicut conſecutum eſt, religionis amore raperetur. Inualuit tamen deſiderium & amor Chriſti, & baptiſmum diſcuſſis patris diſſuaſionibus pueritia fidelis inuaſit. Ita enim adhuc ſe cathecumenus inter prima fidei rudimenta formauerat, laſciuiam pro reuerentia accipiendi quandoque baptiſmatis reſpuens, clericos vt patres honorans, & puerili interdum cenſu pauperem iuuans, quicquid habere adhuc illa ætas, & plus vtique pro nouitate habendi amare poterat, miſeratione prodigus offerebat, iam tunc in paruo præmeditans cuncta contemnere, & ſua ſimul vniuerſa largiri. His itaque & talibus exercitiis ad baptiſmum ſe cathecumeni fides robuſta proripuit. Hinc iam prouidus pater & teneræ pietatis ſuſpicione ſolicitus variis eum oblectationibus prouocare, ſtudiis iuuentutis illicere, diuerſis mundi voluptatibus irretire, & quaſi in Collegium cum filio adoleſcente iuueneſcere, venatibus ludorumque varietatibus occupari, & tota ad ſubiugandam illam ætatem ſæculi huius dulcedine armari. Nec immeritò eum ſæcularis pater ſibi à Chriſto præripi timebat quem inter reliquos ornatiſſimos iuuenes velut vnicum complectebatur. Verùm maior illi inter hæc erat cuſtodiendi baptiſmatis cura. Faſtidiebat adoleſcens, quo grandæuus oblectabatur pater, tali ſe ſemper adhortatione compellans: delectat hæc vita, ſed decipit. Alia in eccleſiis præcepta recitantur, alia ibi in auribus meis mandata ſonuerunt. Illic modeſtia, & continentia, & quies, & pudor traditur; hic effrenata luxuria nutritur. Ibi pietas viget, hic exercitatio corporalis. Illic ad æternum regnum Chriſtus inuitat, hic diabolus ad temporale ſollicitat. Omne quod in mundo eſt, vanitas eſt, & concupiſcentia oculorum: & mundus tranſit, & cõcupiſcentia eius: qui autem fecerit volũtatem Dei, manet in æternum, ſicut & ipſe manet in æternum. Feſtinemus ergo erui ab his laqueis, dum adhuc minus tenemur. Difficile diu illigata ſoluuntur. Facilius eſt tenera euellere, quàm robuſta ſuccidere. In mõte ſaluam fac animam tuam, ne fortè apprehẽdant te mala conuerſationis iſtius. Cito ſerpit voluptatis venenum, ſeruanda eſt Chriſto per Chriſti gratiam ſumpta libertas. Alij aurum, argentúmque mirentur: dominantur, vt video metalla dominantibus. Alij prædia atque mancipia non ſine animi ſui captiuitate poſſideant, alij honoribus gaudeant, & honorem diuinæ in ſe imaginis premant. Mihi ſatis eſt, mancipium non eſſe vitiorum, mihi ſalus gaudium, mihi coniux ſapientia, mihi in virtutibus voluptas, mihi Chriſtus theſaurus ſit, qui penſabit mihi gaudia caduca melioribus, dabit & in hac vita ſtudiis diſciplinæ me & oblectari & ornari, & inter hæc dignum fieri cœleſtibus regnis. Nec longas talis meditatio moras pertulit, ſed ilico in flammam conuerſationis nutrita huiuſmodi fomentis ſcintilla prorupit. Iugum

Cathecumenus adhuc piè vixit.

Pater nititur eum auertere à baptiſmo.

1. Ioan. 2.

Alludit ad id quod eſt Gen. 19.

dominicæ ſeruitutis ſubdita ceruice ſuſcipiens, iugum libertatis excuſſit, intelligens ſummum eſſe captiuitatis genus licentiam iuuentutis. Rediguntur ad breues capillos luxuriantes comæ, transfertur ad nitorem mentis veſtium ſplendor, ceruicis lacteæ decus palliis rigentibus occupatur, tranſit lætitia in ſeueritatem, membrorum vigor animi vigore mutatur, virtus corporis in virtutem ſpiritus migrat, palleſcit ieiunio ſpecioſa facies, & priùs ſucci plena fit plena grauitatis. Et quid plura? Ita repente totus ex alio alius oſtenditur, vt non aliter genitor ipſius quàm orbatus filio pater lamentaretur. Et verè plena mortificatio corporis, ſed vita illic ſpiritus erat. Tota hinc parẽtum perſequutio ſuſcitatur, tunc ſolum & primum patri contumax fuit, cum Dei patris filius eſſe contendit, ordinata iam tunc in Deo, ſicut Salomon præcepit, charitate. Ita enim propheta memoratus ſub Dei voce pronuntiat: Ordinate in me charitatem. Ordinauit planè eam ille, & ſub charitatis diſpoſitione perſpexit primò Deum, tum proximum diligendum. Condemnari itaque ſe ſenectus patris ætatis illius conuerſatione credebat. Occurrit, renititur, nec tamen vllo horum pueritia Deo freta concutitur. Adſiſtit tyroni ſuo dominus conſolator, nec diſtulit vnum ei ex germanis ſuis in collegium ſuſcitare, qui exemplo ipſius ad conuerſationem vocatus, & ſenior iuniorem ſequutus, in ipſo breui quo vixit tẽpore ſicut collegio illum, ita etiam virtute comitatus. Hinc iam inter illos certamina grata propoſiti, cuius mens ad pietatem mollior, cuius eſſet cibus durior, cuius ſermo blandior, cuius amictus aſperior, quis loqui rariùs, quis orare crebriùs poſſet: quem minùs detineret lectus, quem magis lectio, quem minùs moueret iniuria, quem magis miſericordia, quis daret promptiùs quod ſibi detraxiſſet, quis libentiùs hoſpiti ſtratum cilicij & ceruical illud conſueti lapidis offerret, quis peregrinum promptiùs ante eleemoſynæ diſpenſationem lachrymis foueret, & affectu priùs Chriſtum quàm aduenam conuiuio paſceret. Cui in ore rarior mundus, cui frequentior Chriſtus: quis in illa ſublimitate virtutum ſibimet ipſi minor videretur, & quo magis merito aſcenderet, eo magis compunctione deſcenderet. Priuatus quidam iam tunc in conuerſatione eorum epiſcopatus gerebatur. Mentior, niſi plurimi epiſcoporum didicere ab illis dum excipiuntur, excipere. Nam ſi qui rigorem illum propoſiti nõ expauerunt, plus illinc humanitatis animo, quàm refectionis corpore ſecum tulerunt. Ornabãt itaque omnem ſimul patriam: & quantum apud animos multorum manet, cuſtodiebantur, aliorum ab illis corpora, aliorum ſpiritus, prout quiſque indigens erat, aut veſtimentis, aut doctrina, aut ſumptibus veſtiebantur, inſtruebantur, alebantur. Nullus illuc peregrinationis labore defeſſus non tanquam ad patriam & patrimonij ſui iura peruenit, nullus illinc ad vlteriora diſcedens non tanquam iterum à domo ſua pedem mouit, & iterum ſibi relinquere ciues ſuos viſus eſt, iterum propinquos. Interea amor in illos omnium creſcebat, multiplicabatur, & fama in vlteriora quæquẽ ferebatur, totáq; erga illos patria obſequiis & amore certabat. Peruenire illis ad ignobilitatem & paupertatem non licebat. Quanto magis eorum vita abſcondebatur, tanto magis fama emicabat: & alter alterum laudi obiicere, & gloriæ exponere, & ad vnum communem virtutum apicem referre. Sed dum vnuſquiſque ſe ſub vmbra alterius obſcurare volebat, tanquam repercuſſa claritas vtrinque radiabat. Iam quæ illorũ grauitas, quàm ſenilis maturitas, quàm rara fœminarum viſitatio etiam proximarum: & quę inter tot virtutes vanitatis fuga, quàm blanda conſolatio, & quàm ſolicita cuſtodia erga eorum ſalutem,

Summum ſeruitutis genus licentia iuuentutis.

Cant. 2.

Frater S. Honorati eius exemplo conuertitur.

Sanctus Venantius maior ætate Sancto Honorato.

Sancta Contentio.

Cathalogus virtutum Honorati & Venantij.

Lapis illi pro ceruicali.

Creſcit fama eorum dum latere cupiũt.

ſalutem,qui ſe eorum doctrinæ mancipauerant. Angelica ab illis vita in terris ducebatur, in multa patientia, in vigilis, in ieiuniis, in caſtitate,in ſcientia,in longanimitate,in ſuauitate,in ſpiritu ſancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis,in virtute Dei.Pauebant interea illi gloriam ſuam,&odorem bonæ conuerſationis longè latéque diffuſum (licet ad Dei laudem referrent) ſibi tamen vanitatis periculum inferre metuebant: percepiſſe ſe in vita ſua mercedem reputabant: humanam conuerſationem & gratiam faſtidientes heremi amore flagrabãt. Inito itaque conſilio,& quodam modo paſſi honoris ſui perſequutionem ad peregrina contendunt. Iterum patria conſurgit, iterum propinqui reluctantur,ſpoliari ſeſe hoc ſimul lumine metuũt omnes. Quod illic,Ieſu bone,certamen fidei atque amoris fuit:qui tunc conſiliorum qui precum,qui lachrymarum ambitus: Quis non illic ſibi officium propinqui vendicauit:Aut cuius lachrymæ non cum lachrymis patris certauerunt: Amittere ſe omnis patria iuuenibus illis patres ſentiebat. Et verè erat in illis ſenectus non annis cana,ſed gratiis:non carioſa artubus,ſed moribus vetuſta. O quanta,Domine,diſpenſatio procurationis tuæ, qui lampades tuas fidei igne fulgentes non loco fixas ſtare pateris, ſed præfers eas illuminationi diuerſorum locorum inſpirans migrandi voluntatem & fugiendi gloriam,quæ vtique multiplicanda erat, ipſo per ſuſceptam peregrinationem virtutis augmento. Diripitur itaque dudum vario miſericordiarum opere vexata,adhuc tamen larga ſubſtantia, & æqualiter ad patrimonium propinquus atque extraneus auctionator admittitur. Ita nullus in lucris duntaxat, parentum reſpectus eſt,ac ſi rem non ſuam vendant.Poſſeſſio, quæ pauperibus ex quo ab ipſis fuerat poſſeſſa,ſeruierat,pauperibus nunc diſtribuenda diſtrahitur. Excepit patria effuſam miſericordiam,& fletibus effuſis repenſat. Exeuntes de terra,& de domo, & de cognatione ſua,exemplo pares verè Abrahæ filij demonſtrantur. Nè quid tamen iuuenili auſu temerè ab ipſis incœptum putaretur,aſſumunt ſenem perfectæ conſummatæque grauitatis,quem ſemper in Chriſto patrem computantes patrem nominarunt ſanctum Capraſium, angelica adhuc in inſulis conuerſatione degentem. Cuius quamquam dilectio veſtra nomen hactenus ignorauerit, & adhuc neſciat viam, amicis eum ſuis Chriſtus annumerat. Hunc tanquam ordinatorem in domino atque cuſtodem ſuæ ætatis aſſumunt, quos iam cuſtodes ſibi plurima iuuentus elegerat. Quæritur ergo peregrinationis latebra, fugitur fama virtutis : at vbicunque itur,ibi alia velint nolint fama pariebatur. Fœlices terræ,& portus beati,quos cœleſtem patriam ſitiens peregrinus illuſtrat. Alij ad orientis oras, & quæcunque alia plena ſanctis loca accipiendi exempli gratia accedunt, hi quicquid adeunt,exemplis bonis ſuſcitant.Spargitur vbique ſubſtantia,& in omni acceſſu eorum bonus Chriſti odor fragrat.Expetunt littora,quibus barbara eſſet etiam illa,quæ plurima in ipſis erat Romana eloquentia.Longum eſt percurrere quem ab illis profectum vnuſquiſque locus traxerit, quam ſalubritatem eccleſiis ſine vllo clericatus actu inuexerint, quod magiſtris magiſtri in ſilentio fuerint. Illud commemoraſſe ſufficiat,intrepidè ab illis pro Chriſti deſiderio maris rheuma toleratum,ſqualorem ac ſterilitatem Achaici littoris expetitam, & tam delicatè, tam molliter educatos contra tantas aquarum & auratum varietates decertaſſe.Quod quàm graue, quàm intolerabile illi teneritudini fuerit, exceſſus illic germani ſui beatiſſimi in Chriſto viri Venantij,&infirmitates ſuæ ſuorúmque proteſtabantur.Iam quid in illo funere Methona aut extuliſſe ſe, aut percepiſſe crediderit, multiplicibus

Dolent ſe ab aliis laudari.

Diſtrahunt facultates ſuas pauperibus.

Capraſium ſibi patrem aſciſcunt.

Venantius frater S. Honorati Methone decedit

pſallentium indicauit agminibus. Hinc Hebræus, hinc Latinus exultant. Iudeus ipſe Chriſtum reſpuens fidelem Chriſti ſeruum admiratur, aſtra ipſa feruentes chori pulſant, & vt credimus, cum humanis vocibus angelici chori concinunt. Fideli famulo ſuo Chriſtus occurrit, Euge Venanti ſerue bone & fidelis, & dum audis, intra in gaudium Domini tui, memento noſtri, quos adhuc ſæculi gaudia impugnant, Accipiunt finem carnis animæque certamina, ſumit principium vita perennis in gloria.

Matt. 25.

Sanctus honorat. regreditur.

Hinc iam vobis Honoratum veſtrum Chriſtus reduxit, & occulta manu ſalubritatem regreſſus ſui temperat. Nam quicquid præterfluens tangit, illuminat. Huius Italia benedici gaudet introitu, hunc. Thuſcia veneratur, amplectitur, & blandiſſimas per ſacerdotes ſuos moras nectit. Porro Dei prouidentia vobis proſpiciens cuncta dirupit: & quem è patria eremi deſideria prouocauerant, hunc in eremum huic vrbi propinquam Chriſtus inuitat. Vacantem itaq; inſulã ob nimietatem ſqualoris & inacceſſam venatorum animalium metu, alpino haud longè iugo ſubditam petit, præter ſecreti opportunitatem ac beatiſſimi in Chriſto viri Leontij Epiſcopi oblectatus vicinia & charitate conſtrictus, plurimis à tam nouo auſu retrahere illum conantibus. Nam circuniecti accolæ terribilem iſtam vaſtitatem ferebant, & ſuis illum finibus occupare fidei ambitione certabant. Verùm ille humanæ conuerſationis impatiens, & circuncidi à mundo vel obiectu freti concupiſcens, illud corde ore & geſtabat, nunc ſibi, nunc ſuis proferens: Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem, & in euangeliis Chriſti ad diſcipulos ſuos factam promiſſionem: Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & Scorpiones. Ingreditur itaque impauidus, & pauorem ſuorum ſecuritate ſua diſcutit. Fugit horror ſolitudinis, cedit turba ſerpentium, At quæ non tenebræ illud lumen refugerunt? quæ non illi medicamento venena ceſſerunt? Inauditum verè illud, & planè inter miracula ac merita illius mirandum reor; quod tam frequens, vt vidimus, in illis ariditatibus ſerpentum occurſus, marinis præſertim æſtibus excitatus, nulli vnquam non ſolum periculo, ſed nec pauori fuit. Quid longiùs morer? Cooperante, vt ita dicam, Chriſto, omni ea quę priùs deterruerat, aduerſitate ſuperata, Honoratus veſter caſtra illic quædam Dei collocat: & qui locus dudum homines à ſua commoratione repulerat, angelicis illuſtratur officiis. Illuminabitur latibulum, dum tibi lumen occulitur: cedit ignoti priùs exilij obſcuritas volontarij exulis claritati. Quis ergo mendacio illud conferat? Quicunque Honoratus acceſſerit, adeſſe illic etiam honorem neceſſe eſt. Hic primùm illigatur diu euitans clericatus officio: hic refugam ſuùm ſacerdotalis infula innectit: & qui venire ad dignitatem detractauerat, ad ipſum dignitas venit. Apparuit illic preſbiter non duplici tantum, ſed multiplici honore digniſſimus, coram quo nullam ſacerdotij diſtantiam, nullum nominis priuilegium epiſcopatus agnoſceret. Nemo vnquam epiſcopum ſibi tantùm vſurpauit, vt ſe presbyteri illius collegam computaret. Verùm ille tam integram in ſacerdotio monachi humilitatem conſeruabat, quàm plenè monachus ſacerdotis merita poſſederat. Induſtria illic ſua ſufficiens electis Dei eccleſiæ templum excitatur, apta monachorum habitaculis tecta conſurgunt, negatæ ſæculis aquæ largiter fluunt, in vno ortu ſuo duo veteris teſtamenti miracula præferentes: nam cùm è ſaxo erumperent, in media amaritudine dulces profluebant. Certatim ſe iam illuc omnis regio quærens Deum dirigebat: Honoratum expetiit, quiſquis Chriſtum

Leõtius Epiſcopus For.

Pſal. 90.

Luc. 10.

Sanctus honoratus ingreditur Lerinẽſem inſulam.

Inſigne miraculum.

Initiatur ſacerdotio.

Conſtruitur Lerinenſe Monaſteriũ.

Duo veteris teſtamenti miracula.

Chriſtum deſiderauit;& planè Chriſtum,quiſquis Honoratum expetiit, inuenit. Ille enim illic totus vigebat, pectus eius quaſi præcelſam arcem & ſplendidiſſimum templum inſederat.Illic caſtitas, fides, ſapientia & virtus habitauit, ibi iuſtitia fulſit & veritas. Itaque velut vrnis effuſis protentiſque brachiis in amplexum ſuum omnes, hoc eſt, in amorem Chriſti iuuitabat: omnes vndique ad illum certatim confluebant. Etenim quæ adhuc terra, quæ natio, in monaſterio illius ciues ſuos non habet? Quam ille barbariem nõ mitigauit: Quoties de immaniſſimis belluis quàm mites fecit columbas: Quàm amaros interdum mores Chriſti dulcedine aſperſit: & quorum prauitas ſibimetipſis priùs pœnalis fuerat, eorum poſtmodum gratia oblectamento omnibus erat, deguſtata deinde ſuauitate non poterant non magis odiſſe quod fuerant.Nam velut educti in nouam lucem antiquum illum diu inſidentium errorum cernerem deteſtabantur. Pulſa eſt per exhortationem ipſius varia peſtis animorum amaritudo, aſperitas & rabies locum dabant libertati,quam Chriſtus obtulerat,& delectabat requies poſt longam & grauem Pharaonicam ſeruitutem. Stupenda & admirabilis permutatio. Non Circæo (vt aiunt) poculo ex hominibus feras, ſed ex feris homines Chriſti verbum tanquam dulciſſimum poculum Honoreto miniſtrante faciebat. Quid enim non extenderet illa inſtantia cum alacritate coniuncta: aut qui lapides nõ in Abrahæ filios verterentur, vbi tanta erat in expoliandis mentibus officina virtutum: Quòd ſi minùs hominem ad ſalutem ſuam viuidis exhortationibus permoueret,Deum oratione conſtringeret.Omnium enim ille paſſiones ſuas credidit,& tanquam ſuas fleuit,profectus laboreſque omnium ſuos computauit, ſciens gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus:ſimul & vitia virtutes omnium in meriti ſui cumulum tranferebat. Sicut enim virtutem excitat,ita miſeratio miſeris impenſa fructificat. Metet enim ſingulis pluſquam ſibi ſingula, ſingulorum enim ſalus vnam illi gloriam inſtruit. Impiger, feſtinus, infatigabilis perſeuerat,prout cuiuſque naturam moreſque perſpexerat,hunc ſecreto,illum palam: hunc ſeuerus,illum blandus aggreditur, & ad caſtigandi immutationẽ ipſam plerumque faciem caſtigationis immutat. Inde illud erat, quod non facilè quenquam tantum vel amari vidimus vel timeri.Ita enim duos hos affectus ſui in vno quoque ſuorum collocarat, vt amor ſui delicti metum, & timor diſciplinæ amorem introduceret.Incredibile eſt quantæ illi curæ fuerit,ne quem triſtitia affligeret, ne cogitatio ſecularis vrgeret, quàm facilè perſpexerit, quid quemque vexaret, tanquam ſingulorum mentes geſtaret. Quanta præterea pietatis diſpenſatione prouiderit, ne quem nimiis laboribus grauaret,ne quis nimia quietate torpeſceret. Ipſos (ſi dici poteſt) ſingulorum ſomnos pio penſauit affectu,valentes corpore à deſidia ſemper excutiens, feruentes ſpiritu cogebat ad requiem. Omnium vires, omnium animos, omnium ſtomachos,inſtinctu quodam Dei nouerat verè ſeruus omnium factus per Chriſtum Ieſum. Mirandum eſt,quomodo vnus tot ſimul officia compleuerit, tam varia præſertim infirmitate vexatus. Fortiſſimos quoſque recenti & adhuc conuerſatione præualidos in ieiuniis vigiliiſque impar viribus pari lege comitatus eſt.Infirmos ipſe infirmior viſitauit, refrigeria animarum ſimul prouidit & corporum: & ne quid cuique minus fuiſſet impenſum,animo ſemper recurrebat:hic alget,hic ægrotat, illi hic labor grauis eſt, huic hæc eſca non conuenit, ille ab alio læſus eſt, graue quod hic intulit, nec minùs graue quòd hic ſenſit iniurias. Grandi inſtantia opus eſt, vt of-

Monachos præclarè inſtituit.

Inſignis ciues moderatio.

fensi gratiam hic consequatur, & hic sibi illatam contumeliam aut leuem aut nullam computet, hic autem grauissimam intulisse suspiret. Hæc illius iugis opera, iugis intentio erat, leuigare omnibus iugum Christi, & quicquid diabolus iniecisset auertere, discusso culparum nubilo gratiarum serena reuocare, amorem Christi & proximorum amando inserere, & mentes omnium tanquam suum pectus excolere, inuocare gaudia, & ad Christi semper desiderium tanquã primo conuersionis die inardescere. Hinc illud erat, quod omnis congregatio illa diuinæ cupida seruitutis ad nomen ipsius ex diuersis terrarum partibus collecta, tam moribus quàm linguis dissona, in amorem illius conspirabat. Omnes Dominum, omnes patrem vocabant, in illo sibi patriam, propinquos, & omnia simul reddita computantes. Didicerant omnes ipso sibi compatiente, dolores illius suos computare, vt non immeritò egregius & in Christo beatissimus Saluianus presbyter charorum suorum vnus in scriptis suis dixerit: quòd sicut cœli faciem pro sua sol aut obscuritate aut serenitate mutaret, ita congregatio illa cœlum sitiens & cœlestibus studiis mãcipata ab ipso vel nubila vel serenitatem mẽtium quasi à peculiari in Christo sole susciperet, ipso quoque & afflicto afflictaretur, & respirante reualescceret. Hinc illa erat, & adhuc orationibus eius permanet diffusa in Monasterio ipsius sancti Spiritus gratia tanti doctoris & exemplo & admonitione firmata in variis charismatum donis, in humilitate & mansuetudine, in charitate non ficta, & vna capitis gloria in diuersitate membrorum. Magna illi inter hæc erga aduenas & hospites cura. Quis enim aliquando illum præteriret? Quis non quamlibet prosperam nauigationem & quantumlibet secundos ventos mox pro tanti viri desiderio commodi sui contemptor abrupit? aut si insulam tenere non licuit, violentum secũdæ nauigationis obsequium acerbissimam tempestatem computauit? Nemo illuc non festinus accessit, nemo illic moras suas sensit, nemo illinc non securissimus soluit prosequente ipso amore sua vota. Et tunc primum agnitis tanquam dudum suis enitentes in squalore eremi delitias conspectu suo ministrabat, cum tanto omnes gaudio & alacritate suscipiens, tanquam expectasset. Aderat preterea munificenti animo par substantia, pari fide ministrata. Nam qui libenter audierat, vende omnia tua, & da pauperibus, & veni, sequere me, huic libentissimè vnusquisque si quid munificenti animo deuouerat, dispensandum ingerebat securus, illi sua committens, cuius in relinquendis omnibus sequutus fuerat exemplum. Hinc ad eum frequens ille ex diuersarum regionum vastitate concursus. Et verè is ille erat, qui non vt parcus dispensator aut timidus respectu sibi creditæ & crescentis quotidie congregationis aliqua tribueret, plura seruaret. Sed quid quotidie in alieno non faceret, quod in suo semel fecerat? hoc est, nihil sibi, nihil suis præter præsentium dierum victum & vestitum reseruaret. Exhausta est aliquando dispensationis substantia, fides nunquam. Quadam enim vice cùm vnum iam ex multis millibus aureum nummum prona ad munificentiam arca retineret, hunc etiam ipsum in multarum rerum defectu constantissimè pauperi prætereunti dedit, & mihi atque aliis adstantibus dixit: Certum est, iam appropinquare qui deferat, si iam non habet munificentia nostra quod proferat. Vix trium aut quatuor horarum spatium die fluente transierat, & continuò qui verbis suis fidem faceret, occurrit. O fœlix munificẽtia, cui fides ministrauit! ô fœlix fides, cui munificentia nunquam moram fecit. Et verè quantum fides suppetebat, dispensare sua tantùm manu non occurit. Plurimos multis in locis probatissimos viros habuit,

Quæ illius cura perpetua.

Monachi eius eum mirè amant.

Saluiani præclarum de eo testimonium.

Magnum eius erga perigrinos studium.

Matth. 19.

Eximia liberalitas.

buit, quorum ſemper manibus quod ſibi deferebatur, expenderet. Sic vnius diſpenſatoris gratia diſpenſatores multos habebat, & fide ſua quaſi communis quidam fons & dantibus & accipientibus plurimis profluebat. Nullius penè anguſtiæ ad ipſum præuenerunt, quæ vltra ipſum protenderentur, aut non in ipſo metâ reperirent. Hinc iam certatim ad illum, vt putabat, aut certè vt optabat, latêtem vndique litterarum officia perlata ſunt, quibus ille quàm nouis affectibus variata reddebat, quàm grauia, quàm blanda, quàm dulcia! Vnde pulcherrimè ſplendidus mundo, ſplendidior Chriſto, æmulus virtutis eius beatus Eucherius, cùm ab eremo in tabulis (vt aſſolet) cera illitis in proxima ab ipſo degens inſula literas eius ſuſcepiſſet, Mel (inquit) ſuum ceris reddidiſti. Quis itaque non beatum ſe, beata ſcrinia ſua credidit, in paruo ex ore ipſius munere magna benedictione ditatus? Et ſane tantum in ſcriptis illius ſalis, tantum dulcedinis erat, vt non ſcriniis aut armariis, ſed arca pectoris condi mererentur. Inde eſt, quòd plurimi ea inſcripta ſenſibus ferunt, & libentiſſimè ad teſtimonium amoris illius proferunt. Denique quis vnquam tantos ſibi amicos præſentibus alligauit officiis, quantos ille qui ſe diligerent, & auidiſſimè deſiderarent, habuit ignotos? Interea ego dum multimodam Honorati veſtri gratiam memoro, in me infinitam curam prætermitto, cùm ipſius vtique mihi cura non minùs in Chriſto ſalutis attulerit, quàm amor inter vos ornamenti & honoris reliquit. Mei enim gratia (quod ad meritum eius & iudicium meum pertinet) patriam, quam faſtidierat, non dedignatur accedere, nec refugit laborem tanti itineris ſuis præcipuè multis iam dudum infirmitatibus grauem. Venit, méque in illis iam annis nimis amicum ſæculo & contumacem Deo, vt ſeductor & verax ad amorem Chriſti blanda manu tentat. Longum eſt intromittere illam exhortationibus ingenij ſui violentiam, quibus cum iam ante propoſitum accerrimos ſibimet ipſi ad conuerſionem ſtimulos admouere potuiſſet, hauſtis diu ſapientiæ fontibus multipliciter diffundebatur. Sed cùm parum in aures meas pietatis illius verba deſcenderent, ad ſolita orationis præſidia conuertitur, & affectus ſui clamor repulſus duritia mea piiſſimas Dei vſque ad miſericordiam pulſauit & penetrauit aures. Et verè obluctanti mihi & per ſęcularem illam nimis periculoſam conſuetudinem obſtinationem interdum meam ſacramento obſtringenti prophetico (vt ita dicam) ſpiritu ante iam præmiſerat, Hoc, inquiens, quod mihi tu non præſtas, Deus præſtabit. Et ô quamdiu mollire duritiam meam niſus eſt imbre lachrymarum! Quàm piis mecum oſculis amplexibúſque pro ſalute mea certauit! Ad præſens tamen (vt ille ait) vici peſſimam victoriam. Exagitandum me illinc & edomandum dextera Dei ſuſcipit, illi enim me oratione tradiderat. Qui tunc in corde meo fluctus, quæ tempeſtates diuerſarum & inter ſe compugnantium voluntatem excitatæ ſunt? Quoties ſibi in animo meo velle & nolle ſucceſſit? Et quid plura? Abſente illo partes in me ſuas Chriſtus exequitur, & poſt biduum orationibus illius per miſerationem Dei mea contumacia ſubiugatur. Fugauerat enim ſomnum cogitatio, & inuitante me pio Domino totus eminus cum voluptatibus ſuis mundus adſtabat. Quid expetendum, quid relinquendum, ſuaderet animus mecum meus tanquam collatis apud amicum tractatibus ventilabat. Gratias tibi, Ieſu bone, gratias tibi, qui dirupiſti vincula mea famuli tui Honorati ſupplicatione permotus, & iniecisti mihi vincula amoris tui, quibus ſi tenear, numquam peccati vincula reualeſcent. Occurro itaque ſubditus, qui ſuperbus abſceſſeram, & omni contradictione depoſita nouus precator accedo. Sic ſic ſancti oratio fugitiuos

Is Eucherius fuit Epiſcopus Lugdunenſis.

Hilarij lucrudi gratia qua fecerit.

suos reducit, sic contumaces subiugat, sic expugnat rebelles. Iam quibus ille tunc lachrymis ariditatem meam irrorauit, quam pio fletu me quoque traxit in lachrymas? Tali enim humilitate & blandimento, tanquam si ipse à me exciperetur, excepit. Ablata est illico causa remorandi. Tunc primùm illam patriam, quam fugiendam dudum crediderat, agnouit. Educit me secum suam prædam, gaudet, triumphat, exultat. Eremo me iam tamen exemplo suo secreti sui cupidum festinat includere. Alit primum lacte, & postmodum cibo, potat me profluo illo qui in se erat, cœlestis fonte sapientiæ. Atque vtinam tantum angustia spiritus mei recepisset, quantum ille studebat infundere. Præparasset me profecto vobis, & desiderio vestro dignum dedisset, & successorem sibi idoneum nesciens erudisset, Iam verò illam sui in omnes profluam charitatem (quod sine inuidia dixerim) quantum in me adiecerat, & lene illud Christi iugum quantum mihi lenius blandimentis suis fecerat, quoties mentem meam, quoties animum, quoties linguam nominabat: quam impatiens absentiæ, quam semper indignissimi conspectus mei cupidus erat. Quid de his omnibus dicam, nisi illud propheticum, Dominus ei retribuat pro me. Interea ego dilectissimi strictim contingens potiùs cuncta, quàm referens, de solertissimo pastore vestro ea quæ aliis potiùs quàm vobis erant nota refricaui. Sacerdotium quippe illius in Ecclesia hac nomine & actu vidimus, sanctimonia verò & actibus iam prius summum. Sed vnde illud, quæso, quod tam è longinquo tam ignotus expetitur? Quis illam absentis nec prius visi gratiam vestris pectoribus affixit? Quis illud desiderij suscitauit, vt orbatus his quibus à Domino apud eremum indultus erat vobis, nasceretur? Ille vtique qui cuncta dispensat, ille qui eum & patriæ suæ quandiu congruum videbat, indulsit, & per maria & terras ad vtilitatem videntium hanc tantam cultoris sui gratiam circumegit. In summa verò ex illo breui quo vobis indultus est tempore facilè metiri datur, quid plus de illo, quid minus dixero. Vidistis enim dilectissimi illam solicitudinis vigilantiam, illud disciplinæ studium, illas pietatis lachrymas, illam iugem ac perpetuam mentis serenitatem, cuius testimonium vultus immutabilis erat. Audistis quoque os illud congruens vitæ, in quo erat consentanea puritati pectoris sermonis luculentia. Vidistis illam latitudinem charitatis, quæ tanta in illo fuit, vt non immerito de illo sanctus idem cuius proximam sententiam proposui, dixerit: quod si arbitrio suo charitas ipsa hominum vultu exprimenda esset, Honorati potissimum pingi debere vultu videretur. Quis itaque illum vnquam sufficienter vidisse sibi visus est, cui non loco omnium affectuum fuit? Quis ita blandimentum cum seueritate coniunxit? Quis ita mixtam lætitiæ disciplinam propinauit? Quem non cum ipsius gaudio qui corrigebatur, correxit? Quando lætitia eius quicquam lasciuiæ redolens? quando tristitia non salubris? Quando gemitus nisi de peccati alieni mœrore descendens: Quis eum non auctiorem inuenit quàm prius viderat. Semper in summitate virtutum positus, Semper quo crescere posset, inuenit. Iam verò sub exhortatione ipsius, quis anxius non dolorem suum spreuit: Quis feris moribus non insaniam suam execratus est: Quis arrogans non plus quam omnes superbiam ipse suam abominatus est: Quis lasciuus luxuriam non detestatus est: Et quid plura: Omnibus omnia (vt Apostolus ait) factus communis omnium medicina erat. Nullam plenè gratiam non in se tam plenam habuit, vt ipsam specialiter excolere & possidere tanquam vnicam putaretur. In nullo vitæ ordine non ita viguit, vt ipsi specialiter aptus videretur, Deni

Expetunt Arelatenses Honoratum Episcopum.

tur. Denique vt primum ſanctæ huius Arelatenſis Eccleſiæ regimen accepit, prima ei cura concordiæ fuit, & præcipuus labor fraternitatem colentibus adhuc de aſſumēdo Epiſcopatu ſtudiis diſſidentes mutuo amore connectere, tanquam probatus Iſraëlis agitator, probè nouerat non facilè quicquam diſcordantibus imperari. Studebat præterea amore potiùs regere quam terrore dominari, vt voluntaria magis quam coacta correctio hunc quoque ſubditis adiiceret ornatum, ne ad officium ſuum compulſi putarentur. Confeſtim itaque excluſa diſcordia illi quæ eſt virtutum omnium mater charitati locum præbuit. Floruit igitur ſub illo Chriſti Eccleſia, ſicut Monaſterium ante floruerat: creuit gratiis, decreuit metallis, ingreſſa videlicet diſciplina domum ſuam mammona iniquitatis excluſit, & quæ otiosè diu congeſta fuerant, dignis tandem vſibus deputantur. Dudum defunctis theſauros ſuos miſit. Itaque qui obtulerant oblationum ſuarum refrigeria ſenſerunt. Hoc ſolum, quod miniſterio ſufficiens erat, reſeruauit: ſed ſi exegiſſet vſus, nec miniſterio (vt reor) peperciſſet. Alieni temporis vota diſpenſationem ſuam fecit. Operari etiam inter extrema non deſtitit, multos in lectulo ſuo verbi diſpenſatione dirauit, ſed quandiu illum lectulus, tenuit, cui ſuperare etiam vicinas morti laſſitudines in conſuetudinem venerat: Vltimum doloribus iam reluctantibus Epiphaniorum die in Eccleſia ſermonem habuit, neſciens vnquam colluctante cum infirmitatibus fide dolori magis corporis quàm ſpiritus feruori acquieſcere. Seruiuit deſideriis veſtris ſupra ſuas vires. Non illum ſiquidem aliqua extrinſecus ſuperueniens ægritudo, non ſubitus febrium æſtus abſorbuit, ſed diu dilata infirmitas nimio dudum propoſiti rigore contracta, & adhuc remiſſioni parum acquieſcendo ingraueſcens, octauo eum vel nono die à ſolemnitate prædicta paulatim extenuando confecit. Vix quatriduo tamen nobis ſuam in officiis charitatis deditis præſentiam denegauit, timens vtique ne ſuos vicinia tranſitus ſui contriſtaret. Nulli vnquam grauis inter grauiſſimas ægritudines fuit: nulli, vt aſſoler, vllum infirmitates eius horrorem intulerunt. Et quidem hoc ordine illud ſancti ſpiritus receptaculum conquieuit. Etenim impollutæ illius mentis vigorem incredibile eſt, quam integrum vſque in extrema ſeruauerit. At primùm ſuos vberrimè conſolatus eſt, ac nihil magis timuit, quàm ne diutina nos deſperatione conficeret, intelligens penè facilius ferri extrema quàm dubia. Abſterſit ſemper ſermone condito circunſtantium lachrymas, quas tamen quo magis abſtergit, irritat. Inde grauiorem ſuo dolorem noſtrum computabat. Non facilè quiſquam tam forti pectore inter quælibet aſpera & diu tolerata, nec optauit aliquando mortem, nec expauit. Nam is quem viuere inter quælibet grauia in Chriſti ſeruitute non piguit, ad nouam vitam per communem illam nouæ vitæ ianuam tranſire non timuit. Præmeditata enim illi vltima hominum neceſſitas, non repentina aduenerat. Itaque ſub ipſo iam finis aſpectu tanquam emigraret, tanquam vale diceret, ne quid imperfectum derelinqueret, ne quid minùs plenè quàm propoſuerat, ordinaret: interrogare ſingulos noſtrum, & ad ſuggerendum, ſi quid memoriam ſuam ſubterfugiſſet, hortari. Omnia interim ſubſcriptione firmare & parcentes nos fatigationis ſuæ ad omnia quæ agenda erant, cogere: cogere autem blando illo, ſicut ſemper, imperio. Quadam autem vice cùm comprimere lachrymarum mearum tempeſtatem & abrumpere riuos fletuum laborarem, Quid (inquit) fles ineuitabilem humani generis neceſſitatem: Imparatum ergo te inuenire meus

Studium concordiæ.

Liberaliter diſtribuit pecunias congeſtas ab aliis.

Inſignis feruor.

Mentis eius vigor.

tranſitus debuit, cum me non inuenerit imparatum: Cúmque ego impedita ſingultibus vtcunque poteram verbis ipſius verba ſubnecterem, quod iam non deſtitutionem eius dolerem, quippe qui mihi orationum ſuarum patrocinia nunquam defutura confiderem, quin & poſt tranſitum ſuum validiora præſumerem, vno me dolorum ſuorum vulnere & difficilium inter extrema luctaminum grauiter affligi. Ecquid ego (inquit) minimus omnium fero ad ea quæ ſanctorum plurimi in ſupremis ſuis acerbiſſima pertulerunt: Et commemoratis aliquot adiecit: Magni (inquit) viri multa patiuntur, & vt alios pati doceant, nati ſunt in exemplum. Confluentibus autem ad ſe poteſtatibus præfecto & prætoriis viris quàm feruentia ſub mortali iam frigore mandata deprompſit ab ipſo exitu ſuo ſumens acerrimum exhortationis exordium. Et dignum planè erat, vt qui vitæ ſemper exempla præbuerat, etiam mortem ſuam in exemplum aduocaret. Videtis (inquit) quàm fragilè habitamus hoſpitium? Quantumlicet viuendo aſcenderimus, illinc morte detrahemur. Ab hac neceſſitate neminem honores, neminem diuitiæ liberant. Hæc iuſtis & iniuſtis, hæc potentibus humilibúſque communis eſt. Magnas Chriſto debemus gratias, qui morte & reſurrectione propria mortem noſtram ſpe reſurrectionis animauit, æternam vitam offerens diſcuſſo æternæ mortis horrore. Sic ergo vitam agite, ne vitæ extrema timeatis, & hoc quod mortem appellamus, quaſi commigrationem expectetis. Mors pœna non eſt, ſi non ad ſupplicia deducit. Dura quidem eſt carnis animæque diuulſio, ſed multò duriùs in gehennæ flammis erit carnis animæque conſortium, niſi in omni vita generoſitatem ſuam ſpiritus recognoſcens bellum corpori & corporalibus vitiis certamen indixerit, & fœlici diſcretus à carnali colluuione diuortio æternæ paci impollutam ſeruet vtramque ſubſtantiam illic fœliciter copulandam, vbi exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus, hoc eſt, in corporibus tanquam in receptaculis ſuis, cum ea quæ iuſtitiæ dedicauerant membra ſocialia, tanquam conſueta hoſpitia recognoſcent. Hoc itaque agite, hanc vobis Honoratus veſter hæreditatem relinquit, ſupremo halitu ſuo ad hereditatem vos regni cœleſtis inuitat. Nullus nimium mundi huius amore teneatur, optimum eſt, vt voluntate faſtidias, quo te vides neceſſitate carituru. Nemo opibus defluat, nullus pecuniæ deſeruiat, neminem vana diuitiarum pompa corrumpat. Scelus eſt pretium ſalutis in materiam perditionis aſſumere, & illo capi quenquam quo redimi poteſt. Plus interea vultu, plus oculis, plus emicante in cœlum ſenſu monebat. Impar eſt quidem ignito ſermoni eius ſermo referentis, ſed non minus imparia ſpiritui ſuo verba erant monentis. Tali itaque exhortatione & inſolito quodam motu oratione profuſa inuſitatum quoddam munus benedictionis impendit. Deficiente membrorum miniſterio noua ſemper mentis gratia pullulabat. Ordinatis itaque omnibus (neque enim multa in actibus ſuis minus plena reſtabant) cum omnes charos ſuos mente percurreret, quantos nominatim proferre laſſitudo non vetuit miſſa per eos qui aſtabant ſalutatione ditauit. Mihi verò in aurem excluſa, inquit, ſunt. Sic ſancto illi fieri non potuiſſe quod voluit, cognoui. Magna & admiranda ſolertia inter graues illas mortis anguſtias prouidiſſe ne cuius triſtitiam non quantum in ſe erat abſtergeret, ne quid certè nexcuſatum relinqueret. Quid illud quæſo quod cum omnes ſuos quos ad hanc vrbem amor ſuus traxerat, vtique inter peregrina deſereret, nullum vlli reditum, nullam ſocietatem commendauit, non loca viuendi certa diſtribuit, tanquam verè præſcius nullam ſuorum

Magni viri multa patiuntur.

Oratio eius ad Præfectum vrbis.

Præclara ſententia.

diſperſio

diſperſionem futuram,niſi eorum qui iam,& ſe ſuperſtite animi diffinitione migraſſent.Et verè non facilè quenquam à ſocietate noſtra abeſſe nouimus, niſi quem abfuturum ipſe præmonuit, qui aut chariorem conſpectu ſuo patriam, aut grauiorem ſenſerat diſciplinam.Interea grauior illum ſomnus vrgebat, quem cum interdum pauidi interpellaremus, miror, inquit, in tam graui mea laſſitudine, poſt tam longa inſomnia quæ præceſſerunt, grauem vobis meum ſomnum videri.Et cum ſupectis omnibus ſedere eum in vltimo diutiùs prohiberemus, ioculari (vt erat ſolitus) blandimento & conſuetudinaria conſueta mentis ſerenitate reſpondit; quod moleſtos nos in hac ſolicitudinis parte pateretur, ita penè antè vita eius quàm dulcedo conſumpta eſt. Somno deinde vltimo exceptus in mortis quiete dormiens tranſiit ſine vllo,vt ſeſe habent extrema,luctamine, Nullas difficiles obitus moras ſenſit, Angelicis choris anima illa ſancta, generoſa, ſincera, & ab omni contactu mundi incontaminata ſuſcipitur.Multorum interea variis viſionibus ſomnus incutitur, quod tamen vna omnium facies erat, quod ſcilicet ſancto illi occurrerent officia ſanctorum. Et verè illicò in eodem mediæ noctis puncto eccleſiam in occurſum ſancti corporis conuentus impleuit, vt non niſi Angelicis nuntiis ſuſcitatus putaretur. Relinquitur vegetatum ſemper ſpiritu plenum gratiæ, corpus exanime, integrum, ſiquidem vultus decorem facies omnibus grata ſeruabat. Probe vos iſta noſtis, & multò pleniùs vos vobis quam ſermo ſufficitis, qui animorum meditatione deſcribitis. Neque vllus non magno ſibi damno affici viſus eſt, ſi conſpectu corporis eius caruit,ſi non vt quemque aut reuerētia aut amor ſuaſerat, oſculum authori, aut quibuſcumque membris ipſius impreſſit, aut feretro in quo ſanctum illud corpus magna fidei ambitione veſtitum maiore poſtmodum ſepulchro admouetur pene nudatum.Nec enim pepercit ſanctificatis amictu illius palliis fides, quæ pretioſiſſimi muneris loco habuit, aliquam de velaminibus illius fimbriam decerpſiſſe.Certauit in exequiis illius veſter affectus: refeciſtis in funere ſuo latentem adhuc inter vos peregrinationem meam: pauiſtis me tam effuſa in ipſum animi charitate. Quem enim illo die ſua tecta tenuerunt?aut quem non tanquam peculiari luctu obrutum baſilicæ huic mœnia vrbis huius dederunt: Pro magno munere habitum eſt, lecticæ manum admouiſſe, aut ceruicem ſubieciſſe. Vidiſtis non ſine veſtra gloria gloriam eius, nam & illa exequiarum religio fidei deuotio erat, & tam lætum erat habuiſſe talem, quàm graue talem amiſiſſe.Nec parum fiduciæ dat ſepulchri ſui gratia:nam cuius hic oſſa condidimus,in cœlo vtique patrocinia præmiſimus. Prælata tunc ante feretrum ipſius aromata & incenſum vidimus, ſed maiora de veſtris mentibus Deus in tanto erga tantum paſtorem affectu veſtro odoramenta ſuſcepit. Reſultauit in gloria illius Dei gloria, & in diſſonis diuerſarum linguarum choris amor conſonus. Pius dominus, qui ſtimulando animos veſtros ad electionem paruitatis meæ dedit ne à ſepulchro illius longius abeſſem, illud etiam vobis orantibus dabit, ne à viis illius longè recedam, ſed vt quicquid illum egiſſe cognouero, id ſine exploratione aut diſceptatione factorum agere feſtinem. Vobis enim me (vt video) iam tunc per illum Deus genuit: vobis licet indignum præparauit: vobis ille me neſciens tanto labore quæſiuit: vobis tam propenſa ſolicitudine & cura vtcumque erudiuit, quærens in me fidei ſicut ſanguinis ſui venam: vobis me tanto labore per litteras, tanto per excurſum ſuum ambitu ab inſula, cui me derelictis Epiſcopatus ſui principiis ſecreti amore

Sub mortem graui ſomno premitur.

Suauiter & fœliciter obdormit in Domino.

Auidiſſimè deſcerpuntur fimbria velaminum eius.

Exequiarum eius mira religio.

In eius locum ſuſtitutus Hilarius.

reddideram,non audeo dicere neſcieus fortaſſe, præſcius amouere ſatagebat, vt mihi iuxta ſepulchri ſui ſedem in amore veſtro patriam collocaret. Sed quid agimus,quod immaturum me maturo exceſſu tradidit?Non eſt noſtrum ſecretum æterni regis in vllo vel leuiter culpare iudicio.Non facilè ſentiretis quantum amiſiſtis boni, ſi redintegratum vobis bonum veſtrum fuiſſet. O magna & inclyta Honorate tua gloria, non indiguit meritum tuum ſignis probari. Ipſa enim conuerſatio tua plena virtutibus & admirationis nouitate præcelſa perpetuum quoddam ſignum miniſtrauit. Multa quidem tibi diuinitus ſignorum ſpecie indulta nouimus,quicunque propiùs adſiſtebamus,ſed in his tu minimam tuam partem reputabas,maiúſque tibi gaudium erat,quod merita & virtutes tuas Chriſtus ſcriberet, quàm quod ſigna homines notarent.Et tamen quod maius ſignum virtutis eſſe poterat,quàm ſigna fugere & occultare virtutes? Et verè tam familiaris quodammodo oratio tua Chriſti auribus erat,vt efficaciſſimis precibus impetratum putem, ne virtutem tuam ſigna clamarent. Habet & pax martyres ſuos. Chriſti enim tu quandiu in corpore moratus ei teſtis fuiſti. Illud enim ſtupendũ quondam adoleſcentiæ tuæ robur perpetuo abſtinentiæ rigore tenuatum, & in illam quam vidimus (aſpectus licet decore ſeruato) exilitatem redactum, crux vtique quotidiana conſumpſit. Quam tamen ſine vlla ſemper notabili ſuperſtitione ſeruaſti, omnes ſemper nimietátes & cognatum nimietatibus gloriæ fugiens appetitum. Numquam in tuo ore niſi pax, niſi caſtitas, niſi pietas,niſi charitas,nunquam in corde,niſi horum omnium fons Chriſtus habitauit. Qui tibi & per te plurimis charitatis gaudij,longanimitatis,bonitatis,benignitatis,fidei modeſtiæ, continentiæ fructus miniſtrauit exuberantes in multiplicem copiam & multorum ſalutem & gaudia,vt non immerito illi cantaueris. Qui timent te,videbunt me & lætabuntur. Cui ſemper omne conuerſationis tuæ bonum adſcripſiſti,illud aſſiduè tibi ac tuis ingerens:quid enim habes, quod non accepiſti? aut ſi accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis ? Sed hoc magis tuum erat vitæ tuæ bonum, quo magis tuum negabas. In te commune omnium Deum deſiderantium ſolamen fuit. Quidam gloriantur in huius vitæ proſperis,tu è contra in Deo exultare ſuadebas,reſonante affectum tuum voce blandæ modulationis immurmurans.Lætetur cor quęrentium Dominum. Nulla tibi maior quàm in orationibus & pſalmis volũtas, tuis in tantum medullis Chriſtus inſederat,vt interdum (quod expertus loquor) membris tuis placido ſopore deuinctis illum etiam in ſomnis officio ſolito tua lingua reſonaret. Sæpe dormiens ſaniſſimæ exhortationis, ſæpe orationis affectu officioſiſſimo verba fudiſti. Agebatur quippe in lectulo corporis quies, mentis in Chriſto. Et quidem hæc prout quique affuimus, experti ſumus: tu verò vnica ſemper omnium requies, quàm alacer, quàm ſæpe referebas ſomnia non aliquid præſagientia, neque aliqua in futurum anxietate ſolicita, ſed in quietis animæ deſideriis excitata,martyriũ ſcilicet quod ſemper meditatione geſtabas, credo interdũ alludente & prouocante cupiditatem tuam Domino tanquam excitata in fidem tuam perſecutione peragebas.Et vere puto neminem diffiteri,tibi ad martyrum tempus non animum defuiſſe. Quotidianus ſiquidem in ſinceriſſimis tractatibus confeſſionis patris ac filij, & Spiritus ſancti teſtis fuiſti, nec facilè tam exertè, tam lucidè quiſquam de diuinitatis trinitate diſſeruit, cùm eam in perſonis diſtingueres, & gloriæ æternitate ac maieſtate ſociares.Memento itaque,amice Dei,memento iugiter noſtri,Deo incoinquinatus adſiſtis canens illud canticum nouum, & ſequens agnum quocum

Vita eius ſanctiſſima perpetui inſtar miraculi.

Fuit Martyr Chriſti perpetuus.

Pſal. 118.

1.*Cor.*3.

Pſal. 104.

Etiam dormiẽs ſæpe exhortationis & orationis verba fudit.

Quàm fuerit martyrij cupidus.

*Apoc.*14.

quocumque vadit. Tu illi pediſſequus, tu pro nobis patronus orationum noſtrarum interpres acceptabilis & fortis aſſertor, profuſas ad ſepulchrũ tuum alumni gregis preces præfer: impetra vt conſpiratione communi omnes ſimul ſacerdos & populus quæ iuſſiſti, quæ docuiſti, aliquatenus obtinere mereamur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui te in gloriam ſuam aſſumpſit, atque cum patre ſuo & cum ſpiritu ſancto viuit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

DE SANCTO HONORATO EPISCOPO ARELATENSI AGVNT DECIMOSEPTIMO CALENdas Februarij Martyrologium Romanum cum Baronio, Beda, Eſuardus ac cæteri; tum Ado Viennenſis in ſuo Martyrologio quod habemus in Bibliotheca Lerinenſi M. S. ait apud Arelat. S. Honorati Epiſcopi cuius vita, doctrina & miraculis illuſtris refulſit, quam ſcribit Beatus Hilarius præcipuus Doctor qui eidem ſucceſſit in vrbe, ſcilicet Arelatenſi.

Vincentius Beluacenſis, qui floruit anno Domini 1245. vt refert Genebrardus in ſua Chronologia, hæc habet de ſancto Honorato Arelatenſi Archiepiſcopo & eius primordiis, lib. 20. cap. 21. Speculi hiſtorialis.

HIlarius. Hic Honoratus in adoleſcẽtia baptiſmum arbitratu proprio concupiuit: & maturo concilio ſanus mortẽ expauit. Itaque adhuc cathecumenus laſciuiã reſpuerat: clericos vt patres honorãs: & puerili interdũ ſenſu pauperem iuuãs. Hunc iam baptiſatũ pater eius terrenæ pietatis ſuſpicione ſollicitus, timens ſibi à Chriſto præripi, conatur eum ſtudiis iuuentutis illicere: venatibus & ludiis, variiſque mundi voluptatibus irretire: demum faſtitiebat adoleſcens, quo grandeuus oblectabatur pater, tali ſe ſemper adhortatione compellens. Delectat hæc vita, ſed decipit. Itaque conuerſus iugo Dominicæ ſeruitutis ſe ſubdidit, intelligẽs ſummũ eſſe captiuitatis genus licentiam iuuentutis. Tonſis igitur capillis, & veſte mutata ſic repentè totus, ex alio alius oſtenditur, vt non aliter pater eius quàm ſe orbatum filio lamentaretur. Occurrit, renititur, cõminatur: nec tamen vllo horum puerilia Deo freta concutitur. Tironi ſuo Dominus conſolator aſtitit, eique vnum ex germanis ſuis in Collegium ſuſcitauit: qui eius exemplo conuerſus ſenior iuniorem cõſecutus eſt. Cumque multis virtutibus emicarent & omnem ſimul patriam adornarent. Cœpit alter alterum laudi obiicere & gloriæ exponere. Sed dum vnuſquiſque ſub vmbra alterius obſcurari volebat tanquam reperculſa claritas vtrũque radiabat. Gloriam itaque ſuam pauentes in hac vita mercedem ſe percepiſſe putabant, & humanam conuerſationem & gratiã faſtidiẽtes heremi amore flagrabant: omnibus igitur erogatis de terra ſua exeunt, & ne quis iuuenili auſu temerè ab eis inceptum pataretur: ſenem perfectæ grauitatis ſanctum Capraſium ætatis ſuæ cuſtodem aſſumunt. Queritur ergo latebra peregrinationis, fugitur fama virtutis, & vbicunque itur ibi alia vellent nollent fama pariebatur,

DEnique germano ſuo in Chriſto viro Venantio deffuncto ſanctus Honoratus ad heremum vrbi Arelatenſi propinquam peruenit. Vacantemque Inſulam ob nimietatem ſqualoris & inacceſſam veneratorũ animalium metu petiit propter ſecreti opportunitatem. Ingrediente eo fugit horror ſolitudinis, cedit turba ſerpentium ibique multis ad eum confluentibus, factus eſt pater multorum monachorum, multiſque admirandis virtutibus fulgens: de aduenis quoque & peregrinis recipiendis magnopere ſollicitus erat, & pauperibus largiter erogans, nihil ſibi ſuiſque præter victũ præſentiũ dierum ac veſtitum reſeruabat. Exhauſta eſt aliquando diſpenſationis ſubſtãtia: fides numquam. Vnde quadam vice cum vnam iam ex multis millibus aureum arca profluа, ac munifica retineret, hunc ipſum etiam in multarum rerum defectu conſtantiſſimè pauperi dedit, & mihi atque aliis aſtantibus ait, *certum iam eſt appropinquare qui deferat.* Vix trium aut quatuor horarum ſpatium tranſierat, & mox qui verbis ſuis fidẽ faceret occurrit. Mei quoque gratia patriam quam faſtidierat acceſſit: méque durum & indomitum, vix tandem ſuis piiſſimis exhortationibus ſimúlque lachrymis ac precibus ad Deum conuertit: ſecúmque ad heremum produxit. Et primùm quidem lacte, poſtea cibo ſapientiæ nutriuit. Tandem in hac Eccleſia dum regnum accepiſſet ſub illo floruit Chriſti Eccleſia, ſicut Monaſterium ante floruerat, ſomno tandem vltimo excipitur: multorum interea variis viſionibus ſomnus concutitur: quorũ facies erat, quod ſcilicet illi ſancto occurrerent officia ſanctorum. Et verè ille in eodem mediæ noctis puncto. Eccleſiam in occurſum ſancti corporis conuentus impleuit: at non niſi angelicis nuntiis ſuſcitatus putaretur. Sicque cum honore ſepulturæ traditur. *Hæc vicentius in ſpeculo Hiſtoriali.*

Petrus de natalibus Venetus Epiſcopus Equilinen. in cathalogo ſanctorum lib. 2. cap. 86. hæc breuiter tangit de ſancto Honorato Archiepiſcopo Arelatenſi.

Ianuarij 16. HOnoratus Epiſcopus Arelatenſis, nobili proſa pia eiuſdem vrbis oriundus fuit: vt ſcribit Hilarius qui ei in pontificatu ſucceſſit, qui gentilibus parentibus progenitus in adoleſcentia ſua motu proprio Baptiſmum petiit: & licet patre reluctante, paternam domum deſerens Venantium eius fratrem ſeniorem ad Chriſtum conuertit, qui ambo ad Capraſium heremitam accedẽtes, ab eo de religione vitę edocti fiunt: defuncto autem germano ſuo Venantio, Honoratus heremum vrbi Arelatenſi proximum petiit: ibique dudum in omni vitæ ſanctitate permanſit. Exemplo quoque conuerſionis ſuæ Gennadium quendam virum effrænem & indomitum ad pœnitentiam prouocauit. Demum vrbis Arelatenſis Epiſcopus factus in ſancta religione Deo ſeruiens, & ſalutifera prædicatione dominicum gregem paſcens quieuit in pace XVII. Calend. Februarij.

Annotatio Vincentij Saler.

Honoratum noſtrum non fuiſſe oriundum Arelatenſis vrbis, vt ſic prodit Auctor, annotatio de patria Honorati poſt excerpta ab Annaliſta Baronio hic infrà poſita te docebit: quod autem idem refert Honoratum Gennadium quendam virum effrænem & indomitum ad pœnitentiam prouocaſſe, non Gennadium, ſed Hilarium legendum eſſe, ex ipſiuſmet Hilarij teſtimonio videtur, qui vt hic ſuprà refert Vinc. Belluacenſ. ait, méque durum & indomitum vix tandem ſuis piiſſimis exhortationibus, ſimulque lachrymis ac precibus ad Deum conuertit.

CARMEN SAPHICVM REVEREND. PATRIS DOMINI GREGORII CORSESII MVTINENSIS MOnachi Ca[illegible]enſis (cùm in monaſterio ſancti Honorati ſacræ Inſulæ Lerinenſis iuuenis degeret, qui inde factus eſt Cardinalis ampliſſimus ex Abbate S. Benedicti Mantuani.) De vita ſancti Honorati poſtea Archiepiſcopi Arelatenſis patroni, & fundatoris eiuſdem ſacri Monaſterij in Prouincia Prouinciæ.

VNde reſplendet iubar hoc coruſca
Luce; cur mollis zephirus repentè
Diſpulit ſæuas hyemis procellas
Flamine leni?
Nempe quod feſti rediere ſoles,
Quis Honoratus niueis quadrigis
Incidens cœlum merita decorus
Fronde petiuit.
Quid prius dicam faciles ne mores?
An decus formæ, generis vetuſti
Stemmata, an circùm redimita caſtis
Tempora vittis?
Vendicat primum ſibi iure carmen
Indoles celſæ generoſa mentis:
Quippe non aſſis faciens Caduci
Culmina regni.
Spreuerat virgas trabeam curules,
Et leues plauſus popularis auræ,
Atque confertos opibus penates,
Te duce Ieſu.
Cui puer caſti niueum dicarat
Corporis florem, teneraq́ fructus
Mentis, auctурus ſtabilem beato
Fœnore cenſum.
Quem nec annoſi lachrymis parentes,
Nec propinquorum vetuere fletus,
Quin crucem nudus tulerit latenti
Concitus igne.
Credidit ſemet Pelago, requirens
Dulcius quiddam patria & propinquis:
Donec audaci tetigit carina
Littus Achæum.
Hic velut languens amarantus ictu
Falcis exciſus, moreris Venanti,
Inter amplexus lachrymaſq́ fratris,
Luce relicta.
Qui licet mœrens tamen obſequente
Legibus fixis animo ſepulchri
Iuſta perſoluit, precibus piaq́
Mente parentans.
Dehinc iter flectens ad inhoſpitalem
Inſulam, ſæuos precibus dracones
Expulit, iuges precibus dederunt
Marmora lymphas.
Fregit antiqui ſtatuas Leronis
Dona nautarum, veteriſq́ phani
Impia exurens adita, & tepentes
Sanguine lucos.
Hæc Honorati domus, hic iuuentam
Egit, anfractus fugiens doloſi
Orbis, & ſolus latitans opaco
Abditus antro.
Gaudia & luſus iuuenis fuere
Sancta Ieſſei modulata regis
Carmina, & dulci comitata fletu
Vota preceſq́.
Impetus blandæ domuere carnis
Algor atque æſtus, vigilata ſomni
Tempora, & humens caua dextra potum
Semper ab amne.
Vt micat tectus, reparatq́ lucem
Clarior vultu rutilante Titan.
Sic nequit cœcis tenebris latere
Abdita virtus.
Fama mox vulgat periiſſe echinas
Huius ingreſſu, fluuijs ſcatere
Dulcibus littus, ſubitáque lucum
Fronde virere.
Cuncta feſtinat manus, omnis illinc
Æger accepta remeat ſalute,
Neſciens Chriſtum redit expiatus
Fonte ſalubri.
Inſulis demum redimitus, illud
Robur occluſumq́ animi vigorem
Protulit, nulla Satan irruentis
Territus arte.
Poſt famem, frigus, gladios, flagella,
Orbe calcato ſuperauit hoſtem,

Atque virtutis monumenta magnæ
Magna reliquit.
Illius iuſſu nimium procaces
Æolus frendens reuocauit auſtros,
Illius iuſſu pelagi tumentis
Vnda reſedit.
Sola nox morbos, variáſque peſtes,
Sola vox mirum, lemures fugabat,
Sola fatales Lacheſim coegit
Voluere fuſos.
Quin & implexos adamante nexus
Mortis exoluit, ſtygiáque ſæuus
Portitor cymbæ remeans ſilentes
Rettulit vmbras.
Nunc penes trini ſolium tonantis
Nuper optatum genus & nepotes
Protegit, gratam ſobolem & feraci
Germine lætam.
Hanc honorato aerij Caſini
Legifer dono dedit, hanc edaci
Tempore abſumptas reparare leges
Sacráque iuſſit.
Hinc opi innixus pater atque princeps
Ille virtutum ſpecimen Monaci,
Arce ab excelſa veniens labantes
Erigit ædes.
Erigit Peſſum penitus ruentem
Cœnobi cultum, reparatq́; ſcita,
Pro pudor luxu vitiata inerti &
Senta veterno.
Igne fœlici velut arſit ingens
Illion mutans Thyberim Scamandro
Pergamis nunquam peritura celſæ
Mœnia Romæ.
Sic rigor priſcus perij ſeueræ
Ædis, vt caſto renouata cultu
Sanctior lex imbueret ſalubri
Dogmate mentes.

FINIS.

DE LAVDIBVS LERINÆ INSVLÆ, EIVSDEM GREGORII MATINENSIS Monachi & Cardinalis.

CARMEN.

PArua ſed fœlix meritis Lerina,
Quam Paracleto genito patríque
Rite quingenti roſeo dicarunt
Sanguine teſtes.
Quæ tot ardentes pietate diuos
Totque inexhauſti monachos rigoris
Protulit, quod non radiant ſereno
Sydera cœlo.
Hæc Honoratum gremio recepit.
Orbis inuiſos fugientem honores,
Quem ducem demum duce deſtituto
Reddidit orbi.
Struxit hic lectas acies amandus,
Qui diu pugnans numeroſa fudit
Agmina, inſignem referens fugato
Dite triumphum.
Maximum poſt hos ſuperante idipſum
Nomen, an blandum eloquium diſerti
Cæſari dicam? an rigidum canora
Polemiúmve?
Singulis obſtat numerus, ſed inter
Cæteros ſplendet duplicata laurus
Hilari, hunc dulce eloquium & renidens
Muſa coronat.
O ſatis nunquam celebrata tellus,
Dulce ſolamen requiéſque cordis,
Cœlitum ſedes procul à prophani
Turbine vulgi.
Tu procelloſos aquilonis ictus
Spernis, & ſæui fremitum tridentis,
Atque inobſtantes ſcopulos furentem
Nerea frænas.
Inter vndarum vitreos receſſus
Ludit, exultat pecus omne Prothei,
Emicat ſtringens agili rotatu
Littora Delphin.

Arce

Arce ſublimi minitaris alto
Imminens ponto, Iouis vt ſatelles
Rupe de celſa timidis minatur.
Vngue columbis.
Fertilis citri, tibi bruma ridet
Læta lauretis Paphiáque myrto,
Et tepet grato redolens december
Germine florum.
Vere gemmatos nemus omnis crines
Explicat, ſpirans Arabum liquores
Et vagam Chori ſequitur referto
Copia cornu.

Mulcet æſtatem placidus fauoni
Spiritus, mulcent, agitata ſenſim
Æquora, excepta nemus vndecúmque
Frigus opacum.
Quid, quod inſanos animi tumultus
Ipſa ridentis facies ſerenat
Aeris, nudas fugiúntque Cautes
Liuor & ira.
Ergo curarum ſtimuli valete,
Qui diu tortos laniante flagro
Cæditis gnari cupidos latenti
Plectere pœna.

FINIS.

EGLOGA DE LAVDIBVS LERINÆ INSVLÆ

Dionyſij Faucherij Monaſt. Lerinenſis, & ciuis Arelatenſis.

Candidus & Fauſtus Interlocutores.

CANDIDVS.

TAurinos tandem liquiſti, Fauſtule, campos
Ruricolûm in quibus aſſuetus diſcernere lites
Paſtorumq́ graues prudens ſedare querelas;
Dic rogo, quis ventus te noſtris appullit oris?

FAVSTVS.

Noſter amor, quia ſcire cupis, me mutuus oras
Appulit ad veſtras, quid amore potentius? aut quis
Fortior eſt ventus? Decies iam Cynthia pleno
Enituit cornu, cùm iam mihi luſtra videntur
Præteriiſſe decem, vel ſæcula multa, quibus te
Non vidi dum tu, mi Candide, lentus in vmbra
Otia ſectando curis poſt terga reiectis
Dimittis teneras linquens in vallibus agnas,
Nec chari tibi cura gregis, pro cuius amore
Sollicitum duros olim te ferre labores
Nouimus, audacterq́ ſubire pericula vitæ.
Quæ noua tam ſubito vertit ſententia mentem,
Vt Rhodani ripis mutaris littera? nunquid
Fortè alias hic paſcis oues, facilemq́ laborem
Dum fugis incautus, te ipſum grauioribus vltrò
Iniicis? heu quantum tua te ſententia fallit,
Si ſine ſollicitis vitam traducere curis
Poſſe putas, erras & toto, Candide, cœlo:
Nam Deus inſtituit nobis ſudore parandum
Victum. Sors igitur, quæ eſt cunctis indita ſolus
Scilicet hanc renues gallinæ filius albæ?

CANDIDVS.

Naſcimur ad curas miſeri, aſſiduoſq́ labores,

Quis neget? inde ſuam gemitu teſtata queruntur
Corda humana vicem, tua ſed, mi fauſtule, tandem
Iſta rogo, quorſum tam longa oratio tendit?

FAVSTVS.

Scilicet vt veterem ſocium charumq́ ſodalem
In patriam reuocem patria quid dulcius? aut quid
Hac procul amotis optatius? an tua fortè
Sollicitudo laborq́ ingens & mente receſſit?
Nun vis in caſſum tantum ſudaſſe? vel agnas
Non recolis tua dudum dulcia pignora? nunquid
Iſta velis forſan præponere ouilia? nunquid
Paſcua Lerinæ tibi commodiora videntur,
Littorea & mirtus, laurus, lentiſcus & ilex
Vtilior pecori, quàm prata virentia, quàm quæ
Sint Rhodani ſalices tam pabula grata capellis?

CANDIDVS.

Quid lentas ſalices narras, olidaſq́ capellas?
Illarum quaſi cura mihi mandata ſit, aut non
Hæc ſatis agnarum fuerit grauis atque moleſta.
Si quis enim cupit infœlix experſq́ quietis
Degere, & inſomnes longas traducere noctes
Anxius, atque diem ſibimet celerare ſupremum,
Has curet miſer & dura hæc prouincia quam ſit
Sentiet atque alto ducens ſuſpiria corde,
Sæpius ingratam tardè cauſabitur horam
Mortis, & aſſiduis vexatus pectora curis
Nunc ouium ſub pelle lupos vulpeſq́ latentes,
Et riſus metuet blandos blandaſq́ loquellas,
Inſidias, quibus incautis laqueoſq́ doloſis
Artibus, inſtructi ſcitè prætendere norunt:
Blandiùs appellant mulcentes mollibus aures
Vocibus & pulchra accumulant his nomina captis
Auribus, vt ducant has in ſua vota modiſq́
Infandis miſerè certant illudere captis.
Quis dolor anxietaſq́ animi eſt paſtoribus ipſas
Si cernunt propria diſcrimen ſponte ſubire,
Morſibus & rabidis vltro ſe offerre luporum?
Si prohibere velis voces audire malignas,
Nituntur, magis in vetitum cupiuntq́ negata
Vſq́ adeò ſexus mollis cervice proterua,
Et dura ceſſiſſe nequit, renuitq́ domari:
Nam ſi fortè putres libuit guſtare lacunas,
Sermoneſq́ audire leues voceſq́ procaces
Incipiunt odiſſe boni paſtoris amicam
Vocem, & contemnunt nitidi fugiuntq́ ſalubres
Fontis aquas, auidis vltro quas faucibus olim
Expetiiſſe ſolent, iam nec ſua gramina carpunt.
Sola aliena placent, vox, pocula, paſcua ſola
Deteriora petunt, ſola & nocitura ſequuntur

Vt ſolet ægrotos ſtomacho languente ſalubres
Faſtidire cibos, tantum placiura palato
Expetit, ipſa licet ſint pernicioſa ſaluti.
Heu quoties timui furtiua ſuſurria noctis,
Noctis enim quàm ſint accomoda tempora furtis
Quis neſcit? quicunque etenim patrare nefanda
Siue pudenda cupit, latitat, lucémque peroſus
Exoptat tenebras furti ſceleriſque miniſtras.
Hinc mea corda grauis vexabat cura, grauiſque
Nocte diéque metus (nam res eſt plena timoris
Solliciti pietas & amor) vigilatáque ſomni
Tempora cogebat traducere, nempe latrones
Sæpius extimui ne fortè in ouilia furtim
Admotis muro ſcalis variiſque repertis
Artibus, ad ſummum poſſent euadere, & ipſas
Sternere oues poſſent, & ſternere turpiter agnas.
Ergo mihi vlla quies vnquam ſecura daretur?

FAVSTVS.

Candide ſic loqueris, tanquam tibi viuere curis
Sepoſitis liceat, molléſque in vtramlibet aurem
Carpere nunc ſomnos, ſed ſi vis vera fateri,
In grauiora ruis, dum te leuiora ſequutum
Credis, & optatam nondum reperiſſe quietem
Sæpe gemis. Quid te ergo graues voluiſſe labores
Detrectare iuuat, ſi illos vitare coactus
Non valeas? Scyllam cupiens vitare Charibdin
Incidis imprudens, nec enim minor eſſe videtur
Iſte labor, quàm nuper erat dum patria rura
Incoleres teneras paſcens in vallibus agnas

CANDIDVS.

Fauſtule cernis oues inter myrtheta vagantes
Carpere odoratas campis redolentibus herbas:
Has ego nominibus propriis agnoſco, viciſſim
Illæ me, vocémque meam ſi fortè vocatæ
Audierint, videas certatim currere noſtris
Optatis cupidæ obſequium preſtare paratas:
Pabula noſtra auidè carpunt & pocula ſacris
Fontibus hauſta bibunt, Agnis pabula ſanctus
Mons Synai atque Syon aliꝝ quoque multa miniſtrant,
Quos vetus & noua lex memorat: quin Inſula noſtris
Vſibus (vt cernis) profert Lerina virentes
Herbas, & liquidos fontes quos ille peritus
Artis Honoratus paſtor defoderat olim.
Maximus hic etiam poſt hunc, illúmque ſequuti
Innumeros pauere greges, campóſque ſalubri
Semine ſparſerunt, quo fœlix paſcua tellus
Vltrò producit. Sed iam pecus omne ſub vmbra
Ruminat, & facili reuocata ſalubria dente
Pabula trita iterum ſtomacho mandata recondit.

Sic pecori proſunt præmenſa cibaria, non quæ
Inuitis ingeſta foras, queis cura moleſta,
Et labor ingratus fidi paſtoris amórque.
Vnde quid eſt vigili cuſtodi optatius vſquam,
Quam gregis vt ſtudio impenſas benè collocet horas?
Vt mœſto poſitis valeat de pectore curis,
Nunc ſuaues viridi ſomnos captare ſub vmbra,
Nunc curuo leues legiſſe in littore conchas,
Siue hamo captos traxiſſe è gurgite piſces,
Aut tacito tenerum meditari gutture carmen,
Et laudes cantare Deo, qui cuncta miniſtrat
Vſibus humanis, vt ſunt elementa vel ipſa
Quæ ex his conſiſtunt? cernis mare quàm tibi pulchrum
Spectaculum exhibeat, vel dum reuolutus ab imo
Fluctus inobſtantes ſcopulos cautéſque minaci
Inſultu fertur ſpumas reſilítque repulſus:
Siue etiam lenis Spiritus æquora ſenſim
Criſpat, & impulſu nulli ſua littora lambit.
Fauſte precor varia hic ſtellantia lumina florum
Cerne, quid ad cœli ſpeciem magis eſſe videtur
Expreſſum rutilant dum ſydera nocte ſerena?
Aut mage quod referat Paradiſi exemplar amœnæ?
En audi vt mixtis volucres concentibus æthram
Demulcent, & odore bono redolentia florum
Germina num ſentis? quæ res magis exprimit ergo
Illam quam paſtor Dauid ceciniſſe refertur
Viuorum terram, domini quæ tota boniſque
Diuitiiſque fluens paſcit ſatiátque beatos?
Ergo ne fumoſas vrbes conferre quis auſit
Littoribus noſtris, Rhodani aut componere ripas?
Quin Laureta tuis olim celebrata camœnis
Et vitreus tenuit ſerpens cum murmure riuus
Illimi de fonte fluens his, Fauſte, neceſſe eſt
Vt cedant, niſi fortè tuos præſtrinxit ocellos
Laiana vna alias inter pulcherrima nymphas
Quæ dum prata oculis luſtrat, gradiénſque ſerenam
Suſtullit frontem ſolito plus reddit amœna
Rura tibi, placide inde magis tibi cuncta renident
Prata, nemus, virides, horti, floréſque fragrantes,
Et ramos pandens Daphne Phœbea virentes.
Vt ſolet è croceo ſurgens aurora cubili
Dum rutilos terris euoluit mane capillos
Floribus, amiſſos reparare decora colores
Atque ſua mundum fronte illuſtrare ſerena.
O te ergo Fauſtum ter & amplius, ô tibi rectè
Appoſitum nomen, quis te eſt fœlicior alter
Huic teneros primæ ſacraſti ætatis amores,
Hæc ſola & animo ſolita eſt tibi pellere curas
Et muliere ſuis mœrentia pectora dictis

Qua dempta nolim reputes tua prædia noſtris
Æquiparenda locis, quamquam tibi Teſſala Tempe
Blanda ſoli facies repreſentare videtur.

FAVSTVS.

Candide, vera mihi quamquam dixiſſe videris,
Atque vtcunque tibi præſtet Lerina quietem:
Noſtra tamen, ſi rura tibi vidiſſe liceret,
Non tibi fortè minus grata & Iucunda putares.
Sed ſua quique placent, auibus quóque nonne videtur
Eſſe quibúſque ſuus nidus pulcherrimus? ad rem
Sed redeo, vt magno debentur magna labori
Præmia, ſic paruo ſoluentur parua, quid ergo
Te ingenti mercede velis priuare ſcienter?
Ignoras quid Paulus ait, ſua quique rependi
Præmia Iuſta ſecundùm quem feret ipſe laborem?

CANDIDVS.

Vera refers, nec enim inficior, verum ille videtur
Imprudens nimium, propriis qui viribus impar
Sumit onus, ſub quo ſit Sucubuiſſe neceſſe,
Et tibi ſi retines, dixi grauiora fuiſſe
Pondera quam noſtræ quæ poſſent tollere vires,
Vnde meum robur pendens animique vigorem
Malo minora mihi reddantur præmia, quàm ſi
Dum maiora ſequor, caream fortaſſis vtríſque.
Audiſti num fortè cani quid contigit olim?
Ore canis fruſtum portabat carnis in vndis
Séque videns carnis deluſus imagine falſa
Vmbram dum ſequitur grandem cupidúſque veráxque
Vtrámque amiſit, fluuióque exceſſit inanis.
Quo exemplo admonitus diſco meliora putare,
Non maiora quidem, ſed quæ ſunt æqua tenellis
Viribus, & noſtris humeris æquanda videntur
Quin ratio reddenda Deo, ſi fortè cruenti
Dente lupi periiſſe aliquam contingat & illas,
Difficile eſt ſeruare magis, ſi ſponte ferarum.
Morſibus occurrunt, & amare pericula ſuetæ
Nil metuunt, monitúſque pij paſtoris amicos
Et vocem miſeræ renuunt audire vocantis.
Ergo has quis regeret dum ſpe fruſtratus inani,
Sollicitis fruſtra torquet ſua pectora curis?
Dúmque bonas operam ludens malè collocat horas
Anxius amiſſum gemit irreuocabile tempus.

FAVSTVS.

Difficile eſſe greges credo, quibus omnia prorſus
Ex animo paſtoris eant, nec ineſſe proteruas
Queis aliæ turbentur oues, quas paſtor iniquè &
Inuitus ferat vſque adeo nihil eſſe beatum
Omni ex parte poteſt, tibi nec tam proſpera cuncta
Cedunt, nulla vt ouis morbo ſcabiéve laboret.

COMUNIDAD AUTÓNOMA DE LA RIOJA D. P. DE CULTURA BIBLIOTECA PÚBLICA CONSEJERÍA CULTURA, DEPORTES Y JUVENTUD

Quare te quocúmque velis conuertere vbique
Triſtis materiam inuenies, cauſámque gemendi.
Cur ergo patria faſtidis Candide, quæ te
Expetit? aduenies mihi crede optatus amicis
Atque aliis, tibi qui infenſi quandóque ſolebant
Eſſe, quibus iuſta eſt tandem tua cognita cauſa:
Quando agnas ſtuduiſti olim reuocare vagantes,
Et cultum renouare Dei, lapſámque ruinam
Relligionis amore pio inſtaurare parabas.
Qui cauſaris onus grauius, quàm viribus iſtis
Ferre queas, modica hæc ne corda virilia molles
Terreat, ecce tuo ſolatia magna labori,
Acceſſere duæ cuſtodes omnia per te
Doctæ olim, poſſunt iſtam quæ attingere curam.
Ipſæ etenim grauibus norunt reuocare petulcas
Vocibus, atque pedo interdum cohibere rebelles,
Et norunt ſermone pio inuitare quietas
Ad ſolitas epulas, & pabula ſacra ſcienter
Diſtribuuntur, vt lacte alias, aliáſque cupitis
Graminibus paſcant, vigiles quóque mente ſagaci
Olfaciunt Technas, hinc ſedulo ouilia duris
Clauſa ſeris ſeruant, ne qua patuiſſe latroni
Parte queant aditus, vulpéſque lupóſque rapaces,
Vel procul inde abigunt agniſque licentia nulla eſt,
Ad caulas auidè lotos perpendere ritus
Vnde aliquas ſi fortè vident petulantius illuc
Currere, vel duris caſtigant vocibus aut ſi
Non parere velint, has emendare ſalubri
Verbere ſunt ſolitæ vſque adeo timuiſſe videntur
Riſus & nutus blandos, molléſque loquellas.
Vnde cauenda tibi non ſunt ea pondera, tanquam
Tollere quæ neqneas, cùm ſint leuiora futura
Quam fuerint olim dum tanta incommoda ſolus
Perferres, & tot diſcrimina mortis obires.

CANDIDVS.

Commoda magna refers, dubito tamen omnia ſint ne
Vera, ſed en ſolem iam longior vmbra cadentes
Indicat, & ſonitum de turribus æra dedere.
Hinc pecus ad caulas, vt cernis, currere gaudet
Verum ad noſtra veni magalia fauſtule nobis,
Cocleæ & euulſa è nudis conchilia ſaxis
Sunt & piſciculi, quos hamo cepimus, atque
Agreſtes fœtus, quos paſſim hæc Inſula profert,
Delitiæ & ruris lac, caſeus, atque polenta.
Quam ſpecioſa via eſt, hinc & fragrantibus inde
Floribus, immeritò non tam laudatur ab illis
Patribus hæc tellus, qui illam coluere, recentis
Ardor adhuc fidei dum pectora caſta foueret
Chriſtigenum & dum Relligio pietáſque vigeret

Sed

FAVSTVS.

Sed mihi dum gradimur recita, mi Candide, patres
Qui hic fuerint olim paſcendi & in arte magiſtros.
Sæpe etenim magna audiui & miranda referri,
Quæ mihi tu melius multo narrabis, vt is qui
Hæc propius noris, nempe illa tenacius hærent
Menti, quæ primis fuerint audita ſub annis.
Inſuper huc Italos dicunt veniſſe peritos
Paſcendi, antiquas artes qui & priſca nouarunt
Hic ſtudia & veteres ritus, quos tu bene notos
Mente tenes, idcirco domi dum cœna paratur,
Hos mihi commemora, ne tempus inane teramus.

CANDIDVS.

Fauſtule magna petis, quis enim rutilantia cœlo,
Sydera dinumeret, nec tu minus eſſe putato
Difficile ore eſſe pios quos noſtra hæc Inſula patres
Fortunata tulit, memorare: tamen tibi gratum
Vt faciam, paucos de multis dicere pergam.
Nomen Honorati audiſti, his qui prima locauit
Fundamenta locis, & ouilia ſtruxit, ouéſque
Hic pauit, dehinc vrbs Arelas antiqua coactum
Hinc traxit, dignúmque ſuo præfecit onili.
Doctrina hinc Hilari atq; induſtria cognita cunctis
Maximus inde ſua ſuperans virtute ſuperbum
Nomen, & Eucharius, Veranus, Polemiúſque
Cæſarius, Fauſtus, Concordius, atq; cruenta
Morte obtruncatus paſtor Porcarius, atque
Quingentæ pecudes, roſeóque ſanguine fuſo
Hanc Chriſto terram pretioſa morte dicarunt.
Sed magnum ingredior campum, me tempus & hora
Dicere plura vetant, niſi quod tibi pauca retexam
De patribus Italis, qui inſtaurauere ruinas
Paſcendiq; gregis ritus docuere ſalubres:
Quos ex Italia adſcitos huc traxerat ille
Virtutum ſpecimen exiſa qui ex arce Monaci *R. dom. Auguſt. Grimaldus an. 1515.*
Venerat Antiſtes, leges vt ritè vetuſtas
Cœnobij & cultum inciperent reparare ruentem.
Languerant etenim longo vitiata veterno
Paſtorum ſtudia hic, dum ſe ſe paſcere tantùm
Noſſent hinc pecudes paſſim ſine lege vagantes,
Noxia non norant diſcernere gramina ab illis
Commoda quæ pecori eſſe ſolent, hinc ægra trahebant
Corpora vix, laſſúmque caput ceruice remiſſa
Erigere haud poterant, terram ſed paſtor amœnam
Hanc Hieronimus incoluit, qui à monte virenti
Ferrato veniens docuit quæ pabula ſacris
Apta forent gregibus. Miſit Mutina inde peritum
Doctrina excellente virum, quem maximus ille
Paſtorum pater antiſtes Romanus ad altum

Prouexit nunc iure gradum, roſeúmque galerum
Próque pedo lytuum dedit, inſigniq; thyara
Frontem exornauit, ſacráſque in montibus altis
Paſcendas commiſit oues. Sed Fauſtule tempus
Nos vocat ad cœnam finem faciamus & iſtos
Sit memoraſſe ſatis, reliquos qui ſydera cœli
Dinumerare poteſt poterit numerare beatos.

FINIS.

DE LAVDIBVS LERINÆ INSVLÆ, idem Dionyſius Monachus.

Qui cupit inſanas mundi vitare procellas,
Et Sathanæ aſtutos non timuiſſe dolos,
Quique rebellantis blandos ſuperare tumultus
Carnis & ætatem ducere caſtus amat,
Lerinæ portus adeat ſedesq; remotas
Non eſt in toto tutior orbe locus.
Otia ſecurus pulſa formidine magni
Patris Honorati robore fultus aget.
Pulchráque martyribus pro Chriſto funera paſsis
Sanguine purpureo terra dicata Deo eſt.
Inde pio maduit tellus vbi ſacra cruore,
Iam mala nulla deo preſide tuta timet.
Maximus hic tanta virtutum luce refulſit
Moribus vt vincat nomina clara probis.
Sunt etiam innumeri memorare vocabula, quorum
Si tentem fruſtra tempus inane teram.
Non etenim claro rutilant tot ſydera cœlo
Quot tulit inuictos Inſula parua duces:
Quorum præſidijs Chriſto adiutore reſiſtit
Hoſtibus, & longe prælia pulſa fugat.
Non ergo timeas turcam maurúmque fugacem.
Has acies fidei gens inimica pauet.
Et metuens arcem obiecta de rupe minantem,
In celerem ſolita eſt vertere terga fugam,
Sacra igitur Lerina quies optata piorum
Ipſa bonos refouet, terret & ipſa malos,
Spernit & inſanos fremitus, dirúmque tridentis
Imperium, ſæuas ridet & illa minas.
Aeolus infrendens incaſſum voce minaci
Suſcitat irati flatibus ima maris.

Iam decimos videas fluitus aquilonis & auſtri
Surgere iamq; Thetym ſcandere ad aſtra putes:
Horrifer & Boreas Eurus, Libicúſque furentes
Inſiliunt, credas omnia vulſa rui.
Nec tamen illa truces metuit curatus procellas,
Et fruſtra in ſcopulos vnda citata furit.
Sed neque candentes illam texiſſe pruinæ
Sunt ſolitæ, aſsiduo flore renidet ager.
Huic ſemper placidi patet indulgentia veris
Gemmatiſq; nidet crinibus omne nemus.
Diues fulget humus vario veſtita decore
Et flori grato ſemper odore fragrat.
Non alibi rabiem canis & momenta Leonis
Blandius aſpirans mitigat aura magis.
Frigora opaca iuuat ſuaui captare ſub vmbra
Frondea dum Zephiri flamine tecta ſonant.
Vt placet hic etiam Dauidis promere dulces
Cantus, dum viridi fronde queruntur aues.
Queis licet inſtantes animo depellere curas,
Vt valeas agili ſcandere mente polum.
Demittunt ſiquidem triſtes pia pectora curæ
Quæ placido lenis carmine muſa leuat.
Quid! quod continuo dum gaudent omnia vere
Inſula cæleſtis ſplendet imago domus.
Hanc igitur ſummum qui vult conſcendere Olympum
Quærat & angelicis qui optat adeſſe choris.
Quam Deus arcano ſolitus deſcendere lapſu
Viſitat & ſecum corda beata rapit.
Ergo cæleſtes quiſquis penetrare meatus
Concupis, Ecce tibi ianua aperta patet.

FINIS.

HYMNI IN HONOREM SANCTI HONORATI Archiepiſcopi Arelatenſis ex manuſcripto breuiarij ſancti Monaſterij ſacræ Inſulæ Lerinenſis, hic in deuoti amatoris gratiam antiquitatis appoſiti.

AD VESPERAS.

PRæſul inſignis alme Honorate
Hodie lætus cœlicis à Chriſto:
Regnis aſſumptus, memor huius ſemper,
Agminis eſto.

Sicut preſentem dominus dicauit
Inſulam per ſe, ſic tuis à cunctis:
Incolas eius protegat aduerſis
Precibus almis.

Diuina quidem gratia preuentus
Sedulo Chriſti verus imitator:
Nomine, factis ſimul decorari
Promeruiſti.
Flamine ſacro plenius edocens
Corde ſincero domino ſeruire,
Lumen virtutum nimirum fuiſti
Sæculo clarum.
Inclitus paſtor primo Lerinenſis
Speculum vitæ monaſticæ dignum:
Poſt glorioſus præſul extitiſti
Arelatenſis.
Subdutos ſacris inſtruens doctrinis
Noxiiſque quæ reſiſtere cunctis
Atque diuinis parere preceptis
Pectore puro.
Nunc tibi feſtum ſolemne colentes
Corde deuoto tuere benignus:
Sui optentu poſſimus aduerſa
Vincere cuncta.
Præſulis huius meritis, ô Chriſte,
Nobis reatus indulgeas omnes,
Nos tibi ſemper faciens ſeruire
Mente fideli.
Sit Deo patri gloria perennis
Natóque ſimul cum ſpiritu ſancto,
Qui ſine fine gloriatur Deus
Trinus & vnus. Amen.

Ad Noctvr.

PAngat chorus Lerinenſis, reſultet terra gaudijs
Arelatenſis canticis, feſtiuet feſtum Præſidis.
Hos inſtruxit, hos cibauit: dum frumenta cumulauit
Egens, diues abundauit, à mali curſu tempore.
Hic eripiens à Demone, regis natam & premium:
Atleta Chriſti Carolum poſtulauit de carcere
Anolinus erigitur, ab Honorato nititur
Hic caput infra ſubdere, virtute cœpit noſcere:
Poſt paſſus eſt ſupplicium videns fratrem occumbere,
Glorioſum Venantium intuitus eſt in aere.
Superſtes cruce ſignauit Lirum Rinum viſcerauit,
Limpha de petra manauit trino vocato nomine.
Patri detur potentia, filioq; prudentia
Spiritui clementia, in ſempiterna ſecula. Amen.

Ad Lavdes.

IGnis lucens Andronicus, polum attingens filius:
Vterque parens anxius occultans viſum ſpiritus.
Ceruus occurrit cœtui, iſtum admonens curſui:
Vt congruebat ſtatui, ſenis adduxit manui.
Ceruus ille proſiliens, mox eſt factus obediens
Quot annis paſcis inquiens antiquo, dixit, neſciens
Negat paſtum addiciens omne quod cœlum capiens:
Seruis ſuis obediens facit Ieſus omnipotens.
Hic comitatus gratia Cerui ſequens veſtigia:
Herentis ſua cornua equum cœpit ad vincula.
Patri detur potentia.

PRO

PROSA IN BEATI HONORATI LAVDEM & aliorum ſanctorum ſacræ Inſulæ Lerinenſis, ex manuſcriptis Lerinenſibus.

Lætus chorus Lerinenſis
Agat laudibus immenſis
Feſta cum tripudio,
Martyrum & Confeſſorum
Quos aſſumpſit rex cœlorum
De Lerini gremio.
Primus fuit Honoratus,
Sanctitate decoratus
Horum pater omnium.
Qui Lerinum illuſtrauit,
Dum Lerinenſe fundauit
Sacrum Monaſterium.
Capraſius ducens vitam
Terrenam ſemper oblitam
Sanctus eſſe meruit.
Maximus præſul Regenſis
Abbas primò Lerinenſis
Miris ſignis claruit.
Hilarius vir præclarus
Cæſarius Chriſto charus
Arelati Præſules.
In omnibus Deo grati
Fuerunt viri beati
Carnis actu exules.
Abbas fuit Monachorum
Sanctus Amandus multorum
Simul Lerinenſium.
Eudo pius vir beatus
Eſt à Chriſto ſublimatus
Ad cœleſte gaudium.
Ioannes mente pura
De relicta prælatura
Hæſit Lerinenſibus.
Eucherius collaudauit
Et Lerinum commendauit
In ſuis tractatibus.
Vincentius Sanctonenſis
Lupuſq́ Trecentis
Atque Iuſtus Lugdunenſis
Fuerunt Antiſtites.
Inſignem Valerium
Chriſti ſeruum proprium,
Et ſignis eximium
Collaudant ſuperſtites.
Vir Siffredus Vendacenſis,
Et Lambertus Vencienſis
Præſules quidem immenſi
Fulſere miraculis.
Vir Germanus ſeruus Chriſti
Mundo liberatus triſti,
Cum palma meruit ſiſti
Chriſto ſine maculis.
Porcarius & quingenti
Fratres palma cum ingenti
Martyres Dei fulgenti
Perfruuntur gloria.
Auguſtus eius conſortes
Paſſione viri fortes.
Facti pœnæ ſunt exortes
In cœleſti curia.
Martyres & Confeſſores
Quondam Lerini cultores
Precemur vt protectores
Noſtri ſint per omnia. Amen.

ORATIO.

DEus qui præſentem Inſulam Lerinenſem, Martyribus, Pontificibus, Confeſſoribus, atque Innocentibus, vt eorum patefecit vita glorioſa multitudine copioſa decoraſti; concede nobis eorum auxilium deuotè petentibus, ad ſuperni regni conſortium peruenire, per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

ITEM DE SANCTISSIMO CONFESSORE Patre noſtro Honorato Archiepiſcopo Arelatenſi vetus codex manuſc. in quo vita ipſius & aliorum ſanctorum Lerinenſium habetur fideliter exarata.

Hic decus Abbatum, lex patrum, flos monachorum,
Eccleſiæ gemma, clauſtri iubar, atque lucernam,
Nomine Honoratus, ſed re magis eſt reuerendus,
Religionis amor, virtutum maximus auctor.
Iſte Dei monitis Paſtor gregis omnipotentis
Caſtus conſimile Caſtum, ſeruauit Ouile
Virginitatis honor, diuini & honoris amator
Semper in exemplum ſe præbuit anteſequendum:
Et modo prærutilans magis omni ſole coruſcans.
Reſplendet niueis comptus ſuper aſtra coronis.
Lætificat celebres cœli ſua gloria ciues
Et nos de meritis lætamur, déque triumphis.
Si mirabilia miracula geſta ſtupenda,
Carmina deſcribam: non penna quieſcere vnúmque
Res manifeſta docet, & fama retexere poſſet
Inclita prodigia nunquam ſine laude ferenda
Præbuit auditum ſurdis, ſine lumine viſum
Sanauitq́, ægros, de morte reſurgere multos
Iuſſit: & amiſſum gradiendi reddidit vnum
Tranſit & æquoreas abſque omni naue per vndas.
Ille etiam honorificos ſerpentes tollit & hydros
Sacratámque in humum, pelagus tulit ipſe profundum
Totumq́, eduxit virus: terrámque poliuit.
Atque iſtic ſacræ compleuit tempora vitæ
Cætera etiam mille miracula ſunt vbicumque
Acta per hunc ſanctum digniſſima carmine laudum.
Reddatur domino laus, virtus gloria trino
Magna ſacerdoti, qui præmia contulit iſti,
Ille etiam diuus cum laudibus eſt celebrandus
Noſter Honoratus, & noſtros ille reatus
Abluat: & humiles perducat ad aſtra ſequaces. Amen.

DE

DE SANCTO HONORATO ARCHIEPISCOPO, ex manuſcriptis Lerinenſibus, Hymni.

AVla cœleſtis patet, ad Beatæ
Sedis aſcenſus faciles vocamur,
Nos Honoratus renitens venuſto
Excitat ore.
Iam pius greſſus dubius ſequentem
Rexit, oſtendens iter expetendum
Deuius ne quem ſtygios in amnes
Flecteret error.
Tunc enim vanos docuit tumores
Has opes fluxas, opus impudicæ
Carnis, & turpes Genij vigentis
Temnere luxus.
Maximis clarus titulis, auiti
Sanguinis longum renuens honorem
Solius Chriſti cupiit ſalubre,
Nomen habere.
Floridam vixit locuples Iuuentam
Angelos grato referens decore,
Non ab hoc ſenſit tamen vlla caſti
Damna pudoris.
Mens vigil nec non oculus cubile
Saxeum, veſtes rigidæ, flagella
Et fames iugis repulere fœdi
Dæmonis ictus.
Hoſpites, ægros, inopes vbique
Fouit, ac illis obiens miniſtri
Munus effudit, quod ei ſupellex
Prompſerat ampla.
Omnibus tandem pietate ſparſis
Conſulis faſces, patriam & penates
Liquit internæ loca mox quieti
Apta requirens.
Porrigat cunctis tua dextra præſul.
Alme virtutum, fugiant vt arcti
Callis anfractus, iuga tranſeuntes
Ardua quæque.
Prolis æternæ genitor perennis,
Quive connectit Paracletus ambos
Det tuo tecum, tibi gratulemur
Semper honore.

Carmen Aſclepiadeum.

PRofer irriguo vt concita ceſpite
Arbor poma ſuo dulcia tempore,
Et feſſis requiem præparat artibus
Æſtum frondibus amouens.
Sic virtutum halitus germine roſido
Heros egregius Inſulæ nobilis
Cunctis exhibuit gratior in dies
Fructus munera floridi.
Huius colloquiis anxia pectora
Exultant lachryma abſtergitur & dolor
Cedit, conſiliis illius hoſtium
Vitatur dolor & furor.
Quem langore graui lectulus pariter
Tortum detinuit, mox precibus patris
Solui conſpiciens vincula proximæ
Mortis ferreæ poſſedit.
Quin & corporibus reddere mortuis
Eius præualuit dextera ſpiritum,
Et ſolo lemures numine peſſimos
Amnes truſit ad inferos.
Quicquid mortiferi criminis intulit,
Damon peſtiferis artibus, inclite
Paſtor, dimoueas quæſumus & pij
Votum perfice pectoris.
In nobis genitor robur olympicum,
Solers ingenium filius afferat,
Affectum tribuat ſpiritus Igneum
Ad vitæ bona cœlibis. Amen.

Carmen aliud.

LÆtare fœlix Inſula,
Iubar nouum nunc oritur
Quod te ſuo præfulgida
Nitore reddat omnibus.
Sinus apricos exere,
Honore dignus maximo:
Heros honori nominis
Inſigne perferens adeſt.
Quicquid nocet, ſæuit, furit,
Cedens propinquo ſyderi
Relinquat huic tam nobili
Sedas amœnas hoſpiti.
Cœleſtis optat incola
Secum ferens ducere
Huius dies vitæ breuis
Menſam requirens pauperem.
Herbas olentes ſuggerat.
Ager tuus ſemper virens
Dulci miniſtrent poculum
Ponti liquore marmora.
Sat talis illi parcitas
Erit venellos ſuſtinens

Artus, graue vt queant pati.
Onus laboris aſperi.
Omnis boni mox copia
Creſcet tibi cum cælibis
Deget cohors hic agminis
Eius ſequens veſtigia.
Nobis beata Trinitas
Præſtet benigno munere,
Vt vota trini fœderis
Seruemus illæſa fide. Amen.

Aliud carmen.

CVſtos Lerinæ peruigil,
Præſtans tuæ nobis Preces
Virtutis altum tramitem
Sequi velut mores docent.
Mandata patris exequens
Capraſij, monens ſui
Ne quis tenax arbitrij
Seni ſubeſſe reſpuat.
Exile corpus atterens
Ieiunio & laboribus,
Nos inſtruis motus malos
Domare carnis ſubdolæ.
Mundi fugam tunc conſulis
Egere cùm ſponte eligis,
Spretas opes vt centuplo
Augi videre fœnore.
Amen.

DE LAVDIBVS LERINENSIS INSVLÆ, EX manuſc. vetuſtiſſimo cod. membrano eiuſdem Monaſterij.

INſula parua viris fœlicibus Lerinus.
Prompſiſti pridem quantis ad ſydera callem:
Quos regina fides, ſpes, & dilectio cœlebs
Vexit ad æthereas parta pro laude coronas.
Cùm quis lætatur Abrahæ veneranda ſenectus
Primus Honoratus, te ſincellita beatus.
Corpore ſacrauit fugiens retinacula mundi
Rexit Arelatem, Archi qui poſtea flamen.
Hic leo factus ouis ſpreta feritate quieſcit.
Hic pardus varias gaudens deponere tecnas
Expetit à Chriſto nitido veſtirier oſtro.
Hic placidus placido lupus oſcula porrigit agno,
Qui prius aſtutum geſtabat pectore vulpem
Detegit ipſe ſuis ſunt quæque nociua miniſtris.
Ad vitæ fontes Chriſtus quos dirigit omnes
Inſula Lerinnus quidam paradiſus haberis
Attenedóſque Rhodos, Saphus, Mitilenéque Leſbos,
Non Salaminia, Chios, Cyprus, viroſáque Queroleos;
Non ſic victa fuit Domino ſeu noſtra Lerinnus
Quàm Deus exultet ſemper tueatur & ornet. Amen,

De ſancti Honorati ordinatione in Eccleſia Arelatenſi Annaliſta Baronius tomo quinto, anno Chriſti. 426. Celeſtini Papæ III. Theodoſij & Valentiniani Imperatorum temporibus.

HIs ipſis Conſulibus, ſcilicet Theodoſio Auguſto duodecies, & Valentiniano Cæſare eius Conſobrino ſecundo, (inquit Proſper in Chr o niquo) Patroclus Arelatenſis Epiſcopus à Tribuno quodam barbaro vulneribus

ribus laniatus occiditur,quod facinus ad occultam iuſſionem fœlicis Magiſtri militum referebatur, cuius impulſu traditur etiam Titus Diaconus vir ſanctus Romæ pecunias diſtribuens,interfectus. Hæc ipſe. Cæterum longè diſpar vtriúſque conditio & cauſa necis. Etenim Titus vir ſanctus (vt ait) Inter ſanctos adſcriptus eſt martyres. Patroclus autem ſuorum ſcelerum vltore numine pœnas dedit, quippe qui(vt ſuo loco dictum eſt)pulſo Herote viro digno alienam ſedem violentus inuaſit,& vicinorum Epiſcoporum,(vt patet ex epiſtola Bonifacij Romani Pontificis)iura turbauit.Succeſſit autem Patroclo ſanctus Honoratus Abbas Lerinenſis Cœnobij,quem ſanctus Eucherius primum Inſularum,inde vero magiſtrum Eccleſiarum appellat:cum ad Salonium ſcribit. Laudat eum etiam Sidonius Apollinaris in carmine ad Fauſtum.Porrò res ab eo geſtæ ſcriptis commendatæ ſunt ab eius ſucceſſore Hilario, ſed planè perierunt, quæ enim extant tribus conſcripta libris alterius potius quàm Hilarij eſſe in notis diximus. Sed de Hilario inferius pluribus.

Martyrolog. Rom. die 15. Auguſt.

S. Honoratus Epiſcopus ordinatur.

Idem Annaliſta tomo ſexto,anno Chriſti 444. Leonis Papæ VI.

Cæterùm quod ad ſancti Honorati genus atque patriam pertinet ex ſenatoria illuſtri familia, eadémque Conſulatus dignitate aucta, ortum idem tradit Hilarius, fuiſſéque patria Arelatenſem idem non obſcurè ſignificat, dum ait ipſum duce ſancto Capraſio ſene conuerſum in Monachum germanúmque nactum comitem Venantium nomine,vitandæ gratia humanæ laudis iter arripuiſſe orientem verſus,nauigióque peruenisſe in Achaiam: vbi defuncto eodem ipſo fratre Venantio ipſum Honoratum cum ſuis,haud leuiter ægrotantem iniiſſe conſilium patriam repetendi. Et licet quænam patria fuerit expreſsè non nominet: tamen Arelatum ſignificat, dum author ipſe Hilarius pro concione alloquens ſuos Arelatenſes illic planè verbis inſinuat, vbi ait, *hinc iam vobis Honoratum veſtrum Chriſtus reduxit, & occulta manu ſalubritatem regreſſus ſui temperat, &c.* Quem ergo ad ſuos Arelatenſes reductum atque regreſſum tradit,ſane inde receſſiſſe ſignificat, redeuntem verò primum omniũ conſilio Leontij Foroiulienſis proximè degentis Epiſcopi incoluiſſe Inſulam Lerinenſem à ſerpentibus obſeſſam, illicéque ſedentibus illis Eccleſiam & Monaſterium erexiſſe excepiſſéque à ſæculo profugos ad vitam Monaſticam excolendam,docet.Sed & Arelatum cum rediiſſet ſe conuerſum à vita ſæculari ac eodem Honorato idem qui ea ſcribit affirmat Hilarius.Nam ait tunc primum illam patriam quam fugiendam dudum crediderat,agnouit: Et ducit me ſecum ſuam prædam, gaudet, triumphat, exultat,&c.Recenſet eius in Epiſcopum Arelatenſem aſſumptionem ac tandem ægritudinem obitum atque funus. Ad poſtremum verò eiuſmodi precibus more maiorum eundem in cœlo regnantem Honoratum interpellat, quod certò ſciret Dei amicos defunctos licet,humana curare, aitque: *Memento itaque amice Dei, memento iugiter noſtri, Deo incoinquinatus aſſiſtis, canens illud canticum nouum & ſequens agnũ quoquò vadit:tu illi pediſſequus, tu pro nobis patronus, orationum noſtrarum Interpres acceptabilis & fortis aſſertor profuſas ad ſepulchrum tuum alumni gregis preces perfer: Impetra & conſpiratione communi omnes ſimul ſacerdos & populus quæ Iuſſiſti, quæ docuiſti, obtinere mereamur.* Hæc Hilarius,qui ſicut in Epiſcopatu,ſucceſſor illius fuit,ita in præfectura cœnobij Lerinenſis poſt eundem ſanctum Honoratum Maximus Abbas fuit electus, vt ſanctus Eucherius in libello de laudibus Eremi declarat. At verò ipſum Hilarium ſub Imperatoribus Valentiniano, & Martiano diem clauſiſſe

Preces Hilarij ad S. Honoratum.

extremum Gennadius author eſt, quem tamen corrigas, ex his quæ dicentur inferius, anno quadringenteſimo quadrageſimo nono, ad quem annum ſanctus Hilarius peruenisſe demonſtratur, deceſſisſéque ſub conſulatu Aſterij, & Protogenis ſub Theodoſio, & Valentiniano Imperatoribus. Hæc Annaliſta.

Annotatio Vincent. Saler.

Quæ ſupra adducitur à viro illuſtriſſimo Baronio de ſancti Honorati patria, opinio, ſummè placeret, haberemus enim certa pro incertis, ſi ex eiuſdem ſancti Hilarij verbis in eadem oratione funebri à ſe citata pluribus in locis non ei reclamaretur. Atqui fieri poteſt vt ſi Honoratus & ipſe Hilarius eius conſanguineus, & conciuis, qui hæc declamat fuiſſent ciues Arelatenſes? Ipſe, inquam, Hilarius non aperiret aliquo modo ſeu circumlocutione aliqua, qui toties in dicto ſermone hanc vocem (patriam) affert non adderet, hanc, vel iſtam, aut quid ſimile: vel conciuibus loquens non æqualiter ſe conciuem vel vnico verbo demonſtraret. Sed quia prima fronte maximè vera apparet opinio viri ne ſuſpicione vel temeritate aliqua videamur ei refragari, bona illius venia, attentius repetendum: hic reor omnes ſententias diui Hilarij, ex quibus apertè conſtat non fuiſſe ciuem Arelatenſem Honoratum, reaſſumens itaque primo illationem quam facit idem Annaliſta, ex illis verbis: *Hinc iam vobis Honoratum veſtrum Chriſtus reduxit, & occulta manu ſalubritatem regreſſus ſui temperat.* Hæc Hilarius, Baronius verò: *Quem ergo ad ſuos Arelatenſes reductum atque regreſſum tradit, ſanè inde receſſiſſe ſignificat.* Primo illud pronomen, veſtrum, affectu non actu intelligitur, & quia eis præſul extitit. Illa autem verba, *reductum, & regreſſum* dico non ita ſtrictè, punctuatim, vt idem facit Annaliſta ab Hilario ſumi, ſed largo modo nempe regreſſum & reductum eſſe in partes occiduas, vnde receſſerat orientem verſus mare magnum, Achaiam & Methonam, vulgò *(Moudon)* vt habetur ex dicto ſermone ſancti Hilarij, ordinatè proſequens conuerſionem, ipſamque peregrinationem tum Abbatialem adminiſtrationem in Lerinno & Epiſcopatus regimen & obitum beatiſſimi Honorati, primóque dum de diſtributione bonorum profiua largitione eleemoſinarum in patria agit, inquit: *Nullus illuc peregrinationis labore defeſſus non tanquam ad patrimonij ſui rura peruenit, nullus illinc ad vlteriora diſcedens non tanquam iterum à domo ſua pedem mouit.* Quare, quæſo, ſi conciues Arelatenſes alloquebatur (ſinibi certe habita eſt oratio illa funebris) aliam patriam & locum inſinuabat aduerbiis illis illuc, & illinc: certè quia ſciebat non ciuem Arelatenſem ſequitur. Cum de diſceſſu é patria & peregrinatione ſuſcepta agit: *Quod illic Ieſu bone, certamen fidei atque amoris fuit? quis non illic ſibi officium propinqui vendicauit* Eſſe ſemper alium locum & patriam honorati ab ipſa Arelate diuerſam ſignificat, & ſubdit: *Ne quid tamen iuuenili auſu temerè ab ipſis inceptum putaretur, aſſumunt ſenem perfectæ, conſummataq; grauitatis, quem ſemper in Chriſto patrem computantes patrem nominarunt ſanctum Capraſium, angelica adhuc in Inſulis conuerſatione degentem.* In manuſcriptis Lerinenſibus perantiquis reperirur quod degebat cum ſociis vitam heremiticam in Miroduna Inſula maris Crœti, quod autem non egerit in inſulis maris Galliæ Narbonenſis clarum eſt, non in Lerone nec Lerina: quia primus inhabitator fuit Honoratus, cum antea eſſent inacceſſæ metu venenatorum animalium, vt teſtatur idem Hilarius, nec videtur dicendum cum aliis ſanctis egiſſe in inſulis Sthecadibus ad quos ſeptem collationes ſanctorum patrum dicat Caſſianus, vt habetur in præfatione

ne vndecimæ collationis, de patribus in Thebaida Aegypti conſiſtentibus ad Honoratum & Eucherium Epiſcopos, ait enim in fine. *Si verò ſanctam ſtudij veſtri ſitim etiam exſatiare non quiuerim ſeptem aliæ collationes, quæ ad ſanctos qui in Stheca dibus conſiſtunt Inſulis emittendæ ſunt, fratres deſiderium, vt arbitror, veſtri ardoris explebunt.* Hæc ille incolebantur autem à populis Græcis dicti Phocenſes qui primi fundamenta Maſſiliæ locarunt: Et ſi in illis pater Capraſius moratus eſſet Inſulis non ignotus poterat eſſe Arelatenſibus, vti erat teſte Hilario: *Cuius* (videlicet Capraſij.) *quanquam dilectio veſtra nomen hactenus ignorauit vt adhuc neſciat vitam, amicis eum ſuis Chriſtus annumerat.* Peruento autem honorato & ſociis vſque ad ſterilitatem Achaici littoris defunctóque Methona germano ſuo viro in Chriſto beatiſſimo Venantio, regredi verſus occidentis plagas ſtabiliunt: Italiam viſitantes, vnde infert Hilarius. *Huius Italia benedici gaudet introitu, hunc Thuſcia veneratur: tum & quem à patria Eremi deſideria prouocauerant hunc in Eremum (Lerinenſem ſcilicet) huic vrbi propinquum Chriſtus inuitat.* Vbi nota quia non dixit, reducit, ſed inuitat vtque manifeſtius ex illis partibus non eſſe oriundum oſtendat, ipſum exulem vocitat cum ſubdit: *(cedit ignoti prius exilij) obſcuritas, voluntarii exulis claritate.)* Ex quibus etſi iam pateat ſanctum Honoratum non eſſe ciuem Arelatenſem neque ex prouincia Narbonenſi, tamen adhuc ab authore Hilario duo efficaciora ſubduntur teſtimonia, ait enim dum de electione Honorati in Pontificem Eccleſiæ Arelatenſis agit eoſdem alloquens Arelatenſes: *Sed vnde illud quæſo, quod tam è longinquo, tam ignotus expetitur? quis illam abſentis nec prius viſi gratiam veſtris pectoribus affixit.* Quis non dicat modò non eſſe ciuem Arelatenſem Honoratum, cum ignotum eſt non prius viſum ipſis Arelatẽſibus affirmet Hilarius, qui etiam dum tranſitum ab hac luce declamat, ait: *Quid illud quæſo quod cum omnes ſuos quos ad hanc vrbem amor ſuus traxerat, vtique inter peregrina deſereret nullum vlli reditum, nullam ſocietatem commendauit, non loca viuendi certa diſtribuit.* Et certè vnus ex his quos amor ſancti Honorati ad Arelatem traxerat, erat hic noſter Hilarius, qui hæc perorat propinquus & conciuis Honorati qui cum ſe & reliquos ab ipſo Honorato inter peregrinam teſtetur eſſe derelictum, claro clarius patet Arelatenſem ciuem non eſſe Honoratum, neque ex aliqua vrbe prouinciæ Narbonenſis, ex qua ſi oriundus extitiſſet non poterat peregrinus, exul, inuiſus & ignotus haberi, cum eſſet ſtemmate præclariſſimus, vt idem teſtatum reliquit his verbis Hilarius: *Prætermitto itaque commemorare illius auita ſæcularium honorum inſignia, vt quod concupiſcibile ac penè ſummum mundus habuit vſque ad conſulatum prouectam familiæ ſuæ nobilitatem maiore generoſitate pectoris faſtiditam.* Ex ſupra adductis ergo verè & breuiter concluditur non eſſe ciuem Arelatenſem Honoratum vt male, qui ſupra vt Petrus in cathalogo produnt. Verum ſi in dubiis coniectura agere licet quænam fuerit patria ſancti Honorati (ſi ex Nicomediæ partibus eum eſſe inficiamur) aliquibus rationibus auctoritatibúſque adductus dicerem eſſe natione Gallum & ex prouinciis vel Campaniæ aut Burgundiæ Lotharingiæ ſeu adiacentium vel ex Tullo patria ſancti Lupi Epiſcopi Trecenſis & monachi Lerinenſis diſcipuli eiuſdem ſancti Honorati tunc Abbatis vel ex Diuione, aut Mathiſcone, Cabillone vrbibus ſeu aliis circumiacentibus: rationum quæ me in hanc ferunt opinionem prima præcipuáque eſt, quod ſanctus Lupus nobilis ſpectabiliſq; genere ex ciuitate Tullo oriundus, accepit in vxorem illuſtris memoriæ puellam ſancti Hilarij poſtea Epiſcopi Arelatenſis ſororem nomine Pimeniolam, vti expreſsè in vita

ſancti Lupi habetur. Secunda earum eſt quod ad habitum ſumendum Lerinæ deſiderio viſendi Honoratum ſanctus Lupus fuit abſtractus atque illectus cum mutuis adhortationibus cum vxore ad conuerſionem religionis ſe conſulere propoſuiſſent, vnde in actis eius legitur: *Lupus Euangelicæ perfectionis, feruens deſiderio eximiæ claritudinis & virtutis virum beatum Honoratum alacri animo ſtatuit inuiſere, & vbi ad eum peruenit eius inſtitutioni ceruicem vltrò ſubdit.* Certè dicendum videtur Lupum antea cognouiſſe Honoratum cum tali eum viſendi flagraret deſiderio & propinquam ſui ſanguinis haberet in vxorem tantiſque itineris non refugerit laborem, diſtat enim illa officina ſanctorum Lerinenſis à patria Lupi pluſquam trecentis triginta milliaribus Italicis, ſequitur in actis eius: *cúmque annum vnum illic (Lerini videlicet) egiſſet magno fidei calore regreſſus eſt ad vrbem Matiſconenſem vt ea quæ ipſi remanſerant pauperibus elargiretur.* Quibus ſanè rationibus cum aliunde nihil certius habeatur, poteſt autumari ex his prouinciis Honoratum noſtrum fuiſſe oriundũ ſalua ſemper veritate & probabiliori opinione. Sed his omiſſis libet ante quam præſenti de beatiſſimo patre noſtro Honorato primo fundatore monaſterij Inſulæ Lerinenſis imponatur finis ſermoni aliquos, hic ne depereant ſubnectere verſus, anno Iubilæi, milleſimo ſexcenteſimo dum officium pœnitentiariæ ageremus in vrbe noſtra ſolicitudine compoſitos & marmore inciſos in parietéque affixos prope puteum in medio Inſulæ à beato Honorato olim precibus eruderatum duo præcipuè veteris teſtamenti miranda præferentem, qui verſus tales ſunt.

Iſacidum ductor lymphas medicauit amaras,
Et virga fontes extudit è ſilice.
Aſpice, vt hic rigido ſurgant è marmore riui
Et ſalſo dulcis gurgite vena fluat.
Pulſat Honoratus rupem, laticéſque redundant
Et ſudis ad Virgæ Moſis adæquat opus.

Mara Exod. 15. Sin. Num. 20. De quibus perpetratis per Honoratum mirabilibus fidem indubiam faciunt Hilarius Arelatenſis Epiſcopus in ſermone funebri de ſancto Honorato inquiens. Negatæ ſæculis aquæ largiter fluunt in vno ortu ſuo duo veteris teſtamenti miracula præferentes: nam cum è ſaxo erumperent in media maris amaritudine dulces profluebant, & Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus ad ipſum Hilarium in eleganti libello de laudibus eiuſdem Eremi Lerinenſis dum amœnitatem ipſius deſcribit, & infert his verbis, aquis ſcatens, herbis virens, floribus renitens, vſibus odoribúſque iucunda paradiſum poſſidentibus ſe exhibet. Procurauimus etiam anno Domini 1594. perpulchrum mare marmoreum ſeu vt dicitur, fons aquæ luſtralis, fieri pro Eccleſiæ maioris eiuſdem ſancti Honorati decore & honore & omnium ſanctorum qui inibi venerantur, vt hæc omnia abſque alterius vllo omninò ære vel onere.

Non inconueniens hic reor in gratiam antiquitatis ſubnectere aliquas præfationes, cani ſolitas in vigilia & feſtiuitate almi patris noſtri Honorati à priſcis Lerinenſibus patribus, vt ex antiquiſſimo Miſſali in quo tantum orationes & præfationes ſunt in Theca reliquiarum aſſeruari ſolito cooperto laminis argenteis inauratis cum figuris & lapidibus criſtallinis ornato cognoſcitur: habet enim huiuſmodi Miſſale deforis in prima facie quatuor effigies argenteas eleuatas nempe ſancti Honorati, ſancti Maximi, ſancti Hilarij, ſancti Capraſij cum ſequentibus verſibus circumcirca inſcriptis.

Lerinici fratres hic veſtros cernite patres.

Iſti

Iſti bis bini ſunt flos,& gemma Lerini
Res eſt pulchra ſatis:quod eos venerando collatis,
Quos Dominus verè ſecum dignatur habere.

In ſecunda verò facie, ſicut in prima alij quatuor ſancti collocantur, ſcilicet ſancta Maria, Sanctus Ioannes,ſanctus Cæſarius, ſanctus Porcharius verſus in circuitu inſculpti ſunt iſti.

Liber Honorati ſine fine ſit iſte beati,
Seruus ſit nequam ſibi qui ſubtraxerit vnquam:
Sed ſocius texti ſit ſemper tempore feſti,
Hoc dico ornatur quod in iſto miſſa canatur,

Præfationes verò tales ſunt,& primum in vigilia ſancti Honorati. Aeternæ Deus,& venientem natalem beati Honorati confeſſoris atque pontificis debita ſeruitute præuenire ſuppliciter obſecrantes, vt ipſum apud tuam clementiam ſentiamus nos habere patronum,quem tua gratia largiente meruimus æternæ ſalutis ſuſcipere miniſtrum per Chriſtum, &c. In die verò feſtiuitatis æternę Deus omnipotentiam tuam iugiter implorates, vt quibus annua celebritatis huius vota multiplicas plena diuini cultus gratia largiaris,& per beati Honorati confeſſoris tui temporale ,quod colimus, feſtum profectum clementer tribuas animarum,quoad immutabile bonum per mutabilia dona veniamus, temporalémque lætitiam gaudia ſempiterna ſuccedant per Chriſtum Dominum noſtrum. *Amen.*

De ſitu ſpecus diui Honorati propè Lerinam Vinc. Saler.

NE quantum in nobis eſt,& paruitas ingenioli noſtri fert, aliquid quod expediat ad laudem & gloriam Inſulæ Lerinenſis patroniq; noſtri ſancti Honorati Epiſcopi intactum relinquatur, apponenda videntur quæ ipſi vidimus de ſpecu ſeu antro in quo prope Inſulam Lerinenſem egiſſe aliquando ipſe Honoratus traditur,qui à noſtratibus vulgariter dicitur.La ſancta Baulma de ſancta Honorat.Eſt igitur quidam mons in mari gallico Narbonenſi in ingreſſu patriæ Prouinciæ ad occiduum venientibus ab Italia qui vulgo Caporoſſe nuncupatur inter Inſulam Lerinenſem & ciuitatem Foroiulienſem interpoſitus: qui ferè per tria milliaria & eò amplius in altum ſe extollens rupibus vallatus inuius & nemoribus obſitus cuius orientis & meridiei plagam mare alluit,in qua præ cęteris portus habetur Agathon nomine qui vulgo Agay,dicitur in cuius etiam latere prope verticē inter Aquilonem & occaſum adeſt quoddam antrum per ſex milliaria diſtans à prædicta, ciuitate Foroiulienſi in modum oratorij in quo ſanctus Honoratus primus Abbas & fundator ſacri monaſterij Lerinenſis poſtque Archiepiſcopus Arelatenſis aliquandiu Eremicultor manſit, quo in loco (certè mirum) tam inuio & inaquoſo in vertice aridæ rupis prope portam antri viſitur ſaxum veluti in forma putei concauum ad altitudinem trium palmorum ferè iugiter limpidas continere aquas,quæ continuæ hominibus illic deuotionis gratia concurrentibus cedit vſui & maximè Foroiulienſibus, qui cum ariditatibus, ſterilitate, imbribus aliiſque preſſuris vrgentur ad placandam iram altiſſimi Dei illuc proceſſionali pompa quàm deuotè tota ipſorum concurrit ciuitas. Adeſt etiam ſubtus oratorium quædam paruula ſpeluncula in quam niſi reptando ingreditur tantæ anguſtiæ & exilitatis vt vix hominem curuum & in ſe contractum recipiat,habens foramen cœlum verſus, quæ patri noſtro Honorato ceſſit pro regali cubili deligenti ſecundum Apoſtolum habitare in cauernis & ſpeluncis terræ & in fiſſuris petrarum vt amplas cœli manſio-

nes mereretur lucrifacere, habetur mentio de iſta ſolitudine in vita ſancti Honorati, quæ circúfertur tribus libris libro primo capite decimonono, vbi etiam aliud antrum videtur innuere ad radices montis iuxta mare valde diuerſum à ſuperiori à nobis deſcripto. In quo etiam his annis elapſis Reuerendus Dominus Dioniſius Faucherius monachus Lerinenſis & ciuis Arelatenſis ſequentes animi deuoti ergo appoſuit verſus, videlicet.

Ad ſpecum diui Honorati Archiepiſcopi Arelatenſis.

IN patre Honorato potes hinc aduertere lector
Egregiæ virtutis opus, mirarier ampla
Dona Dei, viſunt alij loca ſancta, ſibiq́;
Deeſſe vident alibi præclara exempla ſequentes
Huius fama viri nedum præſentia ſemper
Quicquid adit ſacrum facit, en vix peruia quondam
Iſta feris fuerat ſedes, modò nomine clara
Præſulis, innumeras ad ſe trahit vndiq́; gentes.

Ad ſaxeum cubile.

Præbe tuos vultus Antiſtes inclite cœlo
Conſpicuos tua quærenti veſtigia terris. Amen.

De Marino Abbate Lerinenſi, quo tempore floruerit patebit infrà:

Annotatio Vinc. Saler.

CAlendis ipſis Ianuarij primus omnium patrum ſacri promptuarij Lerinici nobis ſeſe obuiam offerebat, ille magnus heros Marinus Abbas Lerinenſis: ſed ob reuerentiam & primatum diui Honorati hic poſt ipſum ſtatim duximus collocandum eum tribus ſequentibus, nempè ſancto Odilone Abbate & Bernario Eligióque monachis, cuius Marini acta præclara nuſquam reperire, etſi permultos manuſcriptos peruetuſtos bibliotheca Lerinenſis alibiq́ue euoluerimus codices, nobis conceſſum fuit. Inſuper nec in nouo catalogo neque in antiquioribus ſanctorum aliorúmque virorum illuſtrium ac Abbatum Lerinenſium habetur tabulis: ex quo nec miramur, cum tot variationes terúmque permutationes ac funditus emerſiones pertulerit dictum monaſterium Lerinenſe: pro rato tamen habemus ipſum Marinum egiſſe Abbatiam in præfato monaſterio Lerinenſi ex actis ſancti Eugendi Abbatis monaſterij Iurentium in territorio Lugdunenſium ab eius diſcipulo Anomino ſincerè deſcriptis quæ recitantur à fratre Laur. Sur. Carthus. Primo tomo: hac die vbi author in fine ſic inquit. [Is interim fidei ſenioriſque veſtri ſitim, ô ſanctiſſimum, exſatiatis tantiſper deſideriis reficite fratres. At ſi animos veſtros ſpreta dudum philoſophia ruſticana quoque garrulitas ex ſatiare non quiuerat, inſtituta quæ de informatione monaſterij Agauuēſis cœnobij ſancto Marino presbitero Inſulæ Lerinēſis Abbate compellente digeſſimus deſideria veſtra, tam pro inſtitutionis inſigniis, quàm pro iubētis authoritate Chriſto opitulante luculenter explebunt.] Hæc ille cuius ſerie liquidò conſtat ſanctum Marinum ex illa ſanctorum officina Lerinenſi extitiſſe, floreréque cepiſſe non longè poſt tempora Chilperici Francorum Regis Clotharij filij cum imperaret Iuſtinus, ac poſt eum Tiberius nempè circa annos noſtræ redemptionis quingenteſimum ſeptuageſimum nonum, cuius temporibus florebat ſanctus Eugendus Abbas Iurenſis, cuius vitam ſincerè ſcripſit eius diſcipulus (vt dictum eſt) vna cùm inſtitutis monaſterij Agauenſis

uenſis hortatu ſancti Marini tunc Abbatis Lerinenſis Inſulæ. Hæc de tempore prædicti Marini cuius egregia præclaráque acta ſicut aliorum etiam quàm plurimorum de perdita ægrè ferimus. Admonendus venit hic lector, quia ſicut plena iſtius geſta viri præclari, ſic nec diem eius placidæ reſolurionis proprium adinuenire potuimus, at ne ſuo fraudaretur honore idipſum hac die collocauimus, in qua geſta prædicti ſancti Eugendi Abbatis Iurenſis in quibus iſtius memoria cum laude habetur, ab Eccleſia recitantur: paríque modò in reliquis in toto iſto opere obſeruabitur, proprio certóque demigrationis carentibus.

De ſancto Odilone Abbate Cluniacenſi & Lerinenſi Annotatio Vinc. Saler.

IPſis itidem calendis brumalis Ianuarij, ſacra recenſentur feſtiua ſollemnia admirandi viri Beati Odilonis Abbatis Cluniacenſis, diſpuli ac ſucceſſoris ſancti Maioli Abbatis cui(vt habet Chronicum manuſcriptum Cluniacenſe teſte Iacobo Seuertio in ſua Chronologia [a] hiſtorica Antiſtitum Lugdunenſium nu. 20. ex diplomate Bonifacij Papæ VIII. directo ad Abbatem S. Honorati)Benedictus Papa VII.qui ſedẽ Romã conſcẽdit anno noſtrę redẽptionis nongẽteſimo ſeptuageſimo quinto, & vſque ad octuageſimũ ſupra nongẽteſimum fœliciter annos vixit,nouem tenuit, donauit,inquam,idem Pontifex,ſancto Maiolo tunc Archimiandritæ Cluniacenſi ſuiſque ſucceſſoribus monachorum.Inſulæ Lerinenſis regendum:ſed an aliquando acceſſerit Lerinum moraſue nexuerit, ipſe Abbas Maiolus, non certo conſtat veteri documento,verum expreſsè compertam habemus eius amantiſſimum diſcipulum ſucceſſorémque ſedis ſanctum Odilonem,poſt è cuius diſceſſu chari magiſtri qui contigit anno noſtræ ſalutis nongenteſimo nonageſimo tertio in eius locum ſuffectum fuiſſe Abbatem Cluniacenſem, & inde non poſt multorum annorum circulos gubernacula ſacri Monaſterij Lerinenſis ſua præſentiali aſſiſtentia moderaſſe,& maximè temporibus Guillermi I. prouinciæ comitis, filij Beſſoni, cum ſceptrum regni Gallorum regeret Robertus filius Hugonis Capeti circa annos Dominici aduentus nongenteſimum nonageſimum ſeptimum. Et ne forſam quis ſacrum aluearium Lerinenſe, furtiuo melle alieníſque innubis apibus nos velle implere ſuſpicetur, & hæc eſſe ficta, aſtuta, cõmenta ſomniet,nóſque aliorum Diuos vſurpare dicat,audiat antiqua obſignata documenta ex ſcriniis Lerinenſis deprompta, quibus luce meridiana, clarior comprobatur veritas, tum congruentia temporis, perſonarum non ignobilium,rerumque geſtarum, ac iſta expreſſione nominum, & titulorum Abbatiarum Lerinenſis & Cluniacenſis:ita vt nulli ſit ambigendum ſanctum Odilonem Abbatem Cluniacẽſem præfuiſſe Abbatiæ ſacri promptuarij Eremi inſulani Lerinenſis poſt aliqua temporis interſtitia, & forſitan tunc Monaſterio proprio deſtituto paſtore, vel aliqua informatione tunc nouè Cluniacenſi vnito, indigente ex quo tantus vir in tam Segregi regione conſiſtens per ſe Lerinum accedere ibique manere non refugit: quòd verò multa ſibi ſubdita habuerit cœnobia non in conueniens videtur, cum & Illuſtriſſimus Baronius in notis Martirologij Romani quarto nonas Nouẽbris hæc nó obſcurè ſignet: dum enim de commemorationis omnium fideliũ defunctorum inſtitutione agit,ait:*quod enim ille (Illuſtriſſimus S.Odilo) in ſuis Monaſterijs faciendum curauit, &c.*ex quibus plura ab vno rectore moderata fuiſſe cœnobia claret, pro rato itaque tenemus quæ in priſcis oblationibus Monaſte-

1. *Ianuarij.*

a *Vide infrà in S.Eucherio 16. Nouemb.*

S.Odilo ordinatur Abbas ann. 993.

ſterij Lerinenſi factis habentur,quæ hic ſummatim in teſtem noſtræ aſſertionis tibi ſubijcimus.

Inſpiratio Deo, & Domino noſtro Ieſu Chriſto, ſacroſanctæ Dei Eccleſiæ ſanctæ Mariæ,nec nó ſancti Honorati Inſulæ Lerinenſis Cœnobij, vbi & venerabilis Odilò Abbas Cluniacenſis præeſſe videtur : nos quidem in Dei nomine,videlicet Truanus & vxor mea Amalſendis, ac filij mei Guido & Aldebertus,atque filiæ,Ailbruga,è Guidburga & dilecta, Deo propitio ſana mente, integróque conſilio, metuentes humanæ fragilitatis caſum, ne nobis repentina mors obueniat,& pœna abſorbeat perpetua,placet noſtris animis, & placuit placebítque Deo volente,vt aliquid de rebus propriis Domino offerre deberemus, & prædicti loci Abbati & monachis ibidem Deo dignè famulantibus, ſicut & facimus. Dum enim priſcarum legum ſanxit authoritas, vt quicunque ſuam rem inquemlibet modum donare, transfundere, traderéque voluerit, hoc per ſcripturarum paginam laudabiliter plenius debeat corroborare : quapropter nos iam dicti Truannus , vxor mea Amalſenda filij filiæque noſtræ, ad præfectum locum ſanctorum , Dei genitricis Mariæ & Beati confeſſoris Honorati,Domino Odiloni Abbati atque Monachis ibidem Deo militantibus tam præſentibus quam futuris,quorum nomina hæc ſunt, Aldebranus prior, Arnaldus Amadricus; &c. pro remedio animarum noſtrarum, res noſtras proprias tradimus atque donamus quas in pago Foroiulienſi, &c. & infra ſciant verò cuncti viuentes quia per licentiam Domini Guigliolini comitis & matris Adhelaidij & vxoris eius Emone & filiorum eius, de quorum poteſtate hæc donatio procedit firmiter damus pro noſtris animabus ſupra dictũ locũ Abbati & Monachis.Et hæc vt firma permanerent varijs cominationibus & pœnis,ſubſcriptionéque propriæ manus roborarunt.

Sequitur modo & alterius affectionis eiuſdem penè formæ compendioſa deſcriptio, noſtrum inſtituti votum ſtabiliens,quæ ſic ſe habet.

Domino Creatore ac ſaluatore noſtro Ieſu Chriſto prædicante atque docente & ſitientibus æternam vitam dicente:*facite vobis amicos de mammona iniquitatis,vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula,* & iterum, *Theſauriſate vobis theſauros in cœlo,&c.*audiui ego Conſtantinus Chriſtianus,licet indignus cùm in Euangelio hæc verba & his ſimilia legerentur, cõſideránſque futuros caſus,& perpedens ſollicitè, quæ parata ſunt impijs tormenta,quæve fidelibus æterna præmia.Nos quidẽ in Dei nomine iam dictus Conſtantinus, & vxor mea Iſingardis,filiíq; noſtri Rupertus Dodo,Lambertus,Põtius, Hugo,& Abillonius, inſpirante Deo ſanè mente integróque conſilio, metuentes humanæ fragilitatis caſus , ne nobis repentina ac perpetua mors obueniat placuit animabus noſtris , vt aliquid de rebus propriis , Deo & ſanctis eius, videlicet perpetuæ Virgini ipſiúſque genitrici Mariæ , nec non & beatiſſimo Honorato,& inſulę Lerinẽſis Cœnobio,vbi preeſſe videtur Dominus Abbas Odilo Cluniacenſis Pater, deberemus offerre ſicut & facimus, &c. Et hæc firmata ſuis propriis manibus offerentium & teſtium cum valdè grauibus comminationibus: quibus ſanè certis oblationum documentis liquidò conſtat ſanctum Odilonem in ſacro Lerinenſis Inſulæ Monaſterio Abbatialis Cathedræ retinacula moderaſſe, optimóque iure in aceruo ac Cathalogo ſanctorum heroum Lerinenſium à nobis redigi, ac inter Atletas Lerinenſis palæſtræ numerari : cuius acta R. D. Petrus Damianus S. R. E. Cardinalis. Hoſtienſis ſincerè deſcripſit. Fuit autem idem S. Odilo infula ornatus Abbatiali

tiali anno noſtræ redemptionis, 993. migrauit è corpore ſub Clemente II. Romano Pontifice. Imperante Henrico II. anno à Chriſto Domino 1048. Ordinationis ſuæ quinquageſimo quinto: ætatis verò octuageſimo ſeptimo.

Hiſtoria vitæ & Miraculorum Sancti Odilonis Abbatis Cluniacenſis, Authore Petro Damiano S.R.E.Cardinali Oſtienſi, tempus quo claruit patebit infrà.

PEtrus Damianus ſanctis Eccleſiis, quæ ſunt in occidentalibus Galliarum partibus conſtitutæ, ſalutem quæ eſt in Chriſto Ieſu. Hugo Cluniacenſis Monaſterij rector, & ſpiritualis militiæ dux ac præcipuus informator, hoc mihi laboris iniunxit, vt vitam beati Odilonis deceſſoris videlicet ſui proprio ſtylo, ſuccinctè perſtringerē, & ex his quæ in anterioribus paginis latiùs reperiebantur eſſe diffuſa, vtiliora quæque, magíſque neceſſaria breui compendio deflorarem. Cuius ego compulſus imperio, non venuſtatem luculenti aucupabor eloquij: ſed ſicut ex oblatis apicibus deprehendere potero, cum Dei omnipotentis auxilio meræ veritati deſeruire tentabo. Superfluum quippe eſt, lucernam manibus adhibere, dum micantium ſtellarum conaris ſigna diſtinguere: ego quoque dum actus mirabilis viri, tanquam ſereni cuiuſdam atque perlucidi cœli ſtellas oſtendo, facetiis vrbanæ facundiæ non indigeo. Ipſa quippe per ſe ſanctorum vita fideliter enarrata, ſic rutilat vt ſplendorem acurati ſermonis, ad illuſtranda fidelium corda non requirat. Huc accedit, quia ruſticitas ſermonis inculti, ſuſpicionem purgare conſueuit mendacij. Nam qui vix ſufficit, vt elimatum ſaltem depromat eloquium, quomodo nouerit fabricare commentū? Et certè maioris tibi honoris eſt, vt Rex in ferro, quam ſeruus arti tuleris in auro: & habilior eſt aqua perſpicua in vaſe fictili, quam lutulenta vel lurida, quam non ſapor proprius, ſed exteriora commendant ornamenta gemmarum, ſic & melior eſt veritas in ſimplicibus verbis, quam ſit mendacium in elucubrati venuſtate ſermonis. Sed iam res ipſa producatur in medium & illius ſummæ veritatis auxilium imploremus, quæ abbreuiatum verbum per Prophetam promittitur: quatenus in huius ſcriptionis articulo & competenti breuitate ſuccinctos, & à nota mendacij nos exhibeat alienos.

Is Hugo fuit V. Abbas Cluniacen. Odilo IIII.

Eſa. 10.

Vita Sancti Odilonis.

BEatus igitur Odilo Auerniæ oriundus, ex equeſtri quidem ordine genus duxit, ſed terrenæ proſapiæ lineam cœleſtis vitæ nobilitate tranſcendit. Hic dum adhuc puerili teneretur infantia, tanto repentè eſt omnium ferè membrorum langore conſtrictus, vt incedendi quique prorſus amitteret facultatem. Accidit autem aliquandò, vt nutrix eum ante ianuam cuiuſdam baſilicæ, quæ in honorem beatæ Dei genitricis erat dedicata, relinqueret, & ipſa ſuis intenta compendiis, per diuerſa procul abiret: puer itaque ſe conſpiciens ſine cuſtode relictum, ac nutriciæ ſedulitatis miniſterio deſtitutum, diuino quodam prouocatus inſtinctu, tentare cœpit, ſe valuas Eccleſiæ quolibet niſu poſſet attingere. Fluctuabat igitur innocens reus Dei, & ſub diuino verbere conſtitutus, quid ageret, neſciebat, Innocens, inquam, vt putà qui non peccauerat: reus autem Dei, quia cœleſti verbere vapulabat, tandem repens & quaſi quodam ſe manuum pedúmque remigio fulciens, vix peruenit ad ianuam, paulatim progreſſus intrauit. Iámque ſpe concepta valentior, pallam Altaris arripuit & ſic ſe erigere quibus poterat conatibus cœpit. Sed dum intempeſtiuè conatur, nec dum ſolutis langoris adhuc nodoſitate reſtringitur. Quid plura? tandem diuinæ virtutis auxilium ſenſit: & omni langore depoſi-

1. Ianuarij.

Odilonis patria & genus.

Curatur diuinitùs.

to factus incolumis, ad referendum Deo gratias intuentium animos prouocauit. Et quia tunc alius deerat, qui pro ſe intercederet, ſanctus ipſe (vt ita loquar) in ſe ſignum virtutis exhibuit, ipſe pro ſe interuenit: & de ſe ipſo miraculum faciens, medicinam diuinæ curationis obtinuit. Hoc eſt enim egregium & inſigne miraculum, cum homo non per alium, ſed ipſe ſibi conſciſcit diuinæ virtutis auxilium.

Fit Clericus. Qui præterea dum ad grandiuſculæ iam ætatis adoleſceret, incrementum prius apud ſanctum Iulianum martyrem factus eſt clericus: deinde beati Ma-

Fit Monach⁹ ioli confeſſoris egregij ſe magiſterio tradidit, & in Cluniacenſi Monaſterio habitum ſanctæ Religionis accepit. Vbi dum quietus & ſimplex humiliter in ſancta Religione perſiſteret, & in ipſo rudis ac nouitiæ conuerſationis exordio, quædam iam in eo perfectionis inſignia prælucerent, vix euolutis quatuor annis, beatus Maiolus obdormiuit in Domino: ſed antequam humanitatis debitũ ſolueret, proximus tamen beatæ dormitionis articulis immineret,

Maiolus enim ſibi Abbatem conſtituit. beatum Odilonem ſibimet in paſtoralis officij cura ſubſtituit, ſuúmque ſuper Dominici gregis cuſtodiam vicarium dereliquit. In quem protinus omnium fratrum vota concurrunt, omnes ſe ad obedientiam ei vnanimi deuotione ſubſternunt: quique ſe catenis orbatos remanere defleuerant, deceſſionis paternæ iacturam, Suppari Vicarij reformatione compenſant. Iam verò in commiſſi regiminis ſolicitudine conſtitutus, plurimis ſanctæ Religionis cœpit florere virtutibus: Nimirum vt pſalmodiæ ſtudiis vigilãter inſiſteret, dura

Virtutes Odilonis. corpus inedia maceraret, atque à ſacris altaribus non recedens, quotidianum ferè omnipotenti Deo ſacrificium laudis offerret. Inter quas profectò piæ deuotionis excubias, vberrimis plerúmque lachrymarum compunctionibus affluebat. Porrò autem Adraldus Abbas Bremenſis Monaſterij, vir videlicet Religioſus, ac ſanctæ conuerſationis honeſtate conſpicuus, qui diſcipulus eius extiterat, nobis aliquando retulit, quia vir Dei dũ in eo, quo poſtmodum defunctus eſt, langore decumberet, illi præcepit, vt ex calcularis Abaci ſupputatione colligeret, quæ poſſet eſſe ſumma miſſarum, quas celebrauit per ſpatium quinquaginta ſex annorum, quibus Monaſterium rexit. In quo facto liquidò deprehenditur, quam diuturna, quam indeficiens diuini amoris flam-

Abbas fuit annis 56. ma beati viri pectus excoxit, quod nimirum ab offerendis quotidie ſalutaribus hoſtiis cohibere tot curarum, tot ingruentium negociorum ſolicitudo non potuit.

Largitas eleemoſynarum. In erogandis præterea eleemoſynis ita largus erat, vt nonnulli dum eum omnia diſpergentem ſine cunctatione conſpicerent, non diſpenſatorem, ſed prodigum iudicarent: præſertim quodam tempore, dum fames valida Aquitaniæ fines vehemẽter affligeret, ac plurimas Galliarum prouincias peſtilenter arctaret, exhauſtis iam in pauperum vſus ærariis, & horreis quorumcunque prouentuum non mediocriter profligatis, mox etiam plurima ſacrarij vaſa confregit, inſignia Eccleſiæ ornamenta diſtraxit, coronæ quoque, quam ſibi Imperator Henricus ob ſui memoriã deſtinauerat, non pepercit. Vt igitur tam acerbæ famis, in quibus valuit, temperaret inopiam, quicquid hinc inde corradere potuit facultatum, in ſubſtentationes & alimenta contradidit egenorum.

Quodam ſanè die dum per publicum pius equitator incedit, duos in itinere pueros fame peremptos reperit. Mox equo deſiliens, laneam, qua inductus erat ad carnem, ſubduxit ſibi interulam: eáque prout velaminis quantitas permittebat, vtrumque cadauer obuoluens, exhibet mortuis ſepulturam. Nam

&

& veſpillones mercede conduxit, & funereis vſque ad tumulum proſequutus exequiis defunctis fratribus debitum humanæ pietatis exoluit. In eadem quoque geſtorum eius reperitur hiſtoria, quia corpus ſuum non modo duris conſueuerat attenuare ieiuniis, aſperrimis edomare ciliciis, ſed & quibuſdam ferreis nexibus coarctabat. In percipiendis autem ita ſe moderabatur eduliis, vt appoſita quæque contingens, ac naturali duntaxat neceſſitati diſpenſatiuè ſubſeruiens: & vanitatem ſuperſtitionis effugeret, & ſobrietatis cõtinentiam reſeruaret. In promulgandis portò iudiciis ac modis pœnitentiæ præfigendis, tam pius erat, & tanta mœrentibus humanitate compatiens, vt nequaquam diſtrictum patris imperium, ſed maternum potius exhiberet affectum. Vnde ſe reprehendentibus, huiuſmodi verbis ſolebat eleganter alludere; *Etiam ſi damnandus ſim* inquit, *malo tamen de miſericordia, quam ex duritia vel crudelitate damnari.* Inter cæteros autem ſanctos circa beatam Dei genitricem tam ardentiſſima deuotione flagrabat, vt conſtitutus in choro pſallentium, cum ad illum veniretur ex modulantium alternatione verſiculum; *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti virginis vterum*, in terram ſe proſterneret, ſicque per corpus oſtenderet, quibus deſiderij cœleſtis in mente facibus æſtuaret.

Seueritas erga ſeipſum.

Humanitas erga alios.

Vir igitur ſanctus cum in bonis moribus per quotidiana piæ conuerſationis incrementa ſuccreſceret, ſeſéque quotidie melior ad perfectionis culmen feruentius anhelaret: cœpit nonnullis coruſcare miraculis, vt qui clarus erat in probitate morum, clareſceret etiam in oſtenſione ſignorum: & qui in obtutibus omnipotentis Dei erat lucerna ardens, fieret etiam coram hominibus lucens, vnde diuino diſponente iudicio factum eſt, vt quia de illis erat, quibus dictum eſt; *vos eſtis lux mundi*, primum de luce miraculũ exhiberet aliquando, ſiquidem dum eſſet in quadam ſui iuris villa, quæ Berſoniarum dicitur, videt puerum venuſtum quidem forma, ſed cœcum à natiuitate, ſuper quo conſulens, didicit, quia filius eſſet villici, & quia viſum penitus nunquam habuiſſet. Qui mox pia benignitate compatiens, & apud ſe tacitis precibus latenter inſiſtens, vt putà qui talia nondum expertus, aduocat tandem paruulum, ſignum illi ſalutiferæ crucis in fronte depingit, & confeſtim viſum, quem natura negauerat, puer accepit.

Miracula eius.

Matth. 5.

Cæco puero oculos aperit.

Alio quoque tempore dum eſſet vir Dei apud ſuum quoddam Monaſterium, quod Vallis aurea vocatur, quarta videlicet feria primæ quadrageſimalis hebdomadæ, quæ caput ieiunii dicitur, ſurgentibus à menſa fratribus, ille pugillum cineris latenter impleuit, & appoſito pane diſcubuit. Cumque cinerem tanquam panem mãducaret, vt potum quoque iuxta prophetam, cum fletu temperaret, innuit fratri, vt clàm ſibi aquam nullo teſte deferret, ille quod erat iuſſus impleuit: aquam attulit, quæ dum labiis adhibetur, auſteritatem vini redolere ſentitur. Reprimit ergo manum, abigit poculum atque vt ſibi aquam miniſter afferat, ſignis euidentibus imperat. Ad quod miniſter obſtupuit: & vinum ſe à menſa referre, qui aquam propinauerat, admiratus expauit, geminat tamen officium, vinum proiicit, conuaſat aquam, denuo porrigit diſcumbenti. Sed ecce dum aqua potanda repetitur vinum rurſus in poculo reperitur. Iam itaque vir ſanctus diuinæ erga ſe pietatis beneficium recognoſcens, quod Deum ſibi miſericorditer indulgere conſiderat, cum gratiarum actione percipere non recuſat. Præterea, cum vir Dei cum Henrico Rege, qui poſtmodum factus eſt imperator, in Tirinenſi ſimul vrbe conſiſteret & Dominicæ natiuitatis gloriam celebraret, contingit vt velamen menſæ

Aqua bis mutatur in vinum. Pſalm. 101.

Fur rem ablatam S. Odiloni distrahere non potest.

eius,artificiosa textrini laboris operatione conspicuum,sacrilega fuisset fraude sublatum. Postquam autem vir Dei cum Rege discessit, fur qui rapuerat, iam securus, proposuit velamen in foro venalium, sed dum illi dispositio cœlestis obstitit, sancta distrahi præda non potuit. Ter igitur quod subduxerat,inter nundinarum merces exposuit, tertio subtiliter attentauit: sed cum emptoribus & precio penitus conuenire non potuit, nec inter distrahentem & coëmentem pacisci valuit venale commercium:quia diuina dispositio conatibus hominum negauit effectum.Interea sceleris huius autorẽ vltio diuina corripuit, & manus,quæ sacrilegiũ perpetrauerãt,ac pedes quibus raptor aufugerat, arefaciens, intolerabili dolore constrinxit. Mox itaque compulsus dolore, ad Ecclesiam beati Maioli manibus alienis aduehitur, mantile sublatum ad reatus indicium coram cunctis appenditur, & diuina clementia ab omni populo, qui percitus huius famæ rumore confluxerat, imploratur, sic itaque beati Maioli meritis ac præcibus factum sibi seruientium, sanus & incolumis factus, velamen reddidit alienum, & recepit semetipsum, probauit ergo quo præmio dignus esset,qui beatum offenderet Odilonem.

Idem alteri accidit.

Alius quoque fur, cum vir Dei in eadem vrbe consisteret, stabulum eius nocturnus irripit, & equum cui specialiter ipse incidere consueuerat, cautè subduxit:sed quia illis in partibus deprehendi fur sacrilegus timuit, concitus ad oppidum Paudense profugit, securus itaque recognoscentium, proponit equum, emptores inuitat, vehiculum laudat commercium flagitat: sed sic hominem diuina dispositio præpediuit, vt nec cum quolibet emptore componere, nec animal potuisset pecunia permutare. Postremo autem reuersus ad se,& pœnitentia ductus,bestiam ad locum sui criminis conscium reuocat, & quid sibi contigerit,ad sui confusionem,& omnipotentis Dei gloriam,non occultat.

Transit flumen illæsus cum suis.

Vir idem venerabilis dum esset in itinere constitutus,quia causa dictabat, Tirinum festinanter ac sine mora transire cupiebat: sed intumescentibus aquis, etiam nauigium deerat. Protinus ergo confisus in Deum, vnum è famulis vocat, séque in nomine Christi præcedere per alueum fluminis imperat,obedit ilico famulus: spumantes profluentium vndarum cumulos ingredi nõ moratur.Deinde vir sanctus cum omni commeantium turba subsequitur:& sic omnes in vlteriorem aluei crepidinem absque vllo prorsus incommoditatis offendiculo transponuntur,quod dum nonnulli qui aderant,mirarentur,velut æmuli præcedentium, cœperunt attentare meatum. Sed mox vt adorsi sunt extremos citerioris ripæ fluctus attingere,nisi equos sub celeritate pressissent, profluentis aquæ submersi voragine, proculdubio naufragium pertulissent, vnus autem ex his, qui tunc aderant, vt tam insigne miraculum vidit, obstupuit, hominémque Dei, vt suæ domus subire dignaretur hospitium, fusis humiliter præcibus impetrauit. Intempestæ vero noctis silentio vis venti vehementior irruit,& lucernam,quæ in dormientium cubiculo dependebat,extinxit.Expergefactus autem cubicularius,cum lumen agnouisset extinctum,ad abigendam noctis tenebrosæ caliginem, diuini luminis infulgere postulat claritatem:*Deus,inquit, omnipotẽs,qui lumẽ es verum,pro amore serui tui Odilonis,ab hac domo tenebras dimoue eamque gratia tuæ luce perfundẽ.* Confestim de cœlo coruscæ lucis splendor emicuit, & totam domum superui sideris claritas illustrauit, si ergo hoc agebat Odilo tunc sopore depressus,quis putas nunc apud Deum potest,carnalis sarcinæ corruptione solutus.

Domus cœlitus illuminatur.

Paulò antè natiuitatem Domini, per hyemalium inclementiam imbrium

sanctus

ſanctus ſenex ad beati Marcelli martyris Monaſterium feſtinabat: venerunt autem ad quoddam flumen,quod ita fluctibus exundantibus inhorruerat, vt prorſus intranſmeabile videretur. Confiſus autem in Domino, dirigit præuium,qui vada prætentet:& ipſe mox cum comitibus ſubſequens, pertranſiuit illæſus.Sed in hoc vadantiũ tranſitu illud mirabiles fuit, quia cum cæteris aqua pertingeret vſque ad femora, viro Dei nec corrigia quidẽ pedis aquarũ eſt inũdatione perfuſa in illo ſcilicet ſolo madoris ſui perdidit vnda vires:in reliquis autẽ naturalem ingenitæ viris exhibuit facultatem. Iſtum aqua tãgere potuit,humidare non nouit, illos autem quod natura dictauerat, vndique madefecit:præterea,dum vir Domini apud Monaſterium beati Martini,quod ad publicam ſtratam dicitur, receptus eſſet hoſpitio, ſicut moris erat vt vbicunque maneret, quocunque ſe verteret, Monachorum ilico frequentia non deeſſet:non paruus ei cœtus fratrum affluxit, quos ille cùm alacritate ſuſcipiens, & prius eis ineffabilis eloquij familiaritate communicat, & poſtmodum,vt ſibi pro charitate conueſcantur,inuitat. Sed dum in longum ſermo protrahitur,ſemotim quoſdam ex familia ſeruos accipit:vtrum ſit vnde refici fratres valeant inuitati,ſolerter inquit,qui de cæteris quidem alimentis conſtare vtique perhibent quantitatẽ:de piſcibus autem penè nihil eſſe,quod ad tantam hominum perueniat multitudinem ad quos ille:in nomine,inquit,illius qui nouit quinque millia hominum ex panè modico & gemino piſce reficere,non quaſi nihil,vt dicitis, ſed vberrimam nobis & hoſpitibus noſtris piſcium capiam miniſtrate.Cum igitur menſæ diſcumbẽtium pauci,qui aderant, piſces à dapiferis inferuntur, cœpit eſca in manibus diſcumbentium creſcere: & quo magis à conueſcentium turba conſumitur, exuberantius abundare:adeò vt ſatiatis omnibus, plurima ſupereſſent, quæ non modo ſeruitoribus cunctis,ſed & aliis,ſi ſuperuenirent,oblata ſufficerent. Cui protinùs famuli, ecce pater,inquiunt, quod puſillanimitas noſtra non credidit, veſtræ fidei meritum diuinitus impetrauit iam non dubitare didicimus, ſi promiſſionem veſtram in articulo cuiuſlibet difficultatis audimus, at ille, vt ſemper erat mitis & humilis,non ſuæ fidei,quod diuinitus factum erat,aſcripſit, ſed illorum potius obedientiæ, & ſanctorum hoſpitum meritis imputauit.

Aliud flumen tranſit.

Viris videtur vſurpaſſe pro genitiuo à vis viris.

Math. 14.

Piſces multiplicantur.

Huic etiam illud non diſſimile eſt, quia cum Dei famulus in Romana vrbe conſiſteret & hoſpitium in monte Auentino apud monaſterium beatæ Dei genitricis haberet contingit vt, ſicut illius vrbis eſt familiare, omninò tale vinum deeſſet,quod ſancto viro ſaporis habilitate cõgrueret,inquirit ergo Abbatem loci,vtrum melius habeat, qui ſe confeſtim & profitetur habere & quantum ipſe præceperit,libenter afferre.Vir autem domini modicum, quod ante ſe erat vaſculum,dedit,vt ſibi plenũ deferretur, expetiit allatum. Ergo ante ſe poſuit, & ipſe potiſſimum more pincernæ ſibi duntaxat & Abbati,qui iuxta ſe diſcumbebat, expendit. Cúmque iam à menſa ſurgendum refectio completa dictaret,& paululum adhuc vini in vaſculo ſupereſſet, pater ſanctus blande ſubridens: non inquit, fratres mei, plenæ circa vos officium charitatis exhibui,qui vinum,quod mihi ſapuit, vobiſcum participare neglexi: arripiens ergo cyathum, infudit merum, & ſingulis ſingulum pro benedictione largitur.Res mira:cùm fratres eſſent ferè duodecim, & eis bibentibus potus copia non defecit, & eorum completo numero, nil omnino ſuperfuit.Illis itaque quod factum fuerat admirantibus,vir veræ humilitatis cuſtos,vt in alium diuinæ gratiæ munus impelleret, & ipſe fauoris humani

Vinum exiguum multis ſufficit.

gloriam declinaret,charitati duntaxat illius qui vinum dedit, miraculum ſupernæ benedictionis applicuit, dehinc dum egreſſus Roma, reuerteretur ad propria, quidam intra Taurinenſem vrbem nimium febris patiebatur ardorem:hic furtiuè per miniſtros aquam qua vir domini manus abluebat, accepit, fideliter bibit: & ſic abſque mora, depoſita prorſus omni febricitatione conualuit.

Febrem pellit aqua, qua ſe vir ſanctus abluit.

Iamque Iouini montis prærupta conſcendens, obuios habuit pauperes, præ difficilis viæ laſſitudine potum æſtuante deſiderio flagitantes. Pius itaque pater ſui negligens,aliis in neceſſitate compatiens, iuſſit vt quicquid vini propriis haberetur in vaſculis, abſque vlla reſeruationis induſtria vel potus diffidentia præberetur egenis,paulò poſt neceſſitate naturæ cogente, diſcumbunt omnes, vt capiant cibum, & ecce vtres, qui ſtudio fuerant piæ compaſſionis exhauſti, vino reperiuntur, deo ſcilicet debitum perſoluente, repleti.Nam iuxta ſcripturam: *qui dat pauperi, domino fœneratur:* in hoc ergo fœlici commercio, vbi dominus debitor, famulus fuerat fœnerator quod à ſeruo fideliter eſt depoſitum,à bono debitore non ſegniter eſt ſolutum.

Vtres vacui inueniuntur pleni. Prouerb. 10.

Aliquando Imperator Henricus dum appoſita menſa diſcumberet,vas illi Solonitreum valde pretioſum & Alexandrini operis arte compoſitum, cum tritis eſt pigmentis allatum.Mox aduocat duos aulæ regiæ capellanos, Albericum videlicet & Landulphum quorum alter Cumanæ, alter Taurinenſis Eccleſiæ poſtmodum Epiſcopi facti ſunt.His itaque vaſculum tradidit,& per eos beato viro Odiloni odoriferi nectaris xenium deſtinauit: quod profecto vaſculum capellani ſancto viro,prout decebat,humiliter offerunt, ac pro eo poſtmodum redituri, ad regis interim conuiuium reuertuntur; paulo verò poſt,ſicut humanæ curioſitatis mos eſt,vt noua quælibet & inſueta inhiãter aſpiciat:cœperunt Monachi præfatum vas ſub admirationis intuitu contrectare,& de manu in manum ſolerter inſpiciendo tranſponere: cum ecce de manibus incautè ſe tenentium labitur & vt fragilis eſt naturæ continuo frangitur, quod mox vt vir ſanctus accidiſſe cognouit grauiter tulit, & præſertim clericis qui reliquerant, paterna pietate condoluit: ne videlicet Auguſtum innocentes offenderent, & non modo iacturam gratiæ, ſed & regij motus periculum ſuſtinerent. Mox ergo cum fratribus eccleſiam pius pater ingreditur,& ne hi qui erant immunes à culpa motum regiæ indignationis incurrant,orationibus & pſalmis incumbens, clementiam diuinitatis implorat.Iam igitur oratione completa vir Dei fractum ſibi vas iubet offerri, manibus contrectat, oculis vndique ſubtiliter inſpicit: & ecce nulla prorſus in eo fracturæ veſtigia deprehendit:tunc indignatus in fratres eos cum auſteritate redarguit, cur vas conquererẽtur confractum, quod omnino permanſerat illibatum, illi verò vehementer attoniti, tam euidentis oſtenſione miraculi, & auſteritatem corripientis libenter accipiunt & ad referendas omnipotenti Deo gratias feruentiùs accenduntur.

Vas magni pretij confractum ſuis precibus redintegrat.

Præterea religioſus quidam vir,oriundus de pago Rotinenſi reuertebatur ab Hieroſolymis,qui dum mare tranſiret, quod à Silicia verſus Theſſalonicam per plurima fluctuum periculoſa loca protenditur, eúmque cum multis aliis furentium ventorum horror impelleret:applicuerunt ad inſulam quandam ſiue rupem,vbi ſanctus quidam ſeruus Dei manebat incluſus. Rotenenſis itaque vir illic aliquandiu commorans & tranquillitatem ſecundi maris expectans, delectabatur cum ſeruo Dei frequenter habere colloquium. Sed dum hinc nonnulla dicuntur,illinc plurima referuntur, perquiſitus hoſpes à

viro,

viro,vnde genus duceret originaliter, Aquitanum ſe eſſe reſpondit.Requiſitus inſuper,vtrum cœnobium illud,quod dicitur Cluniacum, & Odilonem eiuſdem loci noſſet Abbatem optimè,quod quærebat,ſe noſſe perhibuit.Sciſcitatur homo, cur hoc Dei ſeruus ab eo requirat, ad quem ille, ſunt, inquit, vicina nobis loca,ex quibus grauiſſima flammarum furentium euomuntur incendia:in quibus etiam locis animæ reproborum diuerſa luunt pro meritorum qualitate tormenta,ad quorum ſemper exageranda ſupplicia innumerabiles ſunt dæmones deputati,qui intolerabiles eorum pœnas quotidie renouant & eos ad rediuiua ſupplicia indeſinenter inſtaurant,quos tamen ego frequenter audiui querulis lamentationibus eiulantes,& lachrymabili vociferatione deflentes,quod orationibus, & eleemoſinis quorundam aduerſus eos infœderabiliter concertantium, frequenter ex eorum manibus eriperentur animæ damnatorum. Inter cætera de Cluniacenſium cœtu permaximam & eorum Abbate querimoniam faciunt, quia quam ſæpe per eos ſui iuris vernaculos perdunt. Quamobrem perterribile nomen Dei obteſtor, vt ſanctis fratribus illic hæc quæ tibi dixi,fideliter referas,& ex noſtra quoque illis parte denoncies, vt eleemoſynis & orationibus magis ac magis inſiſtant: ac præſertim huius intuitu, vt de manibus dæmonum eos, qui ab illis cruciantur, educant quatenus de quotidianis eorum rapinis & luctus inferatur generis humani inimico,& gaudium multipliciter in cœlo,aliquanto poſt homo regreſſus in patriam, quicquid ex viri Dei relatione didicerat,beato patri, & ſanctæ congregationi fideliter narrat,tunc venerabilis pater Odilo per omnia Monaſteria ſua conſtituit generale decretum, vt ſicut primo die menſis Nouembris,iuxta vniuerſalis Eccleſiæ regulam, omnium ſanctorum ſolemnitas agitur:ita ſequenti die in Pſalmis & eleemoſynis,& præcipuè miſſarum ſolemnis omnium in Chriſto quieſcentium memoria celebretur.

Loca pœnarum in Sicilia.

Dies omnium animarum.

Si quis autem non generalitate contentus, quis ſpecialiter per beatum Odilonem de pœnis vltricibus ſit ereptus,inquirit,quid de reliquis ſentiat,in Papa Benedicto euidenter addiſcat: vt in Romanorum Pontifice, qui omnium Chriſtianorum caput eſt,valeat liquidò coniici, quid de cæteris meritò debeat æſtimari. Apoſtolicus igitur iſte, quem diximus, dum adhuc viueret,beatum virum affectuosè dilexit, reuerenter excoluit, & Apoſtolorum limina frequentanti,neceſſarij ſumptus opima ſæpe ſubſidia miniſtrauit.Huic planè mox,vt obiit,germanus eius Ioannes in Apoſtolica dignitate ſucceſſit. Iam verò poſtquam humanis rebus exemptus eſt,non parui temporis euoluto curriculo, iam dictus Papa Ioanni Portuenſi Epiſcopo & aliis duobus, quorum nomina nobis nota non ſunt, per ſpeciem nocturnæ viſionis apparuit, eíſque quia pœnalibus eſſet conſtitutus in tenebris,indicauit Hoc inſuper addens qualiter beati Odilonis venerabilibus meritis eum ſuperna cenſura liberare decreuerit à tormẽtis. Obſecrat itaque per eos & humiliter flagitat,vt frater eius ad præfatum vnicæ pietatis virum,agilem quantocyus veredarium dirigat, eúmque ſuppliciter obſecrans pro ſe orare depoſcat. Protinus idem Ioannes Portuenſis Epiſcopus, authoritatis Apoſtolicæ fultus epiſtolis, concito gradu Papiam vſque peruenit, vbi longo & immoderatè fortaſſis accelerato fractus itinere,per monachos cœnobij beati Maioli, Apoſtolicæ legationis apochas dirigit,omnémque per eos ſancto viro ſeriem à ſe conſpectæ viſionis exponit:enimuerò diuino factum eſſe conſtat iudicio, vt eum apud Cluniacenſe Monaſterium Apoſtolicæ legationis baiulus inueniret: præcepit itaque venerabilis pater pro illo pſalmodias & orationes ab

Loquitur de Benedicto VIII. Pontifice 151. apud Platinam.

omnibus priuatim ac publicè fieri,eleemoſinas indigentibus erogari,ſacrificium Deo myſterij ſalutaris offerri,nec in illo duntaxat loco id ſtatuere contentus fuit,ſed & per omnia ſui regiminis Monaſteria eiuſdem ſanctionis edicta mandauit.Cúmque hoc fratres intenſiſſima deuotione ſatagerent, & ex ara ſanctorum pectorum fraternæ charitatis flamma proſiliens, diuinæ clementiæ ſacrariũ penetraret,iam præfixi temporis terminus propinquabat: & ecce quidam Sanctæ conuerſationis Monachus, Heldebertus nomine,qui videlicet hoc obedientiæ fungebatur officio, vt inopes aleret, indigentibus ſubſidia miniſtraret, hæc itaque per ſaporem vidit,quod quidam pulcher ac ſerenus aſpectu,ac ſolemni quodam nitore conſpicuus, clauſtrum Monaſterij magno candidatorum agmine conſtipatus ingrederetur, in capitulum deinde, vbi Pater Odilo cum fratribus reſidebat intrauit,ad eius genua caput humiliter flexit, eiq́ue, ſicut in geſtu corporis videbatur gratias egit. Cúmque frater ille,qui hoc in viſione contemplabatur, inquireret quiſnam eſſet ille tam decorus,ac fulgidus,qui ſancto viro ſalutationis officium exhiberet: reſponſum eſt ei,quia ille eſſet Benedictus ſummæ ſedis Epiſcopus, qui nimirum idcirco viro Dei gratias ageret,quia piis eius ſanctorúmque fratrum precibus, & tartarei cruciatus euaſiſſet interitum, & cum beatis ciuibus quieturus,ſupernæ Hieruſalem meruiſſet ingreſſum in hoc valet liquidò deprehendi, quæ de meritis beati Odilonis opinio iure poſſit haberi : cum is nimirum, qui iuxta priuilegium Apoſtolicæ dignitatis claues eccleſiæ præ cunctis mortalibus tenuit, qui ligandi atque ſoluendi vires præminenti quodam iure poſſedit,in illo iam inuiſibili examine conſtitutus, non aliter quam precibus iſtius vel à peccatis ſolui, vel de pœnali potuit ſupplicio liberari.

Authoritas præcipua ſummi Pontificis.

Porrò autem dum aliquando in Monaſterio moraretur, quod Paterniacum dicitur,erat ibi quidam puerulus Monachus nomine Rodulphus,quem ſtruma quædam gutturis intumeſcens deturpauerat vſque adeò, vt & claritatem vocis auferret & inſuper quodammodo minaretur quod ſibi etiam aliquando auditum interciperet, quem ad ſe vir Dei verè miſericors aduocat,palpãte manu locum tumoris attrectat: deinde ſignum crucis plagæ gutturis imprimit, & diuina quædam verba dicens, mox abire permittit, deinde mirum in modum ſicut in aliis morbus ille poſtquam ſemel oboritur,in dies ſolet excreſcere totúmque guttur miſerabiliter occupare : ſic in iſto verſa vice cœpit ex tunc ſenſim quotidie detumeſcere, donec peſtis illa funditus euaneſceret, & guttur pueri ad naturalem ſe ſpeciem per omnia reformaret.

Alio quoque tempore de Monaſterio, quod eſt in Iurenſi territorio conſtitutum vir ſanctus exierat, & ad Gebenenſem vrbẽ cœpto itenire contendebat:Cùm autem ad quemdam concauæ profunditatis fluuium deueniſſet, accidit vt mulus, qui hominis Dei ſuppellectilem, libros ſcilicet ac lectulum deferebat à publico vado procul aberrans in profundiorẽ aluei voraginem caderet:ſicque raptatus à gurgite, nullo membrorum, niſi ſolo capite, fluctibus emineret,qui tandem è naufragio protractus educitur : ad perſcrutandum,vtrum res & maximè libri perierint,deſaginatur.Miro itaque ſuperna diſpenſationis ordine, libri ſimul cum lectulo ita à fluctibus reperiuntur intacti,vt ne tenui quidem aquæ ſtilla videantur aſperſi:mantiliaverò ſimul & manutergia prorſus vndique reperta ſunt madida vbi notandum, quam peruigil fuerit erga ſeruum ſuum diuina protectio,vt ea videlicet,quæ

Libri & lectulus ab aquis nihil laduntur.

ablui

ablui frequentius indigent,madere permitteret:quæ verò madefieri,ſine dãno non poſſunt,à contactu fluctuum immunia cuſtodiret.

In eodem quoque Iurenſi Monaſterio vir Domini Odilo aliquando conſtitutus reperit puerum nomine Gerardum, terribili caducæ paſſionis langore detentum,qui ſæpiſſimè quaſi lunaticus corruebat, & ſic eum occidui langoris impetus obruere conſueuerat,vt in eo neque vox, neque memoria, nec prorſus aliqua membrorum officia remanerent, ac ferè à mortuo nihil diſtaret. Huic homo Dei miſericorditer condeſcendens, fratribus vt pro eo Dei clementiam deprecentur, iniungit : ipſe verò ad ſacroſanctum altare miſſam celebraturus accedit:æger etiã vt intereſſet,admonuit. Cui mox Euchariſtia ſalutaris munus tradidit, deinde, ſicut ſibi moris erat ſanctificatam aquam cum beati Maioli Calice propinauit,nec mora, protinùs à puero langor omnis abſceſſit,ſalus optata ſuccedit:& ſic per merita beati viri reſtituti ſibi vigoris incolumitas permanſit. *Sanat morbum caducũ.*

Aliquando vir Domini per prærupta Iurenſium Alpium iter habebat & repentè Sagmarius,nõnullis oneratus ſarcinis, per montis deuexa collabitur atque per aſpera rupium ſcopulorumque præcipitia vſque ad vallis infimæ profunda raptatur : miniſtri protinus in illud lubricæ ruinæ præcipitium deſcendentes, nonnulla quidem de ſarcinulis, quæ paſſim diſperſa fuerant, illæſa reperiunt,librum tamen ſacramentorum,aureis litteris exaratum,cum vitreis quibuſdam vaſculis anaglypſa fuſilitate cælatis, deeſſe perpendunt, quibus interim recedentes omiſſis hoſpitium ſubeunt, corpora feſſa reficiunt, & nocturno ſoporati ſilentio quieuerunt: manè autem facto,maturè ſurgentes,ad locum illum celeriter redeunt:& curioſius quæque diuerticula perluſtrantes omnia periiſſe ſuſpicabantur, inueniunt : vaſa nimirum vitrea reperiuntur illeſa.Deauratus etiam liber,cum tẽpus ſcilicet imbriferũ inhorreſceret, à nulla prorſus eſt pluuiarum inundatione contactus:ſic itaque beati viri meritis, & vitrum frangere præceps ruina non potuit, & perfundere codicem inundantium imbrium denſitas ignorauit.

Nobilis quidam vir dum iaceret ſub arbore,particula corticis in eius oculum cecidit:Cui non modo lumen omninò turbauit, ſed & aliarum calamitatum multiplex pondus inuexit.Nam cum id, quod oculo ſemel inciderat, nullo modo potuiſſet expelli,fugit ſomnus ab oculis: & non modo iam homo non dormire, ſed nec ciborum quidem valebat alimenta capere, quem ſeorſum vir ſanctus adducens, ſignum ſibi crucis impreſſit,ac mox inſuflans ſuper locum doloris halauit : deinde promittens ſe ſalutares pro eo victimas oblaturum, abiit.Abſcendente itaque viro Dei, protinùs homo ſuauiter obdormiuit. Euigilans autem, particulam corticis ab oculo non ſine lanugine quadam proiecit: & è veſtigio factus incolumis : nullam de cætero doloris huius moleſtiam ſenſit. Cuidam Turonenſis Eccleſiæ clerico lethale vulnus in brachio peſtilenter excreuerat, vt ſibi iã non langoris ægritudinẽ,ſed ipſam potius interminaretur & mortem. Cúmque vir Dei Lucenſi teneretur hoſpitio,accedit clericus, & periculum tam peſtiferæ calamitatis oſtendit, quod ille quaſi videre diſſimulant, latenter brachium apprehendit viuificæ crucis ſignaculum imprimit, eumque dimittens, vt ſibi cautè prouideat, præcipit qui paulo poſt dum locum vlceris curioſiùs attendere ſtuduit, nulla prorſus veſtigia deleta langoris inuenit. Stupefactus igitur nouitate miraculi ad hominem Dei præſtò regreditur : quis ſibi contigerit, non tam relatione verbi, quam oſtenſione ſui brachij : euidentiſſimè confitetur; *Curat oculum hominis grauiter læſum.*

quod ille ſatis moleſtè tulit, eumque à ſuo conſpectu cum indignatione ex-
Nota S. viri humilitatem. turbauit: enim tanquam venena ſerpentium, ſic rumores hominum fugiebat, aſſerebat enim qui quantulibet ſublimè ſancti operis ædificium, per vanæ gloriæ ſubito corripuit appetitum.

Præterea miles quidam tam mentis inops erat effectus, vt poſtpoſita penitus omni cura priuata vel publica, per deuia ſoliuagus & nudus erraret, inconditas voces emitteret, & tanquam Dæmoniacum ſe per inordinati geſtus inſaniam exhiberet. Cui vir Domini, paterna pietate compatiens, ſimul cum fratribus ante Altare ſancti Petri proſternitur, diuinam clementiam cum pſalmis & litaniis implorat, vt perire creaturam ſuam, ſub huius furoris inſania non permittat. Hinc ab oratione conſurgens, ad eum qui pateibatur,
Curatur amens. accedit: aqua ſanctificationis aſpergit, atque vt ea bibat ſuadendo compellit. Qui non multo poſt Ad Cluniacum ſanus & incolumis venit, xenia piſcium detulit, & quia ſibi pleniſſimè redditus eſſet, gratias referens iudicauit.

Alius quoque miles efficaciam edendi ſermonis amiſerit: hic per viſionem admonitus eſt, vt ſi aquam, qua manus beati Odilonis abluebantur hauriret: hac ſibi loquendi vires & amiſſæ linguæ officium procul dubio reformaret, aqua igitur per miniſtros fideli furto ſubripitur: altera etiam aqua
Mutus ſanatur. à viro Dei benedicta, de calice ſancti Maioli, muto tranſmittitur, quas ille cum nimia deuotione ſuſcipiens, mutatis veſtibus ingreſſus Eccleſiam, quia lingua non poterat, ore cordis orauit: & ſic poculo benedictionis accepto, reparatum ſibi locutionis officium recognouit, mox etiam expeditè loquens mirum de ſe ſpectaculum cernentibus dedit, & quid beatus Odilo apud Deum poſſet, euidenter innotuit.

Præterea cum vir venerabilis apud quandam Eccleſiam Monaſterij quod dicitur vallis aurea, cibum caperet, ſed locum magna vini laborare penuria didiciſſet, ne grauaret fratrem, qui eum cum alacritate ſuſceperat, hoc in commune præfixit, vt quiſque diſcumbentium vno tantum cypho contentus eſſet. Solis autem Monachis pincerna poculum geminaret, menſura tamen exceditur, & largus ad bibendum potus cunctis epulantibus exhibetur: enimuerò cum vas illud vinarium & vnum duntaxat eſſet, & medicum, non modò tot indiſcretè bibentibus non defecit, ſed & illis recedentibus, abſque vlla diminutione repertum eſt plenum, vt per hoc euidentibus clareſcat indiciis, quia vir Domini non tantum id apud Deum potuit impetrare, quod petiit: ſed & nonnulla per eum virtutum ſigna diuinitus oſtenſa ſunt, quæ neſciuit, & de ſignis quidem atque virtutibus, quas vir ſanctus adhuc in corpore conſtitutus oſtendit, iſta ſufficiunt: nunc ad explicandum fœlicem eius obitum, auxiliante domino, propinquemus.

Enimuerò quamquam homo Dei ſublimiter ſe in ſpiritalibus ſtudiis & diuina contemplatione ſuſpenderit, in corpore tamen vtilitatis induſtria
Diuerſa ab ipſo cõſtituuntur monaſteria. non mediocriter laborauit; Monaſteria ſcilicet nonnulla à fundamentis erexit: alia vel iam ſemirupta, vel ruinam fortè minantia reparauit, dilatauit illis prædia, nonnullis etiam inſignia contulit ornamenta. Quæ verò Monaſteria noua condiderit, quibus parietina tantum & ſarta tecta collatis ſumptibus inſtauraverit, enumerare per ordinem idcircò poſtponimus ne prolixitate ſtyli lacinias contexere videamur: præſertim cum in ipſis viuis operibus geſtorum fidem multo clarius experiantur oculi, quam vllo ſermone valeant narrari diſpenſationis quoque geminæ moderator inſignis, & in ſpiritali ſtudio coram diuinis obtutibus fulſit, & in terreni laboris induſtria non mediocriter floruit.

Porrò

Porrò cùm vir domini iam in extremis angeret,per quinqueniũ ferè compulſus eſt grauiſſimi Langoris moleſtia cruciari.Mox itaque beatorum Apoſtolorum limina feſtinat inuiſere,vt quaſi ſub eorum pedibus,ſi ſibi daretur, quod ſemper in votis habuerat, poſſet ex hoc mundo tranſire: veruntamen quia non eſt in homine via eius, aliter ſibi contigit quàm ſperauit per quatuor planè menſes illic ægritudine, detentus elanguet:deinceps contra ſpem aliquantulum conualeſcens, ad propria remeauit. Cluniacum itaque deueniens, per annum ferè totus in oratione permanſit,ſeſéque, quantum ægritudo permiſit ieiuniis ac vigiliis vehementer afflixit, decreuit autem vt antequam debitum conditionis humanæ perſolueret, quæque Monaſteria ſua circuiens, ſanctæ admonitionis ſtudio viſitaret expeditione igitur ſanctæ huius ædificationis incepta,Syluiniacum deuenit ibique ſe circa feſtinitatem dominicæ circumciſionis ex ſæculo hoc migraturum manifeſtè dixit: Porrò autem cum iam in agonis eſſet auguſtia conſtitutus diabolum adſtare conſpexit,euíq́ue per nomen tremẽdi iudicis,vt abſcederet,terribiliter increpauit. Anno itaque dominicæ incarnationis 1048.ætatis autem ſuæ 87.ordinationis etiam 56 ea nocte quæ dominicæ circunciſionis ſolemnia præcedebat ſalutaris, Euchariſtiæ ſacramenta percepit: ſicque beatum deo ſpiritum reddidit paulo autem poſt,eadem ſcilicet nocte, cùm beati viri corpus in eccleſiam iam fuiſſet delatum,frater quidam Gregorius nomine Iuueneta*natione,naturæ ſimplicis & innocentis vitæ, exequiarum funebrium laſſitudine prægrauatus,in eadem cella in qua ſanctus obierat, proprium ſtratum petit, in quo ſe proiiciens, dormire tentauit: ſed nec dum planè reſolutus in ſomnum, beatum Odilonem ſibi videt adſtantem ad quem mox voce promptiſſima: *quid, inquit, agis Domine Pater?* & ille: *benè, frater & optimè, Dominus enim meus Ieſus ſeruo ſuo per ſemetipſum dignatus eſt adeſſe & ſui præſentiam miſericorditer exhibere.Sed in ipſa meæ deceſſionis hora,in illo ſcilicet angulo(oſtendebat enim quaſi digito locum)vidi figuram quandam trucem minis atque terribilem, quæ mihi teterrimæ ſuæ viſionis horrorem atque formidinem tentauit incutere,ſed Chriſti confortante virtute,nulla me potuit infeſtatione nocere.*

Limina Apoſtolorum inuiſit.

Prædixit obitum ſuum.

Moritur ſanctus Odilo. 1048.

* *For. Venene*

Apparet cuidã poſt mortem.

Proxima quoque quadrageſima ſuccedente,ſanctæ ac venerandæ memoriæ Laurentius Amalfitanæ ſedis Archiepiſcopus,qui potens in literis ac bigloſſus,græcè nouerat,& latinè,& quod longè præſtãtius eſt, laudabilis vitę claritate pollebat.Hic itaque tunc Romę cõſtitutus,obdormiuit inDomino. Cúmque cadauer eius fuiſſet in Eccleſiã illatum, honeſtus quidam clericus, Albero nomine,in eiuſdem Eccleſiæ angulo laſſabunda dedit membra ſopori:Cúmque ſubitò adhuc petit vigilanti vir beatus apparuit, ei mox clericus intulit, *Domine mi,quando huc & cur adueniſtiſad chariſſimi (inquit)olim amici mei,domini Laurentij Pontificis,exequias veni: quibus expletis,anteqnam te viderem recedere nolui:* & his dictis,ſpecies loquentis euanuit. Vir itaque domini, quia rectè vixit,fœliciter obiit:& quia vitam mirabilem duxit,iure miraculis coruſcauit. Vita quippe beati huius viri velut aurea tabula eſt: cui quaſi margaritas quaſdam ac gemmas infigimus, dum geſtis eius interlucentia virtutum miracula permiſcemus, apud cuius venerabilem tumulum nihilominùs adhuc rutilant noua ſigna virtutum: quæ nimirum nos his inferre ſuperfluum ducimus, cum per alios iam apicibus exarata cernamus.Legentium igitur tædio conſulentes,his cõtenti ſumus,quæ ſuccincta breuitate perſtrinximus ad honorem & gloriam redemptoris noſtri Ieſu Chriſti, qui cum deo Patre & Spiritu ſancto viuit & gloriatur in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

De Illuſtriſſimo viro Bernario Monacho Lerinenſi.
Annotatio Vin.Saler.

Anno Chriſti 822. *2.Ianuarij.* QVarto nonas Ianuarij in vita S.Adelhardi Abbatis, Corbeiæ in Gallia, quæ habetur à Surio Tim.primo.fol.82.ante medium,ex ea quam Paſchaſius Ratbertus, Sextus ei in Gallica Corbeia ſucceſſor ſcriptam reliquit. Fit mentio de quoddam illuſtriori Monacho Lerinenſi, nomine Bernarius, ſub his verbis. *Inde igitur eſt mi Pater omnipotẽs, quod Bernarius noſter Lerinum remittitur, Vuala verò tuus in Corbeia(vt dixi) Tiro recipitur.* Hæc ibi: Iſte ſanctus Adelhardus Abbas Corbeiæ in Gallia habuit duos fratres etiam monachos,nempè Vualam Monachum Corbeiæ, & Bernarium Lerinenſem, duas ibidem ſorores etiam Sanctimoniales,nempè Gundradam,& Cheodradam, fuerúntque hæc quinque ſpecula mundiſſima,progenita ab inclito Bernardo fratre magni Regis Pepini ex vna vxore,floruerúntque circa annum Domini
822. octingenteſimum ſecundum. Meminit etiam ſancti Adelhardi Abbatis Aimoinius de geſtis Francorum lib.4.cap.119.Dum agit de Ludouico Imperatore, dicens. *Adelhardum quoque de Aquitania vbi exulabat euocatum Corbeiæ Monaſterij,vt prius fuerat,Abbatẽ ac Rectorem eſſe iuſſit(Ludouicus ſcilicet.)Cum quo & Bernardum fratrem eius reconciliatum, eidẽ Monaſterio reddidit.*Hæc ille.

De adoleſcente Eligio Monacho Lerinen.
Annotatio Vincen.Salernæ.

Anno Chriſti 542. *15. Ianuarij.* DEcimo octauo Kal. februarij in vita S. Mauri Abbatis quæ habetur à Sur.Tomo 1.fol.348.paulò ante medium,exponitur quoddam miraculum in perſonam cuiuſdam nobilis adoleſcentuli à Beato Mauro patratũ, in hac verborum forma videlicet.Vocabatur autem (quem penè extinctum ſanauerat Beatus Maurus) adoleſcens Eligius, qui poſtea (vt nobis relatum fuit)in Monaſterio Lerinenſi Monachus eſt effectus. Hæc ibi: Patrata ſunt autem hæc in territorio Lugdunenſi in locis Iurenſibus,ſeu locis virentibus pro vt legũt Beda, Vſuardus & Ado,alij locis Lorẽſibus,vſitatior tamẽ ea reperitur Iurenſibus, vt ſupra primo huius de Abbate Marino Lerinenſi in vita ſancti Hugendi, & Baronius pridie Kal:Martij. Cæterum nulli venit ambigendum magni meriti fuiſſe iſte noſter Eligius,qui ſanctiſſimi Mauri præcibus, præmium ſoſpitatis, & vitæ pariter obtinere meruit,& in illam cohortis ſanctorum Lerinenſium congregationem aſciri. Quo autem tempore hæc euenerint, clarũ eſt,nẽpè cum S. Maurus Abbas,& diſcipulus ſanctiſſimi patris Benedicti Gallias tenderet, ſcilicet anno Chriſti quingenteſimo
542. quadrageſimo ſecundo, iuxta Arnoldi computum in tertio libro ligni vitæ, vitæ,die quò ſupra videas vitam ipſius ſancti Mauri apud Sur.

De Fauſto Epiſcopo Regienſi,ex Abbate Lerinenſi, cuius dies feſtiuus colitur à Regienſibus. Annotatio Vincen.Saler.

Anno Chriſti 490. *16. Ianuarij.* APpoſitè, decimo ſeptimo kal. Februarij idipſo, nempé die honorabili quo natalis ſanctiſſimi ſacerdotis Honorati Archipræſulis Arelatenſis ſolemni Põpa honoratur, ſe ingerit exceſſus è viuis Fauſti Epiſcopi Regienſis ciuitatis Galliæ Narbonenſis ex Monacho & Abbate Lerinenſi, veluti alter Saül inter Prophetas,quare vt rectà incedatur admonendum hic dum de eo agitur cenſeo lectorem, ne miretur aut nobis ſuccenſeat ſi hic idipſum inſigni titulo ſanctitatis (vt apud quoſdam) nudatum legat(ſcimus enim in præfata prouincia Phocenſi & potiſſimum in ſua ciuitate Regienſi antiqui

antiquitus ſanctum coli, & diuina offerri ſuo nomini ſacrificia) quia id, non noſtra facimus audacia, nec quaſi libera vtentes ex libito voluntate, cum noſtri ſit inſtituti intentio, nec addere vel minuere minimum quid, ſed vt ab auctoribus produntur, ſic fideliter à nobis ſic exarare, quicquid ad priſcæ agnitionem laudis, ſacri & Marini heremi Lerinenſis adinuenire valemus: ſed hæc idcirco prętamus quia (è merito Annaliſta Baronius ex aduerſo pugnat) etſi in appendice pedem aliquanto retraxit, & cauſam Fauſti iterum in iudicium reduxit, & ſalua ſibi vult eſſe ſuæ ſanctitatis iura, vt hic infrà videre potes ex his, quæ ex eius annaliū libris hauſimus ad totam Fauſti tragediam agnoſcendam. Tum adeſt tam ſeuera, quam vera contra Fauſtum dimicans in Bibliotheca Margarini de la Bigne, ſacri magiſtri palatii Apoſtolici cenſura vbi expreſsè præcipit & mandat vt vbicunque inuenitur nomen ſancti ſeu Diui, præpoſitum Fauſto Regienſi Epiſcopo expungatur omnino & obliteretur, quod eo prorſus indignus extiterit. Tum admonet cautè & cum iudicio legenda ſcripta Fauſti, nam nemo non nouit Fauſtum Regienſem Epiſcopum Pelagiana fuligine tinctum, à S. R. E. Auctoribus ſanctis Gelaſio. I. & Hormiſda Romanis Pontificibus fuiſſe damnata. His igitur breuiter præmonitum neceſſe ducimus eſſe lectorem Catholicum ne incautè in petram ſcandali & lapidem offenſionis impingat, diffuſius tamen ea quæ ex annaliſtæ & aliorum auctorum ſcriptis attulimus, vt dixi te docebunt. Accipe interim per antiqua quæ à S. Caioſolio Sidonio Apollinari Aruarnenſi Epiſcopo in ſuis Epiſtolis è carmine Euchariſtico ad Fauſtum monimenta, ad Inſulæ ſublimia Lerinenſis præconia declaranda apponuntur. Scimus & alios hac die de Fauſto agere preſertim Petrus Aquilinus in cathalogo libro 2. cap. 91. quos cauſis iam dictis conſulto omittimus.

Sidonius Domino Papæ Fauſto ſalutem Epiſt. 3. Lib. 9.

SEruat conſuetudinem ſuam tam facundia veſtra, quàm pietas atque ob hoc granditer quòd ſic diſertè in ſcriptis eloquium ſuſcepimus, quòd libenter affectum. Cæterùm ad præſens petita venia priùs impetratáque, cautiſſimum reor ac ſaluberrimum per has maximè ciuitates [a] quæ multum ſitis ſegreges agunt, dum ſunt gentium motibus itinera ſuſpecta, ſtylo frequentiori renunciare: dilatáq; tantiſper mutui ſedulitate ſermonis, curam potius aſſumere conticeſcendi, quod inter obſtinctas affectu mediante perſonas aſperrimum quamquam atque acerbiſſimum eſt, non tamen cauſis efficitur qualibuſcunque, ſed plurimis certis & neceſſariis: quæque diuerſis proficiſcuntur ex originibus: quarum iſta calculo primore numerabitur, quod cuſtodias aggerum publicorum [b] nequaquam Tabellarius tranſit irrequiſitus, qui etſi periculi nihil, vt potè crimine vacans, plurimum ſanè perpeti ſolet difficultatis, dum ſecretum omne gerulorum peruigil explorator indagat: quorum ſi fortè reſponſio quantulumcúmque ad interrogata trepidauerit, quæ non inueniuntur ſcripta, mandata creduntur: ac per hoc ſuſtinet iniuriam, plerumque qui mittitur, qui mittit inuidiam: plúſque in hoc tempore, quo æmulantum inuicem ſeſe pridem fœdera, ſtatuta regnorum denuò per conditiones diſcordioſas ancipitia redduntur præter hoc ipſa mens noſtra domeſticis hinc inde diſpēdiis ſaucia iacet. Nam per officij imaginē [c] vel (quòd eſt verius) neceſſitatem, ſolo patrio exactus, hîc relegor variis quaqua verſum fragoribus, quia patior hîc incōmoda peregrini, illic damna proſcripti, quocirca ſoluere modò literas paulò politiores aut intempeſtiuè petor aut impudenter aggredior, quas vel ioco lepidas, vel ſtylo cultas alternare fœli-

a *Regium ſiue Reium & Burdegalam.*

b *Stratarum & viarum publicarum.*

c *Nam Aruerna Gotis dedita Burdegalam ſub ſpecie legationis miſſus eſt Sidonius.*

cium est. Porrò autẽ quidam barbarismus est morum sermo iucundus, & animus afflictus: quin potius animam malè sibi conscium, & per horas ad recordata pœnalis vitæ debita contremiscentem, frequentissimis tuis, illis & valentissimis orationum munerare suffragiis, precum peritus insulanarum, [d] quas de palestra congregationis eremitidis, & de senatu Lerinensium cellulanorum, in vrbem [e] quoque (cuius Ecclesiæ sacra super inspicis (transtulisti, nihil ab Abbate mutatus per sacerdotem: quippe cùm nouæ dignitatis obtentu, rigorem veteris disciplinæ non relaxaueris. Iis igitur, vt suprà dixi, precatibus efficacissimis obtine, vt portio nostra sit dominus: [f] atque vt ascripti turmis contribulium Leuitarum [g] non remaneamus terreni, quibus terra non remanet, incoëmúsque, vt à sæculi lucris: sic quoque à culpis peregrinari. Tertia est causa vel maxima exinde, scribere tibi cur supersederim: quod immanè suspicio dictandi istud in vobis tropologicum genus ac figuratum, limatisque plurifariam verbis eminentissimum, quòd vestra quàm sumsimus epistola ostendit: licet enim prædicationes tuas, nunc repentinas, nunc cùm ratio popoſciſſet elucubratas raucus plosor audierim, tam præcipue, cùm in lugdunensis Ecclesiæ dedicatæ festis heddomadalibus collegarum sacro sanctorum rogatu exorareris, vt perorares. Ibi te inter spiritales regula vel forenses medioximum [h] quiddam concionantem, (quippe vtrarúmque doctissimum disciplinarum (pariter erectis sensibus auribúsque curuatis ambiebamus: hinc parum factitantem desiderio nostro, quia iudicio satisfeceras. Hisce de causis temperaui stylo, temperabóque, breuiter locutus vt paream: longum taciturus, vt discam, sunt de cætero tuæ partes, domine Papa, doctrinæ salutaris, singulariſque, victuris operibus incumbere satis. Neque enim quisquis auscultat docentem te, disputantémque, plus loqui discit, quàm facere laudanda, nunc verò, quòd restat, donate venia paginam rusticantem, vobis obsecundantem: cui me quoque auctore si vestris literis comparetur, stylus infantissimus ineſt. Sed ista quorsum stolidus allegas, nam nimis deprecari ineptias est ineptissimum, in quibus tu metuis arbiter, si rem ex asse discingas, ridebis plurima, plura culpabis. Sed & illud amplector, si pro charitate, qua polles, non fueris vsquequaque censendi continentissimus, id est, si sententia tua quippiam super his apicibus antiquet, tunc enim certius, te probasse reliqua gaudebo, si lituraſſe aliqua cognouero, memor nostri esse dignare Domine Papa.

d *Vide infra not.*
e *Regium.*
f *Psal.* 15.
g *Leuit. c.* 25. *Num.* 18. 23, *Deut.* 10. 18.
h *i. medium.*
Prouerbium.

Annotatio Vinc. Saler.

In hac Epistola excusat se Sidonius apud Faustum Episcopum Regiensem tripliciter quare non scribat frequenter. Primò propter distantiam Regiensis Ciuitatis & Burdigalæ metropolis in qua degebat Sidonius cùm sint tumultibus gentium suspecta itinera & tabellarius non transeat irrequisitus à custodibus aggerum. Secundò quia mens eius domesticis dispẽdiis saucia iaceat perferens incommoda peregrini, & damna proscripti. Tertiò quia valdè suspicit dictandi genus eminentissimum ipsius Fausti munificè eum laudans de sermone habito in Ecclesia Lugdunẽsi in collegio Episcoporũ rogatu patientis lugdunensis tunc Episcopi, summis laudibus hic efferens Sidonius illud stadium insulanum Lerinense alloquens Faustum illis verbis. Precum peritus insulanarum, quibus scilicet precibus in Insula Lerinensi institutus fuerat Faustus Regiensis quam frasim loquendi insequuti sunt. Cæsarius Arelatensis in homel. 25. Insulanæ preces, & ipse Faustus in homel. 25. de natali S. Maximi, inquiẽs, quàm magnificè insulano illo studio perfectionis vias cucurrit

currit. Eucherius ad Solonium lib. 1. cùm te illic beatiſſimi Hilarij Inſulam tyronis, ſed iam nunc ſummi Pontificis doctrina formaret, ſequitur Sidonius, quas de palæſtra congregationis eremitidis, & de ſenatu Lerinenſium cellulanorum, id eſt eremi Lerinēſis. Eucherius de laudibus eremi, id eſt Lerinę idē ait ad Solonium, (*qui vix dum decem natus annos eremum ingreſſus & Fauſtus de S. Maximo ambiebant illum diuerſæ patriæ, ſed vel maximè proxima eremi ciuitas,*) intelligo Forumiulium propter id quod ſequentur inibi in hæc verba, (*ambiebat illum proxima eremo ciuitas quæ inter locū hunc (ſcilicet Regium Gallis Narbonenſis) & Inſulam (vt noſtis) interiacet. In hac autem palæſtra exercebantur vt teſtatur Hilarius in vita S. Honorati,* vt hæc *eſſent inter illos certamina grata propoſiti, cuius mens ad pietatem mollior, cuius eſſet cibus durior, cuius ſermo blandior, cuius amictus aſperior, quis loqui rarius, quis orare crebrius poſſet: cui in ore rarior mūdus cui frequentior Chriſtus.* Vnde merito Sidonius, de paleſtra congregationis eremitidis, vt benè Hilarius vbi ſuprà. (*Hinc illud erat quod omnis congregatio illa dominici cupita ſeruitutis ad nomen ipſius ex diuerſis terrarū partibus collecta, tam moribus quàm linguis diſſona in amore illius conſpirabat.* Vocat autem cellulanos à cellis quibus ſe concludebant & in Epiſtola. 17. lib. 7. data ad Voluſianum fratrem dicit: *Secundum ſtatuta Lyrinenſium patrum:* Eucherius de eremo Lerinenſi: *Hæc nunc habet ſanctos ſenes illos, qui diuiſis cellulis Ægiptios patres Gallis noſtris intulerunt, quibus ſanè claret quantum olim florebat, & quam excelſis montes enitebat, ille caminus probationis Lerinenſis, ex quibus vnus hic noſter Fauſtus tam à S. Sidonio laudatus*, plura ſi quis auet ad pleniorem intellectum huius ſequentis & Epiſtolæ videat commentarium Ioannis Sauaro claromontani clariſſimi viri in Sidonium, cuius & hic aliam elegantem inſerimus epiſtolam in qua miræ, vitæ integerrimæ, & doctrinæ Fauſti decantantur laudes, cui ſoli datum eſt loqui melius quam didicerit, & viuere melius quàm loqueretur. In calce cuius notat Sidonius Fauſtum centeſimum vitæ attigiſſe annum, cum dicit, quandoquidem tuos annos iam dextera numerauit.

Fauſtus creatus eſt Epiſcopus an. Dom. 472.

Sidonius Domino Papæ Fauſto ſalutem Epiſt. 9. Libr. 9.

LOngū tacere, vir ſacratiſſimè, nos in cōmune dequeſtus es cognoſco veſtræ partis hinc ſtudium, noſtræ reatū non cognoſco. Namque iam pridē iuſſus garrire, non ſilui, literis iſtas antecurrentibus: quibus etiam recenſendis cùm Reios [a] aduenerant, qui tunc aptè fuiſtis, aptiſſimè defuiſtis: idque votiuum mihi granditer fuit, ac peroptatum, vt epiſtola iniuncta nec negaretur ſcripta amicitiæ, nec ſubderetur lecta cenſuræ. Iſta omittamus. Mitti paginam copioſam denuo iubes. Parere properanti vota adſunt, cauſæ abſunt. Nam ſalutationi ſi negotium aliquod actiua non deportet materia, ſuccincta eſt, quam qui porrigit verbis non neceſſariis, à regula Salluſtiani tramitis detortus exorbitat, qui Catilinam culpat habuiſſe ſatis eloquentiæ parum ſapientiæ. Vnde aue dicto, mox vale dicimus, orate pro nobis. Sed benè eſt quia chartulam iamiámque complicaturo res fortis [b] accurrit, de qua ex probanda, ſi ditiùs vel lætitia ſeſe mea, vel ira cohibuerit, ipſe me accepta dignum contumelia iudicabo: veniſti magiſter in manus meas, nec exulto tantum, verùm inſulto veniſti: & quidem talis, qualem abhinc longo iamdiu tempore deſideria noſtra præſtolabantur. Dubito ſanè vtrum & inuitus, at certè ſimilis inuito, quippe quo prouidente, vel (ſi tamen hoc nimis abnuis) acquieſcente, ſim ſuis libris inſalutatus, iiſque (quod multo eſt iniurioſius) territorium Aruernum cùm præterirent, non ſolùm mœnia mea [c] verùm etiam latera radentibus. An verebare ne tuis inuideremus, ſed Dei indultu vi-

a *Alias Regium ciuitas Viennenſis. 3. not. prouin.*

b *Id eſt ſors tulit, & res fortuita & ſubita.*

c *i. Ciuitatis Aruernæ.*

tio nulli minùs addicimur: cui ſi ita vt cæteris à mea parte ſubiaceretur, ſi quoque auferret congrediendi æmulationem deſperatio conſequendi. An ſupercilium tanquam difficilis ac rigidi ploſoris extimeſcebas: & quænam eſt cuiquam peritiæ ceruix tanta, quíve hydrops, vt etiam tepida veſtra, non feruentiſſimis laudibus perſequatur? An ideò me faſtidiēdum, negligendúmque curaſti, quia contemneres iuniorem? quod parum Credo: An quia indoctum? quod magis fero: ita tamen vt qui dicere ignorem, non & audire: quia & qui Circenſibus ludis adfuerunt, ſententiam de curribus non ferunt. An aliquo caſu diſſidebamus, vt putaremus his quos libellis edidiſcetis derogaturi? atqui præſule Deo tenues nobis eſſe amicitias, nec inimici fingere queūt. Iſta quorſum: inquis. Ecce iam pando vel quid indagaſſem me gaudeam, vel quid te celaſſe ſuccenſeam. Legi volumina tua quæ Riochatus Antiſtes ac monachus, atque iſtius mundi bis peregrinus tuis Britannis pro te reportat, illo iam in præſentiarum Fauſto potiùs qui non ſeneſcit, quique viuentibus non defuturus, poſt ſepulturam fiet per ipſa quæ ſcripſit ſibi ſuperſtes. Hîc igitur ipſe venerabilis [d] apud oppidum noſtrum [e] cùm moneretur, donec gentium concitatarum procella defremeret (cuius imaginis hinc & hinc turbo tunc inhorruerat) ſic reliqua veſtra dona detexit, vt perurbanè quæ præſtantiora, portabat, operuerit ſpinas meas, illuſtrare diſſimulās tuis floribus, ſed poſt duos, aut ijs ampliùs menſes, ſic quoque à nobis citò profectum, cum quippiam prodidiſſent deuiatoribus, myſticæ gazæ [f] clauſis inuolucris clàm ferre theſauros, pernicibus equis inſequutus abeuntem, qui facilè poſſint itineris pridiani ſpatia præuertere, oſculo in fauces occupati latronis inſilui, humano ioco, geſtu ferino, veluti ſi excuſſura quemcunque, catulorum Parthi collo raptoris pede volatico tigris orbata ſuperemicet. Quid multa? capti hoſpitis genua complector, iumenta ſiſto, fræna ligo, ſarcinas ſoluo, quæſitum volamen inuenio, produco, lectito, excerpo, maxima ex magnis capita deſtans [g]: Tribuit & quoddam dictare celeranti ſcribarum ſequacitas ſaltuoſa, compendium, qui comprehendebant ſignis [h] quod literis non tenebant. Quibus lachrymis ſanè maduerimus, mutuo viciſſim fletu rigati tunc, cùm ab amplexu ſæpè repetito ſeparemur: longum eſt dixiſſe, nec refert, quod triumphali ſufficit gaudio, ſpoliis onuſtum charitatis, & ſpiritualis compotem prædæ me domum retuli. Quæris nunc quid de manibus meis iudicem, nollem adhuc prodere, quo diuturnius expectatione penderes plus me enim vlciſcerer, ſi quod ſenſi tacerem. Sed iam nec ipſe fruſtra ſuperbis, vt pote intelligens tibi ineſſe virtutem ſic perorandi, vt lectori tuo ſeu reluctanti, ſeu voluntario vis voluptatis excudat præconij neceſſitatem. Proinde accipe quid ſuper ſcriptis tuis, & iniuriam paſſi cenſeamus. Legimus opus operoſiſſimum [i] multiplex, acre, ſublime, digeſtum titulis, exemplíſque congeſtum, bipartitum ſub dialogi ſchemate, ſub cauſarum themate quadripartitum, ſcripſeras autem plurima ardenter, plura pomposè: ſimpliciter iſta nec argutè illa nec callidè: grauia maturè, profunda ſollicitè, dubia conſtanter, argumentoſa diſputatoriè, quædā ſæuerè quæpiam blandè, cuncta moraliter, rectè, potenter, eloquentiſſimè. Itaque pertanta ſe genera narrandi toto latiſſimæ dictationis campo ſequutus, nihil infacundia cæterorum, nil in ingeniis facilè perſpexi iuxta politum: quæ me vera ſentire ſatis approbas, cū nec offenſus aliter iudico. Denique abſentis oratio (quātum opinamur) plus nequit creſcere, niſi forſitan aliquid ijs addat coram loquentis auctoris vox, manus, motus, pudor, artifex. Igitur his animi literarúmque dotibus præditus, mulierem pulchram,

Sidonius amicis amiciſſimus fuit.

d *Riochatus Antiſtes & Monachus.*

e *i. Auernam*

f *Gaza Peregrinum nomē Medorū quo theſaurus ſignificatur, lingua etiā Perſarum.*

g *Fruſtatim excepere per fruſta.*

h *Signa ſunt illa compendia, & puncta quibus nota ſcribebantur.*

i *i. libros de gratia Dei. Gennad. c. 85 infra.*

De iſtis libris vide infra notat Baronij.

ſed illam Deuteronomio ſtipulante, nubentem, Domine Papa, tibi iugaſti: quam tu adhuc iuuenis inter hoſtiles conſpicatus cateruas, atque illic in acie contrariæ partis adamatam, nihil per obſtantes repulſus præliatores, deſiderij brachio vincente rapuiſti, Philoſophiam ſcilicet, quæ violenter è numero ſacrilegarum artium exempta, raſo capillo ſuperfluæ Religionis, ac ſupercilio ſcientiæ ſæcularis, amputatiſque peruetuſtarum veſtium rugis, id eſt, triſtis Dialeticæ flexibus falſa morum, & illicita velantibus, miſtico amplexu iam defæcata tecum membra coniunxit. Hæc ab annis veſtra iam dudum pediſſequa primoribus, hęc tuo latori comes inſeparabilis, ſiue in palęſtris exercereris vrbanis, ſiue in abſtractis macerarere ſolicitudinibus [k] i. Hæc Athænei cõfers, hæc Monaſterij, tecum mundanas abdicat, tecum ſupernas prædicat diſciplinas. Huic copulatum ſe matrimonio qui laceſſiuerit, ſentiet Eccleſiæ Chriſti Platonis Academiam militare, téque nobilius philoſophari: primum ineffabilem Dei Patris aſſerere cum ſancti ſpiritus æternitate ſapientiam [l]: Tu præterea, non cæſariem paſcere, neque pallio, aut clauo velut ſophiſticis inſignibus gloriari, aut affectare de veſtium diſcretione ſuperbiam, nitore pompam, ſqualore iactantiam, neque te ſatis hoc æmulari, quòd per gymnaſia pingantur Areopagitica, vel Prytaneum, Zeuſippus ceruice curua, Aratus panda, Zenon fronte contracta, Epicurus cute diſtenta, Diogenes barba comante, ſocrates coma candente, Ariſtoteles brachio exerto, Xenocrates crure collecta, Heraclius fletu occulis clauſis, Demonitus riſu labris apertis, Chryſippus digitis propter numerorum indicia conſtrictis, Euclides propter menſurarum ſpacia laxatis, Cleanthes propter vtrumque corroſis, quin potiùs experietur quiſque conflixerit, Stoicos, Cynicos, peripateticos, Hæreſiarchas propriis armis, propriis quoque concuti machinamentis. Nam ſectatores eorum Chriſtiano dogmati, ac ſenſui ſi repugnauerint, mox te magiſtro ligati, vernaculis implicaturis in retia ſua præcipites implagabantur, ſyllogiſmis tuę propoſitionis vncatis volubilem tergiuerſantum linguam inhamantibus [m]. Dum ſpiris Cathegoricis, lubricas queſtiones tu potius innodas, acrium more medicorum, qui remediũ contra venena cum ratio compellit, & de ſerpente conficiunt: ſed hoc temporibus iſtis, ſub tuæ tantum vel contemplatione conſcientiæ, vel virtute doctrinæ: Nam quis æquali veſtigia tua greſſu ſequatur? cui datam eſt ſoli loqui melius, quã didiceris, viuere meliùs quàm loquaris: quocirca meritò te beatiſſimum boni omnes, idque ſuper omnes tua tempeſtate concelebrabunt, cuius ita dictis vita factiſque dupliciter inclaruit, vt quandoquidem tuos annos iam dextera numerauerit, [n] ſæculo prædicatus tuo, deſiderandus alieno, vtraque laudabili actione decedas, te relicturus externis: tua proximis. Memor noſtri eſſe dignare, Domine Papa.

Deut. c. 21.

k i. Lerinenſis heremi ſecretis.

l Ipſe Fauſtus in libello aduerſus Arrianos & macedonios. Antitheta.

m Hamata hæreticorum verba ſunt.

n Dextera manus digitis centeſimus numerus indicatur Beda tractatu de computo.

ITEM EIVSDEM SANCTI APOLLINARIS Epiſcopi Aruernenſis Euchariſticum ad Fauſtum Reienſem Epiſcopum.

CARMEN. XVI.

PHæbum & terternas [o]. decima cum Pallade muſas,
Orphæaq́ & laticem ſimulatum fortis equini, [p].
Ogygiamq́ chelym, quæ ſaxa ſequacia flectens

o Arnobius lib. 3.

p Imitatio virgiliana.

Cantibus, auritos erexit carmine muros.
Sperne fidis, magis ille veni nunc ſpiritus oro
Pontificem dicture tuum, qui pectora priſcæ
Intraſti Mariæ, [q] *rapiens cum tympana ſiccus*
[q] *Sororis Aaron n.1.c.* *Iſraël appenſi per concaua gurgitis iret.*
12. Deuter.c. 24. Exod.c. 15. *Aggeribus vallatus aquæ, mediaſq; per vndas*
Puluerulenta tuum clamare turba triumphum.
[r] *Iudith.c. 13.* *Quiq; manum Iudith* [r] *ferientem colla Holofernis.*
Iuuiſti, exciſo iacuit cùm gutture truncus,
Et fragilis grauido latuit bene ſexus in ictu.
[ſ] *Iudicium. c.6.* *Expreſſo vel qui complens* [s] *de vulnere pellem,*
Inficienſq; dehinc non tacto vellere terram
Firmaſti Gedeona, tubis in ſerte canoris
[t] *Ibidem c.7.* *Spiritus, & ſolo venit victoria cantu* [t].
[u] *Reg. 1. cap. 5. & 6.* *Quiq; etiam adſumptum pecoroſi de grege Ieſſe*
Afflaſti regem, [u] *plauſtro cùm fœderis arcam*
Imponens hoſtis, nullo moderante bubullo.
[x] *Daniel.c.3.* *Proderet obſcænam turgenti podice morbum.*
Quiq; trium quondum puerorum [x] *in fauce ſonaſti,*
Quos in Chaldæi poſitos fornace tyranni,
Roſcida combuſto madefecit flamma camino,
[y] *Ionas.ca.2.* *Quiq; volubilibus ſpaciantem tractibus alui*
Compleſti Ionam, [y] *reſonant dum viſcera monſtri*
Introrſum pſallente cibo, vel pondera ventris
Ieiuni, pleniq; tamen vate intemerato.
Ructat cruda fames, quem ſingultantibus extis
Eſuriens vomuit ſuſpenſo bellua morſu.
[z] *3. Reg.c.21. & 4.ca.1.2.* *Quiq; duplex quondam veniſti in pectus Eliſei,* [z]
Thesbilen cum fortè ſenem iam flammeus axis
Tolleret, & ſciſſam linquens pro munere pellem
Hiſpidus ardentes auriga intraret habenas.
Quiq; etiam Heliam terris miſſure ſecundum,
[a] *Luca. c. 1.* *Zachariæ iuſſi linguam placate ligaſti,* [a]
Dum faceret ſerum rugoſa puerpera Patrem
Edita ſignificans iuſſo reticere Propheta,
Gratia cum fulſit noſſet ſe vt lex taciturам
Quiq; etiam naſcens ex virgine ſemine nullo,
Ante vllum tempus Deus, atq; in tempore Chriſtus,
Ad corpus quantum ſpectat tute ipſe creaſti.
[b] *Matthai c. 9.12. & 15.* *Qui viſum cæcis* [b] *greſſum quoque reddere claudis,*
Auditum ſurdis, mutis laxare loquelam

Suetus,

Suetus, ad hoc etiam veniſti vt mortua membra
Lecto, ſandapila[n] tumulo[o] conſurgere poſſint.
Quiq; etiam poenas ſuſcepta in carne tuliſti,
Suſtentans alapas, lubria, verbera, vepres,
Sortem, vincla, crucem, clauos, fel, miſsile, acetum,
Poſtremò mortem, ſed ſurrecturus adiſti,
Eripiens quidquid veteris migrauerat hoſtis
In ius per noſtrum facinus, cum fœmina prima
Præceptum ſoluens culpa nos perpete vincit:
Qui cùm te interitu petiit, nec reperit in te
Quod poſſet proprium conuincere, perdidit omne
Quod lapſu dedit Eua ſuo[e] Chirographon illud
Quo perſuaſus homo eſt, hæc compenſatio rupit.
Expers peccati, pro peccatoribus amplum
Fis precium, veteremq; nouus vice fœnoris Adam
Dum moreris de morte rapis, ſic mortua mors eſt,
Sic ſeſe inſidijs, quas fecerat ipſa fefellit.
Nam dum indiſcretè petit inſontéſque, reoſq;,
Egit vt abſolui poſſent, & crimine nexi.
Quiq; etiam iuſſos ad tempus ſurgere tecum
Iuſſiſti cineres, cùm tectis tempore longo
Irrupit feſtina ſalus, infuſaq; raptim,
Excuſsit tumulis ſolidatas vita fauillas:
Da fauſtum laudare tuum, da ſoluere grates
Quas & poſt debere iuuat. Te magne Sacerdos,
Barbitus hic noſter, plectro licet impare cantat.
Hæc igitur prima eſt vel cauſa, vel actio laudum
Quod mihi Germani[f] dum lubrica voluitur ætas,
Seruatus tecum Domini per dona probatur,
Nec fama titubante pudor, te reſpicit iſtud
Quantumcumq; bonum, merces debebitur illi.
Ille tibi, ſit laus (ſi labi noluit) eius:
Nam quod nec potuit, totum ad te iure redundat.
Præterea quod me pridem Reios[g] venientem
Cùm procium fureret[h] cum ſolis torridus ignis
Flexilibus rimis ſitientes ſcriberet agros,
Hoſpite te noſtros excepit protinus æſtus.
Pax, domus, vmbra, latex, benedictio, menſa, cubile:
Omnibus attamen ijs ſat præſtat, quod voluiſti
Vt ſanctæ matris ſanctum quoque limen adirem.
Dirigui, fateor, mihi conſcius, atque repentè
Pinxit adorantem pauido reuerentia vultum:

c *Luca. c. 9.*
d *Ioan. c. 11.*

e *Geneſ. cap. 3. Ad coloſſ. 2.*

f *Secundi de quo idem ep. 12. lib. 3.*

g *Idem Regiũ ciuitatẽ Galliæ Narbonen.*
h *Id eſt diebus caniculari-bus.*

t Vxoris Iſaac Geneſ. cap. 22 mater Iacob.

u Matris Samuelis. 1. Reg. cap. 1. & 2.

x Videas notationem ſequentem.

y Idem breues ſomnos.

z Heremita de quo Caſſian. Collat. cap. 9.

a Anachoreta magni Theodoſij Coætaneus.

b Vnus Alexandrinus & alter Ægiptius.

c Caſſian. cap. 1. collat. 3. 18. cap. 15.

d Abbas de quo Pallad. c. 8. & alij Or. id & Monſ.

e Pallad. c. 44

f De Hieron. Chron. An. 361.

g Cuius vitã ſcripſit idem Hieronim.

h Id eſt Paulus Heremita.

i Vide notationem ſequẽtem.

k Sid. ep. 12. l. 3. de Cremãdis corporibus defunctorum vnde dicũtur Buſtuales familiæ.

Nec ſecus intremui, quàm ſi me fortè Rebeccæ t
Iſraël, aut Samuel crinitus duceret Annæ. u
Quapropter vel te votis ſine fine colentes,
Affectum magnum per carmina parua fatemur,
Seu te flammatæ ſyrtes, & inhoſpita teſqua,
Seu Cæno viridante palus, ſeu nigra receſſu
Incultum mage ſaxa tenent, vbi ſole remoto
Concaua longæuas aſſeruant antra tenebras.
Seu te præruptis porrectæ in ruptibus Alpis, x
Succinctos y *gelido libantem ceſpite ſomnos,*
Anachoreta tremit quæ quanquam frigora portet,
Conceptum Chriſti nunquam domat illa colorem,
Quam tunc Elias, z *nunc iubet te ire Ioannes,* a
Nunc duo macharij, b *nunc eſt Paphnutius heros,* c
Nunc Or, d *nunc Ammon,* e *nunc Sarmata,* f *nunc Hilarion,* g
Nunc vocat in tunica nudus te Antonius illa
Quam fecit palmæ folijs manus arma magiſtri. h
Seu te Lerinus i *priſcum complexa parentem eſt,*
Qua tu iam fractus pro magna ſæpe quiete.
Diſcipulis ſeruire venis, vixq́; otia ſomni,
Vix coctos captare cibos, abſtemius æuum
Ducis, & inſertis pingis ieiunia palmis,
Fratribus inſinuans, quantos illa Inſula plana
Miſerit in Cœlum montes, quæ ſancta Capraſij
Vita ſenis, iuueniſq́; lupi: quæ gratia Patrem
Manſit Honoratum; fuerit quis maximus ille,
Vrbem tu cuius Monachuſq́;, antiſtes, & Abbas
Bis ſucceſſor agis, celebrans quoque laudibus illis
Eucherij venientis iter, redeuntis Hilarij.
Seu te commiſſus populus tenet, & minor audet
Te medio humidos maiorum temnere mores,
Seu tu ſolicitus curas, qua languidus eſca,
Quáve Peregrinus viuat, quid paſcat, & illum
Lubrica Crura cui tenuat ſub compede carcer.
Seu mage funeribus mentem diſtractus humandis
Liuida defuncti ſi pauperis oſſa vireſcant,
Infaſtiditum fers ipſe ad buſta k *cadauer.*
Seu te conſpicuis gradibus venerabilis aræ
Concionaturum plebs ſedula circunſiſtit,
Expoſitæ legis bibat auribus vt medicinam
Quicquid agis, quocunque loci es, ſemper mihi Fauſtus,
Semper Honoratus, ſemper quoque Maximus eſto.

Annotatio

Annotatio in præcedenti carmine Euchariſtico ad Fauſtum, Vinc. Soler.

In hoc inſigni carmine Sidonius ſummas, amabiléſque cupiens Fauſti Pontificis Regenſis in Gallia Narbonenſi proſequi laudes afflatum, & virtutem ſibi adeſſe ſpiritus ſancti obnixè orat, enumerando aliqua præclara, miranda & magnifica opera, tam in veteris quàm nouæ legis teſtamento ſpiramine ductu ipſius ſpiritus ſancti. Patrata exordium laudum, actionumque gratiarũ ſumens ab eo quod frater germanus eius ſub ipſo Fauſto Regij adoleſcentiæ omnes ſine vlla pudicitiæ labe tranſegit, & quod tam benignè hoſpitio fuerit collectus, ab aliiſque cauſis inibi contentis: Sanctis Patribus heroiciſque viris antiquis, vitæ auſteritate, morum grauitate, ſcientiæ ſublimitate conferens, ipſum, Lerinámque noſtram nutricem ſummis laudum præconiis efferens vt ex ſequentibus quæ ex Ioannis Sauoro Claromontenſis commentario partim defruſtauimus apparet. Maximè ex illis verbis: *ſeu te præruptis porrecta in rupibus Alpis.* Idem ferè Hilarius Arelatenſis in vita ſancti Honorati. Vacantem itaque Inſulam, ob nimietatem ſqualoris, & inacceſſam venenatorum animalium metu, Alpino haud longè iugo ſubditam petit, & poſt: *Seu te Sirenus priſcum complexa parentem eſt.* Hæc idcircò quia Fauſtus Regenſis prius fuit Lerinenſis monachus, & poſtea Abbas: *diſcipulis ſeruire venis*, id eſt Lerinenſibus Monachis qui tui diſcipuli fuerunt, cum Abbas cœnobij Lerinenſis eſſes, ad quos Fauſtus licet Epiſcopus ſæpe redibat, conquerens enim in inſtructione ad Monachos, ait, Et quid grauius quando ſubitò tanquam aliquis repentinus eradicarius de loco ad quem te Dominus tuus vocauerat, in quo te primum poſt mala ſæculi quaſi in portum de tempeſtate induxerat obliuiſci ſubito fraternæ ſocietatis & conſolationis, obliuiſci loci illius in quo primũ dulciſſimum immutationis habitũ & nomen ſæcularis exueris? Sequitur: *vix ocia ſomni.* Erat enim inſtitutum Lerinenſium vt parcè dormirent, vt teſtatur Hilarius in vita ſancti Honorati, quem minus detineret lectus, quem magis lectio: *vix coctos captare cibos*, quia Monachi ſcilicet illi auſteri radicibus & herbis victitabant, & aliquid coctum edere luxuria erat, iuxta diui Hieronimi dictum ſequitur: *quantos illa inſula plana miſerit in cœlum montes*, Huius Sidonianæ locutionis imitator ſeu veriùs ſcriptor, & Ennodius in vita Sancti Epiphanij, ait enim: *Inde tamen regrediens ſingula ſanctorum habitationum loca viſitauit, Medianas Inſulas Cycladas, Lerum, ipſámque nutricem ſummorum montium planam Lerinum adiit.* Et Cæſar. Arelat. Sidonij verſus proſario Stylo expreſſit Homel 25. inquiẽs: *Beata, inquam, & fœlix inſula Lerinenſis, quæ cum paruula & plana eſſe videatur, innumerabiles tamen montes ad cœlum miſiſſe cognoſcitur.* montes, id eſt, Epiſcopos & ſacerdotes, erat enim Lerinenſis Inſula ſeminarium Epiſcoporum vt idem teſtatur Cæſarius. *Hæc eſt quæ eximios nutrit Monachos, & præſtantiſſimos per omnes prouincias erogat ſacerdotes: ac quos accipit filios, reddit patres, & quos nutrit paruulos, reddit magnos, quæ ſancta Caprasij vita ſenis.* Hilarius in vita ſancti Honorati. Aſſumunt ſenem perfectæ, conſummatæque grauitatis, quem ſemper in Chriſto patrem computantes, patrem nominarunt ſanctum Capraſium, & Eucherius de laudibus Eremi, hæc nunc poſſidet venerabilem grauitate Capraſium veteribus ſanctis parem, iuueniſque Lupi Epiſcopi ſcilicet Tricaſſini qui iuuenis Lerinenſis militiæ rirocinium auſpicatus eſt æuo ſenis Capraſij, non enim æuo Lupi Lerinenſis vt male Baronius 7. Calend. Octobris in Mart. Rom. & in annalib. anno 463. dum agit de ſancto Cæſario Arelatenſi ex iſto loco, & ex verbis eiuſdem Si-

Per antiquæ laudabilis conſuetudo mutandi nomen in ingreſſu religionis.

donij Epiſtolæ 14. libr. 8. datæ ad Principium Epiſcopum Sueſſionenſem ſancti Remigij Remenſis Epiſcopi fratrem collegit,ex illis verbis, *Luporum, maximorúmque concellita,vt bene notat(& dicitur ſuo loco)Ioannes Sauaro in notis dictæ epiſtolæ 25.Septembris,ſequitur. Quæ gratia patrem manſit Honoratum.* Cuius vitam libello eleganti contexuit Hilarius Arelatenſis. Fuit enim Honoratus fundator & Abbas Cœnobij Lerinenſis,poſtea Archiepiſcopus Arelatenſis.Eucherius de laudibus Eremi Lerini ſcilicet,digna quæ Honorato auctore fundata ſit, quæ tantis inſtitutis tantum nata ſit patrem, Apoſtolici ſpiritus vigore, & vultus honore radiantem. Idem in Epiſtola ad Salonium. ſub Honorato patre illo inquam primũ Inſularum, poſtea Eccleſiarum magiſtrõ.*Fuerit quis maximus ille.* Honorati ſucceſſor in Abbatia Lerinenſi, tum Regienſis Epiſcopi, Eucherius de Eremo hæc nunc ſucceſſorem eius tenet Maximum nomine clarum, quia poſt ipſum meruit aſciri. Beda V. Calend. Decembris ſancti Maximi Epiſcopi qui primæua ætate virtutum omnium gratia præditus,primum Lerinenſis Cœnobij pater, deinde Regienſis Eccleſiæ Epiſcopus,cuius vitam ipſe Fauſtus eleganti deſcripſit Homelia,quam habes infra 27.Nouembris,ſequitur *vrbem tu cuius monachuſque Antiſtes & Abbas, bis ſucceſſor agis.* Quia ſcilicet Fauſtus fuit ſucceſſor maximi in Abbatia Lerinenſi,& in Epiſcopatu Regienſi,quare mendacio & impoſtura arguuntur ea quæ adducuntur in capite nono ſecundi libri vitæ S. Honorati tribus libris digeſtæ,nempe quod loco beati Maximi tunc in Epiſcopum Regienſis ciuitatis aſſumpti, ſanctus Honoratus præfecerit fratribus Lerinenſibus Nazarium virum religioſum. Et vtinam inibi ſola,ſed hęc multa alia inſunt,quę caſtigatione ne dicam proſcriptione perpetua digna habentur: nam qui fieri poteſt vt hæc vera ſint?cura enim annum Domini 426. vt ait Proſper in Chron. & ex ipſo Baron.in Annal.Tom.V.Patrocl. inuaſor ſedis Arelat.occiditur,& S.Honor.Abbas Lerinẽſis ſuffecto ſibi maximo in Abbate Lerinenſi & Arelatenſi ſubrogatur in ſede in qua non diu vixit, vt affirmat Hilarius in vita ſancti Honorati alloquens Arelatenſes inquiens: *In ſumma verò ex illo breui,quo vobis indultus eſt tempore facilè Metini datur quid plus de illo,quid minus dixero.* Honorato verò defuncto ſucceſſit Hilarius circa annum Domini 430. & potiùs antea. Maximus autem ex Abbate Lerinenſi decedente è cuius ſancto proſpero, Regiẽſis ciuitatis creatur Epiſcopus anno Domini 466.Hilarii Papæ anno ſexto, quomodo ergo vera ſunt quæ ibi dicuntur vt ſcilicet illi Maximus ſit creatus Epiſcopus ſuperſtite Honorato,cum per ingenita ſex ferè annos antea diem ſuum obierit?Hęc inſinuaſſe ſufficiat,ſequitur Sidonius, *Eucherij venientis iter.* is etiam fuit monachus Lerinenſis vt ipſe teſtatur in libello de laudibus Eremi.Præcipuè tamen Lerinam meam honore complector, quæ procelloſi naufragiis mundi, effuſos piiſſimis vinis receperat venientes:*redeuntis Hilarij,* non quod Hilarius abdicauerat ſe Epiſcopatu & Rauennio ceſſerit,ſicq; ad Lerinum redierit,vt Baron. exiſtimat in Martyr. Romano prima editione, tertio Non. Maii, quod poſtea retractauit tom. 6. Annal. & in dicto Mart. in tertia editione ad Lerinum, rediit priuſquam Arelatenſis Epiſcopus crearetur, quem cum iuuenem ad Lerinum duxiſſet Honoratus illum è Lerino ad Arelatem ſecum duxit, quando ſuſcepit Epiſcopatum Honoratus:ex Arelate autem Hilarius ad Lerinum rediit, viuo & ſuperſtite Arelatenſi Epiſcopo Honorato.Idem Hilarius in ſermone funebri de S. Honorato Arelati habito.Vobis me tanto labore per literas, tanto per excuſum ſuum ambitu ad Inſulam, cui me derelictis Epiſcopatus ſui principiis ſecreti amore

Vide infra in annotatione Tranſlationis S. Honorati. 2. Ianuar.

amore reddideram,non audeo dicere neſciẽs fortaſſe præſcius amouere ſatagebat. Eucherius verò ad Hilariũ de Eremo. Magno tu quidẽ animo egreſſus dudum de domo tua, & de cognatione tua,vſque ad mare magnũ recedentia, Eremi ſecreta penetraueras, maiore tamẽ virtute repetita eſt à te Eremo,quã petita.Siquidem cùm hanc prius hoſpes ingreſſus es habuiſti ducem,& velut itineris tui præuium, quem deinde militiæ cœleſtis magiſtrum,cúmque tunc ſequutus & parentes relinquens,parentem tamen ſequebaris:nunc verò cum eundem adſciſum ad pontificatus, faſtigium proſequendum putaris familiare ſecretum eremi te amor retulit,ergo nunc es mobilior,& maior exemplo, prius enim cum deſertum peteres comitatus fratrem videbaris, nunc cùm deſertum repetieris,etiam patrem reliquiſti * eſt in fine, horum tu mi chariſſime Hilari, redditus incertúſque conſentio plurimum tibi,plurimum etiam illis contuliſti, qui nunc pro reditu tuo alacri exultatione lætantur : ex quibus certè manifeſtè apparet Hilarium ad Lerinenſen eremum relicto Honorato Arelatẽſi Epiſcopo rediiſſe,ſequitur.Sidonius, (contionatarum plebs ſedula circumſiſtit.)Ex iſto loco,& Epiſtolis ſuprà adductis habetur Fauſtum multas declamaſſe homelias & conciones diſperſas miſcelis homeliis, quæ Euſebij Emiſſeni nomine Ferunti, & aliorum tandem cùm ſumma laude concludit Sidonius alludens ad nomen ipſius Fauſti, Honorati, & maximi Epiſcoporum qui verè Fauſti Honorati, & maximi fuêre ſacerdotes & Pontifices.

**Scilicet ſanctum Honoratum.*

Gennadius de Illuſt.Eccleſ.ſcript.Cap.85.hæc de Fauſto Epiſcopo Regienſi.

FAuſtus ex Abbate Lerinenſis Monaſterij Epiſcopus apud Rhegium Galliæ factus,vir in diuinis ſcripturis ſatis intentus ex traditione ſymboli occaſione accepta,compoſuit librum de Spiritu ſancto, in quo oſtendit eum iuxta fidem Patrum & conſubſtantialem,& coëternum eſſe Patri, & Filio,ac plenitudinem Trinitatis obtinentem. Edidit quoque opus egregium de gratia Dei qua ſaluamur. In quo opere docet gratiam Dei ſemper & inuitare,præcedere,& adiuuare voluntatem noſtram,& quicquid ipſa libertas arbitrij de labore pię mercedis acquiſierit,non eſſe propriũ meritum,ſed eſſe gratię donũ. Legi eius & aduerſus Arrianos,& Macedonianos paruum libellum in quo coëſſentialem prædicat Trinitatem; & alium aduerſus eos,qui dicunt eſſe in creaturis aliquid incorporeum , in quo & diuinis teſtimoniis , & Patrum confirmat ſententiis,nihil credendum incorporeum præter Deum. Eſt & eius Epiſtola in modum libelli ad Diaconum quendam Gratium , (alias Græcum)nomine edita,qui à fide Catholica diſcedens,ad Neſtorianam abiit impietatem : In qua Epiſtola admonet eum credere ſanctam Mariam virginem non hominem purum genuiſſe , qui poſtea diuinitatem ſuſceperit , ſed Deum verum in homine verò:ſunt verò eius & alia ſcripta,quę quia necdum legi,nominare nolui,viua tamẽ verè egregius doctor & creditur & probatur: ſcripſit poſtea ad Felicem præfectum prætorij , & patritiæ dignitatis virum, filium magni conſulis,iam religioſum,Epiſtolam ad timorem domini hortatoriam conuenientem perſonis pleno animo pœnitentiam agere diſponentium.

Annotatio Vinc. Saler.

Vt omninò omnis erroris & offendiculi quantum in nobis eſt è medio tollatur occaſio , hic poſt vitam Fauſti ex Gennadio deſumptam cenſuras ad ſcripta Fauſti in Bibliotheca Margarini appoſitas à Magiſtro ſacri palatij

appoſitas à Magiſtro ſacri Palatij Apoſtolici in indice librorum expurgandorum deſcribemus,inter alia ait,In inſcriptione operis Fauſti cum dicitur, *Fauſti Epiſcopi de gratia Dei, & humanæ mentis libero arbitrio,opus inſigne : Dele opus inſigne & adiunge : Gennadius* (quem conſtat, cùm hæc ſcriberet fauiſſe plurimum ſemipelagianis, eoſque in ſuo illo libro de vir. Illuſt. plerúmque laudibus extuliſſe)opus Fauſti de gratia,& libero arbitrio appellat egregium quod etiam mirum in modum laudaſſe reperitur. S. Sidonius Apollinaris lib.9.Epiſt.9.Sed viro ſancto atque ſincero nondum compertæ fuiſſe videbantur technæ & impoſturæ Fauſti. Certiſſimùm enim eſt Fauſtum fuiſſe ſemipelagianorum anteſignanum, & eius ſcripta fuiſſe multis pelagianorum errotibus refecta:quod diſerte annotarunt ſanctus Iſidorus, & ſanctus Ado Viennenſis Epiſcopus,quos habes hic infrà, ſcripſerunt aduerſus hoc Fauſti opus,de gratia Dei,ex profeſſo ſanctus Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus,ſanctus Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus, ſancti Alcimus Auitus Viennenſis Epiſcopus, Petrus Diaconus : & ex hæreticis Ioannes Maxentius qui errores Fauſti pelagianos in vnum colligit in reſponſione ad Epiſtolam Hormiſdæ Papæ ad poſſeſſorē. Agnoſcit etiam Gennadius librum de creaturis,genuinū Fauſti eſſe fœtū,dum ait:*& eum(ſcilicet legi librum)aduerſus eos qui dicunt eſſe in creaturis aliquid incorporeum :* In quo fuit in hoc manifeſto errore Fauſtus, vt Angelos & animas hominum eſſe corporeas exiſtimauerit, aduerſus quem tres luculentos libros compoſuit Claudianus Mamertus Viennenſis præſbiter ſancti Mamerti Viennenſis Epiſcopi frater germanus, eximiè laudatus à ſancto Apollinari Sidonio lib.4.Epiſtola.3. ex his plenè perſpectum habes quam cautè ſcripta Fauſta ſint perlegenda:notiſſimum enim eſt à ſancta Romana Eccleſia iam antea omnia damnata repudiari : hæc nunc ſatis, infrà abundè Baronius,adducāmus verba ſancti Iſidori & aliorum.

Sanctus Iſidorus de ſcript.Eccleſiaſt.Cap.14.De Fauſto Regienſi Epiſcopo.

SCripſit fulgentius Rupenſis Epiſcopis multa ex quibus legimus de gratia Dei & libero arbitrio libros reſponſionum ſeptem, in quibus Fauſto Galliæ Rhegienſis vrbis Epiſcopo prauitati pelagianæ conſentienti reſpondens,obnititur eius profundam deſtruere caliditatem hæc ille,qui eadémque repetit,*lib.de viris Illuſt.Cap.25.*

Sanctus Ado Viennenſis Epiſcopus in chronicis ætatis ſextæ, Anni 492. De Fauſto Rhegienſi.

FAuſtus ex Abbate Lerinenſis Monaſterij apud Regium Galliæ Epiſcopus factus,Pelagianū dogma deſtruere conatus,in errorem labitur:vnde eius ſenſus in hac parte Catholicos prædicant, ſicut Gennadius de Illuſt. viris ſcribens omninò errāt.Ita enim liberum arbitrium tam Auguſtinus quàm cæteri Catholici in Eccleſia Dei docent, vt illuminatio virtus & ſalus illi à Chriſto & Chriſtum & cum Chriſto ſit : Fauſtus verò iſte, ita liberum Chriſtianum arbitrium docere conatur, vt illuminatio eius virtus & ſalus non à Chriſto, ſed natura ſit. Contra hunc ſcribit lucidiſſima fide beatiſſimus Auitus Viennenſis Epiſcopus,eius redarguens errorem:ſimiliter& Ioannes vir Eruditus Antiochenus præſbiter.

Annotatio Vinc. Saler.

Iſte Auitus Epiſcopus Viennenſis eſt frater germanus ſancti Apollinaris Epiſcopi Valentienſis monachi Lerinenſis, vt teſtatur idem 5. Ado in chronicis anni 492.ætatis ſextæ,vide infrà in S. Apolinari.S.Octobris.

Honorius

Honorius Auguſtudonenſis de illuſtribus Eccleſ. luminaribus, de Fauſto Epiſcopo Regienſis an. Domini.490.

FAuſtus ex Abbate Lerinẽſis Monaſterij, apud Regium Galliæ Epiſcopus factus, vir in diuinis ſcripturis ſatis intentus compoſuit librum de ſpiritu ſancto, & egregium opus de gratia Dei qua ſaluamur: & alia, hæc Honorius.

Ioannes Trithemius de ſcriptor. Eccleſiaſt. De Fauſto Epiſcopo Regienſi.

FAuſtus ex Abbate Lerinenſis Monaſterij, Epiſcopus Regienſis in Gallia vir quidem doctus, & eloquens, ſed Pelagiano errore fœdatus, vnde & opuſcula eius inter Apocripha computãtur, ſicut patet quintadecima diſtinctione ſancta Romana. Tandem à Beato Fulgentio Ruſpenſi Epiſcopo correptus, & emendatus, errorem deſeruit, & ad veritatem Catholicæ fidei reuerſus eſt, in cuius rei argumentum egregium volumen edidit contra priſtinos errores, quod de gratia Dei prænotauit. De cuius opuſculis feruntur. Idem volumen.

De gratia Dei. lib. 1. Aduerſus Arrianos lib. 1. contra Antropomorphitas lib. 1.
De ſpiritu ſancto lib. 1. fides Catholica in vni.
Ad Gratum Diaconum contra Neſtor. lib. 1.
Ad Felicem præfectum lib. 1. Homiliæ plures ad populum. Claruit ſub Anaſtaſio Imperatore, an. domini. CCCCXC. *Anno domini 490.*

De Fausto Epiſcopo Regienſe, & erroribus eius damnatis ex Baronio in Annalibus Eccleſiaſt. Anno Chriſti 490. Felicis Papæ. VIII. Zenonis Imperatoris, & Odoacri Regis temporibus.

QVo tempore (nempè Zenonis Imperatoris anno vltimo) in occidente S. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus, doctrina celeber, ſanctitate conſpicuus, ad Felicem Romanum Pontificem de gratia, & libero arbitrio librum ſcripſit, quem agnitum ipſe Felix non ſolùm probauit, ſed & ſcripta de eo Epiſtola confirmauit, vulgandúmque vbique curauit: non extat ille quidem ſed quantus fuerit, ex Romani Pontificis addita illi Epiſtola (quod de aliis hactenus non meminimus factum poſſumus opinari. De eo enim apud Gennadium hæc leguntur:[a] *Cæſarius Arelatenſis vrbis Epiſcopus, cui ſanctitate & virtute celeber, ſcripſit egregia & grata valdè & monachis neceſſaria opuſcula. De gratia quoque, & libero arbitrio edidit teſtimonia, diuinarum ſcripturarum, & ſanctorum Patrum iudiciis munita: vbi docet, nihil hominem de proprio agere aliquid boni poſſe, niſi eum diuina gratia præuenerit, quod opus etiam Papa Felix per ſuam Epiſtolam roborauit, & in latius promulgauit.*

[a] *Gennad. de ſcript. Eccleſiaſt. cap. 86.*

Sed accuratiùs diſquirendum, quid eſt quo commentarium illum à Cæſario ſcriptum de gratia & libero arbitrio Felix Papa per ſuam Epiſtolam roborauit, & quod (vt ait Gennadius) in latius promulgauit? Hæc vt percipias, lector, illa eſt tibi horũm temporum rerum geſtarum hiſtoria repræſentanda de rebus geſtis in eadem Gallia Narbonenſi & Aquitania. Idem enim Gennadius ante quàm de Cæſario agat, capite quod præcedit recenſens ſcripta Fauſti ex Abbate Lerinenſi Epiſcopi Regienſis in Aquitania inter alia hæc habet:[b] (*Edidit quoque opus egregium de gratia Dei, qua ſaluamur: In quo opere docet, gratiam Dei ſemper & inuitare, & præcedere, & adiuuare voluntatem, & quicquid ipſa libertas arbitrij de labore pię mercedis acquiſierit, non eſſe proprium meritum, ſed eſſe gratiæ donum.*)

Fauſti ſcripta de gratia & libero arbitrio.

[b] *Gennad. de ſcripto. Eccl. cap. 85.*

Hæc Gennadius. Quiſnam, rogo, ſub tam pulchro titulo, adeò fidei

orthodoxæ concinno,exiſtimare poſſet ineſſe librum in quo lateret hæreſis, ſeu anguis in herba ſub prominentibus floribus? qui quidemhaud rudes tantùm,ſed & diſertos potuit decepiſſe.

Quot enim quantíſque præconiis lucubratio iſta Fauſti accepta fuerit (vt ex hoc magis periculum imminens innoteſcat, & quantum præſtiterit Catholicæ Eccleſiæ Cæſarius ſuis ſcriptis,atque quam opportuna illis acceſſerit comprobatio facta à fœlice Romano Pontifice per Epiſtolam,magis intelligas) neceſſe eſt, vt quæ Sidonius Apollinaris in ſacris dogmatibus olim adhuc Tiro iamdiu ante de eiſdem libris ad Fauſtum ipſum auctorem conſcripſit patienter audias. Res ſanè agitur (vt intelligis) magni momenti, vt pote quæ ne in Gallis tantum atque in Italia, ſed & Conſtantinopoli atque in Africana Eccleſia (vt videbis) exagitata, cui ipſo ſui exordio opus fuerit digniſſimorum Romanorum Pontificum intercedere auctoritatem, Felicis, atque Gelaſij ſucceſſoris,illa probando ſcripta,quæ eo argumento à S. Ceſario edita eſſent;iſta autem reprobando,atque reiiciendo inter Apocrypſorum quiſquilias,quæ eodem argumento eſſent ab ipſo Fauſto conſcriptæ.

Sidonius igitur ad eundem Fauſtum data epiſtola, quomodo duo libri ab eo editi, à ſe verò diutiùs expetit in manus ſuas deuenerint, docet,atque primum verbis iſtis ipſum ita compellat auctorem: [a] Veniſti, magiſter in manus meas: nec exulto tantos, verum inſulto: Veniſti & quidem talis, qualem abhinc longo iamdiu tempore deſideria mea,præſtolabant. Dubito ſanè,vtrum & inuitus,aut certè ſimilis inuito: quippe quo prouidente,* vel (ſi tamen hoc nimis abnuis) acquieſcente, ſim tuis libris inſalutatus: iiſque (quod multo eſt iniuriоſius) territorium Aruernum eum præterirent, non ſolum mœnia mea, verum etiam latera radentibus. An verebare, ne tuis dictis inuideremus? Sed Dei indultu, vitio nulli minus addicimur: Cui ſi ita vt cæteris à mea parte ſubiiceretur, ſic quoque auferret congrediendi æmulationem deſperatio * conſequendi. An Supercilium tanquam difficilis ac rigidi ploſoris extimeſcebas?Et quænam eſt cuiuſque* peritia, ceruix tanta,qui ve hydrops, vt etiam lepida veſtra non feruentiſſimis laudibus proſequatur?An ideò me faſtidiendum,negligendúmque curaſti, quia contemneres iuniorem?quod parum credo.An quia indoctum?quod magis fero:ita tamen,vt qui dicere ignorem,non & audere: quia & qui Circenſibus ludis adfuerunt,ſententiam de curſibus non ferunt.An aliquo caſu diſſidebamus, vt putaremur,iis quos edidiſſetis,libellis derogatiui? atqui Pretule Deo tenues nobis eſſe amicitias,nec inimici fingere queunt.) Hæc cum ſcribat Sidonius & conqueratur ad ſe miſſos non fuiſſe libros: ſatis intelligi poſſe videtur, Fauſtum illos non omnibus communicaſſe, vtique ex mala conſcientia timẽtem,ne qui meis eſſent laquei ſub herbis latentes, ab aliquo acuti ingenij viro & dogmatum callentiſſimo delecti,penitùs diſſiparentur. Sidonius autem etſi vir pius & doctus, penetralia tamen rerum Eccleſiaſticarum adhuc iunior haud fuerat perſcrutatus.Sed pergit ipſe.

Iſta quorſum?inquis.Ecce iam pando,vel quid indagaſſe me gaudeam,vel quid te celaſſe ſuccenſeam.Legi volumina tua, quæ Riocatus Antiſtes, ac Monachus atque iſtiuſmodi bis peregrinus tuis Britannis pro te reportat:illo iam in præſantiarum Fauſto potiùs qui non ſeneſcit, quique viuentibus non defuturus poſt ſepulturam,fiet per ipſa quæ ſcripſit ſibi ſuperſtes. Hic igitur ipſe venerabilis,apud oppidum noſtrũ cùm moraretur,donec gentium concitatarũ procella deferueret*(cuius imaginis hinc & hinc ſine turbo tunc inhorruerat

[a] *Sidon.lib.9. Epiſc. 9.celebrat Sidonius Fauſti ſcripta valde.*

* *Prohibente.*

* *Diſputatio.*

* *Cuiquam.*

Sidonius vi arripuit Fauſti ſcripta.

* *Defremeret.*

horruerat)ſic reliqua dona veſtra detexit,vt perturbanè quæ pręſtantiora portabat operuerit,ſpinas meas illuſtrare diſſimulans tuis floribus.Sed poſt duos aut iis amplius menſes ſic quoque à nobis citò profectum, cum quippiam prodidiſſent deuiatoribus myſticè caſæ clauſit inuolucris clám ferre theſauros:pernicibus equis inſecutus abeuntem, qui facilè poſſint itineris pridiani ſpatia præuertere, oſculo in fauces occupati latronis inſilui humano loco, ** *Ioco.* geſtu ferino, veluti ſi excuſſura quæcumque catulorum parthi colla raptoris pede volatico tigris orbata ſuperemicet:quid multa?capti hoſtis genua complector iumenta,ſiſto fræna ligo,ſarcinas ſoluo,quæſitum volumen inuenio, produco, lectito, excerpo, maxima ex magnis capita defructans. Tribuit & quoddam dictare celebranti ſcribarum ſequacitas ſaltuoſa compendium,qui comprehendebant ſignis,quod litteris non tenebant.Quibus lachrimis ſanè maduerimus,mutuo viciſſim fletu rigati tunc,cum ab amplexu ſæpè repetito ſepararemur longum eſt dixiſſe, nec refert:quod triumphali ſufficit gaudio, ſpoliis onuſtum charitatis,& ſpiritualis compotem prædę me domum retuli. Vidiſti,lector,quanta auiditate Fauſti libri illi fuerint expetiti, quantáve tandem inuenti fuerint rapacitate ſublati:qui in Britanniam mittebātur, vbi diu inquit (vt dictum eſt dogma pelagij)vt non mireris ſi à Cæſario paratum antidotum voluerit Felix Papa ſuis litteris vbique vulgari,ne conditum dulce venenum (quod à viris haud imperitis ipſo primo guſtu tam ſuaue, támque gratum apparuit) incautè legentibus necem inferret,cùm laudati viri, laudibus adeo immenſis prædicaretur. Fuiſſet hic integra ipſa reddenda Sidodij ad Fauſtum epiſtola,niſi nimiæ prolixitatis argui veritus eſſem : tu ipſam otioſus conſulas.Et ne dubites de alio aliquo à Fauſto edito ſcripto potius intelligere voluiſſe,quàm de opere de quo agitur, perpende accuratè ipſius Sidonij verba illa,quibus ait:*Legimus opus operoſiſſimum,multiplex, acre, ſublimè, digeſtum titulis,exemplisq; congeſtum,bipartitum ſub dialogi ſchemate, ſub cauſarū themate quadripartitum.* Ita planè:apparet enim commentarium illum in duos libros eſſe diſtinctum,per capita titulóſque diuiſum,dialogiſmi figuram concinnè referentem ſub cauſarum themate quadripartitum. Nam priori libro tum aduerſus Pelagium omnia libero arbitrio hominis tribuentem, tum aduerſus eos qui cuncta diuinæ gratiæ tantummodo accepta ferenda eſſe iactarēt,diſputat:poſteriori verò de præſcientia & prædeſtinatione cumulatiſſimè differit,vt idem in præfatione operis ad Leontiū (quæ inſcribitur Fauſti profeſſio fidei) apertiſſimè profitetur ; vt nemo iure inficias ire poſſit ,alium aliquem à Sidonio Fauſti exprimi commentarium,quam qui duobus libris partitus de gratia Dei,& humanę mentis arbitrio inſcriptus habetur.Sed Lectorem monitum velim poſteriorem Fauſti librum haud integrum reperiri , ſed deſiderari in eo illa de quibus ad Leontium idem Fauſtus in fine iſta præfatur:in quo quidem opuſculo poſt Arelatenſis Concilij ſubſcriptionem,nouis erroribus deprehenſis,adiici aliqua,ſynodus Lugdunenſis exegit:hæc ibi. At quæ nam iſta ſubſcriptio Arelatenſis Concilij ? nunquid Epiſcoporum Concilium Fauſti commentarium illum ſubſcriptione firmauit?minimè gentium? verum ſubſcripſit ſynodus Fauſti illi tantum epiſtolæ , quàm dedit ad Lucidum presbyterum , vt hominem in errores lapſum reuocaret ad Catholicam fidem. Sed cur,dices , illa ſubſcriptio Arelatenſis Concilij non in fine Fauſti operis amplius , ſed in fronte ipſius ante præfationem poſita legitur, quam illis (vt ait) adiici,ſynodus Lugdunenſis exegit? nunquid hoc caſu factum ? nequaquam. Sed accipe Fauſti Vafrum Concilium : hic ipſe quidem

De quibus Fauſti libris Sidonius intellexit.

ad finem ſui commentarij iſta appoſuit,quibus videri poſſet edita ſcripta ab ipſo iam à duabus ſynodis eſſe recepta:ſed ſcias prudẽter iuréque inde poſtea eſſe ſublata,& ante illud Fauſti opus collocata,vt ſua quæque tempora & auctoribus redderentur,ne Fauſti fraus ſimpliciores decipere poſſet. Acturi nos verò de his quam accuratiſſimè, in primis in memoriam reuocandum putatamus,poſt ſancti Auguſtini obitum prodiiſſe quoſdam, qui ex eius ſcriptis male perceptis complures inuexerunt errores,quos ſancti Auguſtini nomine & auctoritate defendere conabantur: ſed eos pro defenſione ipſius S. Auguſtini agens,ſanctus Proſper validè confutauit.Dicebantur iſti (vt Sigebertus[a] adnotauit) hæreſis prædeſtinatorum ſectatores:qui idcircò eo nomine vocabantur, quia de prædeſtinatione & diuina gratia diſputantes aſſererent, nec piè viuentibus prodeſſe bonorum operum laborem,ſi à Deo ad dãnationem præſciti eſſent: nec impiis obeſſe,etiam ſi improbè viuerent, ſi à Deo prædeſtinati fuiſſent ad vitam: qua aſſertione boni à bonis auocarentur operibus, & mali ſtabilirentur in malis: quæ quidem (vt diximus) ex ſcriptis ſancti Auguſtini malè perceptis,qui huiuſmodi erant,ſe accepiſſe iactabant. His autem detentus erroribus fuit Lucidus quidam magni nominis presbyter, ad quem Fauſtus epiſtolam illam ſcripſit, quàm vt verè Catholicam ab Epiſcopis Concilij Arelatenſis probatam,& ſubſcriptione munitam diximus: cuius etiam auctoritate libros illos duos,de quibus eſt ſermo, Fauſtus probare voluit. Vt igitur cuncta quam exactiſſimè in re magni momenti explorata reddantur,hic tibi primum ipſam ad Lucidum Fauſti epiſtolam reddendam putauimus,vt de reliquis Fauſti ſcriptis pretioſum à vili ſecernas,ſic enim ſe habet.

De hæreſi prædeſtinatorũ.

a *Sigeber. chron. anno Dom.* 415.

Domino deuinctiſſimo & mihi ſpeciali affectu venerando ac ſuſpiciendo fratri Lucido presbytero Fauſtus.

Epiſt. Fauſti ad Lucidum.

GRandis charitas eſt,parùm cauti fratris errorem per Dei adiutorium & gratiam magis velle curare, quam,ſicut ſummi Antiſtites meditantur, à bonitate ſuſpendere. Quid poſſum de hoc ſenſu, ſicut vis, cum vnanimitate tua per litteras loqui, cum te præſens multa & blanda & humili allocutione nunquam potuerim ad vim veritatis attrahere? Loquẽtes ergo de gratia Dei & obedientia hominis,id omnimodo ſtatuere debemus,vt neque proni in ſiniſtram, neque importuni in dexteram regiam magis gradiamur viam. Illud autem venerationem tuam dixiſſe miratus ſum, quod nullus vnquam ſub religioſa profeſſione contra Catholicam fidem vel ſcripſerit,vel prædicauerit, cum plurimi multiplices & profanos auctores ſuos etiam ſcriptorum monumentis crediderint inſerendis, qui tamen Chriſtiano nomine gloriabantur. Breuiter ergo dicam quantum cum abſente loqui poſſum, quid ſentire cum Catholica Eccleſia debeas, id eſt: vt cum gratia Domini operationem baptiſati famuli ſemper adiungas, & eum cum prædeſtinationem, excluſo labore hominis,aſſerit,cùm Pelagij dogmate deteſteris.

Anathematiſmi Fauſti Regiẽſis Epiſcopi.

Anathema ergo illi, qui inter reliquas Pelagij impietates, hominem ſine peccato naſci, & per ſolum laborem poſſe ſaluari, damnanda præſumptione contenderit,& qui eum ſine gratia Dei,liberari poſſe crediderit.

Item Anathema illi, qui hominem cum fideli confeſsione ſolemniter baptiſatum, & aſſerentem Catholicam fidem,& poſtmodum per diuerſa huiuſmodi oblectamenta,prolapſum,in Adam,& originale peccatum periiſſe aſſeruerit.

Itẽ Anathema illi,qui per Dei pręſciẽtiã in mortẽ deprimi hominẽ dixerit.

Item

Itẽ Anathema illi,qui dixerit,illũ qui periit,nõ accepiſſe vt ſaluus eſſe poſſet, id eſt,de baptizato,vel de illius ætatis pagano,qui credere potuit,& noluit.

Item Anathema illi, qui dixerit, quod vas contumeliæ non poſſit aſſurgere,vt ſit in honorem.

Item Anathema illi,qui dixerit,quod Chriſtus non pro omnibus mortuus ſit,nec omnes homines ſaluos eſſe velit.

Hactenùs Fauſti Anathematiſmi, qui mox iſta ſubiungit: Cum autem ad nos in Chriſti nomine veneris,aut cùm à ſanctis Sacerdotibus euocatus fueris: tunc opportunè (ſi dominus iuſſerit) locis ſuis teſtimonia proferemus: quibus & quæ Catholica ſunt, manifeſtantur, & quæ Catholicis ſunt contraria, deſtruantur. Hæc Fauſtus, qui & mox ſubdit quæ de iis ipſe ſenſiat, verbis iſtis:Nos autem per illuminationẽ Chriſti veraciter & confidenter aſſerimus,& eum qui periit per culpam,ſaluum eſſe potuiſſe per gratiã, ſi gratiæ ipſius famulatui, laboris obedientiam non negaſſet: & eum qui per gratiam ad bonæ confirmationis metas,ſeruitio obſequente,peruenit,cadere per deſidiam,& perire potuiſſe per culpam. Nos ergo per mediũ, Chriſto duce, gradientes,poſt gratiã,ſine qua nihil ſumus, laborem laboriosè ſeruitutis aſſerimus:ſed omni modo arrogantiã,& preſumptionẽ laboris excludimus, vt totis viribus deſudantes,ne gratia in nobis euacuetur,quicquid de manu domini ſuſceperimus,donum pronunciemus eſſe non pretium: ſcientes laboris ipſius fructum officij rem eſſe,non meriti:cum Euangeliſta dicentes: [a] *Serui inutiles ſumus:*quod debuimus facere facimus, Hęc quæ ſtrictim pro epiſtolæ breuitate memorata ſunt,aut recipere ſe,aut reſpuere,vnanimitas tua,recurrente ſermone, reſpondeat. Cæterum qui hanc veritas menſuram, gratia præcedente,& conati aſſurgente,non ſequitur dignus erit qui à ſacris liminibus arceatur. Ego autẽ indiuiduã mihi bonitatẽ tuam toto ſinceræ benignitatis amplexu in via retinẽs:in matris Eccleſiæ gremio permanere, repudiato hoc errore deſidero:qui ſi citò reſpuatur,ignorantię fuiſſe videbitur,blaſphemia verò reputabitur,ſi pertinaciter defendatur. Grauẽ namq; in auctorẽ retorquemus inuidiã,ſi dicamus,quod ei poſſibilitatẽ capeſſendæ ſalutis noluerit dare qui periit,ei duntaxat, qui capere iã poſſit arbitrij libertatẽ:Cùm minimè negare poſſimus, quod mandati præuaricatorẽ in iudicij ſui examinatione dãnabit:qui enim nõ eſt obnoxius de ſuſcepto,neſcio quomodo reus eſſe poſſit de perdito. Ac ſic peccantes in Deũ, cuius in primis incautius aſſeruimus gratiã, in poſtremis eius videbimur impugnare iuſtitiã. Huius autẽ epiſtolæ exemplar mecũ retineo,in conuentu ſanctorũ Antiſtitum,ſi ita neceſſe fuerit,proferendum,quam ſi ſuſcipiendam putauerit fraternitas tua:aut ſubſcriptum manu propria mox remitat, aut ſequentibus ſcriptis omninò ſe improbaſſe reſpõdeat,quod ſi eã ſubſcriptã(vt dixi)trãſmittere nolueris,apertè adhuc te in errore perſiſtere,ipſo ſilẽtio comprobabis: ac proinde iam neceſſitatẽ mihi facies ad perſonã tuam publicis Conuentibus exponendã. Et ideo ſecundũ hæc quæ à me ſunt directa,reſcribe, vtrũ ea remotis circuitionibus,aut cognoſcas,aut reſpuas. Hactenùs ad Lucidum Fauſti epiſt. Protulit verò idẽ poſtea eandem epiſtolã,expoſuitq; cognoſcendam Patribus in concilio congregatis: qua Catholica cognita, vndecim Epiſcopi qui interfuerunt eidem ſubſcripſerunt,in hunc modum.

Fauſti profeſſio.

Synodus probat Fauſti epiſtolam.

Auxanius in Chriſti nomine Epiſcopus relegi,& ſubſcripſi.
Fauſtus exemplar epiſtolæ meæ relegi,& ſubcripſi.
Paulus Epiſcopus in Chriſti nomine relegi,& ſubcripſi.

[a] *Luc.* 17.

Eutropius in Chriſti nomine Epiſcopus relegi & ſubſcripſi.
Pragmatius in Chriſti nomine Epiſcopus relegi & ſubſcripſi.
Patiens in Chriſto Epiſcopus relegi & ſubſcripſi.
Euphronius relegi, & admiratus ſum plenitudinem ſanctam.
Megetius Epiſcopus relegi, & ſubſcripſi.
Claudius in nomine Chriſti Epiſcopus relegi & ſubſcripſi.
Leucadius in nomine Chriſti Epiſcopus relegi & ſubſcripſi.
Iulianus in nomine Chriſti Epiſcopus ſubſcripſi.
Lucidus Præsbiter relegi, & ſubſcripſi.

Quod autẽ huic epiſtolæ ipſe Lucidus Presbiter ſubſcriptus legatus, accidiſſe videtur, vt qui per litteras Palidoniam recantarat, etiam in ſynodo coram Epiſcopis ad ipſum voluerit præſtitiſſe.

VOluimus hic Epiſcoporum recenſuiſſe nomina quod omnes fermè magnæ famæ Antiſtites fuerint, quorum apud Sidonium mentio habeatur: nã Auxanius primo loco poſitus, in Lucidi Epiſtolæ, inſcriptione Auxianus legitur, quem illum puto huius temporis Epiſcopum, apud Sidonium mendosè habet Aulianum nominatum antiqua lectione, qua mendoſius recens habet Iulianum. Eſt mentio Auxanij, qui & Auxanius ſcriptus reperitur in epiſtola Hilarij Papæ ad Leontium, & alios Epiſcopos de controuerſia inter eum atque ingenuum Ebredunenſem Epiſcopum. Nominatur & Fauſtus ad quem extat Sidonij epiſtola.[a] Pragmatius item, qui habetur ordine quintus, idémque ſanctus,[b] ad quem extant litterę Sidonij,[c] fuit iſte Epiſcopus Auguſtudonenſis, idémque notus in concilio Epaunenſi. Patiens qui ſequitur ordine ſextus, & ipſe inter ſanctos relatus, fuit Epiſcopus Lugdunẽſis de quo ſæpè idem qui ſupra Sidonius[d] meminit. Euphronij pariter qui numeratur ſeptimus memoria apud Sidonium[e] viget, quem ſanctum nominat: ſicut & Megetij, ad quem eiuſdem Sidonij extat epiſtola.[f] Claudius qui ordine ſequitur nonus, Epiſcopus fuit Biſantinus, idémque inter ſanctos memoria ſ celebris, qui item ſubſcriptus legitur concilio Epaunenſi. De Leucadio nihil inuenimus. Iulianum verò qui vltimo loco ponitur, illum putamus fuiſſe, qui Carpentoractenſem nexit Eccleſiam, Epaunenſiſque ſubſcripſit concilio.

a *Sidon lib. 6. epiſt. 6.*
b. *Mart. Rom. die 22. Nouemb.*
c *Sidon. lib. 6. epiſt. 2.*
d *Sidon. lib. 6. epiſt. 12.*
e *Sidon. lib. 5. epiſt. 25.*
f *Sidon. lib. 7. epiſt. 3.*
g *Mar. Rom. 6. Iunij.*

At ſubiiciamus hic eiuſdem Lucidi epiſtolam (vt Clarius Fauſti hiſtorici habeatur quam ad alium Epiſcoporum conuentum in deteſtationem eorundem errorum his verbis conſcripſit.

Epiſcopi Synodi Lugdunenſis.

Dominis Beatiſſimis in Chriſto reuerẽdis Patribus Leontio, Euphronio, Fonteio, Viuentio, Mamerco, Patienti, Viriano, Auxiano, Fauſto, Megetio, Paulo, Græco, Eutropio, Baſilio, Leõtio, Claudio, Leucadio, Pragmatio, Marcello, Pretextato, Iulian. Amicali, Ioan. Opilioni, Licinio, Viuẽtio, Theophlaſto, Epiſcopus Lucidus. Correctio veſtra, ſalus publica, & ſentẽtia veſtra, medicina eſt. Vnde & ego ſummum remedium duco, vt præteritos errores accuſando excuſem, & ſalutifera confeſſione mea diluam.

Lucidi plena Confeſſio.

Proinde iuxta prędicandi recentia ſtatuta concilij, damno vobiſcum illum qui dicit, humanæ obedientiæ nomine laborem gratiæ non eſſe iungendum.

Qui dicit, poſt primi hominis lapſum ex toto arbitriũ voluntatis extinctũ.

Qui dicit, quod Epiſcopus & ſaluator noſter mortem non pro omnium ſalute ſuſceperit.

Qui

Qui dicit, quod præſcientia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel quod cum Dei pereant voluntate qui pereunt. Qui dicit quod poſt acceptum legitimè baptiſmum in Adam moriatur quicunque deliquerit ad mortem, alios ad vitam prædeſtinatos.

Qui dicit ab Adam vſque ad Chriſtum, nullum ex gentibus per primam Dei gratiam, id eſt per legem naturæ in Aduentum Chriſti fuiſſe ſaluatos, eo quod liberum arbitrium in primo parente perdiderint.

Qui dicit Patriarchas, ac Prophetas, vel ſummos quoſque ſanctorum, etiam ante Redemptionis tempora, intra paradiſum deguiſſe: hæc omnia qui dicit alios deputatos quaſi impia & ſacrilegiis repleta condemno.

Ita autem aſſero gratiam Dei, vt anniſum hominis & conatum gratiæ ſemper adiungam & libertatem voluntatis humanæ non extinctam, ſed attenuatam & infirmatam eſſe pronunciem, & periclitari eum qui ſaluus eſt, & eum qui periit potuiſſe ſaluari. Chriſtum etiam dominum & ſaluatorem noſtrum, quantum pertinet ad diuitias diuinitatis ſuæ, pretium mortis pro omnibus obtuliſſe: & quia nullum perire velit, qui eſt ſaluator omnium maximè fidelium, diues, in omnibus qui inuocant illum.

Altero etiam per rationem & ordinem ſæculorum alios lege gratiæ, alios lege Moyſi, alios lege naturæ, quam Deus in omnium cordibus ſcripſit, in ſpe aduentus Chriſti fuiſſe ſaluatos, tamen ex initio mundi ab originali nexu niſi interceſſione ſacri ſanguinis non abſolutos.

Profiteor etiam æternos ignes & infernales flammas factis capitalibus præparatas: quia perſeuerãtes ſummas culpas meritò ſequitur diuina ſententia, quam iuſtè incurrunt, qui hæc non toto corde crediderint. Orate pro me Domini, ſancti, & Apoſtolici patres. Hactenus profeſſio lucidi ſecundum ea quæ à nominatis Epiſcopis in Synodo definita fuiſſent, in hac incumbentibus Patribus, vt errores exploderent illorum potiſſimum, qui ex doctrina S. Auguſtini malè ab ipſis percepta, ſiue in prauum ſenſum calumnioſè detorta, prauas deduxiſſent concluſiones, quaſi ex neceſſitate prædeſtinationis factum introduxiſſet, ſiue alios errores, quos omnes ante hanc Synodum S. Proſper (vt dictum eſt) confutauit cum aduerſus calumniatores doctrinæ eiuſdem ſancti Auguſtini Reſponſionum quatuor libros conſcripſit. Ex cuius ſententia iidem nominati nuper Epiſcopi eiuſmodi emergentes condemnarunt errores, nulla prorſus de ſancto Auguſtino habita mentione, ex quo fonte improbè illi, atque falſo aſſererent eſſe deductos: cum reuera non ex ſancto Auguſtino iſta proferre, ſed prauis eorum ſenſibus conuicti ſint.

Bene quidem hucuſque res geſta: ſed qui inter eos conſedit Fauſtus ſancti Proſperi ſucceſſor Epiſcopus Regienſis & æmulus inſtar cauponis, [a] qui miſcens aquam vino, non iuſtificatus à peccatis, primum ſummam fidem apud patres inuenit, quod ſucceſſor eſſet acerrimi defenſoris Catholicæ fidei, & lucidum magni nominis virum ad pœnitentiam perduxiſſet, meruiſſétque laudem apud ſacros Synodales Conuentus, quibus interfuerunt (vt vidimus) viri ſanctiſſimi atque doctiſſimi: nam præter recentiſſimos illos qui Fauſti Epiſtola ſubſcripſere, inter eos etiam, ad quos ſuæ pœnitentiæ lucidus præſbiter libellum direxit, magnus ille adnumeratus Mamercus Viennenſis Epiſcopus, cuius præconia Sidonius Apollinaris poſteris ſatis copioſè teſtata reliquit: & alij quorum apud eundem auctorem celebris fama eſt, vt Leontius Epiſcopus Foroiulienſis, ad quem etiam Fauſtus libros illos ſuos inſcripſit, & Sidonij extat epiſtola [b]: Theophraſtus, ad quem item ipſius Sido-

[a] *Eccleſ. 46. Fauſtus conatur.*

[b] *Sidon. lib. 6. epiſt. 3.*

nii data reperitur epistola [c], sicut & ad Eutropium [d], nec non ad Græcum [e], quem plurimùm laudat: item Ioannes cuius est mentio apud eundem Sidonium in epistola ad Domnulum [f] nec non Basilius ad quem extant ipsius litteræ [g].

Quod igitur duorum ista Conciliorum extarent monumenta à Fausto suis libris affixa, quibus visus esset à se editum commentarium illum duobus libris distinctum confirmare voluisse: Cæsarius quod videret venenum ea arte esse paratum, vt decipere etiam prudentem hominem posset, eodem argumento (vt diximus) Catholicos edidit libros, quos epistola sancti Felicis Romani Pontificis confirmauit cum è contra Gelasij Papæ censura scripta Fausti inter reiecta sint adnumerata. At non vnus tantũ præstitit, hoc Cæsarius, vt scriptis suis Catholicam fidem firmaus, Fausti refutaret errores: sed & sanctus Auitus Viennensis Episcopus eodem fermè tempore istud tempus exhibuit; de quo habet ista eiusdem Ecclesiæ Episcopus Ado [h], cum de Fausto agit his verbis: Faustus ex Abbate Lerinensis Monasterij apud Regium Galliæ Episcopus factus, Pelagianum dogma destruere conatus, in errorem labitur; vnde qui eius sensus in hac parte Catholicos prædicant (sicut Gennadius de Illustribus viris scribens) omninò errant. Ita enim liberum arbitrium tam Augustinus, quàm cæteri Catholici in Ecclesia Dei docent, vt illuminatio, virtus, & salus illi à Christo & per Christum, & cum Christo sit: Faustus verò iste, ita liberum Christianum Arbitrium docere conatur, vt illuminatio eius, virtus & salus non à Christo, sed à natura sit, *Contra hunc scribit lucidissima fide Auitus Viennensis Episcopus, eius redarguens errorem: similiter & Ioannes vir eruditus Antiochenus presbyter.* Hæc Ado.

Non est quidem, vt pro Fausto aliqua possit in eius defensionem, vel excusationem Apologia elaborari, quem constat in vniuerso orbe Catholico impugnatum: etenim in Occidente Cæsarius & Auitus Doctissimi atque sanctissimi in Galliis Episcopi aduersariis eum scriptis exagitarunt, eundemque in Affrica sanctus Fulgentius Ruspensis Episcopus septem libris vehementissimè oppugnauit, de quibus Isidorus [k]: legimus de gratia Dei & libero Arbitrio Fulgentij libros Responsionum septem Fausto Galliæ Regiensis vrbis Episcopo Pelagianæ prauitati consentienti respondentis obnititur eius profundam destruere calliditatem. Hæc ipse: sed qui præstant his omnibus Felix atque Gelasius Romani Pontifices eadem Fausti scripta reiecerunt: vt plenè vniuersum occidentalem orbem in eosdem Fausti libros insurrexisse, eosdémque oppugnasse, atque hæresis condemnasse, manifestum sit.

In Oriente verò non vnus duntaxat (quem refert Ado) Ioannes presbyter Antiochenus eos Fausti libros refellit, sed Orthodoxi fermè omnes, obnitẽtibus contra, & turbas mouentibus Constantinopoli Scythiæ Monachis, qui de his libellum obtulerunt Legatis Hormisdæ Papę Constantinopoli agentibus: quem cum illi recipere noluissent, ipsi Romam profecti eundem Pontificem conuenere.

Sed ad Possessorem Episcopum ea de re ipsum Pontificem litteris itidem consulentem de Fausti libris ista rescripsit Hormisda: Hi verò quos de Fausti cuiusdam Galli Antistitis dictis contuliste, litteris indicastis: id sibi responsum habeant: Neque illum, neque quemquam, quos in Auctoritate Patrum non recepit examen Catholicæ fidei, aut Ecclesiasticæ disciplinæ ambiguitatem posse gignere, aut religionis præiudicium comparare. Fixa sunt à Patribus, quæ fideles sectari debeant instituta. Et post nonnulla: De libero tamen arbitrio,

c *Sidon. lib. 6. epist. 5. & lib. 5. epist. 4.*
d *Idem libr. 6. epistol. 6.*
e *Sidon. lib. 6. epist. 8.*
f *Idem libr. 5. epist. 25.*
g *Idem lib. 7. epist. 6.*
h *Ado in Chron. an. d. 492.*
i *Errores Fausti.*
k *Isid. de viris illustribus cap. 14.*

arbitrio & gratia Dei quomodo Romana, hoc eſt, Catholica ſequatur & ſeruet Eccleſia, licèt in variis libris beati Auguſtini, & maximè ad Hilarium & Proſperum poſſit agnoſci, tamen in ſcriniis Eccleſiaſticis expreſſa capitula continentur, quæ ſi tibi deſunt, & neceſſaria creditis, deſtinabimus. [Hæc & alij Hormiſda Papa ad Poſſeſſorem Epiſcopum Africanum quibus valeas intelligere libris illis Fauſti ab omnibus contradictum, & à ſede Apoſtolica Catholicáque Eccleſia eoſdem eſſe reiectos, quinam autem colligantur ex Fauſti duobus libris illis errores ſcriptis S. Auguſtini & ſententiæ Catholicæ Eccleſiæ aduerſantes, tu vide illos collectos à Maxentio in Reſponſione ad Hormiſdam Romanum Pontificem, [a] vbi in pluribus Fauſtus declaratur hæreticus.

a *Extat ipſa Tom. 4. bibl. ſanctorũ patrum ſecundæ editionis.*

Videre namque eſt, eundem Fauſtum in conuentibus ſanctorum Patrum, vt Saül inter Prophetas: Prophetam & ipſum apparuiſſe, eadem cum ipſis ſententiam: Sed priuatis poſtea ſcriptis doloſa arte totam de iuſtificatione hominis deſtruxiſſe ſententiam, dum captioſè videri volens pugnare contra Pelagium, Pelagio fauiſſe compertus eſt. Eiuſmodi planè erant Pelagianorum, immò & Pelagij ipſius fallaces artes, dum videri volentes eam hæreſim confutare, eandem firmius ſtabilirent. Cùm igitur Fauſti ſententiæ vbique ab Eccleſia Catholica fuerit contradictum: videant quanto periculo quidam ex recentioribus, dum in Nouatores inſurgunt, vt eos confutent, à S. Auguſtini ſententia de prædeſtinatione recedunt: cum alioqui arma non deſint, quibus aduerſarij profligentur.

Fauſti latebræ detegũtur.

At non his contentus nouus dogmatiſta, nouas in Eccleſia aſtruere conatus eſt ſententias, cum illud inſulſum edito ſcripto importunus inuexit vt aſſereret animas eſſe corporeas. Extat hactenus ipſius ea de re elucubratio in opuſculo quod inſcripſit de Creaturis, in quo quidem miram quandam deteximus hominis in erroribus aſtruendis calliditatem ne, an dicam nequitiam? cùm, vt lectorem decipiat, abutens ſancti Hieronimi nomine, eam ex eodem auctore ſententiam citat qua ille [b] Origeniſtas impugnat. Audi, rogo Fauſti verba: *Sicut in quodam S. Hieronimi tractatu legimus: Globos (inquit) ſiderum comparatos eſſe ſpiritus arbitrantur.* At quam procul ab hac ſententia ſanctus Hieronimus fuit, qui Origeniſtas ex philoſophorum ſcholis deducentes iſta figmenta ad corpora glorificata deridet? verùm eiuſdem mendaciorum latebras & captioſas fallacias detexit & confutauit Claudianus Mamerci* Epiſcopi Viennenſis germanus, tribus diſertiſſimis libris ad Sidonium Apollinarem conſcriptis, quos idem Sidonius luculenta laudauit Epiſtola [c]: Sed cùm eximia illa præconia in ignominiam Fauſti vertantur, aduerſus quem Claudianus diſputauit: planè intelligere potes eius erga Fauſtum priores affectus fuiſſe immò & in contrarium eſſe conuerſos.

b *Hieronimi Epiſtola. 27. & contra Ioa. Hieroſol.*

Claudianus Fauſtum confutat.

* *Mamerti.*

c *Sidon. lib. 4. Epiſt. 3. & in præfat. Claud. oper.*

Porrò Fauſtus ipſe, cum eius fallaciæ detectæ eſſent, quibus conatus eſt reuellere Pelagianas ſcrobes in lapſum ſimplicium, abalienauit à ſe animos Epiſcoporum atque deceſſit inglorius: quem miramur ab aliquibus imprudenter ſanè inſcribi ſanctum. Iſta quidē priori editione ex adductis diuerſorum ſcriptis affirmare, non indecens quidem fuit. At verò ex poſtea cognitis & adductis, rurſus ad iudicium ipſum reuocandum, haud exiſtimamus indignum, cum tamen de eius ſcriptis immotæ maneant ſentētiæ patrum. Quod enim vſque ad hæc tempora noſtra eundem Fauſtum continuit inter ſanctos Martyrologium Gallicanum, à quo ipſum Molanus primum expunxit: quod etiam vt accepimus Eccleſia Regienſis in Gallia, vbi ipſe ſedit Antiſtes,

De fauſto errores.

ſemper eum vt ſanctum coluerit,celebrans eiuſdem natalem decima ſeptima Ianuarij: ibique in eius memoriam antiquitus erecta baſilica eius nominis titulo inſignita hactenus eius cultu à fidelibus frequentetur: quódque tot ſæculis,Chriſtiano orbe ſpectante,Eccleſia Romana tacente,nemine penitus (quod ſciatur)contradicēte iſta eidem Fauſto exibhita intelligantur: opinari non prohibemur, de eodem Fauſto accidere potuiſſe (quod de multis viris ſanctis aſſeritur)quod delinquens errauerit, cum quæſtio illa fuerit auctoritate ſedis Apoſtolicæ definita,& eius opinio Patrum ſententia condemnata, ipſe ſuum errorem fuerit ſcriptis contrariis deteſtatus,quæ potuerint, vt alia quam plurima periiſſe,vel ipſum ante ſuorum ſcriptorum factam ab Eccleſia damnationem diem obiiſſe (incertus eſt enim eius obitus annuus)habentem in animo in his ſequi,quod ſequendum doceret Eccleſia. Ita quidem ipſum compoſitum animo fuiſſe, aliiſque innotuiſſe, inde facile poteſt intelligi, quod ſemper (vt indicant Acta conciliorum Arelatenſis & Lugdunenſis ſuperius recitata) communicationem habuit cum ſanctiſſimis orthodoxis Galliarum Epiſcopis.Maneant igitur Fauſto integra iura ſua, nec ex noſtris ſcriptis ſentiat præiudicium:neque priuato iudicio nouitati liceat conuellere antiquitatem:Sed de eodem multo magis obſtupeſcimus eundem ab aliis redigi in claſſem Monachorum ordinis ſancti Benedicti: cum antequam idem ſanctus auſpicaretur vitam monaſticam, iam Fauſtus ſenex ex hac vita deceſſiſſet,iam longè antequam idem Benedictus naſceretur creatus Epiſcopus. Hæc igitur de his ſatis, quæ diuerſis temporibus actitata, hic in vnum oportuit collegiſſe, vt perdificilis quæſtionis cauſa facilius percipi poſſet.

De Fauſti tempore Epiſcopatus agit Baronius in Annall.Eccleſ. Tom.6.anno Chriſti 472 ſimplicij Papæ V.Leonis & Olibrij Imperatorum temporibus dum agit de Sidonio Apollinari Epiſcopo Aruernenſi: in hæc verba.

a *Sidon.lib.9. Epiſtola.3.*

AD Fauſtum quoque nuper creatū (vt ipſe ait) Epiſcopū Regienſem ſcribens[a],vbi ipſum valdè laudauit,quòd per ſacerdotium nihil immutarit vitæ monaſticæ ſeueritatem, eiuſdem exigens preces hæc inter alia habet, bene compoſitum animum indicantia iis igitur(vt ſuprà dixi)precatibus obtine,vt portio noſtra ſit dominus atque vt adſcripti turmæ leuitarum, nec remaneamus terreni, quibus terra non manet, inchoëmúſque ſicut à ſæculi lucris,ſic quoque à culpis peregrinari,&c. Hæc & alia huiuſcemodi, quibus & demonſtrat eadem circa tempora ſcilicet annum quadringenteſimum, ſeptuageſimum ſecundum Fauſtum ex Abbate Lerinenſi creatum fuiſſe Epiſcopum Regienſem,hæc ille.

Fauſti Epiſcopatus tempus.

De Fauſti Regienſis libris conſultatio poſſeſſoris Epiſcopi ad Hormiſdam Papam an. Chriſti 520.Hormiſdæ 7.Tom.7.annal.

EX more de quæſtionibus ad Catholicam fidem ſpectantibus, non alium quemquam,niſi quem præſidere ſciret in Eccleſia Catholica magiſtrum poſſeſſor Conſulendum putauit, qui & ipſe ſuis litteris profitetur: quarum ita ſe habet inſcriptio. [b] Domino beatiſſimo & ineffabiliter mirabili & in Chriſti gratia præferendo Papæ Hormiſdæ Poſſeſſor Epiſcopus in domino æternam ſalutem.

b *Extat inter Epiſtolas Hormiſdæ Tom.1. Epiſtol. Rom. Pont.*

Decet & expedit ad capitis recurrere medicamentum, quoties agitur de ſanitate membrorum, & infrà. Vnde cùm quorundam fratrum animus

de

de codice Fauſti cuiuſdam nationè Galli Reginæ Ciuitatis Epiſcopi, qui de diuerſis rebus,& Frequentiùs de Gratia Dei diſertè viſus eſt diſputare in ſcandalum moueretur,aliis (vt ſe habent humana ſtudia) in contrarium renitentibus,me crediderunt de hoc ambiguo conſulendum. Dixi quidem,ea quæ à tractatoribus pro captu proprij ingenij diſputantur, non vt canonica recipi, aut ad ſynodalium vicem pro lege ſeruari: ſed habere nos certa ſcilicet, quæ veteri lege vel noua conſcripta, & generalibus Patrum ſunt decreta iudiciis ad fundamentum fidei, ac religionis integram firmitatem: hæc autem quæ Antiſtites diuerſi conſcripſerunt,pro qualitate ſui,ſine præiudicio fidei ſolere cenſeri. Sed cum hæc (quantum in eorum frequenti poſtulatione perſenſimus) magis eis excuſatio videretur: vel pro eorum prece, vel pro obſequij occaſione reddendi Apoſtolatui veſtro per Iuſtinum diaconum meum præſumpti apices paruitatis meæ ingerere, quibus principaliter orationum veſtrarum munimen expoſcens,quæſo, vt conſulentes quid de præfati auctoris dictis videatur,auctoritate Apoſtolicæ reſponſionis agnoſcant.Hęc de obortа de libris Fauſti quæſtione Poſſeſſor. Has accipiens à poſſeſſore Epiſcopo litteras per Iuſtinum diaconum Hormiſda Papa, quod nouæ quæſtionis occaſione videret alterius ſciſſionis in Oriente imminere periculum, reſpondere minimè prætermiſit Idibus Auguſti reſcribens ad poſſeſſorem Epiſcopum epiſtolam,quæ ſic ſe habet. *Extat interſcripta Ioannis Maxentij.*

Hormiſda Poſſeſſori Epiſcopo.

SIcut rationi congruit,vt conſulant ambigentes,ita par eſt,reſpondere cõſultos,quia ipſe impellit in errorem qui non inſtruit ignorantem:& infrà. Hi verò quos vos de Fauſti cuiuſdam Galli Antiſtitis dictis conſuluiſſe, litteris indicaſtis:id ſibi reſponſum habeant:neque illum recipi,neque quẽquam, quos in auctoritate Patrum non recipit examen Catholicæ fidei, aut Eccleſiaſticæ diſciplinæ ambiguitatem poſſe gignere, aut religioſis præiudicium comparare:fixa ſunt à Patribus,quæ fideles ſectari debeant inſtituta: ſiue interpretatio,ſiue prædicatio, ſeu verbum populi edificatione compoſitum, ſi cum fide recta & doctrina ſana concordat, admittitur, ſi diſcordat,aboletur. Et infrà.De arbitrio tamen libero,& gratia Dei, quod Romana (hoc eſt Catholica) ſequatur & aſſeueret Eccleſia,licet in variis libris beati Auguſtini,& maximè ad Hilarium & Proſperum poſſit cognoſci: tamen in ſcriniis Eccleſiaſticis expreſſa capitula cõtinentur, &c. Plura alia quibus inculcat hæc magna inergia Hormiſda,alludens ipſe quidem ad Cenſuram Gelaſij Papę atque Romanæ ſynodi,quorum decreto ſcripta ipſius Fauſti reiecta ſunt inter apocrypha. Data eſt hæc epiſtola Idibus Auguſti, Anno Chriſti quingenteſimo vigeſimo: Hormiſdæ Papæ anno ſeptimo, Iuſtini Imperatoris tertio,Theodorici regis vigeſimooctauo.Hæc Zarenius tomo ſeptimo Annal.Eccleſiaſt. anno dicto. *De libris Fauſti ſententia Hormiſdæ Papæ.* 520.

Porrò apponimus hic Inſtructionem Fauſti ad Monachos inter farragines ſcripturarum Lerini repertam: reliqua opera Fauſti, habentur in Bibliotheca Margarini, Tomo tertio & quarto quibus adhibe cenſuram librorum expurgandorum.

INSTRVCTIO AD MONACHOS
FAVSTI EPISCOPI REGIENSIS
& Mon. Lerin.

INSTRVIT nos atque hortatur ſermo diuinus, qualiter nos accingere debeamus ad inquirenda promiſſa ſua, & obtinenda illa bona, quæ nec viſu capi, nec auditu percipi, nec cogitatu comprehendi poſſunt. *Petite (inquit) & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis.* Id eſt, vt petamus orando, quæramus laborando, pulſemus perſeuerando, & in ſpem cœleſtium tanto incitemur ſtudio, tanto inardeſcamus affectu, vt cum præmiorum dignitate deſideriorum magnitudo concordet. Non vult enim Deus noſter bona ſua nimia inueniendi facilitate vileſcere. Pretioſa & concupiſcibilis merx cupidum amatorem atque auidum negotiatorem requirit. Ergo ille tantorum munerum repromiſſor non vult in opere ſuo tepidum, deſpicit faſtidioſum, recuſat coactum & ingratum, reſpuit indeuotum. Lentum enim & parum gratum quærere gratiam diuini muneris, maxima eſt iniuria remuneratoris. Ergo totis licet animæ & corporis laboribus deſudemus, totis licet obedientiæ viribus exerceamur, nihil tamen condignum quod meritò pro cœleſtibus bonis penſare & offerre valeamus. Non valent vitæ temporalis obſequia æternæ vitæ gaudia. Laſeſcant licèt membra vigiliis, palleſcant ora ieiuniis, non erunt tamen condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Pulſemus ergo, inquam poſſumus, quia non poſſumus, inquantum debemus. Futura beatitudo acquiri poteſt, æſtimari non poteſt. Niſi enim cum auiditate, niſi cum bona voluntate Dei opera & cum lætitia egerimus, Deo nos perire nouerimus. Putamus cariſſimi, quod dignè quærat illa anima, & ita pulſet, vt ei aperiatur, quæ ad leue præceptum ſenioris reſpondere præſumit & dicere: Numquid ſerui veſtri ſumus: Iam feci vicem meam, & ille faciat ſuam. Quo modo hoc dicit, cui præceptum eſt *Nolite quærere quæ veſtra ſunt, & iterum: non quæ ſua ſunt ſinguli deſiderantes, à quo non hoc expetitur, vt mercedem ſuam impleat, ſed vt alienas inuadat, præoccupet, rapiat?* Putamus quod ita petat, vt accipiat: ita quærat, vt inueniat: pulſet, vt ei aperiatur, qui pro aliqua negligentia correptus, & pro diſciplinæ ordine caſtigatus, non ſe ad emendationem, non ad ſatisfactionem confert, ſed magis ad illam proteruiam, vt dicat: deſero atque diſcedo: hoc ego ferre non patior: ingenuus homo ſum. Iam primùm qui ante præpoſitum vel Abbatem ingenuum ſe eſſe iactat, puto quòd adhuc emptum eſſe ſe neſciat. Qui Chriſtianæ militiæ mancipatus dicere ſe præſumit ingenuum, penè eſt, vt ſe neget Chriſti ſanguine comparatum. Quid eſt hoc aliud, quàm ipſi Domino clamare, liber ſum, nihil tibi debeo? De talibus dicebat Apoſtolus: *Cum enim ſerui eſſetis inobediẽtiæ, liberi fuiſtis iuſtitiæ.* Non benè ingenuus appellatur, qui miſera vitiorum ſeruitute deprimitur. Clamat autem in contumelia diſciplinæ, in peccato animæ ſuæ: *Malo diſcedere, quàm emendari, quàm ſatisfacere, quàm implere quod præcipis.* Quid eſt hoc aliud quàm iugum Chriſti rebellè ceruice diſcutere? Iſti tales neſciunt, quid vouerunt, obliti ſunt propter quid huc venerunt. Iſti tales non benè petũt, ſi malè vitiis appetũtur: mõ fide pulſant, ſed infidelitate pulſantur. Quid prodeſt quod diſcedis, qui vndiq; aſtrict⁹ es vinculis paſſionũ? quẽ hinc atque inde circũuallant vitia ſua? Dignè aliquis diſcederet, ſi illò ire poſſet vbi illum

illũ diabolus inuenire nõ poſſet. Nemo ſe fallat, nõ fugiat aduerſariũ de loco ad locũ, ſed de vitio ad virtutẽ, de paſſione ad emendationẽ. Si eum fugias, ſequitur, emenda te, & fugiet à te, ſicut ait Apoſtolus: *Reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis.* Non obedire autem & velle diſcedere, hoc eſt dupliciter facere diaboli voluntatem, hoc eſt volontariè ſibiipſi etiam in præſenti damnationem inferre peccati. Illis ipſis qui grauiter apud nos delinquunt, nullam triſtiorem, nullam acerbiorem poſſumus inuenire ſententiam, quàm vt à corpore congregationis abſciſſi ſine pace diſcedant. Et numquid non amentiæ genus eſt, vt hoc quiſquam pro remedio expetat, quòd etiam à præpoſito niſi ſummo crimine poſſit inferri? Intelligamus ergo iſtas indignationes & conditiones inimico cooperante & diſponente prouenire. Ille enim qui non poteſt aliquem abſolutè de loco ſalutis excutere, immittit primum occaſiones & cauſas, immittit in obedientiæ paſſionem, quàm ſemper infidelitas comitatur, quæ dum captiuam illáque auerit mentem, ſtatim intoleranda atque impoſſibilia facit etiam quæ illa parua ſunt. Et ſanè dubium non eſt, quòd vires inobedientibus diuinitùs ſubtrahuntur: & ſicut ille qui non habet neceſſariam fidei deuotionem, & quod habebat, auferetur ab eo; ita & inobedientia obdurat animum, quẽ ſemel cœperit, vt ad ſuſcipienda præcepta nec auctorite nec ratione flectatur. Sed, quod peſſimum eſt, ſibi ſoli credat & pro omni ratione intẽtiones ſuas ſequatur, & hoc ſolum præceptum putet, quod obturato corde concepit, ſimilis ei effectus de quo diuinus ſermo pronuntiat: Itinera inſipientium recta in conſpectu eorum, & iterum: Sunt viæ, quæ videntur rectæ eſſe hominibus, nouiſſima autem eorum venient in profundũ inferi. Poſtremò veniet huiuſmodi animabus, quod domui quę ſuper arenã ædificata eſt, hæc enim parabola maximè ad inobediẽtes reſpicit. Sic enim legimus: *Omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilabitur viro ſtulto, qui ædificauit domũ ſuã ſuper arenã, & reliqua.* Id eſt, cùm influxerint ſtillicidia paſſionũ, cùm aduenerint flumina & torrẽtes atq; impetus tribulationẽ ex multitudine negligentiarũ, cùm flauerint vẽti illi vtiq; qui per iſtum aërẽ volitant, parati ad Chriſti areã ventilandã ſicubi inueniãt paleas, quas ad ludibriũ ſuũ rapiant, atq; diſpergant, tunc irruent in domum illã, quę ſine obedientiæ fundamẽto inuenta eſt, & fiet ruina illius magna, ſed forſitã dicat aliquis, Nunquid ſtatim de hoc loco diſcedere ruina dicẽda eſt? Dico cariſſime, nõ grãdis ſpes eſt, ſi nauis in fluctibus conſtituta, licet ipſa non pereat, tamen iacturam maximam de honore ac mercibus ſuis faciat, & ad portum vacua perueniat. Sic non grande gaudiũ eſt, ſi aliquis ad ſæculi fluctus reuertens nomẽ atque habitum profeſſionis ſuæ cuſtodire videatur, anima verò eius negligẽtiis tabeſcat ac defluat. Et quid grauius quando ſubitò tanquam aliquis repentinus eradicarius de loco ad quẽ te dominus tuus vocauerat, in quo te primùm poſt mala ſæculi quaſi in portum de tẽpeſtate induxerat, obliuiſci ſubitò fraternæ ſocietatis & cõſolationis, obliuiſci loci illius in quo primum dulciſſimũ immutationis habitũ & nomẽ ſecularis exueris? Aues ipſæ diligunt nidos ſuos, amant feræ loca, in quibus nutritæ ſunt, amãt cubilia & paſcua ſua, & quãlibet naturali libertate paribus rapiantur, ſæpius tamen ad cara ſibi loca quodam deſiderio reuertũtur: & tu intellectu præditus, ratione munitus ita interdum ſenſu alienus efficeris, vt præferas Dei beneficiis voluntates vel intentiones tuas, & diaboli inſinuationes ſequeris. Quæ quãlibet ad duros labores, quãlibet ad ſalutis naufragia atque animæ detrimẽta te rapiant, totũ hoc præ nimia cordis indignitate non ſentis. Tẽpore enim diſceſſionis multa promittit

inimicus, se illic quo tendit, maiorem profectum, multam gratiam, atque omnium rerum abundantiam reperturum, ac se tanquam angelum suscipiendum, & post hæc quando anxietate repletus & pace nudatus, profectus sui studium & sacrum ouile reliquerit, tunc animaduertit, & quasi sedata temporis tempestate tunc inde quid de se malè egerit, tunc recognoscit quid periculi incurrerit, cum de loco ad quem cum gaudio venerat, sine pace cum scandalo discessit. Tunc sera penitentia super ruinas suas pœnitet, ac deflet sicut quædam aues quæ præ dolore super eos quos occiderint flere dicuntur, hæc omnia animæ detrimenta ex inobedientię malo eueniunt. Obedientes autem & humiles animæ multas tribulationes atque omnes labores prosternunt, atque incompendium mittunt. Sciendum est enim quòd quanto humiliores & obedientiores fuerimus præpositis & patribus nostris, in tantum obediet dominus orationibus nostris. Videamus quàm acceptabilia sunt Domino vel opera, vel ieiunia eorum qui suis potiùs quàm seniorum voluntatibus obsequuntur. Clamant illi, *quia ieiunauimus, & non aspexisti: humiliauimus animas nostras, & nescisti,* & ille respondens, *Ideò quia in diebus ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra.* Videmus ergo per inobedientiam animorum opera non respici, ieiunia non audiri, vota non suscipi. Vnde nos amplius illius mãdata sectemur, qui ad nos è cœlo descẽdit, non solùm vt nos redimeret mortis pretio, sed etiã vitæ ædificaret exẽmplo: & cùm illo dicamus: Ego nõ veni facere voluntatẽ meam: sed voluntatem illius, qui misit me patris. Ire autẽ post voluntates proprias tã pernicioſum est, vt hoc Deus iã postmodũ iratus pro dãnatione peccati inobedientibus irroget dicẽs: Et dimisi illos secundum desideria cordis eorũ. Quamobrem qui vult opera sua esse recta in conspectu Dei, nihil obediẽtiæ, nihil præceptis præponat, siue ille iunior, siue senior est, tanto plus debet studere ædificationi & perfectioni. Nullũ sibi finem faciat proficiendi, nullum terminũ constituat acquirendi, cùm sibi dici audiat, *para in exitu opera tua:* & iterum, *non vereris vsque ad mortem iustificari, & iterum, sapientia in exitu canitur.* Quanto ergo plus proficimus, tanto plus humiliemur: quia quanto plus humiliati fuerimus, tanto amplius proficimus. Nullus illi senior tam indoctus appareat, vt putet, quòd eum non deceat obedientię, quæ Deum decuit. Humiliatus enim atque obedientia in iuniores adhuc necessitas, in seniores iã dignitas est. Ille bene proficit, ille bene cõsummat, qui quotidie sic agit, quasi semper incipiat. Quamobrẽ augmenta meritorum incitamenta esse perfectorũ scriptura pronunciat. De his verò qui dum primas negligentias prætermittũt, in alias atque alias semper incurrunt, ita ait: *Peccator adiicit ad peccandũ:* de perfecto verò dicitur: *& sanctus adhuc sanctificetur.* Videamus primùm quid est peccator, adiicit ad peccandũ. Verbi gratia, cuiuslibet, vt puta obtrectationis, si passio impugnare me cœperit, si nõ statim me pœnitudo huius vitij cœperit, cras tanta mihi huius vitij facilitas veniet, & quędã (vt sic dixerim) suauitas, vt reuocare me ab illo & cõtinere nõ possim. Ita enim euenit, vt qui primo tẽpore emendare se nolit, incipiat in sequenti nec velle nec posse. Verbi gratia, superbè acquiescere cœpi, regulam violaui senioręlęsi, iuniorem destruxi: si non statim me pœnituit grauiter me fuisse præuentum, iam de in diem libentissimè me rapiet ipsa violentia consuetudinis & impetus passionis, vt iam nec delinquere me intelligam, nec peccare me sentiã. Obscurat enim atque obruit intellectum delicti, assiduitas delinquẽdi. Et enim ita cor negligẽtis obduratur, vt hoc ipso si nõ se humiliet, si nõ satisfaciat, præposito suo nocere se credat, insuper & insultet & dicat. Quam

constanter

conſtanter illi reſtiti, quàm bene non acquieui, quanta auctoritate reſpondi, putabat quod me ſemper illi humiliare deberem. Quod qui facit, diabolo ſe tradidiſſe conſtat, qui de hominum vitiis & paſſionibus & perditione lætatur,& eiuſmodi animæ eueniet illa ſententia:*peccator adiicit ad peccandũ.* Quã nos refugientes,illam potiùs teneamus quæ dicit, & ſanctus adhuc ſanctificetur,vt quotidie addamus merita, nec de nobis aliquid præſumamus, quia DEI eſt omne quod ſumus. Simus itaque in opere Dei indificientes propter æternam retributionem,& quotidie ad meliora tendamus. Ipſa enim apprehendendi auiditas,ipſa conſuetudo proficiendi ſemper nos ad maiora prouocet,& vbi viderit Deus deuotionem animæ,ardẽtiorem inſinuabit affectum: & quanto nos arſerimus ad ſtudium, tanto ille apponet adiutorium : quanto nos appoſuerimus ad diligentiam, tanto ille addet ad gloriam. *Qui habet, dabitur illi,& ſuperabundabit,*& alio loco dicit:*poſui adiutorium ſuper potentem.* Gratia ergo de gratia naſcitur,& profectus profectibus ſeruiunt, lucra lucris & merita meritis locum faciunt:vt quanto plus quis acquirere cœperit, tanto plus conetur inquirere:& quanto auidiùs de ſapientiæ bonis hauſerit,tanto plus haurire deſideret,ſicut ipſa de ſe loquitur ſapientia: *Qui edunt me, adhuc eſurient.* Vrgeamus curſum noſtrum, vt creſcat in nouiſſimo vita noſtra. Quæramus vſque in finem,vnde ſine fine gaudere mereamur. Sed eſto, non poſſumus exercere corporis labores, conferamus nos ad ſpiritualium bonorum deſiderium,ad compunctionis & charitatis augmentum. Si quotidie in cordibus noſtris diſponamus aſcẽſus:nulla infirmitate, nulla ætate laſſari poſſunt mentes, vt ſpiritualibus quibuſdam gradibus aſcendere mereamur ad promiſſa Domini noſtri Ieſu Chriſti:Cui eſt honor,virtus & gloria,potentia & claritas, & magnificentia & imperium & nunc & ſemper & in cuncta ſæcula ſæculorum.Amen.

*Hiſtoria tranſlationis corporis ſancti Honorati Archiepiſcopi Arelatenſis à dicta ciuitate ad ſuum Monaſterium Lerinenſe ex manuſcriptis vetuſti codicis eiuſdem Monaſterij excerpta,& à barbariſmis & mundi es quibus paſſim ſcatebat à nobis vindicata:contigit autem an.Humanæ ſalutis.*1391. *Romano Pontifice Bonifacio IX.Rege verò Francorum Carolo VI.*

POſt longum temporis lapſum ab obitu ſanctiſſimi Patris noſtri Honorati,qui fuit circa annũ Domini quadringenteſimum trigeſimum, cupientes clerus & populus Arelatenſis ciuitatis, ipſum quem dum ſuperas ageret auras, ſumma benignitate ſanctitate omnigenáque doctrina refertum deuotè coluerant, etiam vita functum,venerabiliter ab ipſis venerari,inito concilio,Eccleſiam ad laudem Dei ac Deiparæ Virginis Mariæ,beatiſſimique confeſſoris Honorati, iuxta ſepulchrum eius quod erat in cimiterio Eliſij campi, quod vulgò nunc dicitur *Aliſcamps*, ſub eorundem titulo fundare ſtatuunt: quam honorifica ſatis lapidum congerie perfecerunt, quæ poſtmodum ruinã paſſam, reſtaurata fuit tempore Kauilani Epiſcopi Arelatenſis, vt conſtat ex eiuſdẽ epiſtola, ad Epiſcopos & Chriſti fideles data, pro refectione eiuſdem Eccleſiæ, in qua ſic habetur inter alia, Notum ergo omnibus facimus quod extra muros vrbis Arelatenſis in campis qui vulgariter dicuntur Eliſij Eccleſia fundata eſt, quæ ſancti, Honorati cenſetur, quam præceſſores noſtri viris Religioſis ſancti victoris Maſſilienſis contulerunt, vt ſancta ſanctis obuenirent. Ibi beati Honorati corpus locelo ſuo repoſitum eſt. Ibi viri diſertiſſimi Hilarij prædictæ ciuitatis Epiſcopi reliquiæ ſepultæ fouentur. Ibi Beatorum 20. *Ianuarij.* 430.

Pontificum Aurelij, Concordij, Eonij, Virgilij, Rothlandi, & aliorum pontificum beatissima membra loca prædicta sanctificant, vt beati Genesij martyris, vt Dorotheæ Virginis, & martyris & multorum aliorum æquè sanctissimorum corpora illic collocata sunt. Cui Ecclesiæ post aliis præfuit quidam honestæ vitæ Religiosus vir, monachus & prior Monasterij Garegobiæ qui cum penè omnem prouinciam bellicis turbinibus conspiceret agitari & hostili impetu, repentinis insultibus, ciuitates, oppida, locáque Deo dicata prophanæ cupidæque prædæ exponi, anxius ne bellicus furor inualesceret, & repentinè à prædonibus martialibúsque viris quibus nulla fides pietásque manet, Ecclesia ipsa profaneretur & corpus beati Honorati furtiuis raptibus toleretur, perpendens iniquum esse sanctum dare canibus, & Margaritas mittere ante porcos, assumptis cum Dei timore venerabilis corporis Lipsanis, ad suum præfatum Monasterium Garegobiæ conseruandis deuotè transportauit, quo in loco aliquibus annorum curriculis asseruata fuêre. Disponente autem clementia diuina, vt sacra insula Lerinensis suum aliquando benignũ in gremio foueret patronum & fundatorem, accidit quod cum idem prior fœdere consanguinitatis foret sacristæ Lerinensi coniunctus eiusdémque laris, disposuit illum inuisere, & custodiam dicti corporis beati Honorati penes se esse referare: qui gressus suos Lerinam versus dirigens, sacristæ propinquo suo, secretum aperuit promittens si in congregationem monachorum Lerinensium ascriberetur ipsum corpus beati Honorati conuentui assignaret Lerinensi custodiendum: quo per ipsum sacristam Domino Abbati Lerinensi Ioanni scilicet Turnaforti, ex monacho & Abbate sancti Pontij de Nicea, ac monachis delato, lubenti animo se eius petitioni assentire, & in monachum recipere, si dicta factis compensaret, promiserunt. Spopondit ille, associatóque sibi consanguineo suo sacrista, & quodam alio honesto monacho de conuentu Lerinensi, arrepto itinere, Monasterio prædito Garegobiæ applicuerũt, perpaucísque ibidem diebus demoratis, vna Sabbatorum diluculo exurgentes, assumpto corpore beati Honorati, viæ in nomine domini se commiserunt, suósque iuges, & festinos Lerinensium Insulam versus direxerunt gressus. Cúmque vna iter agerent, & ille monachus Lerinensis in suæ secreto ambigeret fluctuarétque mentis, an verè corpus beati Honorati existeret quod efferebant, minúsque credulus cœpit in via subter podij Moishoni castrum membrorum, maximè crurium doloribus, & arctuum contractione miserè vexari: vnde tam aduerso & repentino casu conturbati comites, pro aliquo impendendo auxilio ægroto ad prædictum castrum mittere parãt: sed interim languidus suæ incredulitatem mentis pandit, & facti pœnitens suffragium beati implorat Honorati dicens: *O alme Confessor Honorate sanctissime cuius vita virtutibus ornata refulsit, & vitali in præsenti æuo fruens spiritu, semper Christo adhæsisti, à quo tuis sanctissimis precibus languidis & variis infirmitatibus detentis incolumitatem impetrasti: obnixè obsecro, vt si hæc ossa quæ gerimus tui existunt beatissimi corporis pro me indigno famulo tuo apud eum qui te tantis meritis dotare dignatus est intercedere digneris, vt ab hac infirmitate liberari merear, vt per conualescentiam sospitatis hæc tui verè existere ossa corporis agnoscere & veram translationem pandere, in Ecclesiáque Dei laudum præconia promere valeam.* Perfectáque oratione incolumis effectus Deo qui meritis sui Confessoris Honorati ipsum sanauerat gratias referens, reliquum itineris cum sociis perfecit. Peruentis autem ad Canoarum castri portum instructo remige perbreui freto enauigato sacræ insulæ Lerinensis litora carpunt, tunc Abbas cum omni simul

Vulgo Gargobiæ propè Druentiam fluat, forquarquerium.

ſimul congregatione cum ſolemni pompa & canticis laudum eis obuiam venerabiliter proceſſerunt, ſuſceptíſque ipſius corporis beati Honorati artubus in iubilo & voce exultationis, pro tanto accepto munere immenſas Deo gratias perſoluunt. Aperientéſque loculum in quo beata oſſa includebantur, Albaranum verbis ſequentibus inſcriptum inueniunt, ſcilicet, reliquiæ & Corpus beatiſſimi Honorati Arelatenſis Archiepiſcopi. Tum pro maiori veritatis certitudine, partem oſſis cruris quam antea in præfacto monaſterio habebant reliquæ parti à qua aſſumpta fuerat aptantes, ita ſtatim perfectè coniuncta eſt vt nulla prorſus apareret fractura, ac ſi nunquam diuulſa fuiſſet, ex quo verè reliquias, & oſſa glorioſi confeſſoris Honorati eſſe manifeſtum fuit, quæ quidem cum quanta maiori potuerunt reuerentia in Cænobium, & intra arcem turris in capella ſanctæ crucis, honorificè collocarunt. Anno domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo primo, tertio decimo cal. februarij. Ad laudem & gloriam domini noſtri Ieſu Chriſti qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Annotatio Vincen. Salern.

Patres Lerin. tanto munere dites facti, corpore ſcilicet glorioſi cõfeſſoris Honorati ſui primi fundatoris & rectoris beneficia deleret obliuio, in aditu ipſius ſacelli ſanctæ Crucis in hæc verba marmoreum appoſuere monumentũ. *Hæc eſt capella ſanctæ Crucis, quæ appellatur ſancta ſanctorum propter recõditas inibi reliquias ſanctorum, videlicet Honorati, Capraſij Venantij, Aygulphi martyris, Antonij, & plurimorum aliorum ſanctorum.* Contigit autem præfata tranſlatio circa annum domini milleſimum trecenteſimum nonageſimum primum, 1391.
tertio decimo cal. februarij, licet dicti patres alio tempore recolant nempè idibus Maij, qui fuit ab obitu ſanctiſſimi patris noſtri Honorati paulò plus minúſue, annus nongenteſimus ſexageſimus primus: quia per breuis fuit ſedes Epiſcopalis ſancti Honorati, vnde Hilarius in ſermone funebri eiuſdem Honorati ait: *In ſumma verò ex illa breui quo vobis, indultus eſt tempore facilè metiri datur, quid plus de illo, quid minus dixero.* Nam Honoratus Epiſcopus anno domini 426. qui erat Cæleſtini Papæ an. 3. & Hilarius ſucceſſor eius acceſſit Romam cum ſancto Proſpero Aquitano an. 431. qui erant celeſtini an. 8. vt nugatoribus contra doctrinam ſancti Auguſtini inſurgentibus ora obſtruerent, & veriſimile eſt iam tunc Hilarium fuiſſe creatum Epiſcopum Arelatenſem, quia Epiſcopatus ſancti Honorati non exceſſit, immò nec attigit luſtrum, vt videre eſt ex vitæ hiſtoria ſancti Hilarij eius ſucceſſoris infrà quinta Maij. Ab huiuſmodi verò tranſlatione vno effluxo integro ſæculo Reuerendiſſimus dominus Ioannes Andreas Grimaldus tunc Abbas Lerinenſis, Zelo deuotionis permotus, fecit fieri ad cõdenda oſſa præfata archã argenteã figuris eleuatis, lapillis præcioſis, & encauſtico opere variè ornatam, cum ſequenti circumcirca inſcriptione. *Hanc capſam Reuerendus in Chriſto pater dominus Ioannes Andreas de Grimaldis Põtificij ciuiliſq; iuris doctor, Epiſcopus Graſſenſis ſanctiſſimi domini noſtri Papæ referendarius, & Auenionis, & terrarum adiacentium Vicelegatus, & gubernator, & huius ſacri Monaſterij commendatarius, pro recundendis almi patris ſancti Honorati oſſibus, ob religionem ſuo ære dicauit anno Chriſti milleſſimo quadringenteſimo nonageſimo primo.* Quidam etiam monachus à ciuitate Nicea prouinciæ oriundus nobilis genere, ſed nobilior deuotione, caput argenteum à pectore eleuatum cum mitra Pontificali auro & lapidibus præcioſis redimita fecit artificioſe elaborare in quo oſſa cranij, ceu capitis beatiſſimi Honorati repoſuit cùm hac inſcriptione litteris aureis

in plano encauſtico : *Hoc caput beati Honorati Ioannes Laugerij de Nicea prior*
1399. *vallis aureæ fieri fecit, circa annum domini milleſimum tricenteſimum nonageſimum nonum exiſtente Abbate Roſtagno quinto huius nominis, cuius Laugerij inſignia gentilicia ſunt, ibi inſculpta, ſcilicet axis aurea in campo rubeo:* Poſtmodum vt multiplicatus honor magnificaret lætitiam, venerandi patres Lerinenſes duo brachia argentea ſerioſè inciſa inauratáque fieri procurarunt, dextrum, ſcili-
1485. cet anno domini 1485. die. 10. Maij. ſiniſtrum verò anno domini. 1521. in
1521. quibus oſſa vtriuſque brachij ſanctiſſimi confeſſoris Honorati, recunderunt quæ omnia vſque hodie extant ad laudem, & gloriam ſanctiſſimæ Trinitatis virginiſque matris & patris noſtri ſancti Honorati omniúmque ſanctorum Lerinenſium : quorum feſtiua ſolemnitas agebatur antiquitus in hoc ſacro monaſterio Lerinenſi à præceſſoribus noſtris ſub vna die celebritate, ipſo nempè die quo tranſlationis corporis ſancti patris Honorati feſtum agunt nempè Idibus Maij, vt non obſcurè apparet, ex ſequentis ſermonis ſeriè, habiti Lerinæ ad Monachos : quàm ſanctam laudabilémque priſcam inſtitutionem, vt iis noſtris temporibus reuiuiſcat obnixè totis præcordiis precamur, patres Lerinenſes, quorum flagrans non defuturum ſtudium certo confidimus, ne tantorum ſanctorum præcedentium patrum noſtrorum, in præſentibus neceſſitatibus, laboriferiſque periculis, ſalutari validóque coruum fraudemur ſuffragio, & videamur extranei, & aduerſantes piis eorundem inſtitutis.

Sermo in corporis feſto tranſlationis ſancti Honorati Archipreſulis Arelatenſis, & celebritate omnium ſanctorum diſcipulorum eius ac ſucceſſorum miras Lerinenſis ſtadij efferens laudes ex perantiquo breuiario M. 5.

Sacri Monaſterij Lerinenſis.

GLorioſam beatiſſimi patris noſtri Honorati Trãſlationis diem celebrãtes, quà videlicet, poſt multa ab eius fœlici obitu annorum curricula, ſacrum eius corpus in hoc ſuum monaſterium Lerinenſe tranſlatum eſt: operepreciũm arbitramur, aliqua de eius meritis pro noſtra edificatione ad memoriam reuocare : & præcipue duximus audientium mentibus inculcare quanta illi cura fuit, quantáue ſolicitudo, circa huius ſacræ inſulæ, & inhabitantium in ea, regimine & profectu: vt amplior erga illum deuotio noſtra ferueat, & in eius patrocinio nobis ſpes, & fiducia maior acreſcat. Vnde beatus Hilarius Eccleſiæ Arelatenſis antiſtes, eius dilectus diſcipulus, & in eadem Eccleſia ſibi ſucceſſor immediatus, præcipuus doctor, teſtatur ita dicens, Vacantem inſulam ob nimietatem caloris, & in acceſſam venenatorum animalium metu, ingreditur Honoratus propter ſecreti opportunitatem ſancti ac beatiſſimi in Chriſto viri Leoncij Epiſcopi obletactus vicinio, & charitate conſtrictus, fugit horror ſolitudinis, cedit turba ſerpentium : cooperante vt ita dicam Chriſto, omni quæ primum deterruerat aduerſitate ſuperata Honoratus noſter caſtra illic quædam Dei collocat, & qui locus dudum homines à ſua conuerſatione repulerat angelicis illuſtratur officiis. Illuminatur latibulum, dum ibi lumen occulitur, cedit ignoti prius exilij obſcuritas voluntarij exulis claritati : vt quocumque Honoratus acceſſerit adeſſe illic etiam honorem neceſſe ſit. Induſtria illic ſua ſufficiens electis Dei Eccleſiæ templum excitatur, apta Monachorum habitacula tecta conſurgunt : Negatæ ſeculis aquæ largiter fluunt, in vno ortu ſuo duo veteris teſtamenti miracula preferentes : nam cum è ſaxo erumperent

in

in media maris amaritudine dulces profluebant:certatim ſe illuc iam omnis regio quærens Dominũ dirigebat, Honoratũ expetiit quiſquis Chriſtũ deſiderauit,& planè quiſquis Honoratum expetiit Chriſtum inuenit,ille enim illic totus vigebat, pectus ſuum quaſi præexcelſam arcem & ſplendidiſſimum templum Chriſtus inſederat, illic caſtitas fides, ſapientia, & virtus habitauit: ibi iuſtitia fulſit,& veritas.Itaque velut venis effuſis,protentíſque brachiis in amplexum ſuum omnes,hoc eſt,in amorem Chriſti inuitabat:& denique quæ adhuc terra, quæ natio in Monaſterio illius ciues ſuos non habet, hæc illius iugis opera, iugis intentio erat leuigare omnibus iugum Chriſti, & quicquid diabolus inieſſiſſet aduertere diſcuſſo culparũ nubilo gratiarum,ſerena reuocare. Amorem Chriſti & proximorum cordibus inſerere,& mentes omnium tanquam ſuum pectus excollere.Hinc illud erat quod congregatio illa diuinæ cupida ſeruitutis ad nomen ipſius ex diuerſa terrarum parte collecta,tam moribus quam linguis diſſona in amore illius conſpirabat: omnes Dominum, omnes patrem vocabant, In illo ſibi patriam, ac propinquos, & omnia ſimul reddita computantes, didicerant omnes, ipſo ſibi compatiente dolores illius ſuos computare,vt non immeritò egregius & in Chriſto beatiſſimus Saluianus presbyter charorum ſuorum vnus in ſcriptis ſuis dixerit, quod ſicut cœli faciem, pro ſua ſol aut obſcuritate, aut ſerenitate mutaret, ita congregatio illa cœlum ſitiens, & cœleſtibus ſtudiis mancipata, ab ipſo, vel nubila ſerenitatẽ mentium quaſi à peculiari in Chriſto ſole ſuſciperet,ipſo quoque& afflicto afflictaretur, & reſpirante reualeſceret. Hinc illa erat, & adhuc orationibus eius permanet diffuſa in Monaſterio, ipſius ſancti ſpiritus gratia tanti doctoris & exemplo & admonitione firmata in variis chariſmatum donis, in humilitate,& manſuetudine,in charitate non ficta, & vna capitis gloria in diuerſitate membrorum & beatus Maximus eius in regimine Monaſterij ſucceſſor poſtmodum Regienſis Epiſcopus dæmonibus ſibi inſidiantibus ita dixit. *Decipere, non poteſtis milites Chriſti nequitia deceptoris,quoniam ita præſentem Inſulam beatiſſimi Honorati muniuit oratio, cum ex ea draco eſt inhabitator eiectus, vt hinc vlterius nocendi aditum non poſſit habere diabolus.* Sed quia virtus diſcipuli laus eſt & gloria magiſtri, cum illuſtrius preſtantes viri, diſcipulorum certaminibus quam ſuis vincãt:congruum exiſtimamus beatiſſimi Honorati feſtiuæ celebritati,diſcipulorum eius ac ſanctorum ſucceſſorum ſuorum omnium veneranda adiungere ſolemnia, quorum penè numerus infinitus, & illi ſoli qui numerat multitudinem ſtellarum cognitus,hanc Inſulam ſuis orationibus ſanctificarunt, ac proprij ſanguinis pro Chriſto effuſione conſecrarũt. Vnde beatus Cæſarius in quodam ſuo ſermone de eiſdem meminit dicens: Benedicimus Dominum Deum noſtrum qui ſanctam inſtitutionẽ & admirabilem conſuetudinem habitantium in Inſula Lerinenſi iugiter creſcere, & maiori dignatur gloriæ cumulo ſublimare. Quæ iam penè ita virtutũ meritis profecit, vt altius ſublimari non poſſet:ô fœlix & beata habitatio Inſulæ Lerinenſis vbi tam ſanctis & tam ſpiritualibus lucris gloria Domini ſaluatoris augetur, & tantis damnis diaboli nequitia minoratur. Beata inquam & fœlix Inſula Lerinenſis,quæ cum paruula & plana eſſe videatur in terris innumerabiles tamen montes ad cœlum miſiſſe cognoſcitur. Hæc eſt quæ eximios nutrit Monachos & præſtantiſſimos per omnes Eccleſias erogat ſacerdotes & quos accipit filios redit patres, & quos nutuit paruulos redit magnos, quos velut tyrannos excipit Reges facit: Nam omnes quoſcunque fœlix & beata habitatio illa ſuſceperit charitatis pennis ad excelſa virtutũ culmina Chriſto

lætantur. Ecce ergo fratres dilectiſſimi teſtimonia credibilia nimis, de eximia, & omni laude digniſsima conuerſatione ſanctorum Patrum, & Predeceſſorum noſtrorum, qui ſobriè & piè, & iuſtè viuendo coluerunt, & collendo ſanctificauerunt hoc ſacrum Lerinenſe Cœnobium: quod vt alibi ſequitur olim, ſic effloruit in omni genere virtutum, vt habitatores haberet in Dei laudem, ex omni genere linguarum. Sanctorum igitur Martyrum Epiſcoporum Abbatum & Confeſſorum, omniúmque electorum Lerinenſium qui à primæua huius ſolemnitate, & lætitia memoriam recolentes: ſtudeamus, & toto mentis conamine laboremus, vt quidquid in ſingulorum feſtiuitatibus per anni circulum, aut ex negligentia vel fragilitate humana, minus plene geſsimus hic in præſenti eorum celebratione communi inſtitutione Monaſterij æternæ vitæ meruerunt eſſe participes, & qui eorum exempla ſequuti ad eandem vitam perennem Chriſto duce peruenerunt: ac quorum corpora, vel reliquiæ in præſenti Monaſterio requieſcunt, ſub vna diei celebritate, deuota diligentia, in humilitate ſpiritus, & animi puritate reſtauremus. Et quia ipſorum omnium propter innumerabilem nobis multitudinem, feſta ſigillatim celebrare non poſſumus, in hac ſaltem generali eorum feſtiuitate, debita laudum præconia omnipotenti Deo qui omnium eſt ſanctorum corona pro eorum meritis impendamus, vt ipſe eorum aſsiduis precibus exoratus, deſideratam nobis ſuæ propitiationis abundantiam multiplicatis interceſſoribus largiatur, & eorum pia interceſsione cõcedat, vt in hoc ſuo ſanctiſsimo Monaſterio diebus noſtris, & merito, & numero, populus ſibi ſeruiens augeatur. Creſcat ibi regularis obſeruantiæ feruor, contemplationis vigor, ibique efficacater vigeat bonorum operum exercitium fructuoſum: In tanta, igitur & tam præclara feſtiuitate, omnium Chriſti fidelium, vota, corda, & labra hymnos perſoluant lætitiæ ſalutaris. Pſallat fides, ſpes tripudiet, exultet charitas, deuotio plaudat, iubilet chorus, puritas iucundetur: ſinguli alacri animo pronáque voluntate conueniant, ſuáque pia, & deuota ſtudia laudabiliter exequatur, tot ſanctorum feſtiua ſolemnia celebrantes: quorum ſanctitate cœlum exultat, quorum patrociniis terra lætatur, quorum triumphis Eccleſia ſancta coronatur, quorum ſalutaria documenta exempláque prælucida Catholicam illuſtrant Eccleſiam: decorant virtutibus, & moribus infirmant, per ipſos nempè quaſi luminoſas, ardentéſque lucernas ſuper candelabrum in domo domini poſitas hæc præſens Inſula Lerinenſis, imo & totius corpus Eccleſiæ tanquam Sidus irradiat matutinum. Nos ergo fratres cariſsimi, tantorum patrocinia interceſſorum, de quibus locuti ſumus, tota mentis intentione queramus, vt per temporalia feſta quæ gerimus eorum meritis intercedentibus, ad æterna peruenire valeamus. Tranſeunt cuncta quæ temporaliter feſtiua celebrantur. Curate qui his ſolemnitatibus intereſtis, ne ab æterna ſolemnitate ſeparemini, quid prodeſt intereſſe feſtis hominum ſi deeſſe contingat feſtis Angelorum? Nolite ergo penſare in vobis tranſitoria quæ poſsidetis, ſed conſiderate quid eſtis: Ecce mundus qui diligitur, fugit: ſancti iſti quorum hodie mentionem facimus, florentem mundum, mentis deſpectu calcauerunt. Tunc enim erat vita longa, ſalus continua, opulentia in rebus, fœcunditas in propagine, tranquillitas in diuturna pace: etenim cum in ſeipſo floreret, iam in eorum cordibus mundus aruerat: ecce iam in ſeipſo mundus

dus atuit,& adhuc in noſtris cordibus horreſcit.Vbique mors,vbique luctus, vbique deſolatio,vndique percutimur,vndique amaritudinibus replemur,& tamen cæca mente carnali concupiſcentia, ipſe eius amaritudines amamus: fugientem ſequimur,labenti inhæremus:& quia labentem retinere non poſſumus,cum ipſo labimur,quem cadentem retinebamus,aliquando nos mundus retraxit à Deo : nunc verò tantis plagis plenus eſt, vt ipſe nos iam mundus inuitet ad Deum:perpendiſſe ergo quia nulla ſunt quæ temporaliter currunt : Finis enim temporalium oſtendit, quia nihil ſit, quod tranſire poteſt. Caſus rerum indicat,quia res tranſiens,& tunc propè nihil fuit cum ſtare videretur.Hæc igitur nobiſcum agite: hæc in mente ſedula cogitatione verſate & ſi adhuc hic tenemur infirmitate corporis, tamen ad eos de quibus loquimur,toto corde tendamus, vt tecum ipſis poſtmodum in æterna ſæcula gaudere mereamur. Præſtante domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto,viuit,& gloriatur Deus,in ſæcula ſæculorum.Amen.

INCIPIT VITA BEATI VIRGILII *Archiepiſcopi Arelatenſis & Monachi Lerinenſis deſumpta ex Membrano perantiquo manuſcripto & nobis benignè exhibito A Reuerendo Domino Franciſco Claretto I. V. D. Archidiacono ſanctæ Arelatenſis Eccleſiæ. Tempus quo floruit patebit infra.*

IGITVR Beatiſſimi Virgilij Arelatenſis vrbis Antiſtitis hodie dies ſanctæ ſolemnitatis excolitur, cuius nos geſta pandere deuotio fidelis admonet,& mos priſcus conſtringit quia niſi euidens comperta relatio tenacibus litteris cuſtodita ſeruetur, variatur actio veteris per nouos ſæpius relatores: Nam vt de eius myſticæ actionis inſignia nihil ſit dubium, nihilque faciat vulgaris aſſertio fabuloſum, quæ ab ipſo facta ſunt, & probata, vero dico ſunt ſermone narranda : vnde tamen ne audientibus faceret prolixitas inepta faſtidium, ſtuduimus ſilere plurima,pauca differere: hic igitur in vico proprio qui vocabulum eſt *Samon*, qui eſt in partibus Aquitaniæ,vitæ ſumpſit exordium,Chriſtianis parentibus editus,factus illicò Chriſtianus, qui ab ipſis infantiæ rudimentis erecta ſemper humilitate creſcebat,ita teneros ætatis annos morum maturitate caſtigans,vt proprietatem ſui nominis impleret gratia ſanctitatis : Poſtquam verò adoleſcentiæ ritu corporeo cœpit rubore pubeſcere,blandimenta luxuriæ animo incidente caſtrabat, vt pollicitæ Virginitatis palmam pro incorrupta integritate perciperet, & in regnis cœleſtibus triumpharet. Fuit itaque bonorum omnium præditus ornamẽtis,& dignis ſuffragiis præferendus,ſpecioſus vultu,blandus aſpectu, ore placidus, mente ſerenus, patientia fortis,magnanimitate laudabilis, amicus pacis, largus inimicis, puluereum faſtidiens ſolum, aſcenſus in amore cœlorum de temporalibus ęterna comparans,contemnens temporalia pro æternis : qui vt interius diuinæ legis præcepta agnoſceret ita naturaliter capax acumine litterarum eſt ſtudiis eruditus, vt paſtum animæ legendi auiditate colligeret, & more apum æternæ dulcedinis nectar hauriret:ſed quam

Mart. 5.

S. Virgil. fuit Aquitanicus.

Eius narrantur virtutes

libet cuncta à ſe vitiorum carnalium incrementa ſuccidens omni in parte digna meritorum conuerſatione fulgeret, virtutem tamen ſui corporis abſtinentiæ aſſiduitate frangebat in ſe & natura delicti antequam naſceretur vlciſcens: cui tantum percuſſor dignoſcitur defuiſſe martyrio, nam ipſe ſe procul dubio Martyrem & cruciatu fecit & merito, cunctam quin etiam facultatem ſuarum copiam derelinquens Monaſterium ſacræ inſulæ Lerinenſis expetiit vbi æternas iuſtus diuitias inueniret. Euangelica in omnibus miles Chriſti præcepta ſequutus, quod niſi cunctis operibus redderetur extraneus non poſſet eſſe perfectus, nec aliter regni cœleſtis præmia compararet, niſi vniuerſa contemneret: In qua congregatione dum cunctos charitate perfecta diligeret, diligebatur à cunctis, quatenus raptim noui amoris ſtudio antiquam eſt regulam conſecutus, vel myſtica apparuit conuerſatione præcipuus, vt ſancto Honorato præceſſori ſuo ſummis virtutibus præferendo, qui in eodem loco Abbatis nomen dignè geſſerat, & honorificè ſuccederet, & meritis coæquaret, vbi dum commiſſum gregem cuſtodiret ſolertia paſtorali, & ſolus ex more ſingulis noctibus eum genus humanum depoſita ſoporis imago comprimeret, monaſterij ſepta luſtrari ab inſolito contigit, vt illum quidam ſollicitudine monachus inanis, puerilibus conſtitutus è veſtigio ſequeretur, tunc beatiſſimi viri conſpectibus forma ingenti atque terribili diabolus inſidiator apparuit, ſed ſicut Chriſti ad lectum ſpiritualibus armis indutum non voluit terrere, ita inopinantem monachum ictu formidinis ſauciauit, qui ad cellulam illicò vix greſſu trepidante confugiens igneis eſt febribus violenter accenſus, Rurſus tamen pertinax ille deceptor exiſtimans ſe poſſe ſanctum Dei Virgilium vel in aliquo perturbare, igneo ſe dracone formatum oſtendit, ſed raptim territus crucis armis euanuit, quoniam inuictus athleta hoſtem quem ſæpius vicerat non timebat; qui cum totius Inſulæ ambitum peragraſſet, concitus ad ſtratum monachi rediit ægrotantis, vbi dum orationum preces intra arcana pectoris ſui clauſtra diffunderet, mox & priſtinæ incolumitati redditur languidus, & præda caruit latro deceptus: ac proinde obtinuit geminam virtus inuita victoriam: Quoniam dum vires ægroto reddidit aduerſarium ſuperauit. Deflet inimicus quod perdidit, gaudet monachus quod recepit dum ſingulis ſimiliter noctibus paſtor egregius ne aliquid aduerſi contingeret ouile dominicum circuiret, ad littus æquoris quod vocatur (Molis) acceſſit, vbi inſidiator ille quaſi nauem oneratam aduenifſe fallaciæ ſpeciem imaginis ante oculos auſus eſt confingere, ſacerdotis oſtendens nautas ſolito ritu feruere, vel nauis inſtrumenta colligere, à quibus duo ad ipſius ſancti latera peruenere, dicentes, in his quidem partibus negotiandi nos cauſa perduxit, quibus te ingens compendium rei euentus exhibuit, Virgilium te eſſe nouimus non minus ſanctitate quam nomine, quem vniuerſitas in tranſmarinis partibus tanta auiditate videre deſiderat, vt ſi hoc obtinere poſſit, nihil pretioſiùs eſſe cenſeret. Nullum nobis ergo vtile lucrum quocunque labore præſtabitur, niſi vt te Hieroſolymam impoſitum naui ducamus, quem ſucceſſit Proſpero inopinantem inuenimus, quod & tibi procul dubio ad culmen immodicum pertinebit, ſi fœlici curſu ibidem aduc heris, quo votis omniũ expectaris. Vir itaque Dei inſidias inimici cognoſcens ſanctæ crucis armatus auxilio præſidia ſuperna inuocans ſpirituali hac auctoritate reſpondit. Deripere non poteſt Chriſti milites nequitia deceptoris, nec fraudibus valletis illudere quos aduerſa Deus admonet præuidere: quoniam ita præſentem Inſulam Beatiſſimi Honorati muniuit oratio, per quem

Fit Monachus Lerinenſis.

Fit Abbas Lerinenſis.

Diabolus ei inſidiatur.

Oratione ſanat morbidũ monachum.

Apparet ei nauis commẽtitia, ſicut & S. Maximo.

quem ex ea Draco eſt habitator electus, vt nullum huic vlterius nocendi aditū poſſit habere diabolus, euanuit inter hæc nauis fictilis, ab oculis pernoctantis. Vir autem ſanctus protinùs feſtinans ad oratorum remeauit, & vt ad vigilias ſurgerent admonuit, vbi cum omni ſancta congregatione ipſi celeberrimas ſtuduit reddere laudes, per quem illi ſuggeſſerat victoria triumphalis, quem dum tantis virtutum myſteriis eſſe præcipuum per vniuerſum orbem velox fama vulgaret, ad Pontificium Arelatenſis vrbis amore omnium ſacerdotum vel ciuium non minus raptus quàm electus adducitur, & reluctans protinus conſecratur. Qui licet iam Virgilius vbi amplius creſceret non haberet, attamen nihil de nominis ſui proprietate minorans dum vigil permanſit in opere, claruit in honore. Inter cætera igitur quæ in eodem fulgebant bonorum actuum ornamenta, monſtrabat illum patientia fortem, beneuolentia patientem, libertas alacrem, liberalitas abundantem, magnanimitas liberalem, pietas mitem, ſedulitas diligentem, charitas dulcem, largitas generalem, doctrina laudabilem, æquitas ſingularem, humilitas pauperem, dignitas affluentem? Qui cum eſſet omnibus virtutibus adornatus ſcripturis quoque diuinis nulli priorum infimus Baſilicam in honore ſancti Stephani protomartyris Chriſti intra vrbem Arelatenſem fideli qua poterat deuotione conſtruxit. Sed nec hoc ad confortanda corda Arelatenſium eſſe cenſuimus omittendum, quod dum Beatiſſimus Antiſtes ad ipſius Baſilicæ Templum, quod cum magna deuotione conſtruxerat cum cæteris Epiſcopis, qui ad dedicationem templi conuenerant, pſallendo ſacras cum honore maximo reliquias Beati Stephani vel aliorum ſanctorum aduehereț, in ipſius vrbis porta improuiſè verſus iſte ex ordine ſic venit, *hæc porta domini iuſti intrabunt per eam:* Quod procul dubio intelligendum eſt vrbis memoratæ portam ſic eius orationibus munitum, vt ſicut hactenus per longinqua ſpatia temporum propitiante deo numquam eſſe comprobatur inrupta, ita nec in poſterum poſſe irrumpi diuinitate propitia cenſeatur quoniam facillimè Paſtor ille præcipuus quem viuentem monſtrant geſta poſt tranſitum apud dominum obtinere potuit, vt glorioſam eius meritis vrbem hanc in qua Pontificium emeruit perpetuis temporibus deffenſaret, Aforis per virtutem ſui corporis & infrà per templum ſacratiſſimum quod conſtruxit vndique per beneficia indulta quæ meruit. Omnes ergo diuinitate propitia nouerunt ſicut pſallentium turba prædixit vrbem Arelatenſem per deffenſorem Virgilium in omnibus eſſe munitum, nec permitti poteſt vt locum illum hoſtiles cunei valeant irrumpere, vbi ille Chriſto dignoſcitur militaſſe, vnde nec reliqui Antiſtites præceſſoris illius qui in omnibus eius æquantur meritis cenſendi eſſe minores, dum in baſilica igitur ipſa quam ad effectum perduxerat inſtantia paſtorali Virgilius celebraret, & inter reliqua ex hoc deo gratias ageret, quia ſuum deſiderium adimpleſſet, quod miraculum dignoſcitur contigiſſe, non putamus ſilentio præterire. Aurelianus itaque quidam Arelatenſis diaconus fratris filium, quem Paulum parentum tranſitus dereliquerat nutriendum excipiens, pluſquam filium diligebat, qui dum per murum eiuſdem vrbis cum reliquis infantibus veſpere ſabbathi luderet, interueniente caſu lapſus corruit, & ſpiritum ceruicibus fractis amiſit: A quo nuncio Diaconus ille perculſus nimio dolore percurrens corpus exanime veſtimentis ſuis coopertum rapuit, & ad ſacrum Pontificem vbi celebrabat vigilias ſecretiùs deportauit, tractans qualiter

Creatur Pontifex Arelatenſis.

Eccleſiam ſancti Stephani intra Arelatem condidit.

Protector perpetuus ciuitatis Arelatenſis.

libet cuncta à ſe vitiorum carnalium incrementa ſuccidens omni in parte digna meritorum conuerſatione fulgeret, virtutem tamen ſui corporis abſtinentiæ aſſiduitate frangebat in ſe & natura delicti antequam naſceretur vlciſcens: cui tantum percuſſor dignoſcitur defuiſſe martyrio, nam ipſe ſe proculdubio Martyrem & cruciatu fecit & merito, cunctam quin etiam facultatem ſuarum copiam derelinquens Monaſterium ſacræ inſulæ Lerinenſis expetiit vbi æternas iuſtus diuitias inueniret. Euangelica in omnibus miles Chriſti præcepta ſequutus, quod niſi cunctis operibus redderetur extraneus non poſſet eſſe perfectus, nec aliter regni cœleſtis præmia compararet, niſi vniuerſa contemneret: In qua congregatione dum cunctos charitate perfecta diligeret, diligebatur à cunctis, quatenus raptim noui amoris ſtudio antiquam eſt regulam conſecutus, vel myſtica apparuit conuerſatione præcipuus, vt ſancto Honorato præceſſori ſuo ſummis virtutibus præferendo, qui in eodem loco Abbatis nomen dignè geſſerat, & honorificè ſuccederet, & meritis coæquaret, vbi dum commiſſum gregem cuſtodiret ſolertia paſtorali, & ſolus ex more ſingulis noctibus eum genus humanum depoſita ſoporis imago comprimeret, monaſterij ſepta luſtrari ab inſolito contigit, vt illum quidam ſollicitudine monachus inanis, puerilibus conſtitutus è veſtigio ſequeretur, tunc beatiſſimi viri conſpectibus forma ingenti atque terribili diabolus inſidiator apparuit, ſed ſicut Chriſti ad lectum ſpiritualibus armis indutum non voluit terrere, ita inopinantem monachum ictu formidinis ſauciauit, qui ad cellulam illicò vix greſſu trepidante confugiens igneis eſt febribus violenter accenſus, Rurſus tamen pertinax ille deceptor exiſtimans ſe poſſe ſanctum Dei Virgilium vel in aliquo perturbare, igneo ſe dracone formatum oſtendit, ſed raptim territus crucis armis euanuit, quoniam inuictus athleta hoſtem quem ſæpius vicerat non timebat; qui cum totius Inſulæ ambitum peragraſſet, concitus ad ſtratum monachi rediit ægrotantis, vbi dum orationum preces intra arcana pectoris ſui clauſtra diffunderet, mox & priſtinæ incolumitati redditur languidus, & præda caruit latro deceptus: ac proinde obtinuit geminam virtus inuita victoriam: Quoniam dum vires ægroto reddidit aduerſarium ſuperauit. Deflet inimicus quod perdidit, gaudet monachus quod recepit dum ſingulis ſimiliter noctibus paſtor egregius ne aliquid aduerſi contingeret ouile dominicum circuiret, ad littus æquoris quod vocatur (Molis) acceſſit, vbi inſidiator ille quaſi nauem oneratam aduenisſe fallaciæ ſpeciem imaginis ante oculos auſus eſt confingere, ſacerdotis oſtendens nautas ſolito ritu feruere, vel nauis inſtrumenta colligere, à quibus duo ad ipſius ſancti latera peruenere, dicentes, in his quidem partibus negotiandi nos cauſa perduxit, quibus te ingens compendium rei euentus exhibuit, Virgilium te eſſe nouimus non minus ſanctitate quam nomine, quem vniuerſitas in tranſmarinis partibus tanta auiditate videre deſiderat, vt ſi hoc obtinere poſſit, nihil pretioſiùs eſſe cenſeret. Nullum nobis ergo vtile lucrum quocunque labore præſtabitur, niſi vt te Hieroſolymam impoſitum naui ducamus, quem ſucceſſit Proſpero inopinantem inuenimus, quod & tibi procul dubio ad culmen immodicum pertinebit, ſi fœlici curſu ibidem adueheris, quo votis omniũ expectaris. Vir itaque Dei inſidias inimici cognoſcens ſanctæ crucis armatus auxilio præſidia ſuperna inuocans ſpirituali hac auctoritate reſpondit. Deripere non poteſt Chriſti milites nequitia deceptoris, nec fraudibus valletis illudere quos aduerſa Deus admonet præuidere: quoniam ita præſentem Inſulam Beatiſſimi Honorati muniuit oratio, per

Fit Monachus Lerinenſis.

Fit Abbas Lerinenſis.

Diabolus ei inſidiatur.

Oratione ſanat morbidũ monachum.

Apparet ei nauis commẽtitia, ſicut & S. Maximo.

quem

quem ex ea Draco eſt habitator eiectus, vt nullum huic vlterius nocendi aditū poſſit habere diabolus, euanuit inter hæc nauis fictilis, ab oculis pernoctantis. Vir autem ſanctus protinùs feſtinans ad oratorum remeauit, & vt ad vigilias ſurgerent admonuit, vbi cum omni ſancta congregatione ipſi celeberrimas ſtuduit reddere laudes, per quem illi ſuggeſſerat victoria triumphalis, quem dum tantis virtutum myſteriis eſſe præcipuum per vniuerſum orbem velox fama vulgaret, ad Pontificium Arelatenſis vrbis amore omnium ſacerdotum vel ciuium non minus raptus quàm electus adducitur, & reluctans protinus conſecratur. Qui licet iam Virgilius vbi amplius creſceret non haberet, attamen nihil de nominis ſui proprietate minorans dum vigil permanſit in opere, claruit in honore. Inter cætera igitur quæ in eodem fulgebant bonorum actuum ornamenta, monſtrabat illum patientia fortem, beneuolentia patientem, libertas alacrem, liberalitas abundantem, magnanimitas liberalem, pietas mitem, ſedulitas diligentem, charitas dulcem, largitas generalem, doctrina laudabilem, æquitas ſingularem, humilitas pauperem, dignitas affluentem? Qui cum eſſet omnibus virtutibus adornatus ſcripturis quoque diuinis nulli priorum infimus Baſilicam in honore ſancti Stephani protomartyris Chriſti intra vrbem Arelatenſem fideli qua poterat deuotione conſtruxit. Sed nec hoc ad confortanda corda Arelatenſium eſſe cenſuimus omittendum, quod dum Beatiſſimus Antiſtes ad ipſius Baſilicæ Templum, quod cum magna deuotione conſtruxerat cum cæteris Epiſcopis, qui ad dedicationem templi conuenerant, pſallendo ſacras cum honore maximo reliquias Beati Stephani vel aliorum ſanctorum adueheret, in ipſius vrbis porta improuiſè verſus iſte ex ordine ſic venit, *hæc porta domini iuſti intrabunt per eam:* Quod procul dubio intelligendum eſt vrbis memoratæ portam ſic eius orationibus munitum, vt ſicut hactenus per longinqua ſpatia temporum propitiante deo numquam eſſe comprobatur inrupta, ita nec in poſterum poſſe irrumpi diuinitate propitia cenſeatur quoniam facillimè Paſtor ille præcipuus quem viuentem monſtrant geſta poſt tranſitum apud dominum obtinere potuit, vt glorioſam eius meritis vrbem hanc in qua Pontificium emeruit perpetuis temporibus deffenſaret, Aforis per virtutem ſui corporis & infrà per templum ſacratiſſimum quod conſtruxit vndique per beneficia indulta quæ meruit. Omnes ergo diuinitate propitia nouerunt ſicut pſallentium turba prædixit vrbem Arelatenſem per deffenſorem Virgilium in omnibus eſſe munitum, nec permitti poteſt vt locum illum hoſtiles cunei valeant irrumpere, vbi ille Chriſto dignoſcitur militaſſe, vnde nec reliqui Antiſtites præceſſoris illius qui in omnibus eius æquantur meritis cenſendi eſſe minores, dum in baſilica igitur ipſa quam ad effectum perduxerat inſtantia paſtorali Virgilius celebraret, & inter reliqua ex hoc deo gratias ageret, quia ſuum deſiderium adimpleſſet, quod miraculum dignoſcitur contigiſſe, non putamus ſilentio præterire. Aurelianus itaque quidam Arelatenſis diaconus fratris filium, quem Paulum parentum tranſitus dereliquerat nutriendum excipiens, pluſquam filium diligebat, qui dum per murum eiuſdem vrbis cum reliquis infantibus veſpere ſabbathi luderet, interueniente caſu lapſus corruit, & ſpiritum ceruicibus fractis amiſit: A quo nuncio Diaconus ille perculſus nimio dolore percurrens corpus exanime veſtimentis ſuis coopertum rapuit, & ad ſacrum Pontificem vbi celebrabat vigilias ſecretiùs deportauit, tractans qualiter

Creatur Pontifex Arelatenſis.

Eccleſiam ſancti Stephani intra Arelatem condidit.

Protector perpetuus ciuitatis Arelatenſis.

eum publicè pedibus ipſius proſterneret, & vt ipſi vitam deberet reddere ſupplicaret. Sed quia probatiſſimus Chriſti miles omninò iactantiam fugere nouerat, ad cubiculum ipſius eum ſtuduit deportare, vel in lectulo proſtratum eiuſdem lectaribus operire, ſciens & tota mente confidens quod illum viuificare poterat ſpiritalis medicus, qui conſueuerat ſuſcitare deffunctos vnde cum multo mœrore (ſpem tamen de confi-
**Dubitanter.* dentia capiens) ad vigilias remeauit, & in loco vbi ſtare conſueuerat* indubitanter acceſſit, quo viſo clementiſſimus Pontifex ſilentium pſallentibus quæ geſta fuerant replicaturus indicauit cum conſueto deuotionis ſtudio orationem impleſſet Diaconum illum ex hoc quod fecerat fortiter increpauit, quem non ſolum remouere nequiuit territum: ſed etiam amplius ſtuduit incitare compunctum, tunc ad ipſius proſtratus pedes clamare cœpit, quod niſi vitam deffuncto redderet eius veſtigia non laſſaret, addens etiam quia facillimè illum poterat ſuſcitare, de quo meruerat quæ fuerant acta nuncio nullo indicante cognoſcere: Qua improbitate compulſus & ratione conſtrictus ipſo tamen comitante qui precabatur ad lectulum ſuum ſecretius decreuit accedere, ſed turbam populi nec vitare quiuit, quin ad ipſius rei miraculum conueniret, ad quod cor-
Suſcitat mortuum. puſculum cum fuiſſet ingreſſus auxilia diuina tota mentis auiditate depoſcens, manum eius qui functus fuerat fiducialiter apprehẽdit, & priſtinæ ſanitati reſtituit. Tunc omnis conſtipatio populi circumſepta clamat gloria tibi Deus, nec nulla tenus remoueri poterant ſinguli, quin viderent motum & audirent eloquium ſuſcitati, de qua ſeditione vix ad vigilias clericorum ſuorum auxilio ereptus reuocari poterat: quem concurſus fidelium obſidebat in hoc miraculo paulo minor apparuit confidentis Diaconi fides quam virtus ſancta Pontificis. Interea de plurimis pauca videamur vt dinumerare, ad ſuperiora quæ pretermiſimus ſtillo ſcribendi redeamus. Quadam itaque die dum vir beatiſſimus Baſilicam extra muros vrbis miro opere conderet viſum eſt, vt columnæ marmoreæ, quæ ibidem nunc videntur aſſiſtere in altum deductæ erigi deberentur, contigit autem vt vir domini abſens omnes nimio labore fatigarentur & mole lapidum mouere non poſſe, ſed in nullo grauabatur tanti onus ponderis quod eius præcedebant auxilia ſanctitatis, dum ille tamen ad templi illius ſepta operarios indeſinenter inſiſteret, ita eodem abſente diabolicæ artis obuiante nequitia vniuerſam multitudinem virorum occulta prægrauauit obiectio. Cúmque nullis rebus accedere potuiſſent alios quamplures inuencos etiam adiunxerunt, quibus vis maior eſſe poterat & robur validius imminebat, ſed nihil profitere poterant, quibus ſpiritalis aduerſitas reſiſtebat, & tamquam ſi totam vrbem illam quod impoſſibile eſſe dignoſcitur trahere mitterentur, ita pondus mobile fraus inimica reſiſtens fecerat non poſſe moueri: cuius rei geſtum Beatiſſimo Antiſtiti anhelans illicò nuncius perturbatus exhibuit, ille verò ad locum indubitanter acceſſit, nec terrore trepidus nec mœrore confuſus, cuius tantum aſpectibus inſidiator ille latere non potuit, qui populo vniuerſo latebat, tunc clamoſa voce dicere cœpit, fruſtra per ignorantiam laboratis dum videre inimici hoſtis obſtacula non poteſtis, nam ego conſpicio æthiopem paruulum in quo diabolicæ virtutis conſiſtit immanitas, iuuenculis certantibus

obuian

obuiantẽ. Tũc genu flexo deuotus adorãs, vt inſidiatoris aduerſitatẽ vinceret, auxilia diuina popoſcit, & conuerſus ad funebrem dixit; *ô omnis dolor, & inimice humani generis, quomodo auſus es opus Dei inſidiari?* ad hanc vocem territus aduerſarius illico (quia amplius ſub præſentia ſacri Pontificis nocere non licuit) cum nimio fœtore diſceſſit, & remotis columnis quæ ab eius inſidiis prægrauatæ fuerant ad diſpoſitum locum vbi videbantur opponi abſque vlla difficultate erectæ ſunt, quoniam nihil illi inſidiator aduerſari poterat, cui Dei arbitrio dæmonia ſubiecta eſſe videbãtur. Dedicauit autem idem beatus Antiſtes, baſilicam quam conſtruxit in honore ſaluatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti & Beati honorati confeſſoris, atque ibidem ordinem conſtituit Monachorum ſeruientium Deo. Cúmque à beato Pontifice ſacra Miſſarum ſolemnia celebrarentur, contigit vt cuiuſdam viduæ vnica filia in annis adoleſcentiæ conſtituta à maligno ſpiritu raperetur, quam cum piiſſima genitrix infœlici caſu decepta, non minus miſeranda quàm miſera ex vſu geſtanda pheretro collocauerit ad ſacrum trepida concurrit Antiſtitem, cum lachrymis potius quam verbis, cauſam improbi doloris aſſignans, vt ſupra corpus exanime orationem funderet ſupplicauit: quod vir Dei pietate victus nec differre potuit, nec negare, ſed ad pheretrum cõfidenter acceſſit, ibique pronus adorans vel in ſublime geminas manuum ſuarum palmas attollens, precibus beatis obtinuit, vt mortuam ſuſcitaret. Quæ raptim tanquam poſt nimium ſoporem euigilãs oculos rediuiua pergrauatos aperuit, & auocata ſurrexit. Longum itaque eſt gaudia materna diſſerere, & ſtuporem admirantis populi replicare: poſtque tamen miracula à cuius mortis iura virtus meritis armata reſoluerat, dum iactantiam Pontifex ille fugeret concitus remeauit: ſed deuotio populi quæ ſuffragia in diuinis laudibus intonabat, tanta eum auiditate præcinxerat vt maximam partem indumenti ſui in reliquarum patrocinia ciuili violentia rapuiſſet, vnde pro eius virtutibus declarandis, quod vix circa ſcapulas remanere potuit hodierna deuotio reſeruauit. Erat itaque in eadem vrbe, immaniſſimus ſerpens, qui multos è populo laniauerat, dum quidam adoleſcens morſu eius ſuffocatus, fuiſſet extinctus, turbam populi quam præſentem contigerat ſupplicantem obtinuit, vt ad locum quo iacebat corpus examine peruenirent, ille verò ſacratiſſimus paſtor ancipiti reddebatur cogitatione ſuſpenſus, dum huic fletibus quæ poſcebant negare non poterat, inde ne iactantiam incurreret, metuebat, aſt tamen pietate victus & multorum obſequiis vt ad locum accederet, vota populi ſupplicantis impleuit, vbi manus ſuas ad cœlum eleuauit, paritérque oculos lachrymis diſtillantibus, deffuncto ſalutem priſtinam reddidit: quem teſte populo ſuſcitauit. Sed ita eum parentes proprij pugnis pectora conciſa tundentes, hululatibus & fletibus obſidebant, vt conſurgere non valeret, quamlibet ſalutem priſtinam recepiſſet, vnam tamen manum ad genitorem, aliam ad genitricem attollens, membris inter vtrúmque titubantibus eleuatur, & populo Deo gratias acclamante ad hoſpitium reuertitur proprium, cui iam cœperant parare ſepulchrum, vnde piiſſimi genitores arbitrandum eſt quale gaudium potuerunt habere poſt luctum, dum huic exultabant, de præſentia rediuiuæ ſobolis: inde quod ad integrum viueret vix credebant. Perrexit itaque ſacratiſſimus Pontifex ad locum vbi latebat ille fœuiſſimus coluber, qui multos iam ex populo perimerat & viſo eo animi indignatione commotus, proiecto baculo quem in manu gerebat erectis ſurſum manibus cœleſtem actorem iuuocans extinctum calor vitæ deſeruit, atque per medium crepuit congregata deni-

Detegit fraudes inſidiatoris.

Dedicat Eccleſiam in honorem Saluatoris & ſancti Honorati.

Puellam ſuſcitat mortuã.

Ad vitam reuocat deffunctum.

Interimit ſerpentem infectum Arelatenſem.

que copioſa lignorum ſtrue ignem ſupponi iuſſit,nec mirum eſt qualiter ſpiritalis athleta dum gregem humani generis deffenderet hoſtem eius ictu lætifero perculiſſet, qui quod expedire gaudio manus armata conſueuerat flatu operante ſupplebat & forſitan ferientis ictum fallere potuit, qui obtutu Pontificis non fefellit. Inflicta vero vulnera,ita orationis medicamento,& crucis ſanauit auxilio, vt ſubitò pariter & liuorem abſtergeret, & dolorem. Nec quidem quod dirus ſerpens rabidis dentibus & auiditate inſana corruperat, apparebat. Alia vero die bos, quemdam petulcus cornu ferienti iugulauerat, vel extrinſecus intranea eius expulerat, quem dum illico ad eundem medicum famulatu deuotio deduxiſſet & licet in omnibus virtutibus incurrere ſe iactantiam formidaret, clementer tamen vulneratum excepit, cuius manus diligenter attractans fomentis ſalutiferis oblectauit: & per vulnus intromiſit quod ipſe ſuperpoſita ſpongia leniter alligans, ne aliquis ſoluere præter illum auderet, inſtanter admonuit. Quod cum die ſeptima laſſaſſet ita in integrum fuiſſe ſanatum apparuit, vt vix ibidem vel cicatricis veſtigium remanſiſſet; Cuius vero ſemper artus teneros cilicij edomabat aſperitas,vnde interiorem tunicam induebatur,quam de corpore ſuo crucis ſtudio numquam abſtulit:ſed etiam cum eadē ſepeliri præcepit,nec vnquam vti voluit lauacris, ne forte animorum ſuorum conſtantia,quam calcatis carnalibus vitiis monſtrabat ſuſtinere etiam martyrio mollior redderetur. Quidam igitur cœcus dum per quindecim annos naturali lumine captus, vel ſoſpita cœcitate damnatus iugi tenebrarum colligere teneretur obnoxius, ſanctiſſimum indeſinenter precabatur antiſtitem, vt ipſi lumen amiſſum ſuis interceſſionibus redderet, & videndi aciem reſtauraret. Qui dum hoc arroganti vitando differret Fulgentium quendam ſubdiaconem,qui ei obſequi conſueuerat ſtuduit deprecari, vt quando nocturnis horis beatiſſimus Pontifex ſolus Baſilicas circuibat eum pro mercede ſua ſecretiùs traheret, & ad templi veſtibulum quo egredi conſueuerat deportaret. Quod quadam nocte dum mane myſticum altare ſancti Stephani ex more vir Dei pſallendo ſacras excubias celebraret, præfatus ſubdiaconus implere non diſtulit,vbi dum cœcus ille ſolo proſtratus expectans ſacerdotis aduētum quieſceret, medicus quem deſiderabat aduenit,in quo dum improuiſo molliter gradiendo pedem impuliſſet, veneranda eius veſtigia ſupplex amplectitur, & vt viſum illi redderet deprecatur. Qui orationem confidenter factam ſignaculum crucis ſuper eius oculos impoſuit, & diu clauſa lumina ſubito reſerauit, quem oſculans conteſtatus eſt ei,vt nulli panderet quod ipſi per illum Deus viſum reſtituiſſet. Et licet hoc ſpoponderit pro magnitudine gaudij non potuit occultare. Sed quamlibet operatio ſecreta fuiſſet, opus tamen ſupplicum nequit eſſe ſecretum, & qui viſum per tot annorum curricula non habuerat, non laterre potuit quod videbat, ſed etiam fugata tenebrarum caligine ſplendebat actor redditor luminis, & gratia fulgebat actoris. Et licet diuina largitas in amorem ſanctorum audientium vota ſemper amplificet, non tamen ad integrum cuncta rerum miracula expleri poſſunt, quamlibet in longum protenta lectio perducatur, aut quando inter tanta operum ſanctorum inſignia inuenienda eſt finis eius operis, in quo cœleſtis gratia præfulxit actoris, & cui facillimè conſtitit illuminare cœcos,ſanare claudos,ſuſcitare defunctos. Quicquid amplius dicitur, inuenitur. Quid plura? Inconſtanter omnia implere poterat. In quo ſpiritus ſanctus præfulgebat:Cœpit verò quandoquidem inter hæc immenſa myſte-

Semper vſus cilicio.

Cœcum illuminat.

ria

ria diem ſui obitus eſſe vicinam ſacratiſſima reuelatione cognoſcere. Tũc palàm omnibus humilitate ſanctiſſima ſtuduit indicare quod de hac luce migraturus eſſet, vnde licèt omnes ſubitò mœrore turbati in hoc quod, ſe iã migraturum eſſe prædixerat, intuitu proprio quid ageret præſtolati fuerunt. Tunc cum in ſtratu proprio tanquam ſoporem capiens recubaſſet, diuinum impleret Officium & hymnos vel cantica pſalleret, amittens ſpiritum ad cœleſtia migrauit anno centeſimo vigeſimo ſeptimo ætatis ſuæ. In quo loco eadem hora tam ſuauiſſimus odor flagrauit veluti ſi vniuerſos verni temporis flores in vnum diuina prouiſio congregaſſet. Vnde quid aliud cenſendum eſt niſi amœnitatem Paradiſi ad cultum ipſius funeris reſpiraſſe? nec mirum tranſitus ſui nuncium, non ſolùm ad priuata mœnia velox fama prouexit, ſed & per vniuerſum ſæculi ambitum diuulgauit. Occurrunt vndique per diuerſos viarum acceſſus fideles cunei populorũ, optantes ſinguli vel vehiculi velamenta contingere pro munimine ſalutari. Tunc quædam adoleſcentula in vico qui vocatur *Gallica* funus naturæ reddiderat, cuius corpuſculum afferens dilectio propinquorum deportauit ad tumulum, quem iam in ipſius ſepulturæ arca depoſita necdũ tamen vt tumulãdi mos eſt tegmine cooperta ſubitò illis pſallentium turba inſonuit, à quibus ſacrum corpus efferebatur, ſub quo monumento amatores ipſius puellæ quæ ad ſepeliẽdum euecta fuerãt amnẽ Rhodani fluuij tranſmeantes à clero vel populo fuſis precibus vel lachrymis popoſcerunt, vt deponentes pheretrũ quod geſtabant ſubtus puellæ corpus examine traheretur. Cũctis igitur fidei ardor inhæſit ac de effectu non dubij tã ſanctæ petitioni nihilominùs denegauerant, & ſubmittẽtes defunctæ corpus proiecerunt colloquentes adinuicẽ quod vir ille apoſtolicus cui numquid diuina defuerat gratia quãlibet naturæ debitum reddidiſſet virtutibus tamen ac meritis viueret. Illico igitur vniuerſus populus deuotione fideliſſima ſeſe in diutina oratione proſternit, atque conſurgens dũ vnanimiter *Kirie eleiſon* ſepties proclamaſſent mortua puella ſurrexit. Omne ſubitò terror inuaſit, & amentiæ more gaudiũ cum ſtupore miſcentes, vno morabãtur aſpectu. Iam quidẽ luctũ exultatio aborta compreſſerat. Cuncti tamen ſuper tã ingenti myſterio obſtupeſcebant. Quid plura? Ad integrũ tunc, & qui puellæ detulerant conuenerũt ipſaque cultum funebrẽ congratulatione reſpuens vitalibus eſt rurſus indumentis induta, & præcedentibus ſequẽtibuſq; populis velox adiungitur de ſe in ſancti præconium teſtimonio ſalutẽ publicatione proclamãs. O ſanctiſſima merita ſacerdotia, ô beatũ meritum, vitãq; pontificis, qui vt ſe remuneratione diuina in æternã viuentẽ oſtenderat, poſt mortẽ mortuã ſuſcitauit. Quas tamẽ terras vix amor populi Arelatenſis exuberans arces ad Eccleſiã S. Saluatoris detulerunt habentes de funere luctum, gaudiũ de virtute: Tunc in ipſa baſilica ſupra nominata quã ipſe conſtruxerat tumulũ cum ſolẽnitate præcepit, vbi auxiliante Chriſto quicquid confidenter petitur, inuenitur: vbi non proculdubio fides ſit dubia, nõ virtus permanet in infinita. Non poſt longa igitur ſpatia temporis dũ in huius commemoratione Paſtoris multa narrarentur à multis, Subdiacomus quidã nomine Ariſtarchus cõuerſatione ſanctiſſimus circonſtantibus palàm rei geſtæ tenorẽ expoſuit, dicens. *Nullus noſtrũ dubitet Beatiſſimũ Virgilium, de cuius tantis virtutibus velut ipſa veritas ſuggerit replicatis, dum in huius ſæculi manſit ſpatiis non minus cum Angelis quàm cum hominibus habitaſſe, quem nobiſcũ humana conditio tenebat aſſiduum, cum ſanctis dignitas meritorum.* Contigit autem quadam nocte vt in hac vrbe, vbi illi Pontificium prouiſio ſuperna cõmiſerat ſancti Stepha-

Suum annonciat obitum.

Moritur S. Virgil. anno 126. ætatis ſuæ.

Creditur eſſe locꝰ in Inſula tranſrhodanũ quiuulgò nũc dicitur Galleque.

Ad feretrum eius puella mortua reuixit.

Sepultura mãdatur In Eccleſia à ſe cõſtructa S. Saluatoris & Honorati.

ni celeberrima inuentio,quæ eſt tertio nouas Auguſti immineret, quo ad celebrandas excubias admonitor fuerat deputatus. *Deeſt hic finis.*

Annotatio Vinc.Saler.

In hanc lucẽ editus fuit hic noſter Virgil.anno ſalutiferæ Redẽptionis noſtrę quingenteſimo tertio decimo,creatur verò Epiſcopus Arelatẽſis poſt deſudatam Lerinenſis eremi paleſtram an. ſalutis quingenteſimo nonageſimo primo,ætatis verò ſuæ iam labente ſeptuageſimo octauo,vixitque in Epiſcopatu annos quadraginta nouem, moritur anno operatę ſalutis ſexcenteſimo quadrageſimo,ętatis verò ſuę cẽteſimo vigeſimo ſeptimo,ſedẽte in Romana ſede S. Theodoro I. natione Greco, imperante conſtantino III. & in Gallia Dagoberto I.fœliciter regãnte. Cuius feſta ſolemnia celebrantur ab Eccleſia Arelatenſi ſeptimo octobris,& à Lerinenſibus tertio nonas Martij.

513. 591. 640. *7.Idus.Octob.*

De ſancto Virgilio Epiſcopo Arelatenſi,& Monaſterio Lerinenſi. Annotatio altera Vinc.Saler.

DE ſancto Virgilio Epiſcopo Arelatẽſi,cuius dies natalis recolitur tertio nonas Martij à Lerinẽſibus, & ſeptimo Idus Octobris ab Eccleſia Arelatenſi. Ea quæ ab Alnardo Vion afferuntur in ſecundo libro ligni vitæ, hic notanda duximus vbi ſic habet.S.Virgilius Gallus Monachus Lerinenſis, & Abbas Auguſtodunenſis in locũ Licerij Archiepiſcopi Arelat.creatur anno quingenteſimo nonageſimo primo: qui videtur peruenisſe vſque ad annum ſexcenteſimum quadrageſimum,ad eum ſcripſit S.Gregorius Papa.Obijt die quinta menſis Martij, de quo Gregorius Turonenſis libro nono cap. vigeſimo tertio de geſtis Francorũ.Et in ſuo Martyrologio monaſtico,ſeu lib.3. ligni vitæ,ait tertio nonas Martij:Arelati in Gallia S.Virgilij eiuſdem ciuitatis Epiſc.& Confeſſoris,pietate & doctrina clari.In annontationibus, verò fuit (inquit)primum Monaſterij Lerinenſis Monachus,& deinde Arelat.Archiepiſc. ad modũ S. Gregorio familiaris, cuius plures ad eũ extant epiſt.ex quibus vnam in gratiã lectoris,& vt aliquatenùs aliqua ex eius pręclaris dotibus clareſcant,& quanti eum fecerint idẽ ſanctiſſimus Papa Gregorius I.cognomento magnus,Childebertuſq; tunc Rex Francorum,omnibus ſit notum,ſic inſeremus:quæ deſumpta eſt ex Regiſtri lib.quarto diui Gregorij magni mẽ Auguſto,in dictione tertia decima,cap.nonageſimo quinto, eſtque epiſtola 51.data anno quarto ordinationis eius,Chriſti verò an.594.quæ talis eſt.

691. 640. *Gregorius Turonenſis lib. 9.cap.23.*

Gregorius,Virgilio Arelatenſi, Epiſtola 51.

OQuam bona eſt charitas,quæ abſentia per imaginẽ,præſentia ſibimetipſis exhibet per morem diuiſa vnit,confuſa ordinat, inæqualia ſociat, imperfecta conſumat, quam rectè prædicatur egregius vinculum perfectionis vocat,qui virtutes quidem cæteræ perfectionem generant:ſed tamẽ charitas etiam ligat, vt ab amantis mente diſſolui iam nequeant. Hæc itaque virtute,frater chariſſime, plenum te eſſe reperio, ſicut mihi de te, & hi qui ex gallicanis partibus veniunt, & epiſtolæ tuæ ad me directè verba teſtantur, quod verò in eis iuxta antiquum morem, vſum Pallij ac vices ſedis Apoſtolicæ poſtulaſti: abſit, ne aut tranſitoriæ poteſtatis culmen, aut exterioris cultus ornamentum in vicibus noſtris ac pallio quæſiſſe te ſuſpicer. Sed quia cunctis liquet, vnde in Galliarum regionibus fides ſancta prodierit, cum priſcam conſuetudinem ſedis Apoſtolicæ fraternitas

nitas veſtra repetit,quid aliud quam bona ſoboles ad ſinum matris Eccleſiæ recurrit?libenti ergo animo poſtulata concedimus,ne aut vobis quicquam de debito honore ſubtrahere , aut præcellentiſſimi filij noſtri Childeberti regis petitionem contempſiſſe videamus.Sed iam nunc ſtudio maiori res indiget: vt eum honor creſcit etiam ſolicitudo proficiat , & erga cæterorum cuſtodiam vigilantia excreſcat : vitæ quoque merita ſubiectis in exemplum veniant & nunquam ſua per ſuſcepti honoris gratiam,ſed lucra cœleſtis patriæ veſtra fraternitas acquirat.Noſtis enim quid beatus Apoſtolus gemens dicat: *Omnes enim quæ ſua ſunt , quærunt , non quæ ſunt Chriſti Ieſu.* Quibuſdam nam- *Phil.2.*
que narrantibus agnoui,quod in Galliarum , vel Germaniæ partibus , nullus ad ſacrum ordinem ſine commodi datione perueniat. Quod ſi ita eſt , flens dico,gemens denuncio : quia cum ſacerdotalis ordo intus cecidit,foris quoque diu ſtare non poterit. Scimus quippe ex Euangelio quid redemptor no- *Mat.21.*
ſter per ſemetipſum fecerit:quia ingreſſus in templum cathedras vendentium columbas,euertit.Columbas enim vendere,eſt de Spiritu ſancto,quem Deus omnipotens conſubſtantialem ſibi per impoſitionem manuum hominibus tribuit,commodum tẽporale percipere. Ex quo, vt prædixi,malo iam innuitur quid ſequatur : quia qui in templo Dei columbas vendere præſumpſerunt,eorum Deo iudice cathedræ ceciderunt,qui videlicet error in ſubditis cum augmento propagatur.Nam ipſe quoque qui pretio ad ſacrum ordinem perducitur,iam in ipſa prouectus ſui radice vitiatus paratior eſt aliis venundare,quod emit,vbi eſt quod ſcriptum eſt: *Gratis accepiſtis,gratis date ?* Et cum *Matt.10.*
primum Simoniaca hæreſis ſit contra ſanctam Eccleſiam exorta:cur non perpenditur : cur non videtur , quia eum quem quis cum pretio ordinat , prouehendo agit vt hæreticus fiat ? alia quoque nobis res eſt valdè deteſtabilis nunciata:quod quidam ex Laico habitu per appetitum gloriæ temporalis defunctis Epiſcopis tonſurantur & fiunt ſubito ſacerdotes , qua in re iam notum eſt qualis ad ſacerdotium venerit, qui repente de laico habitu ad ſacrum tranſit ducatum.Et qui miles nunquam extitit , dux religioſorum fieri non pertimeſcit,quam iſte ſuam prædicationem habiturus eſt , qui fortaſſe nunquam audiuit alienam?Aut quando aliena mala corrigat,qui necdum ſua fleuit ? Et cum ad ſacros ordines Paulus Apoſtolus Neophilum venire prohibebat:ſciendum nobis eſt,quia ſicut Neophilus tunc vocabatur, qui adhuc nouiter erat plantatus in fide:ita nunc iter Neophilos deputamus, qui adhuc nouus eſt in ſancta conuerſatione. Scimus autem , quod ædificati parietes non prius lignorum pondus accipiunt,niſi à nouitatis ſuæ humore ſiccentur: ne ſi ante pondera quàm ſolidentur , accipiant , cunctam ſimul fabricam ad terram deponant. Et cum ad ædificium arbuſta ſuccidimus,vt prius viriditatis humor exſiccari debeat , expectamus : ne ſi eis adhuc recentibus fabricæ pondus imponitur, ex ipſa nouitate curuentur, & confracta citius corruant, quæ immaturè in altum leuata videbantur. Cur ergo hoc non ſubtiliter in hominibus cuſtoditur , quod in lignis quoque ac lapidibus tanta conſideratione perpenditur?qua de re neceſſe eſt , vt veſtra fraternitas præcellentiſſimum filium noſtrum Childebertum regem admonere ſtudeat , vt huius peccati maculam à regno ſuo funditus repellat: quatenus omnipotens Deus tanto illi apud ſe maiora retribuat , quanto eum conſpicit , & amare quod ipſe diligit,& euitare quod odit.Itaque fraternitati veſtræ vices noſtras in Eccle- *Part.1.diſtin.*
ſiis, quæ ſub regno ſunt præcellentiſſimi filij noſtri Childeberti , iuxta anti- *100.pallium.*
quum morem Deo auctore committimus. Singulis ſiquidem metropolitis

ſecundum priſcam conſuetudinem proprio honore ſeruato, pallium quoque tranſmiſimus,quo fraternitas tua intra Eccleſiam ad ſola Miſſarum ſolemnia vtatur.Sicubi autem longius Epiſcoporum quiſquam pergere fortè voluerit ſine tuæ ſanctitatis auctoritate,ei ad loca alia tranſire non liceat.Si qua verò inquiſitio de fide,vel fortaſſe aliarum rerum inter Epiſcopos cauſa emerſerit quæ diſcerni difficilius poſſit, collectis duodecim Epiſcopis ventitetur atque decidatur.Si autem decidi nequiuerit ,diſcuſſa veritate ad noſtrum iudicium referatur:Omnipotens autem Deus ſua nos protectione cuſtodiat,honoremque perceptum nos in moribus ſeruare concedat.

Annotatio Vinc. Saler.

Hac prænotata epiſtola Gregoriana data quarto anno ſui Pontificatus & in ſequentibus notantur certò certius habetur quo tempore floruerit in Epiſcopatu Arelatenſi Diuus Virgilius ex monacho Lerinenſi nempe ſancti Gregorij magni ſummi pontificis,& præcellentiſſimi Childeberti Regis Francorum anno Domini 594.

Intelligimus etiam quantos, qualéſque monachos enutriebat tunc temporis illa officina ſanctorum Lerinenſis Inſula, cum talis ac tantus ſummus Pontifex,tot prærogatiuis,gratiis,priuilegiis & præconiis beatum ornet noſtrum Virgilium: appellat enim eum non ſolum habentem vinculum omnium virtutum,ſcilicet charitatem:ſed plenum charitate,quod longè præſtat afficitque eum titulo ſanctitatis.Adornat eum pallij vſu in Eccleſia ad petitionem potentiſſimi Regis Childeberti, cui ob integritatem vitæ maximè charus erat, quem commiſſione Apoſtolica monet vt vendentes ſacros ordines,& Simoniacos hæreticos de regno ſuo ſtudeat eliminare: perficitque in toto regno Galliæ metropolitanus,vt vices Apoſtolicæ ſedis agat, ſubiiciens ei omnes Epiſcopos,& ne quis eorum longius proficiſcatur eo conſulto denique vt in cauſis fidei ſeu aliis emergentibus conuocet ad determinationem conuentum Epiſcoporum & ab omnibus ei pareatur, vt patet etiam ex ſequenti epiſtola præfati libri quarti quæ eſt quinquageſima ſecunda data ad omnes Galliæ Epiſcopos in qua eos admonet quod opportunum perſpexit in Eccleſiis,quæ ſub regno præcellentiſſimi filij regis Childeberti ſunt Virgilio Arelatenſis ciuitatis Epiſcopo vices ſuas tribuere,vt ſi quid iurgij exortum ſit diſcretè compeſcat, & ſi opus fuerit Epiſcopos conuocet, cui omnes pareant,& nullus longius proficiſcatur ipſo inſcio, & ſummatim de omnibus quæ in prænotata epiſtola Virgilio Epiſcopo data habentur eos reddit certiores plurimum ipſum commendans.Item idem ait S.Gregorius reſpondens Childeberto Regi Francorum ait in epiſtola quæ eſt quinquageſima tertia eiuſdem libri quarti; *Gratanter quæ ſcripſiſtis accepimus: & quæ voluiſtis animo volenti conceſſimus:atque ideò fratri noſtro Virgilio Arelatenſis ciuitatis Epiſcopo vices noſtras iuxta antiquum morem, & excellentiæ noſtræ deſiderium, Deo fauente commiſimus:cui etiam & pallij vſum ſicut priſca habuit conſuetudo conceſſimus.* Ipſum regem inſuper admonet de multis corrigendis in regno ſuo ſcilicet de Laicis qui præcipiti ſaltu obeuntibus Epiſcopis ad Epiſcopatum conſcendunt,& quod ſacri ordines accepto pretio per ſimoniacam hæreſim conferantur: ſubnectítque in calce epiſtolæ. *Salutantes itaque excellentiam veſtram paternæ charitatis affectu petimus, vt cuncta quæ ſuprafcripto fratri & Coepiſcopo noſtro fieri ſeruarique mandauimus, fauoris veſtri præſidio compleantur.* Sunt & aliæ eiuſdem epiſtolæ ad ipſum Virgilium & alios Epiſcopos videlicet quadrageſima quinta libri primi, Regiſtri indictione nona ordinationis ſuæ

anno

an. primo Chriſti verò an. 591. in qua commonet iudeos non vi debere Baptiſari. Item quinquageſima tertia libri quinti indictione quarta decima ordinationis ſuæ an. quinto, domini verò. 595. vbi Auguſtinum Epiſcopum proficiſcentem in Angliam & candidum presbyterum virgilio commendat: tum centeſima decima Epiſtola libri ſeptimi indictione ſecunda, quæ & ordinationis eius anno octauo domini autem 598. in qua ipſum Virgilium & alios Epiſcopos monet de ſimoniaca hæreſi euellenda, & quod Neophitus non ordinetur, nec Epiſcopi cum mulieribus maneant, ſequitur in eodem libro, centeſima decima quinta Epiſtola data Virgilio, de priuilegio Apoſtolico monaſterij Arelatenſis à glorioſæ memoriæ Childeberto Francorum rege fundati agens. Item libro nono, indictione quarta, ordinationis verò ſuæ, decimo domini autem an. 600. Epiſtola. 49. in qua præcipit Virgilio vt ſimoniacas ordinationes funditùs eradicet. Poſtremo eodem, libro, & indictione Epiſtola. 63. iterum Auguſtinum Britanniam tendentem obnixè commendat, & anno ſequenti ſcilicet 601. (vt teſtatur Baronius annal. Tomo. 8.) 601. Auguſtinus ad Virgilium Arelatenſem Antiſtitem à Britannia venit, vt ab eo ſecundùm ſancti Gregorij iuſſionem ordinaretur Epiſcopus. Ex quibus omnibus valdè teſtatam habemus ſummam charitatem, vitæ integritatem ſimul & puritatem atque ſanam doctrinam beatiſſimi viri Virgilij Monachi Lerinenſis & poſtea Epiſcopi ciuitatis Arelatenſis.

Vita S. Attalæ abbatis Monachi Lerinenſis, edita ab Iona Scoto Abbate eiuſque diſcipulo. Claruit an. 626.

CVm venerabilis Pater Columbanus de hac luce migraſſet omni religione laudabilis, Attala in locum eius ſuffectus eſt cuius poſt magiſtrum virtutes clarè fulſerunt. Qui Burgundiorum ortus genere, nobilis natione, ſed nobilior ſanctitate, perfectè magiſtri veſtigia ſecutus eſt, huius autem Beati viri rudimenta qualiter inter ipſa primordia vberem à Domino profectum inuenerint prætermittendum non eſt. Igitur dum à Patre nobili liberalibus literis imbutus fuiſſet, Arigio quondam Pontifici ab ipſo genitore commendatus eſt. Sed bonæ indolis puer, nihil ibi vtilitatis agi cernens, cœpit mente ac ſpiritu ad potiora tendere, & ad altiora anhelare, dedit ergo operam vt poſtpoſitis mundi phaleramentis, Monachorum iungeretur cohorti. Clàm itaque à ſodalibus progreſſus, duobus pueris contentus ad Lerinenſe Cœnobium venit. Quo in loco diu degens cum cerneret Monachos eiuſdem cœnobij nequaquam regularis diſciplina habenis colla ſubmittere, cœpit anxio animo trutinare, qua potioris cõſiliij aditus viam panderet. Progreſſus ergo inde ad beatum Colũbanum. *Luxouium venit.* Quàm vir Sanctus cum ingenij ſagacis ſolertẽ eſſe cerneret, ſuo monaſterio iunxit, atque omnibus diuinis monitis erudire tentauit. Cumque Beatus Attala egregiè ac ſtrenuè poſt magiſtrũ patrémque ſuum Columbanum ſupradictum cœnobium regeret, & in omni diſciplina regularis tenoris fratres erudiret, cœpit contra eum antiqui hoſtis verſutia lætiferum diſcordiæ virus noxiis ictibus laxare, excitãs inſtigans aduerſus eum aliquorum corda ſubditorũ fratrum, qui muſſitando, ac ſacræ religioni derogando, dicebant ſe nimij feruoris authoritatem ferre non poſſe, & arduæ diſciplinæ pondera portare non valere. At ille ſagaci vt erat animo, pia fomenta præbere & ſalutariis antidoti, quo ſanies putrefacta amputaretur, potum dare ſtudens, tumentia corda mollire nitebatur. Sed cum diu caſtigatos ſecum retinere non poſſet, mœrore animi tur-

Martij. 10.

Genus S. Attalæ.

Litteris inſtituitur.

Petit Lerinenſe cœnobium.

It Luxouium

Succedit S. Columbano.

batus, multis precibus cum pietatis officio prosequebatur eos, orans vt se non relinquerét, sed ardui itineris callem fortiter tenerét, reminiscentes quia sancti Patres per mortificationem carnis & contemptum præsentis vitæ, regna cœlorum possiderent. Tandem cum nihil se proficere cerneret, nec alio nitentes animos suæ societatis habenis continere posset, finit eos pertinaces abire. Postquam ergo segregati sunt ab eo, alij eorum marinis finibus recepti sunt, alij locum heremi ob libertatem habendam petierunt: sed temeritatis & arrogantiæ suæ inibi positi mox damna senserunt. Nam cum in eisdem locis morarentur, & virum Dei suis detractionibus laniarent, vnus eorum qui Roccolenus dicebatur, qui & iurgiorum, vt credebatur, incrementa ministrauerat, subitò ictu febrium igneo accensus, inter pœnarum incendia clamare cœpit, se si valuisset, ad Beatum Attalam venire velle, & admissa, criminis damna pœnitentiæ medicamento lenire. Nec mora, vix hæc dicere licuit, statimque obmutuit, ac extremum halitum dimisit. Ast hi qui aderant, videntes viri Dei iniurias diuina vltione vindicari, plurimi eorum ad virum Dei remeant, suásque noxas confitentur, se in omnibus, si recipiantur, emendaturos pollicentur. Quos vir sanctus miro gaudio, ac si è luporum ore liberatas oues recepit & suis in locis singulos eorum restituit. At verò alij qui verecundia præueniente, vel temeritate ac arrogantiæ vitio maculati redire noluerunt, & datum pœnitentiæ locum contempserunt, diuersis mortibus sunt direpti: vt manifestè daretur intelligi, socios eos fuisse eius ad excitanda contumaciæ incrementa, quem vltio diuina percussérit, ac propterea cùm cæteris veniam non meruisse. Nam vnus eorum, Theodomundus nomine, securi percussus interiit: alius dum parui fluminis alueum transmearet irretitis poplitibus, per paruula fluuij vnda necatus est. Tertius verò, qui Theodarius dicebatur, cum se carinæ credidisset, in mari demersus est. Videntes hæc qui adhuc supererant, Verecundia sublata, ad beatum Patrem Attalam repedant, à quo, vt alij suprà memorati, benignè suscepti ac saluati sunt.

Pœna grauis murmuratoris.

Pœna item aliorum rebelliũ Monachorum.

Plura post hæc ab eo patrata miracula, omnium in supradicto Monasterio fratrum testimonio approbantur. Inter quos ego positus & beati viri ministerio deputatus tenebar. De quibus etiam nũc aliqua differere tentabo. Quodam tempore fluuiolus Bobius nomine, turbinis aquarum molibus ac rapaci cursu violenter defluens, vt solentes torrentes ex alpium cacuminibus delapsi & imbrium effusionibus aucti, saxorum rupes, & arborum congeries, nimia vi tumescens, coaceruabat, molendinúmque Monasterij impetu valido suffodere, & totam iam officinam quatiens, demergere nitebatur. Quo fragore audito, custos molendini, nomine Agibodus, ad molendinum velociter cucurrit, vt videret, si tanti fragoris moles inibi dispendiis damna generaret. Quo, cum venisset, vidit, nisi celeri auxilio subueniret, cuncta direptum iri, festinus igitur Patri Attalæ nunciandum credidit vt adiutores præbeat, qui opportuna necessitati ex aquarum fluctibus liberarent. Ad quem vir Dei ait: *Voca mihi Sinoaldum Diaconum: tu verò stratu tuo receptus, somnum*

69. *cape, nec metu aliquo detentus sis, aut mœrori mentem subiicias.* Erat enim manè priusquam aurora funderet grata lumina terris, vocatus ergo Sinoaldus, venit ad virum Dei. Cui Beatus Pater Attala ait: *Apprehenso bacculo quo sustentor, vade ad Bobium, imperantisq; voce dicito ei signo Dominicæ crucis prælato, vt istas desinat perfodere ripas, nec præsumptæ, audaciæ modum suppleat: sed ad alia cedens littora, ista sinat illæsa, imperiisq; Domini se agnoscat cessurum.* Tunc Sinoaldus

Signo crucis reiicitur rapidus fluuius in litus aduersum.

noaldus diaconus, imperio patris obediens, cum fidei adminiculo pergit: impoſitóque ripæ baculo, imperat fluuio ex viri Dei præceptis, annuente diuina potentia, ab illo loco citius promoueri, aliáque collis latera violento conatu petere. Mox obediens fluuius relicto alueo, collis ad latera cedens fluendo per ardua velut ſtrictis ripis latices ſuſtentabat, quoúſque concaua aluei paterent, quo ſuſtinente, liquido fluerent: iamque prorumpens ſol, mundo vt lumen panderet, ſurgebat, cœpítque Sinoaldus intra ſemetipſum cogitans dicere: *vadam & videbo, ſi viro Dei violenti fluctus obediant:* venítque ad ripam aluei, vbi ſtetit prius pleno tunc fluctu, & cernens iam ſubito vacuum litus, ſpectabat qualiter ad alterius collis latera ex imperio patris cederet, vt ſibi alueum quo fluere poſſet, aperiret. Feſtinúſque ad virum Dei venit, partæque victoriæ trophæum nunciauit. Cui vir Dei, nullatenus, inquit, me in hoc ſæculo viuente vlli dicere præſumas, proculdubio ne fauor adulatorum corda plena virtutibus macularet. Quod vitium quamuis ſint diuerſis virtutibus ditati, ab omnibus tamen ſanctis eſt ſtudioſè vitandum atque fugiendum. Nam hoc callidus hoſtis malitioſè ſtudet, vt dum in maioribus ac certis culpis ſanctos Dei maculare non valet, ſaltem vel in occultis quæ minora videntur polluat.

Deinde cum in aliquo tempore vnus monachorum, Fraimerus nomine, ad frumenta ſuſcipienda vomere tellurem excolleret, ſubito ſtiuæ firmitatem duræ glebæ aſperitas confregit quam cum prædictus frater componere conaretur, inopinato ictu ferramenti pollicem de læua amputauit, ſolóque conditum ſuperpoſita gleba velut funus ſepulturæ tradidit: relictóque vomere ad monaſterium pergit, patríque per confeſſionem humi proſtratus prodit. Quod videns vir Dei, vbi eſt, inquit, pars abſciſſi pollicis? At ille fatetur eam eſſe terræ conditam, ſulcóque ſepultam. Malè, ille ait, feciſti. Cur eam ad me non detuliſti? concito ergo gradu, nulli cauſam indicans, perge, ſumptámque eandem pollicis partem huc deporta. Egreſſus, ille, pergit ad locum, effoſſamque portionem pollicis detulit ad virum Dei: Erat autem iter quaſi vnius milliaris, tum propter ardui montis tum interfluentis fluminis flexuoſos circuitus. Porrò vir Dei ſuſcipiens fruſta pollicis, ſuíſque ſaliuis liniens, ſimul coniunxit: ſtatímque pollex carnis glutino compactus, velut ante fuerat ſanè ſibi adhæſit. Tunc Pater ſanctiſſimus, imperato ſilentio, ne alicui hoc proderet, vt abiret, opúſque incœptum perficeret iuſſit, O mira virtus omnipotentis Dei, quæ ſic ſuos in terris glorificat vt frigida abſciſsáque membra eorum interuentu priſtinæ ſanitati atque decori reddat

Pollicem præciſum reſtituit in locum ſuum.

Idem etiam ſanctiſſimus vir cum quodam tempore Mediolanum veniſſet quidam ibi puerulus in extremis febrium anxietatibus poſitus, vitæ tantum expectabat exitum. Cuius parentes audito beati Attalæ aduentu, feſtino ad eum properant curſu, cúmque precantur vt illi ſubueniat. Quod vir Domini cum diſſimulare voluiſſet, illi eum fletibus & terribilibus ſacramentis compellebant, vt ante accedat ad puerum, quam eum noxius ardor vitalibus priuet auris. Anxius ergo & popularis fauoris rumores fugiēs, ite, inquit, ego vt potuero, vos perſequar. Pergens ergo baſilicas ac ſanctorum loca circuit, & pro infirmo puero precatur, vt protinus ſoſpitati reddatur. Deinde vt promiſſæ fidei impleret effectum, ad infirmum feſtinus venit: ſed ne quis largitori ſalutis, præco exiſteret laudis, latenter domum ingreſſus, infirmum attingit, móxque virtus diuina, ſanctis fauens precibus, ſanitati preſtinæ ægrum reddidit. Grates ſimul conditori parentes referunt, qui ſic ad ſuo-

Vide quā vir ſanctus declinauerat omnem oſtentationem.

rum petitiones famulorum pietatis ſuæ aures accommodat. Erat nimirum Beatus Pater Attala vir gratus omnibus ſingularis cuiuſdam feruoris, ſingularis alacritatis, ſingularis charitatis erga pauperes & peregrinos nouerat & ſuperbis reſiſtere, & humilibus ſubditus eſſe, ſapientibus condigna rependere, ſimplicibus myſtica aperire: in ſoluendis ac componendis quæſtionibus ſagax, aduerſus hæreticorum procellas vigens ac ſolidus, fortis in aduerſis, ſobrius in proſperis, temperatus in omnibus, diſcretus in cunctis, redundans amore, & timore in ſubditos. Redolebat eius doctrina in diſcipulis nullus iuxta eum vel mœrore deiiciebatur, vel nimia lætitia extollebatur.

Virtutes S. Attala.

Obitus ſuus viro Dei reuelatur.

Cúmque iam ſeruum ſuum ab ærumnis ſæculi rerum conditor liberare vellet, monſtrare ei per viſionem voluit, vt de mundo egreſſurus paratum in omnibus iter haberet, quinquaginta dierum ſpatio ſuſpenſo, quo pararet iter venturum verum animus viri Dei non cognouit apertè, an iſtud eſſet exitus vitæ huius, an ad alium locum eſſet progreſſurus præparat autem ſeſe ad vtrúmque denſat ſepta Monaſterij, tegmenta renouat, omnia roborat, vt ſi abeundum ſit nihil imbecille dimittat. Vehicula ad iter agendum componit, libros ligaminibus firmat, ſupellectilia ablui diſſuta, conſui, corrupta renouari, calceamenta præpari iubet, vt ad manus præſto ſint omnia. Ipſe verò corpus ſuum ieiuniis, vigiliis & precibus afficit, ita vt nunquam intentius antea in orationem viſus ſit incubuiſſe. Et ne cuiquam incredibile videatur, quod refero, apertè narro, quid in me idem ſanctiſſimus, Pater peregerit. Cùm iam nouem annorum per circulum in Monaſterio conuerſatus fuiſſem, & ſæpe parentes mei poſtulaſſent, vt ipſos eius permiſſu viſitarem, nec impetrare valuiſſent: quadam poſtea die, nullo inde mentionem faciente, ait: vade fili feſtinus, & matrem fratrémque viſita, & nulla mora præpediente quantocius reuertere. Cùm autem ego differrem, & temporis opportunitatem euenire in proximo dicerem (erat enim tempus nimij frigoris, tempus videlicet februarij menſis) ille reſpondit: *Accelera iter quod dixi. Nam ignoras, virum in poſterum liceat illud agere tibi.* Datis ergo comitibus Blidulpho Presbytero, & Hermenoaldo diacono, iuris religioſis ad deſtinatum peruenimus locum, à Monaſterio diſtantem centum & quadraginta millibus. Quo cum venimus gratuita pietate à genitrice poſt tantorum interuallum annorum ſuſceptus ſum: ſed non diu genitrix optato fruitur dono. Nam eadem nocte febre correptus, inter incēdia clamare cœpit, me viri Dei precibus torqueri, ne inibi contra interdictum aliquātiſper morā facerem: & ſi non me ſubmouens, quocūq; poſſem conanime ad Monaſteriū repedarē, me citò morte pręueniendū. Mater ad hæc, præſtat me ibi ſanum te ſcire, inquit quam hic mortuum plangere. Fateor, longum fuit diei expectare aduentum. Vix erumpente aura, ad Monaſterium repedare ſtuduimus. Nequaquā ego cibi per triduum cepi, donec ad medij penè itineris loca pertingeremus. Feſtinantibus ergo & iter vrgentibus nobis ſoſpitatem rurſum recepi: venientéſq; ad Monaſterium, Patrem noſtrū Attalem iam febribus detentum reperimus, ac morti proximū. Ipſe verò viſis nobis gratulatus eſt ſicque apertè cognouimus viri Dei in hoc prævaluiſſe preces, vt me vis febrium vrgeret citò ad Monaſteriū ante eius exitū redire. Qui cum ſupremas vitæ præſentis horas duceret, & adhuc vigens halitus ſupereſſet, iuſſit ſe extra cellam perduci. Surgénſque è ſtrato quo valebat conamine ſuſtentantibus vndique fratribus, extra cellulam eſt progreſſus ibique aſpiciens crucem, quam ipſe in eodem loco poni preceperat vt ingrediens, egrediensque cellulam, eius tactu frontem ſuum muniret, cœpit

Non ſinitur Ionas apud Matrem hærere contra Iuſſum S. Attala.

mœſtus

mœſtus lachrymas fundere, ac crucis tropheum commemorare. *Aue, inquit, alma crux quæ mundi præcium portaſti, quæ vexilla fers æterna: tu noſtrorum vulnerum medicinam attuliſti, tu cruore eius illita es qui vt humanum genus ſaluaret, de cœlo in hanc lachrymarum vallem deſcendit: qui in te primi Adæ rugam extendit dudum, iam iamque ſecundus Adam, lauacro maculam abluens.* Cùm hæc oraret Sanctus Attala, precatus omnes, vt abeant, ſeſéque cellulam reddant, ſibíque pauliſper locum quietum præbeant. Abeuntibus ergo omnibus, vnus tantum frater nomine Blidemundus, poſt tergum viri Dei tacito anhelitu ſtetit, cogitans ſi viri Dei poplites labefactari vidiſſet, ad ſuſcipiendum eum paratum fore. Cùm ergo nullum ſupereſſe Sanctus Pater putaret, cœpit conditoris clemẽtiam cum lachrymarum vbertate flagitare, vt largitatis ſuæ ſibi, & ſi indigno dona largiretur & veteres maculas delens, omnia ſaluti redintegraret, ac antiquam miſeri cordiam exercens ſe à cœleſti munere non abdicaret. Inter hæc mœſta ſuſpiria & fluentes lachrymas cœlos intuens vidit ſibi eos apertos: quos multarum horarum ſpatio affectuosè inſpiciens vberes cordis rugitus promebat. Gratias deinde referens Omnipotenti Deo qui ſibi ianuas cœli apertas demonſtraret, quas poſt paululùm exuta anima corporis membris penetratura eſſet, facto ſigno, vt fratres aduenirent, præcepit, vt eum cellulæ redderent. Hæc nobis ſupradictus frater eadem die retulit. Hanc quippe conſolationem famulo ſuo Chriſtus oſtendit, vt in extremum halitum, ſecurus de futura venia, imo gloria, ouans dimitteret. Quod vir Dei libenter occultare voluiſſet, ſi ſupradictus Blidemundus abditè poſt eius dorſum non remanſiſſet. Altera die valefaciens omnibus fratribus vir domini ſanctus Attala, exhortabatur eos vt cœptum iter non relinquerint, ſed vt melioribus actibus roborati, quotidie perſeuerando firmarent. Conſolatis ergo cunctis, vitæ præſentis nexibus abſolutus, animam cœlo fœliciter reddidit. Merito itaque rerum conditor, & humani generis reparator ſanctos ſuos virtutum copia adornat, ſicut ſcriptum eſt: Spiritus eius ornauit cœlos: quia illi ad cœleſtem vitam anhelantes, eius præceptis parere ſtudent, vt de labore obedientiæ fructus recipiant vitæ æternæ. Amen.

Nota hæc de crucis imagine.

Oratio S. viri dominum.

Videt Cœlos apertos.

Hortantur fratres ad ſuſcepti propoſiti conſtantiam.

Item de ſancto Attala Abbate, Vincentius Bellouanenſis Libro 23. cap. 20. ſpeculi Hiſtorialis, ſic ait.

POrrò S. Attalus Beato Columbano de hac luce migranti ſuccedens: Cùm egregiè Luxouienſe Cœnobium regeret: Diabolus contra eum aliquorum ſubditorum corda ſuſcitauit: qui ſe dicebant tanti feruoris auſteritatem, & arduæ diſciplinæ pondera ferre non poſſe. At ille ſagaciter pia fomenta præbebat: & mollire corda tumentia nitebatur: ſuadens reminiſci patres per mortificationem, & contemptum præſentis vitæ regna cœleſtia poſſidere. Cúmque ſe nihil proficere iam cerneret, pertinaces ire permiſit: qui poſtquam ab eo ſegregati ſunt, cùm mirum Dei ſuis detractionibus laniarent vnus eorum ſubitò igne febrium accenſus, inter pœnas incendij clamare cœpit, ſe ſi poſſet ad beatum Attalum venire velle & admiſſi criminis damna pœnitentiæ medicamento lenire. Vix hoc ei dicere licuit, obmutuit & extremum halitum finaliter dimiſit. At illi qui aderant videntes iniuriam viri Dei à Deo vindicari: quidam ad eum cum pœnitentia redeunt: quos ille miro gaudio recepit,

ſuiſque locis ſuas agnoſcentes culpas reſtituit. Alij verò qui datum pœnitentiæ locum non redeundo contempſerunt, diuerſis mortibus direpti ſunt, nam vnus eorum ſecuri percuſſus interiit: Alius dum parui fluminis alueum tranſmearet irretitis poplitibus paruula vnda necatus eſt: Tertius cum ſe in mari Larinæ tradidiſſet dimerſus eſt. Quodã tempore cum Bobius fluuiolus turgidis aquarum molibus violenter,& rapaciter defluens mollinum Monaſterij ſuffodere ac totam officinam ocyus demergere videretur, vir Dei hoc audiens Synoaldum Diaconen ad ſe accerſeri fecit: cui dixit, apprehenſſo baculo quo ſuſtentabatur, vade ad Bobium fluuium imperantíſque voce dicito, ſignum dominicæ crucis prælato, vt iſtas ripas perfodere deſignat, ne præſumpta audacia modos ſuppleat, ſed aliò incedens latera iſta ſinat eſſe illæſa, imperiis ſe cognoſcat domini receſſurum. Cúmque ille viri Dei imperio obediſſet, mox quoque fluuius obediens, relicto alueo, collis latera cedens fluenta per ardua collis latera, velut animalis ſtrictos latices ſuſtentabat qui ad vſque concaua aluei paterent, quo ſuſtentante liquido fluenti vnus Monachorum dum in agro laboraret inopinato ictu ferramenti pollicem ſibi ex læua proſcidit, & ſuperpoſita gleba quaſi funus ſepeliuit, pergénſque ad Monaſterium rem patri prodidit. Cúmque vir Dei partem abſciſi policis terræ conditam ſulcóque ſepultam ſibi afferri iuſſiſſet, ſputo ſuo illitam manui iunxit, coniunctúſque pollex carnis glutino, vt antea fuit, adhęſit tacitóq; ſilentio vt abiret imperauit. Cùm autem in ſupremis vitæ præſentis hora fungeretur, inter mœſta ſuſpiria, & fluentes lachrymas cœlos intuens vidit ſibi ſubitò eoſdem apertos, quo per multarum horarum ſpacia, cordis rugitus premebat, deinde gratiarum agens, & fratres exhortando confortans animam cœlo reddidit.

Item de ſancto Attalo Abbate Petrus in catalogo, lib. 3. cap. 190.

ATtalus Abbas Monaſtrij Luxouienſis ſucceſſor fuit ſancti Columbani Abbatis, qui dum egregiè Monaſterium regeret, quidam ex ſuis fratribus auſteritatem vitæ non volentes ſuſtinere contra eius præceptũ apoſtatarunt, quorum vnus ſubita febre correptus, cum ad ſanctũ Attalum venire ſe poſſe peroptaret poſt modicum extinctus eſt. Cuius exemplo plurimi ad Monaſterium redierũt, quidam verò obſtinati in apoſtaſi permanſerũt, quorum vnus ſecuri percuſſus interiit: alter in paruiſſimo flumine necatus: Tertius de naui in mare concidens ſubmergitur. Cùm autem Bobius fluuius inundans molendinum Monaſterij, & officinas inuaderet mandauit ſanctus per Sinoardum Diaconem ſuum fluuio vt ſe retrahere deberet: ſtatímque fluuius alueo naturali relicto per alios meatus adeo à loco illo diſceſſit, vt etiam alueus ſicaretur. Et cum quidam ex Monachis laborando in nemore caſu ſibi pollicem præcidiſſet & ſepeliſſet ſanctus digitum defoſſum manu applicans ſputóque liniens ad locum ſuum ſanatum reduxit: quieuit in Domino 5. Idus Martij, hæc Petrus.

Tritemius libro 3. cap. 71.

Attalus monachus & diſcipulus ſancti Columbani, Bobienſis cœnobij Abbas ab eo conſtitutus cum monachos egregiè regeret & hoc nonnulli poſſe ſe ſuſtinere reclamarent atque ab eo recedentes, ei detraherent, omnes miſerabiliter in breui perierunt. Fuit enim vir ſanctiſſimæ conuerſationis, ob quam

quam cauſam omnipotens Deus iniurias tam ſeuerè vindicauit. Claruit autem anno Domini 620. Cuius vitam idem Ionas monachus beati Columbani deſcripſit eius feſtum. 6. Idus Martij colitur. hæc Tritemius.

Annotatiò Vinc. Saler.

Meminit huius ſancti Abbatis Attalæ Baronius in ſuis Annal. Eccleſ. ſub anno Chriſti 615. Papæ Deus dedit annalium primo Heraclij Imp. ſexto, quo ſcilicet anno beatus Columbanus in monaſterio Bobienſe, vita beata functus animam membris ſolutam cœlo redidit, cui præfato anno ſubrogatus eſt dilectus Attalus Abbas eius diſcipulus, ex monacho antea eremitici ſtadij Lerinenſis Inſulæ, ex quo diſcedens Luxouium ad beatum Columbanum ſe contulerat, & exinde Bobium, fuítque ſui magiſtri ſanctitate non impar. Memoratur item idem Annaliſta, huius ſancti Abbatis ſub anno Chriſti. 626. Honorij Papæ 1. Heraclij imperatoris 17. quo anno non obſcurè ſignat ſanctum Attalam carnis corruptione ſolutum, ad ſempiternam perpetuæ incorruptionis gloriam fœliciter migraſſe cum ipſomet anno de eius ſucceſſore Bertholo Abbate agat. Ex quo colligitur vndecim annis Monaſterij Bobienſis ſanctum Attalam diſciplinæ habenas moderaſſe. 615. 626.

Eximij Doctoris ſancti Hilarij Arelatenſis & Monachi Lerinenſis inclita vita ex Membrano perantiquo M. S. Monaſterij Lerinenſis, auctore Anonymo: quam tamen putamus eſſe ſancti Honorati Epiſcopi Maſſilienſis, vel teſte Gennadio, qui de illuſtr. Eccleſiæ ſcriptoribus, cap. 99. ait ipſum ſcripſiſſe ſanctorum Patrum vitas, præcipuéque meritoris ſui ſancti Hilarii Arelatenſis Archiepiſcopi: nam auctor huius hiſtoriæ ſe præſentem fuiſſe venerandis exequiis S. Hilarii fatetur: tum Epiſcopatum egiſſe in Eccleſia non obſcurè in calce hiſtoriæ ſignat, moritur anno Chriſti 449. Leonis Papæ X. Theodoſio, & Valentiniano regnantibus. Obiit an. 626

BEatiſſimi Hilarij, peculiaris Patris, monachi ſingularis, Antiſtitis ſummi, Doctoris eximij, pij inſtitutoris: vitam ſermone perpauculo ſenſu tenui cupiens demonſtrare, dignum duco, nequaquam more rhetorico patriam parentéſque memorare: quia etiam ipſe laudibus venerandi propinqui præcelſum ſtemma natalium maluit nobilitate, dum reſpuit commendare dum præterit, dilatare dum ſpernit. Ego vt ſic dixerim, huius rei non immeritò arbitror faciendam eſſe iacturam, vbi præconium ſublimium redundat vbertas more artificum qui compoſituri diadema precioſum ſic elegit veras gemmas vt aliquas tamen præterire noſcantur induſtria. Ita & ego vbi virtutum exuberant margaritæ nonnullas neceſſariò prætermittam, vt vitæ illius pretioſiſſimum monile, non humanis gemmis ornatum, ſed ſupernis virtutibus ſplendidum, ſine artificis manu pretioſitate propria commendetur. Proinde infantiæ eiuſdem rudimenta, indolem pueritiæ, iam tunc quæ ſubſecuta ſunt niuei nitorem vultus fulgentium luminum facies, modeſtis gradientis inceſſum, ignem flagrantis ingenij, inexauſtum facundiæ fontem, philoſophicorum dogmatum anteriorem, verámque doctrinam, præclara poſteris tradita eius eloquio monumenta teſtantur, breui trado compendio. In illis definiens, hæc requirenda perſonis in quibus tanta inſignia nequeunt fructificare virtutum. Ego autem qui in humilitate gratiam in mundi contemptu ſapientiam, in actoris amore iuſtitiam, in carnis mortificatione prudentiam, in perennium præmiorum comparatione fortitudi- 5. Maij.

nem prædico, illa omninò neceſſaria diſſimulatione prætereo, illud rectè æſtimans narrationis exordium quod ipſe iudicauit conuerſationis ſuæ dignum eſſe principium. Quemadmodum portum veræ ſalutis, vitæ iſtius naufragio ſuperato, prælibare tentabo.

vitæ hiſtoria. Hunc igitur dum beatæ memoriæ Honoratus pater, in nouæ vitæ immortalitatem cuperet pietatis regenerare viſceribus congregationem per ſe Domino acquiſitã pauxillum dereliquit, ad patriam ex qua eum amor cœleſtis expulerat, tanti filij reuocauit affectus, corpore infirmus, mente validus, & robuſtus ſobolem nouam ſpirituali adhortatione concipiens, inſtructione formans, orationibus procreans, in corde præclari ceſpitis ſanctum ſemen aratro fidei percolendum iacebat peritus agricola, quod orationum perennibus donis, & lachrymarum fluentibus riuis iugiter irrigabat. Sed anima generoſa quæ falſam atque fallentem ſæculi fœlicitatem in numero doctrinarum labore conceperat cum ad cœleſtis regni militiam vocaretur non leuem habuit, facilémque tractauit quandoquidem ſe ſubtiliter ingerebat dulcedo præſentium, vt veram frugem & gloriam abſtraheret futurorum. Sed pius pater his adhortationibus à mundi proſperitate conſtrictum ſoluere geſtiebat. Ego fili ſuperna inſpiratione flammatus, vt perennis vitæ gloriam conſequaris ad eadem loca redire compellor, vnde iam diu fugiendum eſſe ſalubri vt cernis definitione conſtitui. Non tibi terrena ſed cœleſtia non caduca cum mundo, ſed æterna cum Chriſto eodem ſponſore quo largitore muneris in perpetuum prouiſurus. Iſta quæ ſequeris & quæ animo concepiſti, mors poteſt intercipere omni criminis ætati, quæ autem ſuadeo, non deſerentes parat diuitias, ſed manſuras: nec temporalia commoda ſed æterna, nec titulos vaneſcentium honorum, ſed perennium gloriam tribuunt Angelorum. In ſæculi conuerſatione volatili quam ſcriptura prophetica vmbræ apparenti, & illico vaneſcenti credidit comparandam, dicens: *Dies mei ſicut vmbra prætereunt.* Rectè quicquid aſpicitur deceptorium iudicatur. Et ideò ſeu corporum vires, ſeu patrimoniorum facultates, ſeu fœlicitatis argumenta, vel diuerſarum proſperitatum inſignia, pene eſt vt ante tranſeant quam producta lætitia leuiter quolibet vſu auctorem incipiant oblectare. Quæ tamen plus metu amiſſionis excruciant amatorem quam ſuæ proſperitatis ambitu lætificent poſſidentem. Iugiter ſuſpecta, nec tamen manentia, more ſubdoli hoſtis ingerentis paruam prædam, vt poſſit animam perpetuo tenere captiuam. Et ideò accenſus non humano affectu, ſed diuino nutu, quia non fallit ille qui dixit interius magna & ſupra quam credi poſſunt de te mihi in altero promitto. Illa tibi & in præſenti prouiſurus quæ non æſtimas & in futuro quæ non poſſunt hactenus cogitari. Sed cum beatus Hilarius exercitatione præcipua quæ pollebat acrimonia qua cæteros ſuperabat eloquentiæ quo ipſi ſuis inſtituentibus plus fluebat iſta deſtrueret, non facile ſuſcipiendum credens quod ſummum eſſe meritis videbat intuitu, beatus Honoratus ad Dominum tota ſe virtute animi conuertit. Quo facto non ſolum faſtidientis aſcenſum, verum etiam humilem & ſubiectum Chriſto actore lachrymis gemitibuſque promeruit, quem blanda adhortatione non flexerat, violenta ſupplicatione ſuperauit proſtratus in conſpectu domini, vt eundem celſius exaltaret, producens flumina lachrymarum, vt à lachrymis eximeret futurorum: illicò in eius pectore nouæ cogitationis fluctus exæſtuat, ſuſcitantur alterantium diuerſa inter ſe concilia voluntatum & cui inuitantis domini ingerebantur

Adhortatio S. Honorati ad Hilarium.

Eloquentia S. Hilarij.

Oratione S. Honorati cõuertitur Hilarius.

Mutatio dextera excelſi in cogitationibus B. Hilarij.

præmia

præmia ipſius nihilominus mundi apponuntur obſtacula! In ſuſcipienda igitur cœleſtis militiæ tyrocinia excitatus talia ſecum ipſe deliberat. In ſtudiis ſæculi conſtituti numquam ſuadendi deliberatione ſuſcepta, iuſta ab iniuſtis, vtilia ab inutilibus perpenſa ſalubriter examinatione diſcreuimus: nonunquam humanis auribus blandientis ſpeciẽ iuſtitiæ oratoriæ arctius venuſtate celauimus: Hic quid agendũ eſt vbi cauſa vertitur ſalutis æternæ, vbi niſi ſtatus animæ, & infinitos cœlorum eſt penſanda ſecuritas, grandi maturitate tractanda ſunt in quibus ad portum pœnitendi nec ratio ſupereſt nec recurſus, æquitatis lance cuncta pẽſanda ſunt, quæ vtilitatis põdere menſurã ſuppleant in libra iuſtitię. Cunctaq; à mortalibus expetunt licet incomparabiliter, velut precioſa deſiderentur, ipſa continuo adeptione vileſcunt. Natura humana vitiorum noxia inſolens appetitu, non contenta quod voluit, non ſatiata quod concupiuit, in nouas cupiditatum faces flammarum more detrimentis ſuis creſcens pabuli aſſumptione defficiens, nec intelligens quod nonnunquam in ipſis conatibus morte immatura mortem cogitur ſubire perpetuam: & idcircò, quid iuſtitia, prudentia, fortitudo, temperantia demonſtrare ſoleant, vt dignum eſt cogitemus. Iuſtitia perſuadet nihil auctori, redemptorique præponendum, quia propterea diuinitas ad nos humiliata deſcendit, vt ad cœleſtia regna nos faceret peruenire. Rectè deputatur eidem vita qui dedit, redemptori debetur obſequium. Amplectenda deuotio quæ gloriam patit dignitatis angelicæ prudentia ſimiliter docet illos exempla debere ſectari qui domino placuerunt: eligamus ergo quis noſtrum firmet ambiguum. Abraham primus incurrit qui egredi compulſus a patria, præceptum conuertit in præmium, aſtra viſus aſpicere, credidit quod contra naturam promittebat æternitas, promiſſum vertit in debitum. Iſtum decet imitari innumera ſtellarum comparatione fœcundum, qui extitit regni perennis conuiua glorioſus, cuius ſinus rectè dicitur paradiſus animarum. Fortitudo cordis animæ generoſæ, nihil humile, nihil abiectum permitit incipere: celſa ſectari, ardua conſcendere facit, aduerſa ſuperare, deſperationem fortibus probationem nullatenus exhibere permitẽs. Temperantia regi cœlorum templum prouocat preparandum fugatis tenebris replere lumine ſplendidiſſimo puritatis, abiectis voluptatum fœtoribus caſtitatis flagrare timiamatè, proinde quia iuſtitia conditori nos tradere, prudentia maiorum ſectari exempla: fortitudo contrarias proſternere poteſtates: temperantia templum actori parare debere iuſtæ definitionis deliberatione ſuaſerunt. Cõtemptum priſtinum ſpontaneo emendemus occurſu, quia non hunc ſed illum à quo miſſus eſt offendemus, ſi cauſam ſalutis diſſimulatione aliqua, vel occupatione mundana crediderimus eſſe lætandum, & quia laborem ipſius ſuperna potentia inuitauit, vt ſpolia diaboli victor ipſe ſuſcipiat. Aſtructioni noſtræ ipſe Beatus Hilarius teſtimonium præbet, ita dicens. Heſitantiæ meæ inuitante pio domino, totus cùm voluptatibus ſuis mundus aſtabat: quid relinquendum, quid appetendum videretur, animus meus tanquam collatis apud amicum tractatibus ventilabat: quotiens in animo meo velle & nolle ſucceſſit: & quid plura? abſente illo partes ſuas in me Chriſtus exequitur, tali diffinitione firmatus, occurrit aſpectu ſereno, animo ſecuro, ſummiſſo colloquio, quemadmodum humanum arbitrium diuina precedens gratia commutaret in melius, digna conuerſatione: ſermone, mente habitúque demonſtrans, manum continuo in Euangelij miſſurus aratro, ne retro vel cogitatione reſpiceret, ob id à taxatione omnium prædiorum totius ſubſtantiæ acceptas à

Exhortatio ad ſe ipſum.

Iuſtitia.

Deuotio.

Prudentia.

Fortitudo.

Temperantia

Finit exhortatio.

Teſtimonium B. Hilarij de ſua conuerſatione.

germano pecunias vel vſibus pauperum, vel refrigeriis deputat monachorum. Nequeo vt dignum eſt vel æſtimare vel dicere, quemadmodum ſæculi voluptas quæ ætates lubrico,& illecebroſo humanæ fragilitatis ſolet eſcario praua delectatione decipere, ex animo huius Beati abiecta fuerit repuendo, ſalubri damnata concilio, rationabili euitata perfugio, deſiderabili heremi glorificata ſecreto, illum Euangelium percuntatorem meritis ſuperans, virtute vicens, perfecta conſumatione tranſcendens. Ille vendere noluit,hic vniuerſa diſtraxit,Ille triſtis abſceſſit, hic lætificatus ſæculi paradiſum feſtinanter intrauit: aſtructioni noſtræ dignum beatus Eucherius teſtimonium præbet,ita dicens:& tu licet omnem ſenſum in Chriſti pauperes diues effuderis,tu licet preferas annis iuuenem, moribus ſenem, tamen plus eſt quod eremum concupiſti. Ruptis ergo occupationum catenis,& auctori facultatibus traditis, tanto duce terreſtrem ingreditur Lerinenſis Inſulæ paradiſum vnde non more primi Adæ,vt in huius vitæ mitteretur exilium, ſed eundem iure victoris ad cœleſtia poſtmodum regna raperetur.Hinc iam omnibus nota illa mentis acrimonia ardens profectus alacri inſpectione peruaſerit: perſeuerantiam hauxerit,vigilias vicerit,abſtinẽtiam rapuerit, humilitatis manſuetudinem tranſcenderit,orationis inſtantiam ſuperauerit lacrymarum flumina meruerit,gratias omnium ſibimet vendicauerit, compunctionum virtutes attraxerit, & vim intulerit regni cœlorum.Pontificalis gloria, mundo nota ſatis ſupérque monſtrauit, ſiquidem quantum compunctionis tunc acquiſierit,hinc apertè cognoſcitur, qui poſtmodum in media ciuitate heremitica fecit iuſtitia feruere. Amorem autem ſecreti ita medulitus hauxit inſertum, vt cum illum ducem ſuum patrémque profectuum in ſacerdotali faſtigio collocatum,ſub ordinationis principium crediderit comitandum: ſtatim definierit relinquendum: quantus amor heremi fuit apud quem Beati Honorati dilectio non potuit ſtudio charitatis imminui, ſed ardentiſſima compunctionis flamma. Nequeo tuum ſauciato intuitu videre fulgorẽ,quid tantopere fugis?quid deſeris?quaſi alibi poſſis lumen præſtare quam vbi auctor elegerit? licet velis proprio gaudere ſecreto, licet conſuetudine heremi rapiaris affectu, patrem deſerens, pater effectus poſtmodum reuerteris. Relationi huic ſcripta Beati Eucherij præbent atteſtationem quæ ad eum directa teſtantur. Magno animo egreſſus dudum de domo tua & de cognatione tua vſque in mare magnum recedentia heremi ſecreta penetraueras, maiore tamen virtute,repetita eſt à te heremus, quam petita: ſiquidem hoſpes ingreſſus habuiſti ducem, & veluti itineris tui preuium, quem deinde etiam militiæ cœleſtis magiſtrum: cumque in Pontificali faſtigio perſequendum putaſſes, ad familiare heremi ſecretum te amor retulit, & quia non multorum neceſſe eſt aſtructionibus narrationem ſuſcepti operis confirmare, quiſque plenius iſta ſcire voluerit opus illud [a] vbi hæc dignè ſunt digeſta percurrat. Emenſo biennio cum ad meriti proprij percipiendum ex merito præmium vitæ iſtius curſu Beatus Pontifex vocaretur Honoratus,miſſis Epiſtolis vt extremis ſuis intereſſe deberet amonuit.Ita iuſſionem eius feſtinauit implere ac ſi reuocaretur ad heremum. Cúmq; ad tantũ virum crebra ſublimium virorum agmina benedictionis accipiendæ gratia aduuentaret,cœperũt de ſucceſſore Beati Honorati flagitare reſponſum, excitati deſuper animi de electione Pontificis ad iudicium perrecturi teſtimonium poſtulabant, ſupremo alitu ſummum meritis ſingularibus digito demoſtrauit Antiſtitem. Impẽſis ergo ſupremis obſequiis, iterũ S.Hilarius ad heremi ſecreta feſtinat.

Teſtimonium B.Eucherij.

S. Hilarius commitatur S. Honoratũ.

Audiant qui nihil magis ambiũt quam extra Lerinam vagare.

a *Eucher. de laud.Heremi ad S. Hilarium.*

Poſt bienniũ ſuæ ordinationis moritur S. Honoratus.

S. Honoratus oſtendit S.Hilarium ſucceſſorem.

Sed

Sed illa diuinitatis potentia, quæ modis occultis ſuam per humana myſteria peragit voluntatem, illuſtris viri Caſſi qui tunc præerat militibus animum repentè ſuccendit, vt ignotum, vt longè poſitum, vt denique ad heremum properantem ardenter expeteret, fortiter retineret, violenter attraheret. Electum ciuium numerum cum non parua manu dirigit militantum, fœliciter peruenitur, ſpiritualis præda adſtat ante oculos inquirentium, & nihilominus ignoratur, quorundam tamen indiciis declarata capitur, & (ô ſupernæ gratiæ diſpenſatio inaudita) vbi officia paſtoris oues egerunt: nec immeritò poſtmodum abegit ex mente lupum vbi oues primitùs paſtoris officium peregerunt. Cúmque ſollicito gregis agmine ſeruaretur, animus eius plus de diuini iudicij demóſtratione ſollicitus, quam extaret de ſuſcipiẽdi officij onere occupatus, diurnis nocturníſque fletibus voluntatem ſibi Domini declarari flagitabat obnixè. Cúmque poſitũ in itinere ſollicita expectatione pauor iudicij fatigaret, etiam clara voce quæ intrinſecus voluebantur omnibus patefecit. Igitur Beatus Hilarius cogentibus ſe ad Pontificatus officium tale fertur dediſſe reſponſum: licet (inquit) fortiter charitatis illigatum me vinculo teneatis, & violenta cuſtodũ catena cingat aſtrictum, niſi Dominus voluntatis ſuæ mihi dederit ſignum, nequaquam ſacerdotij ſum ſuſcepturus officium. Itaque cum tali affectu cunctorum vota atque animos vulneraſſet, ac mœſto ducentium agmine vallaretur, Alamannicum deſcendens caſtellum, niueæ columbæ deſuper aduenientis & reſidentis in capite diuino confirmatus attactu, omne amputauit ambiguum, quæ nec ab illis ciuium militúmque frequentibus turbis atque cuſtodiis, vel abigi potuit, vel territa fugari, quin beato vertici ſuperpoſita Domini voluntatem, dum ſecura reſidet apertiſſimè demonſtraret. Nullo dubitationis veſtigio deinceps derelicto, vbi colũbæ ſpecies quæ iam tunc comparata ſpiritui ſancto ſuper caput Ieſu eius venit in Baptiſmo, Pontificis quoque futuri deſignauerit nutu diuino ſpecialem dignitatem, ſcilicet quæ ſupernam benedictionem pernicibus pennis, ſtridenti volatu terris velocius deportaſſet, vt priuſquam vocibus humanis, fauore ſuperno dignus Pontifex clamaretur. In tam præclari cultu, nouóque miraculo exigebat materiæ magnitudo diutius immorari niſi narrationis ordo cœpta compelleret explicare. Domini ergo voluntate omnes alacres tam de cõfirmato inuicem voto, quam de oſtento ſummi Pontificis merito, lætiores ad Arelatem perueniunt ciuitatem. Occurritur, feſtinatur, primas delicias vultus ſui ſplendore aduenientibus præbens, merita interioris hominis, exterioris pulchritudinem demõſtrabat. Eminentiſſimam ſacerdotij dignitatem & nouum priuilegiũ ſanctitatis angelico præferens vultu, agnoſcitur, & agnoſcit, in quo agnitus eſt magnus extitit, in quo agnouit, maior apparuit, ſicut ſacerdotij gradu ſummus, ita humilitatis deſcẽſu faſtigium celſæ ſublimitatis indeptus: ô verè perfectus Chriſti diſcipulus, qui vias magiſtri ſequutus, exercuit docendo quod didicit, conſecratur in ſacerdotio, iam diu virtutum meritis conſecratus: amplectendum conſecrationis miniſterium, quod auxit merita conſecrãtum: effectus nomine ſacerdos qui iampridem virtutum erat decoratus inſignibus: quod ita ardẽter & ſtrenuè cœpit ac perfectiſſimè conſumauit, vt in illius tẽporis incerto tumultu quem pax longa minuerat congregationem ſubitò inſtitueret, ſecreti cupidam continentiæ virtute creſcentem, quam ſuo non minus penæ imbuit exemplo, quam formauit eloquio: hinc affectu animi promptum, ſed effectu ſermonis imparem me eſſe profiteor, vt incipere audeã qua pietate ſubſtinuerit infirmos, quibus doctrinis imbuerit imperitos, quidquid

Inuitus trahitur ad Põtificatum.

Caſtrũ Alamannicum.

Columba in vertice S. Hilarij.

Auctor huius hiſtoriæ videtur obſcurè prodire ſe ſucceſſorem ſancti Hilarij qui fuit Rauennius anno Domini 449. ſed potiùs auctor eſt Honoratus Maſſilienſis.

in ciuitate ſummũ, in celſitudine arduũ, in mortificatione corporis aſperum, in ſæculi contemptu viliſſimũ, æquitate iuſtitiæ prætioſum, correctione prouidum, ſapientiæ cõſideratione præcipuũ, cœleſti deſiderio ſempiternũ, exercuit, impleuit, oſtendit. Adeptus ipſe cœleſtem gloriã exemplo ſuo fecit alios adipiſci: ad Philoſophiæ ſupernæ dogmata expeditus inceſſit, & vt alij quoq; incederent inflamauit. Vſum vitæ tẽporariæ minimis immo nullis exegit impendiis, & ita docuit ſingulis dierum curriculis tranſigendũ ad obtinenda futura præmia. Innouato ſtudio ſemper exarſit, & vt alij inardeſcerent oratione & adhortatione coëgit. Cùm primum ſpeculatoris ſuſcepit officiũ, in ſe ipſo primũ mõſtrauit quemadmodum congregatio mundũ contemneret, corpus deſpiceret, & vitia ſuperaret. Fatigaretur laboribus manuum quoque operibus continuis veſceretur, ſanctis paginis inhereret, ieiuniis, vigiliis, ſtudium commodaret, vnius tegmine tunicę æſtatis ardorem, & hyemis rigorem contenta tolleraret, iter pedibus conficeret, talia ſibi ſuiſque ingerens documẽta. Manducandi neceſſitas incumbit, ſemina iaciamus, vini perceptio præſumẽda eſt, vineas excolamus. Impleuit illud Apoſtolicũ nequem fortè grauaret ociosus, victus proprij habita ratione ſiquid operi ſuperfuerat, deputabat expenſis pauperum in meditatione iugiter permanere, verbi miniſterio indeſinẽter inſiſtere, multiplicibus cœleſtis ſapiẽtię myſteriis ſaginari, Dominũ proximumque diligere, ſacerdotes Domini non ſolum verbis, ſed factis accendere, Zeli ſuperni emulatione flagrare, inſtituere Monaſteria, ædificare templa digna ſacerdotio, conſecrare propriis non ſolum manibus, ſed nec periculis temperare, ſuſcipere orphanos, confirmare monachos, accerſire ſeculares, inſtitutione ſua Põtifices ordinare: **Ita quotidianam ſui actus diſcutere rationẽ, vt ſuperno iudici tanquam multiplicatum diſpenſationis ſuæ talẽtum niteretur ingerere.** Ita viſcera eius miſericordia quatiebat & pietas ac ſi ſolus ad redimendum paginis cœleſtibus vrgeretur. Tractauit, ſecũ deliberauit & fecit, vt ſacra myſteria captiuis ſolatia potiùs quã præſtarent Eccleſiis ornamenta. Quid dicam cupidus? quid obmitã neſcius, ab his qui maiora ſciunt negligens vindicãdus? quicquid argenti omnes baſilicæ habuerunt captiuorum redemptioni protinus deputauit. Cúmque omnia cognouiſſet expenſa, exultans atque congratulans, quia vita fideliũ, diſpenſatione ſua videbat cœli in ſede promiſſa. Nunquid nam poterit exſtimari quantum viſceribus eius inſederit pietas qui vſque eo credidit omnia diſtrahenda, quouſque ad patenas vel calices vitreos veniretur. Accendit ſtudia offerentum, diſpenſatione laudabili, nec vt fatigaret reiecit, ſed vt iterato offerrent vberius excitauit. Offerentum deuotio gratam optauit, vt oblatio ſua prima ſacris altaribus poſtmodum membrorum Chriſti redemptionibus militaret. Quemadmodum etiam ſerui Dei debeantur honorari documentis ſpiritualibus ſalubriter imitandum poſteris non negauit. Nam cum ſanctum Capraſium ſicut ipſe dicere ſolitus erat, Angelica in Inſulis conuerſatione degentem infirmitate fatigari corporea, certis nuntiis comperiſſet, ad eius occurſum celeri ſe feſtinatione proripuit ad cuius pedes reſidens, vt ſui meminiſſet humilitate ſubmiſſa, & virtute inclita flagitabat. Iuſtè dum tanto heremi incolæ impendit obſequium, & ſingularem præbet humilitatis affectum, ſacerdotij dignitate quo magis extolleret ſolerter inuenit. In eodem loco tunc temporis ſanctum Fauſtum presbyterum pariter & Abbatem, ita futurorum preſcius honorauit, vt inter ſe & ſanctos ſacerdotes Theodorum & Maximum medium compelleret reſidere. Conſtat ergo humilitatis culmina, proprio eum comparaſſe deſpectu, & celſum perinde

Studia S. Hilarij.

Pro captiuis redimẽtis Eccleſia tradidit.

S. Hilarius viſitat S. Capraſium ægrotantem.

Fauſtus Abbas Lerinenſis.

virtutum

virtutum meruiſſe faſtigium. Sed fortè hæc tanta & tam multiplicia verę humilitatis exempla aliquod ſuperbiæ periculum generarunt,& non potiùs ſublimibus humilitatis compararunt celſa præconia. Extitit rigidus, ſed ſuperbis,extitit terribilis ſæculi iniquitate turgẽtibus,Xenodochiæ vanitate tumẽtibus:cæterum congregationi ſanctæ & conſumatis viris,nõ ſolum cor atque animum,ſed & corpus quoque promptiſſimè proſternebat. Quantum igitur diſtrictionis habuerit cauſa iuſtitiæ,apertiſſimè declarauit,ita vt ne dignitati quidem pepercerit præfecturæ. Nam cùm ſæpius præfectum temporis illius ſecretè monuiſſet,vt ab iniuſtis iudiciis ſe tẽperaret,& conſuetudinario lapſu illo ferretur in præceps, accidit vt dum in Baſilica Conſtantia ſacra ſolemnia celebrãtur,productis fontibus cœleſtiũ doctrinarũ fideliũ corda rigaret,ſubitò ingrederetur cũ ſuo officio præfectura:quã dum ibidẽ cerneret immorantẽ à prædicatione ceſſauit dicẽs. Nõ eſſe condignũ,vt qui eius pro ſalute propria contempſerat monita,ſpiritualis cibi perciperet alimenta. At vbi ille digna confuſione perfuſus egreſſus eſt conuiuium quod inuocat ſpiritualium deliciarum profuſiſſimè cibum rurſus, innouato ſtudio cœpit præbere agminibus populorum. Præmiſit, & reliquit exemplum qualiter conſtantiæ virtute mundanæ contemptu debeatur poteſtates, temporalis verò eius prædicatio, quantum flumen eloquentiæ habuerit, quas ſententiarum gemmas ſculpſerit, aurum ſupernorum ſenſuum reperit, argentum ſplendentis eloquij abundauerit, deſcriptionum varias picturas, & rhetoricos colores expreſſerit, ferrum ſpiritualis gladij, acumen in truncandis Hereticorum venenatis erroribus exercuerit,nõ dicam diſcere, ſed ne cogitare me poſſe proteſtor,ſedilibus præparatis in ieiunio ab hora diei ſeptima,vſque in eius decimam epulis plebe ſpiritualibus ſaginabat: paſcendo eſurire cogebat,eſurientes nequaquam paſcere deſiſtebat. Neſcio vtrum ſatietas, plus famẽ fidelium prouocaret,in edendo plebẽ magis coëgerit eſurire, implens illud ſapientiæ dictum, qui edunt me adhuc eſurient, & qui biberint me adhuc ſitient. Si peritorum turba defuiſſet,ſimplici ſermone ruſticorum corda nutriebat, at vbi inſtructos ſuperueniſſe vidiſſet, ſermone,vultu,pariter in quadam gratia inſolita excitabatur, ſeipſo celſior apparebat,vt eiuſdẽ Prælati doctores temporis, qui ſuis ſcriptis meriti ſummi claruere,Siluius,Euſebius,Dõnolas,admiratione ſuccenſi in hæc verba proruperint: Non doctrinam,non eloquẽtiam,ſed neſcio quid ſuper homines conſecutum,quid plura dicam? niſi dicẽdi Panſa deſuper eidem adueniſſet,ſermonem finire non potuit, tanta gratia exundante, & miraculo,& ſtupore creſcente, vt peritiſſimis diſperationem, tunc auctoribus ſæculi eius inferret oratio, in tantum, vt huius temporis Liuius Poeta & Auctor inſignis publicè proclamaret: ſi Auguſtinus poſt Hilarium fuiſſet iudicaretur inferior:Et licet gratia eius ex his operibus quæ eodem dicendi impetu concepit genuit, ornauit,protulit, poſſit abſque hæſitatione dignoſci vita ſcilicet Antiſtitis Honorati, Homiliæ in totius anni feſtiuitatibus expeditæ, ſymboli expoſitio ambienda: epiſtolarũ verò tantus numerus:Verſus etiam fontis ardentis.Sed ne quis me exiſtimet falſa fortaſſis aſſerere teſtimonium Beati Eucherij Epiſcopi Lugdunenſis iuſtum credidi adhibendum, qui eius volumine proſa, verſúque percepto, ita reſpondit. Et tu licet ſis clarus eloquio, clarus ingenio, tu licet præferas annis iuuenũ,moribus ſenẽ,& auxiliaris auctor Romanæ facundiæ dictu difficile eſt quanti mihi precij fuerunt litteræ ſanctitatis tuæ,in quibus ita expreſſam facundiam recognoui ſicut tenes in aliis modeſtiæ morumque operibus prin-

S. Hilarius obiurgat publicè præfectum Arelatenſem.

Numerãtur hora more gallico.

Liuius poeta.

S. Hilarius compoſuit vitam S. Honorati & variias homelias declamauit.

cipatũ. Ignoſce de te ſtudiosè minora dicenti, quia ſemper in precatione ſuit virtutis ſit. Inaudita forſitan crederer replicare, niſi hoc magnorum virorum dictis, ſcriptis teſtimoniiſque firmarem. Sedili menſáque appoſita liber ingerebatur, & Titia aſtãte notario liber præbebat animo cibum, manus nec tendi volocitate currebat notarij ſimul ferebãtur articuli: & oculus paginã per-

Verſus Edeſij. currebat: Aduenies ſanctus Edeſius rethoricæ facundiæ, & metricæ artis peritiſſimus vir, ſtupens & admirans, hæc lætus effudit. Vidi ego nec dignus tãta ad præconia teſtis: prolixos ſole digito ceſſiſſe labori. Nectẽdi ratio varias iniunxerat horas: Nec finẽ precibus inuitatis fecerat actus: Credere vix poſſum quemquam ſic tempore eodem: Nectere dictantẽ relegendo lecta fatendo, ore manu ſimul hæc operari attendere fari. Cibum ſine lectione non sũpſit: ab eodem in ciuitatibus iſta eſt inuecta primitus conſuetudo, & tanta parcitate vita eſt illius ſuſtẽtata, vt raro ſæculariũ aliquẽ inuitaret in omni actu, in omni loco, quicquid ad profectũ pertinere poterat, alacer inquirere, ſtrenuus exercere, ſolers cõſueuerat conſumare. Iam quemadmodũ ſalinas expetẽs, Automata* propriis manibus, & ſudore confecerit hebdomadę cõplecta die dominico media nocte conſurgere triginta millia, pedibus cõficere, poſtmodum ſacris ſolemnibus intereſſe, & vſque ad horam ſeptimam populos paſcere vt dignum eſt. Nec antiquorum poſſit explicare facundia, quotieſcumq; pœnitentiã dedit, ſæpe die dominico ad eum turba varia confluebat, ad eius caſtigationem quicumque adeſſe voluiſſet lachrymarũ ſe imbribus eluebat, cœleſtibus iudiciis territus, promiſſiſque ſuccenſus, tanti gemitus, tanti fletus adſtantibus naſcebantur, vt vitæ præſentis horreret habitaculum, quis ita futuri iudicij monſtrauit examen? quis ita tenebroſum terribiliter intimauit incendium? quis ita fluuij exurentis pariter & rapientis cruciatus expreſſit? quis ita vulnera conſcientiæ ante oculos inſpicienda reduxit? Admonitione completa cum lachrymis ſupplicationum ſumebat exordia, vt pœnitentiæ fructum quem monendo contulerat, orando firmaret: Nam mulier quædam cœca dum manus eius impoſitione benedicitur, viſum ſe recepiſſe proclamat. æſtimo quod antea interiori homini præſtitit, quod exteriori poſtmodum impetrauit, quæ recepto lumine ducem viæ deinceps non quæſiuit, precibus eius non ambigo impetratum, vt tantum miraculum ad paucos admodũ perueniret. Die etiam dominico dum lectionum ſolemnia recitantur, quidam fantaſmate conſtrictus. Sancte, inquit, Hilari, cur me torques? publica voce proclamat. Tunc beatus Hilarius, ea qua poterat Dominum vi conſtringit, & rogat. Cúmque ſe obtinuiſſe ſenſiſſet, imperat tibi Ieſus ait, vt de iſto nomine nullam facies mentionem, qua ſupplicatione quaſi quibuſdam catenis aſtringeretur obmutuit, plus ſe obmutuiſſe congaudẽs, quia eius meritum potuit occultari, quam pſalmatis vigentis ſoſpitate. Sacrilegiũ etiam quod ſpecie Phitonis muliere obtenta influxerat, quam ſolerti ſpiritualis arte concilij extinxerit, nequaquam ſilentio prætermitam. Comprehenſam iubet recenſitis lectionibus veteris teſtamenti, in cancello Eccleſiæ publicè collocari: quid lex iuberet, quantum mali Chriſtianis mentibus diabolicæ peruerſitatibus propinaret aſtucia, ſermone profluo demonſtrauit: & ne vllus deinceps tanto ſacrilegio, dum dæmonum reſponſa perquirit, ſponte ſe ſubderet, neceſſaria inſtructione perdocuit, nullam deinceps excuſationem, etiam negligentibus derelinquens, quam idcircò publicè feciſſet ſtatuit, vt non liceret poſtmodũ ignorari, præcepit abire: malignus ſpiritus tum quia videbat apertè ſe proditum, nec poſtmodum decipiendis animabus clãdeſtina fraude valiturum

S. Hilarius nunquam cibum ſine lectione ſumpſit.

** Automata ſunt inſtrumẽta mechanica ita ſubtiliter conſtructa, vt ſua ſponte moueãtur.*

Cæca mulier illuminatur.

Sanat Emergumenum & Phitoniſam.

liturum, *quo inquit, vadam?* & ſanctus aduertens quantum Dei gratia ſuo miniſterio effeciſſet lætus exclamat, Maximum purgationis initium, eſt neſcire quo recedas: Populos etiam egredientes, poſt euangelicã lectionem tali clamore reuocauit: *exite, inquit, exite, quid hoc vobis de gehenna facere non licebit.* Tunc ſpecialis Zeli emulatio ſingularis, vltionem pœnæ terribilem ob eorũ exegit iniuriam. Nam cum facilis ad eum tunc inaniter excitata populorum turba, & inconſueta deceptáque veniſſet, eiúſque animum cõcitaſſet: Ciuitatis pars maxima, miſſo deſuper terribili conflagrauit incendio, quod ipſi quoq; quid non mediocribus ſunt diſpendiis fatigati, propria voce, ob eius vindictam veniſſe, cognoſcentes, clamauerunt, flebiliter poſtea eius genibus prouoluti miſericordiam poſtulabant. Ille autem lectioni intẽtus, vigiliis deditus, orationi, ac ieiuniis iugiter mancipatus, Cilicij aſperitate exilitatem tenuati corporis macerabat. Nec hyemis quidem rigore quo ſolent torrẽtia flumina glaciali algore conſtringi, pedes indumento adiecto texit. Nunquam ſinum lanamine concedens. Pſalmorum miniſteriis ſuaui modulatione cantatis, fletus vberes adiungebat. Orationem gemitibus inenarrabilibus duplicabat: ab opere nec in noctis obſcura deſiſtens, manus nota rapiebantur velocitate nectendi, mens recolendi exercebatur induſtria. Semel euigilatus, nec oculis pepercit, nec membra poſuit ad quietem, nihil aliud agens, niſi vt eum ſpirituales hoſtium cateruæ inuenirent occupatum, pariter & armatum. In his profectibus conſtitutum ſubditus ardor accendit, vt Heliodori matrem hæreſis Arrianæ vinculis colligatam expeteret, illuminaret, attraheret, & in æternum oblaturus in præſentia conſecraret. Pietatis autem ſuæ inſignia in his quos ad cœli regna premiſit, ita intimis inuicem viſceribus demonſtrauit vt nullus valeat imitari: Minimi cuiuſque lectoris tranſitu, eiuſdem animus taliter vulnerabatur interius, vt ſingultibus quateretur, & profunderet fletus vberrimos non aliter ac ſi vnici pignoris ſolatio caruiſſet: caſus quoque infirmitatéſque ſuorum vulnera propria reputabat, quod ſancti Cirilli tunc Leuitæ manifeſtè patuit documento, qui baſilicis præpoſitus conſtruendis dum marmorum cruſtas, & theatri proſcenia celſa deponeret fideli opere nudans loca luxuriæ, quod ſanctum parabat ornatibus, ſubito molarum funibus ruptis, impetus deſuper marmoris venientis, ſtantis pedem cum extrema digitorum parte occupatum collideret atque minueret: pro cuius gemitu, & dolore, non minus vulneris vir beatus excepit in corde, quam colliſus ſuſtinebat in corpore: Cumque miniſtri vulnus immenſum, iuges & indefeſſos ſacerdoti gemitus extorqueret, quia eiuſdem cellæ erat eius cella coniuncta remedia, vir ſanctus more ſolito ſupplicationibus flagitabat. Paululum ſopore depreſſus videt reuerentem eminus aſtare perſonam, quæ mœſtitudinum cauſas ſollicitè perquirebat. Ille colliſum Leuitæ pedem, non ſolum mœrorem ſibi iuſtitiæ ſed & vulnus animi indicat inflixiſſe: percuntatus; *Vis, inquit, vt dolor omnis abſcedat? Optare ſe omni auiditate reſpondit: produc, ait, pedem Vicario ſuccidendum, & omni ſ protinus miniſtri dolor aufugiet*: pedem ſine hæſitatione protendit, ictum ferientis libenter excepit, tantúſque dolor acceſſit, vt refectionis dulcedinem doloris excluderet magnitudo. Euigilans non dubitauit implendum quod fuerat promiſſum: ad præfati cellulam dirigit inquirere, vt qualiter ſe Leuita ſentiret illico nuntiaret. Mandat ille omnem receſſiſſe dolorem, quietem deſuper eſſe conceſſam, merito eius pietate ſanatus creditur, cuius inquiſitione quietiſſimus reperitur, qui in releuatione proximi, membrorum propriorum

Redeas. Reuocat egredientes ab Eccleſia.

Eius exercitationis genera deſcribuntur.

Conuertit matrem Heliodori hæreticam.

Cirillus leuita ruit ab alto & ſanatur à S. Hilario.

iacturam credidit faciendam;impleuit diuinum præceptum quinímo fœliciter & exceſſit, dicente domino, *diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Ecce inuenitur hic beatus dilexiſſe proximum ſupra ſeipſum, qui quantum definitio mentis habuit membra tradidit amputanda propria,vt ſanaret aliena. In excurſibus autem quis vt dignum eſt explicabit, quantum eius præſentia profectum contulerit ciuitatibus Gallicanis? ſanctum Germanum ſæpius expectando, cum quo ſacerdotum miniſtrorúmque vitam, nec non profectus, exceſſúſque tractabat. Vbi eius aduentus innotuit, flammata ad vtroſque nobilium & mediocrium ſtudia conuolarunt, aſtruentes cœli domum internuptam ſuo adhibuiſſe conſortio, quod Apoſtolicæ ſedis auctoritas, & canonum prohibent ſtatuta: ſimul ingerentes ſæculi adminiſtratione præfecto capitali aliquos condemnaſſe ſententia. Tantæ rei nouitate permoti, teſtes impetrant præparari: conueniunt ex aliis locis probatiſſimi ſacerdotes, res omni ratione prudentiáque diſcutitur, accuſatio teſtimoniis confirmatur. Adhibetur vera,ſimplexque definitio,vt quem ſcripturarum regulæ remouebant, voluntate propria ſe remoueri deberet. Ille vrbem credidit expetendam ibique ſe iniuſto rigore aſtruit condemnatum. Quod vbi comperit vir beatus, quanto ſtudij ardore, quantóque zelo ſuperno fuerit inflammatus, vt non hyemis aſperitatem,non Alpium ſtridores,attẽderet,vel frigora non vitrea glacialis cruſtæ ſpicula protinus reſoluenda, deſuper gladij hic tui ſimiles expauerit aculeos dependentes,in frigoris terrore mortiferi gelu concreto, velut vibratam dextram imitantes, verùm ille inconcuſſa fidei radice conſtanter animatus, præſertim qui ad tantam voluntariè venerat paupertatem,vt pedibus iter aggrediens & conficere non timeret, intrepidus vrbem Romam ſine equo, ſine ſaginario, vel ſago, omni difficultate ſuperata feſtinus intrauit:Apoſtolorum Martyrúmque occurſu peracto,beato Leoni Papæ illico ſe præſentat,cum reuerentia,impendens obſequium, & cum humilitate depoſcens vt Eccleſiarum ſtatum,more ſolito ordinaret. Aſtruens aliquos apud Gallias publicam meritò excepiſſe ſententiam, & in vrbe ſacris altaribus intereſſe. Rogat atque conſtringit, vt ſi ſuggeſtionem ſuam libenter excepit ſecretè iubeat emendare, & ad officia,non ad cauſam veniſſe proteſtandi ordine,non accuſandi,quæ ſunt acta ſuggerere: porro autem ſi aliud velit, ſe non futurum eſſe moleſtum. Et quia tantorum virorum præſertim iam ad ſupernam gratiam vocatorũ, nec in narratione audeo iudicia ventilare, hoc breuiter tetigiſſe ſufficiet: quod ſolus tantos ſuſtinuit, quod nequaquam minantes expauit, quod inquirentes edocuit, quod altercantes vicit, quod potentibus non ceſſit,quod in diſcrimine vitæ poſitus communioni eius,quem cum tantis uiris damnauerat coniũgi nulla tenus acquieuit, quod cuſtodibus appoſitis, hyemis rigore ſæuiente, quos ratione non flexerat credidit relinquendos in ciuitatis receſſu,licet corporali infirmitate fractus, tamen perfectione ſanctus,& pietate ſanctiſſimus,totum ſe ad placandum tunc animum ſancti Leonis inclinata humilitate conuertit, miſſo primitus ſancto Rauennio tunc presbytero poſtmodum proprio ſucceſſore:Deinde ſanctum Nectarium, ſanctúmque Conſtantium præcipuos ſacerdotes: & quia quantum in hac cauſa dictauerit, huic operi nulla poſſum ratione connectere. Auxiliaris tunc præfecti quæ fuerit ſententia credidit inſerendam,cuius hæc verba ſunt ſanctos Nectarium & Conſtantium ſacerdotes, cum beatitudinis tuæ parte venientes digna admiratione ſuſcepi. Cum his ſæpius ſum loquutus de virtute animi,atque conſtantia, contemptúque rerum humanarum, qui inter

S. Germanus Altiſiodorenſis Epiſcopus.

S. Hilarius pedeſter tendit Romam.

Recedit ab vrbe Roma.

Mittit legatos ad S. Leonem ſummũ Pontificem.

fragilitates

fragilitates noſtras ſemper beatus es. Nam quid poteſt in hac corporea vita eſſe ſecundum,quæ cum ſit miſera,tamen non poteſt eſſe perpetua? Locutus ſum etiam cum ſancto Papa Leone. Hoc loco credo aliquantum animo perhorreſcis,ſed cum propoſiti tui tenax ſis, & ſemper æqualis nullóque commotionis felle rapiaris,ſicut nullis extolleris illecebris gaudiorum,ego minimi nec cõtagione fuſcari,ſed impatiẽter ferunt homines,ſi ſic loquamurquomodo nobis cõſcij ſumus, aures præterea quadam Romanorum teneritudine plus trahuntur quibus ſi ſe ſanctitas tua ſubinde dimittat, plurimum tu nihil perditurus acquiris.Da mihi hoc,& exiguas nubes paruæ mutationis ſerenitate compeſce. Talia percipiens totum ſe orationi, prædicationi, operationi vel,vt inſipiens mancipauit rigore diſtinctus, miſeratione propenſus, largitione promptiſſimus.Non contentus quæ inueniebantur ingerere,niſi ſolatia conſolationum riuis fletuum cumulaſſet,vnde ſanctus Edecius ita proſequitur dicens poeticæ.Vidi ego præuentam fletus magno vbere fletus, magno vbere fletu.Nam quod creuit nũmis cupiebat creſcere notis, quam præruptã viget miſeratio,quam cita donis gratia, nec ſolum fueras ad munera largus, maiores comitantur opes pietate miniſtra. Abſtinendo victu operi inſiſtendo itinera pedibus conficiendo, ita ſe tenuauit fatigauit,exhauſit,vt vix quadrageſimi octaui anni circulum adimpleret. Non enim virtutum celſa illa perfectio quæ non ſolum locum,ſed & condignam in cœlis parauerat mansionem, moras diutius eſt paſſas terrenas,ſed fidelis ſeruus implens præceptum,deſiderans promiſſum,corpus ſuum diuerſis ægritudinibus mancipauit vt ſupernæ monetæ verum obryzum*ægritudinũ calculo exortum theſaurus recõderetur æternus.Ergo infirmitate creſcẽte,non virtus mentis,ſed ipſa eſt corporis cõſcripta materies, quo ſtudio alacri omnis exhortatione releuare, in propoſito permanere,facunda & neceſſaria perſuaſione coegerit, nequeo. Igitur in vltimo ambiguo cõſtitutus accepit manifeſtæ reuelationis non mediocre ſolatium,mens eius ad hoc in ſopore laxata eſt,vt ei ſingularis præmij magnitudo patefacta virtutum ſuarũ depingeret ornamẽta: videt ſe ſacris intereſſe myſteriis,intuetur tunicę Aaron quondã Pontificis tegmine decoratũ quod diuina,per Moyſem,iuſſione mira fuerat artis varietate contextũ. Duodecim gẽmarum multiplici,ac diuerſo ſplendore pectus ornari,eiuſdémq;niueo humeros fulgore veſtiri,ſtola quoque diſpari varietate micante membra circundari quã biſſo,croco,yacinto, radio corruſcãte,colore diſſono,metallo precioſo, ſpiritualium manus docta decorauit artificum: precioſiora pulchritudinum quam diximus ornamenta, quæ Deo ſunt auctore formata atque conſtructa,tinniola etiam commota greſſibus incedentis, & intrinſecus malo, granatis illiſa ictibus clarum perſonabant extrinſecus ſalutiferúmque tinnitum. Cúmque ita meritorum perennium,donis, præmiis,atque muneribus ſe cerneret adornatum, humano affectu adiici ſibi deſuper veſtimenta omnimodè flagitabat:quod vbi didicit abnegari, videt filium ſuum ſanctum Rauennium applicari ad diuina miniſteria conſecranda, & intellexit ſe eſſe migrandum,quam beatus igitur,quamque inclitus pater,qui adhuc in ſęculo conſtitutus illius viri ſacerdotis quem in multiplici colorum varietate non figura, ſed meritorum veritas propriè decorabat eſt, præmium conſecutus. Cur non ei monſtraretur in tunicæ illius tegmine, quod in omni virtutum diuerſitate poſſederat? cur non ei reuelaretur in veſtimenti illius pulchritudine,quod erat ei in ſtola perpetua compenſandum? quem enim decorauerat continentia mentis illeſæ, & in quo immaculatæ conſcientiæ lucebat aucto-

Iterum verſus ædificij.

Quadrageſimo ſuæ ætatis anno exceſſit è viuis.

**.1. Aurum.*

Viſio ſancti Hilarij.

Expoſitio viſionis.

ritas,merito lamina auri fulgentis ſpeculum verecundæ frontis eius obtexerat,quem virtutũ ſemper exaltarat principatus, dignè precioſorum lapidum textus ornabat. Cur non biſſo circundaretur, quem zeli caſtitatis zona conſtruxerat,nam vt verius loquar, principalis eius lamina auctoritate fidei, & iguea flamma rutilauit, gemmæ quoque omnium virtutum ſplendore ſydereo micuerunt, rationale emicuit pectoris, fulſit elogium pietatis, iuſtitiæ byſſinum,continentiæ cingulum,prædicationis tinniolum,mala granata bonæ ſpei opere & ſermone iugiter ſonuerunt. Cùm ergo tanta ac tali eſſet conſolatione reuelatus,atque perfuſus congregationi ad ſolatium pariter, & exemplum alacri ſermone diſſeruit,iſta omnis allocutionis voce compellans.

S. Hilarius alloquitur fideles iam in extremis poſitus.

Vitæ curricula hucuſque peregimus, iam ad illud tremendum ſupernæ maieſtatis euocamur examẽ:viam carnis huius,& incertam vitam ſæculi præſentis ingreſſi,iuſſionibus paruimus creatoris,ac ſeruitutis proprię peractis officiis, ad veram perennémq, patriam prelata cõſolatione migrabimus,militauimus huc vſque ſpirituali militia,infidelis corporis aculeos,cilicij aſperitate cõtundimus,abſtinentiæ rigore,ac vigiliarum laſſitudine vniuerſa vitiorum certamina auxilio ſuperauimus implorato, cogitationum laqueos ſancta meditatione diſrumpimus, occupatis ſtudiis doctrinæ cœleſtis, talentum perennitatis multitudini fidelium non ceſſauimus errogare,nauigauimus per vitæ iſtius pelagus,& diuerſa iuuante domino virtutum mercimonia, cum fœnore vſuræ ſalutiferæ talenta Deo referẽda percepimus: Ad portum quietis domino gubernante cœpimus propinquare,cum iſtius mundi principibus(cùm quibus vt Apoſtolus deſcribit bellum iuge eſſe)conflixímus, quod nulli deerit quicumque ad beatitudinem, cœleſti gratia præcedente, & induſtria ſubſequente voluerit peruenire. Abſolutum me & liberatum ad domini mei intuitum credo eodem propiciante venturum: ad ea obtinenda, perſeueranti curſu vobis ſunt peragenda certamina, ille vtique qui ſe liuore proprio perdidit,qui procul adoratur bellum, & ad vocem tubæ quaſi cuncti eſſe in ſua debeãt poteſtate,diutina antiquitate callidus,ſubtilitate doloſus, decipiendi aſſiduitate,atque arte peritus,qui electis paſcitur eſcis,& perfectorum perditione ſaginatur pœnam propriam ſalutem reputat, alienum non mediocre æſtimans ſolatium ſi ad ſuperna tendentes laqueis capiat peccatorum, & funibus perditionis,quos etiam Propheta ſuſpirans dicebat: *funes peccatorum circumplexi ſunt me.* Hic ſalutis humanæ inimicus cauendus eſt, huic omnimodis oppugnandum eſt, & reſiſtendum: quomodo enim poterit incedere iam ligatus, vel audebit repugnare captiuus? habebit proculdubio infernali pœna participem,quem tenuerit in ſæculi voluptate conſortem: huius fortitudinem dominus Beato Iob móſtrans ita dicit. Aurum reputat velut lutum; quid niſi ſanctorum vitam velut lutum ſe æſtimat calcaturum? proclamante Propheta, E*rue de luto fecis pedes meos:* Iordanis autem fluentia quæ ſunt niſi baptiſmi ſacramenta, quæ ſua credidit impugnatione deuoranda? lutea compago, antiquitatem potentiámque eius non poteſt ſine Dei gratia ſuperare:tamen iugi certamine & indeſinẽti conflictu eius ſunt inſidiæ tolerandæ ſpectator certaminis humani,quotidiani exercitij, palæſtram placidus intuetur,videt ignita iacula dirigi,ſed lacrhymarũ facit fõte reſtingui:cernit laqueos preparari,ſed orantes eruit& plorantes vt cum vera exultatione decantent:*Oculi mei ſemper ad Dominum,quia ipſe euellet de laqueo pedes meos.* Vt liberi, ad annunciandam pacem incipiant eſſe precioſi. Et ideò quicquid in preſenti poteſt ab auctoris amore ſeparare æſtimandũ eſt inimicum,ſiue humana non

Iob cap. 41.

Pſal. 39.

Pſal. 24.

fallit

fallit illuſio, grādis tēpeſtas huic imminet ciuitati, nō mediocris, ſed ſatis grauis incumbit afflictio, ad omnia, contraria aduerſa quæ nos iugiter præparate fidem Trinitatis immobiliter retinere ſcripturarum interiora penetrare, vt abyſſum inuocantes in voce cataractarum, id eſt, credentium iras, dono ſuperno irrigare omnimodo non ceſſetis. Sit veſtitus aſperior, panis groſſior, cibus durior, in nihilominus conficiatur pedibus expeditis, neceſſitas ſubita perniciem noui laboris inferat delicatis, quia vt exercitatio robuſtum, ſic deſidia regit ignauum. Hac igitur adhortatione completa, iubet congregationem mœſtam ſacrificium veſpertinæ laudationis offerre, & cibum conſuetudinaria refectione percipere dicens. Hora Dei vndecima anima mea de corporis domicilio liberata, ad ſupernum iudicem feſtinabit. Cúmque modulatione pſalmorum ſolita officia auctoris in laudibus offerri alacer percepiſſe iam rediens atque commigrans voces, inquit, ſanctæ voces quæ ad aures peruenitis auctoris me quoque Domino commendate, fratrum deinceps refectione completa, manu oculos atque os crucis Dominicæ ſigno communiens, & in oratione perſiſtens ſecurus innumeris ſanctorum ſacris choris occurrentibus lætus gaudénſque proficiſcitur ad ſupernam patriam. Hinc iam quemadmodum ſit vniuerſa ciuitas congregata qualiter vnuſquiſque non patrem, aut matrem vel vnicum, ſed omnium religioſorum atque orphanorum ſingularem fleuerit genitorem, quis vt dignum eſt explicabit? Nullus à fletu, nullus ceſſauit à gemitu: parem cunctis luctum dilectio vniuerſalis induxerat, erátque velut ſeminarum lachrymarum, generalis dolor omnium diligentium. Vbi baſilicæ beati ac primi martyris Stephani venerabile corpus illatum eſt, totius populi cum fletu vox vna procedit: Hæc inquit dies querelas iniuſtæ imputationis perpetuo reſecauit, vt amplius quam in prædicatione ſufficit non dicamus, fidei populus nimio ardore ſuccenſus mēbra ſancta dum vult contingere penè diſcerpſit, ſtudio congregationis effectum eſt, vt columnis ardentibus cereorum hinc & inde populos abigerent irruentes. Noctis vigiliis expeditis cum mœſtis ſolis claritas reputaretur obſcura ad exequias venerandas non ſolùm fidelium, ſed etiam Iudeorum concurrunt agmina copioſa omnium lachrymæ ſe ſuperare certabant, deficiente voce, gemitus increſcebant: Hæbream concinentium linguam in exequiis honorandis audiſſe me recolo. Nam noſtros ita mœror obſederat, vt ab officio ſolito impatiens doloris inhibuerit magnitudo. Demum antequam Beati Geneſij baſilicæ ſanctum corpus inferrent, vtriuſque ſexus tantus cum lachrymis datus eſt clamor, vt aſtra ipſa percuſſa vicarium de cœlo redide-rint inſolitum, & tonitruis comparandum fragore cum ſono reboatum. Hic iterum noua dilectio grauior in fletu corda ſuccendit, dum ſinguli cupiunt fimbriam decerpere corpúſque contingere, ſancti Baſilij tum præsbiteri nunc Pontificis ſummi inuenit induſtria, vt maximam partem coopertorij vtraque manu diſcerptam qua corpus eius legebatur arriperet & longius recedens, diuidendo populis errogaret, dum parciendi ſtudio lætificat eos tanto munere paululum retrahuntur à ſepulchro, & ſic corpus illud venerabile atque decorum, ne iterum deuotis redderetur obſequiis, clàm eſt depoſitum in ſepulchrum. Quod vbi populi intellexerunt eſſe tumulatum, tantum ſubitò omnes clamorem cum gemitu proprio reddiderunt, vt tecta ipſius Baſilicæ diſcuſſa corruere & populos obruere putaretur, vita illius in morte fit apud animos omnium precioſa & deſiderium tam ſingularis antiſtitis in laudem renaſcitur. Eodem tumulato, cum plauſu cœpit doctrinæ il-

Prædixit tempeſtatē Arelati.

Prædicit ſibi horā mortis.

è viuis excedit S. Hilarus

Auctor huius vitæ præſentem ſe fuiſſe exequiis ſancti Hilarij fatetur.

lius recenſeri memoria,cum gloria prædicari,mundi contemptus, compunctionis affectus, lachrymarum fluuius, temporalitatis impetus, pietatis theſaurus,iuſtitiæ culmẽ, temperantiæ moderamen, omnibus in exemplum tra-

Arelatenſes ſoliti iurare per S. Hilarũ.

huntur. Quid plura? Ciuitas vniuerſa quicquid ſacramento confirmare voluiſſet nomen eiuſdem proferebat: aſtruens ſimilem poſtmodum non futurum,ſed ſummum eſt quod orante ipſo amor verus vtcumque potuit habere mdarium: Nam non ſolam in ſucceſſoribus, ſed adhuc in multorum pontificium renaſci non ceſſat augmentis, cum quibus dum laborem hic participat temporariis fructibus ſine dubio æternorum comparatur gaudiorum, ſicut arbor paradiſi, fœcunda, & quid in præſenti offerat, & quid poſtmodum gignendo relinquat, ſingulari proſperitatis fertilitate procreare non deſinit quanticunque ſeu per ipſum nutu cœleſti, ſeu poſt ipſum Dei prouidentia, ordinati ſunt ſacerdotes, eius interceſſioni reſpondere eruditioni, doctrinæ, ac creſcentibus meritis,gratia iuuante contendit, fœlix qui non tantum pro-

** Propriam ciuitatẽ vocat quia ibi Archiepiſcopis non oriũdus extitit.*

priæ ciuitati* ex ſua inſtitutione prouidit,verum etiam diuiſa loca illuminare accenſis fidei calore innumeris lampadibus, & ſuper candelabrum ponere procurauit, ac ſi in ſingulis eius gratia concalens quotidianis profectibus generata renaſcitur,quia quicquid ex eius inſtitutione producitur,eiuſdem meritis computatur,capitis vtique lucris adſcribitur, quicquid membrorũ vberrimo cultu percipitur. Pro omnibus ſollicitus in certamine vitæ iſtius conſtitutus orationum ſolatia impendit, præſentia viſitationis attribuit ſanctæ caſtigationis vel increpationis innumera ac reuerenda præcepta ſeminauit ſpiritualis ac peritus agricola nunc minitans & dolens, exultans & triſtis, lætus & anxius, turbulentus & patiens, ſerenus atque terribilis,durus & placidus, remiſſus atque diſtrictus,nunc ſuſpirio gemẽs,ſed cum gaudio vberes lachrymas fundens, de cuius pectoris exundanti fluuio, & fonte charitatis irriguo ſic hauſit vnuſquiſque quod voluit, ac potuit, vt nullum damnum largitas ſancta ſentiret, ſed errogando cumulum potiùs fœnerator theſauri cœleſtis acceperit,quia hæc eſt natura munerum cœleſtium,vt profuſioni ſudore in ſe iugiter creſcat,& cum defeciſſe putetur, quaſi ſemper incipiat,atque in muni-

Præconium eius virtutũ.

tionis paupertatem deſcẽdens,augmentum quoddam detrimento diſpenſator diuinus ſemper obtineat.O magna præcelſa ac ſingularis caterua gratiarũ quã veneranda recordatione obtutibus præſentaris,& beneficiis ſentiris, profectibus noſtris adhuc militare cognoſceris: tot annorum ſpatiis euolutis,in tuorum filiorum renaſci non ceſſas honoribus atque repararis iuſtè perpetuis laudum titulis honoraris, qui interpellaris & audis, pro ſupplicantibus intercedens, conueneris & reddis, conſtringeris & vt poſtulata impetrentur exequeris. Rogaris & Deo præſtante obtinere non deſinis: Ecce laudis precioſum titulum poſt emeritæ ſanctitatis exceſſum:Ecce caput laureis virentibus & crucis ſtemmate coronatum, & fructu virtutum folióque contextũ quod non fluit in æternum:ecce præconium poſt obitum triũphalibus meritis præponendum, iacet in ſepulchro eius corpus conditum,cuius precibus reſerantur regna cœlorũ,in diuerſa virtutũ culmina innouari tuorũ non deſiſtũt inſignia meritorũ.Cur anima tua non maiora præſtet paradiſi beatitudine poſita,quàm in ſæculi certamine conſtituta, cuius virtutẽ ne ſigna proderẽt oratio impetrauit, vnicum pignus & decus ſacerdotij totius cœleſtis ſcientia theſauri iugiter ex tuo corde manarũt,lucerna tua fidei lumine ſplẽdens, etiã cæteros ſuper Eccleſiæ cãdelabrum poſitos lucere conſceſſit, vocatus ab auctore ad laboris fructum, & perenne refrigerium fœliciter peruenisti in illa

beatiſſima

beatiſſima Patriarcharum ſocietate receptus, animæ tuæ ſingularia reſpicis ornamenta, quæ ita creuerunt diuinæ gratiæ adiumento, vt precioſis virtutum manibus peremniter conſpicua decorentur, qui continentiæ puritate omnium ſcripturarum Thimiamatę templum tui cordis ac corporis flagrare feciſti,& vt in eo auctor requieſceret perennis induſtriæ vigilantia præparaſti: qui ſecreti amore animum quoque, affectúmque pauiſti, qui cum pſalmorum modulatione vinciſti flumina lachrymarum, qui in decacordo præceptorum moribus pariter, & vocibus perſulcaſti vitæ inſtitutione prædicaſti, vias duras cuſtodiendo, qui ſpiritualis organi cœleſtis, armoniæ ſuaui ſono cantu varia modulationis dulcedine concrepaſti, qui ſacrificio ieiunij exteriorem hominem continens, vigiliarum aſſiduitate, interiorem curſu ſtrenuo oblectare non deſtitiſti. Illud autem non prætereundum eſſe non credidit, quia vt ante reſurrectionis diem dum campi lapidei ſpatia peragraſti, paſtores ſingulos vnda baptiſmi regenerando baptiſas,& baptiſatos rectè viuere docuiſti. Fac ergo quæſumus vt qui te ad Chriſtum fœliciter veniſſe, & ſine fine te regnare cum illo gloriamur, tum continuis precibus muniamur, interuentu protegamur,& qua frueris cum Chriſto gloria perfruamur. Cùm ergo tanti talíſque viri teſtimonium, merita eius perhibuerint, digné-que facta laudauerint, quia poſſibilitatis immemor, impulſu amoris incautus ad tantum prçconium proſiliui, veniam ſperare præſumſi, vt nullo meritorum ſuorum prçclaro faſtigio conſtitutus, etiam pro me interpellare non ceſſet, illiſq; venerabilibus Patriarcharũ cœtibus aggregatus, ad præſidium noſtrum turbam piæ ſoliditatis aſciſcat, obtinens vt non actu meo, non ignauia contriſtetur, quocirca me eius ſuffragium muniat, ſed ſuis patrociniis meritum ſacerdotis in illa examinatione tremenda faciat inueniri. Regnante domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amẽ.

S. Hilarius Sabbato ſancto baptizat paſtores in campo lapideo.

Oratio Auctoris ad S. Hilarium.

Concluſio cũ excuſatione.

Explicuit vitam ſancti Hilarij Epiſcopi Arelatenſ. ex vetuſto.

Annotatio Vinc. Saler.

COdice manuſcripto Lerinenſi. Migrauit autem ſanctus hic Pontifex ex hac vita in cœlum, Anno decimo Pontificatus magni Leonis Papæ, ſalutis verò humani generis quadringenteſimo quadrageſimo nono. Aſterio & Protogene Conſul. Poſtque obitum illatum eſt ſanctiſſimum eius corpus, ante Altare ſancti Martyris Geneſij, deinde ſepulturę traditum in Eliſiis cãpis in tẽplo, quod nũc dicitur S. Honorati: in quo varia extãt ſepulchra marmorea ſub tugurio abſidis,& maioris Altaris, interque illud S. huius noſtri Hilarij cũ hac inſculta ſcelte inſcriptione. Sacroſanctę legis Antiſtes Hilarius hic quieſcit. In tabula vero marmorea parieti infixa ſequens legitur Epitaphium. 449

Immit auctor ſe eſſe Prelatum.

Epitaphium S. Hilarij Epiſcopi.

Antiſtes Domini, qui paupertatis amorem
Præponens auro rapuit Cœleſtia regna,
Hilarius cui palma obitus, & viuere Chriſtus
Contemnens fragilem terreni corporis vſum.
Hic carnis ſpolium liquit ad aſtra volans
Spernit opes dum quærit opes, mortalia vitans
Perpetuis cœlum donis terreſtribus emit
Gemma ſacerdotum plebiſque, orbiſque magiſter.
Ruſtica quinetiam pro Chriſto munia ſumens
Seruite obſequium, non dedignatus adire
Officio vixit minimus, ſed culmine ſummus.

Nec mirum, ſi poſt meruit tua lumina Chriſto
Angelicaſq́ domos intrauit aurea regna.
Diuitias paradiſe tuas fragrantia ſemper
Gramina & halantes diuinis floribus hortos
Subiectáſque videt nubes, & ſydera cœli.

De eodem ſancto Hilario Archiepiſcopo Arelatenſi & Monacho Lerinenſi Gennadius de illuſtribus Eccleſiæ ſcriptoribus cap.69.

HIlarius Arelatenſis Epiſcopus vir in ſanctis ſcripturis doctus paupertatis amator, & erga inopum prouiſionem non ſolum mentis pietate, ſed & corporis ſui ſollicitus labore fuit, nam pro reficiendis pauperibus etiam ruſticationem contra vires ſuas homo genere clarus & longè aliter educatus exercuit: ſed nec in ſpiritualibus neglexit: nam & in docendo gratiam habuit & abſque perſonarum exceptione omnibus caſtigatum opus prædicationis iniecit: ingenio verò immortali aliqua & parua edidit quæ eruditæ animæ & fidelis linguæ iudicio ſunt, in quibus præcipuè & ad multorum vtilitatem neceſſario opere vitam ſancti Honorati prædeceſſoris ſui compoſuit. Moritur Valentiniano & Martiano regnantibus. Hæc ille. Idem refert Vincentius in ſpeculo hiſtoriali lib.20.cap.20.

De eodem Hilario Thritemius lib.de ſcriptor. Eccleſ.

HIlarius Epiſcopus Arelatenſis ad quem heremi deſerta petétem Eucherius Lugd. Antiſtes librũ edidit de laude eremi, vir doctus in ſcripturis diuinis & ſatis diſerto eloquio, cuius merita ſanctitatis catholica perſonat Eccleſia. Tantæ pietatis extitit in pauperes, vt omnibus ſuis in eorum vſus hilariter diſperſis pater pauperum deinceps vocaretur & eſſet, ſcripſit inter cætera ſatis præclaro eloquio prædeceſſoris ſui vitam ſancti Honorati Epiſcopi, liber vnus, homelias penè infinitas, & quædam alia claruit ſub Theodoſio principe iuniore anno domini 440. moritur autem ſub Valentiniano & Martiano principibus.

Annotatio Vinc. Saler.

Habuit etiam ſermonem de miraculo ſancti Geneſij Martyris Arelatenſis quem habet Surius tomo 4.die 25.Auguſti.

Ado verò in cronicis anni.458.ætatis ſextæ, hæc ſubinfert de ſancto Hilario Arelatenſi.

HIlarius Arelatenſis Eccleſiæ Epiſcopus, vir in ſanctis ſcripturis doctus paupertatis amator, & ergo inopum prouiſionem, non ſolùm mentis pietate, ſed & corporis ſui labore ſollicitus emicuit.

Iſidorus Spalenſis Epiſcopus lib.de ſcript.Eccleſ.cap.16.hæc de S.Hilario.

HIlarius Arelatenſis Epiſcopus ſcripſit vitam parentis & prædeceſſoris ſanctiſſimi ac venerabilis Honorati Epiſcopi ſuaui ac præclaro præditam eloquio.

Honorius Præsbiter Auguſtudonenſis de lumin.Eccleſ.cap.69.

HIlarius Arelatenſis Epiſcopus in ſanctis ſcripturis doctus abſque perſonarum acceſſione omnibus caſtigatum opus prædicationis iniecit, ſub Valentiniano floruit.

Petus Æquilinen.in cathalogo lib.4.cap.121.recapitulans ea quæ à Gennadio referuntur ſic ait.

HIlarius Arelatenſis Epiſcopus vir in ſanctis ſcripturis doctus, & doctor inclitus

Inclitus fuit,qui paupertatis amator erga inopum prouiſionem pietate mentis & corporis labore ſollicitus grandi & ſolerti cura pauperes aluit,& in docendo gratiſſimus extitit,multos ſermones ſplendidos ad populum fudit, & plurima eruditionum opuſcula compilauit, volumen grande de fide duodecim libris explicitum ſermone ſplendido exarauit. Beati quoque Honorati prædeceſſoris ſui vitam cum multorum vtilitate compoſuit, finem vitæ dedit Valentiniani & Martiani temporibus 3.nonas Maij.

Carolus Sigonius Mutinenſis in libro hiſtoriarum de Occidentali imperio ſub anno 445.Sic inquit de ſancto Hilario Epiſcopo Arelatenſi.

VAlentinianus lætus Romam ad vicennalia ſua peragenda conceſſit quam occaſionem nactus Leo Pontifex quod audiuiſſet Hilarium Arelatenſem Archiepiſcopum iniuſſu ſuo in Gallia Epiſcopos ordinare mirè offenſus ipſum,vt de ea re ad Aetium ſcriberet impulit,earum litterarum adhuc extat exemplum. Aetio viro illuſtri magiſtro vtriuſque militiæ Valentinianus Auguſtus. Hilarius Arelatenſis Epiſcopus ſicut venerabilis viri Leonis Romani Papæ,fideli narratione comperimus contumacia auſu illicita quædam præſumenda tentauit.Nam Eccleſiæ Romanæ vrbis inconſulto Pontifice in debitas ſibi ordinationes Epiſcoporum ſola temeritate vſurpãs inuaſit. Huic neque aliis in poſterum tale aliquid liceat apoſtolicè & à noſtra auctoritate prouiſum eſt,octauo Idus Iunias. Valentiniano Auguſto, Sex. Conſul.

Annotatio Vinc. Saler.

Cotrigendi veniunt hic Gennadius, Trithemius & alij qui ſupra ponunt ſanctum Hilarium ſupremum clauſiſſe diem ſub Valentiniano & Martiano principibus ex his quæ affert Annaliſta Baronius tomo ſexto annalium anno Chriſti 449. Leonis Papæ X. temporibus Theodoſij & Valentiniani,quo anno aſſumptus eſt ad Epiſcopatum Arelatenſem Rauennius vt conſtat ex epiſtola ſancti Leonis Papæ ab comprouinciales Epiſcopos data, in qua ſic legitur. Quod ergo in Arelatenſi ciuitate defuncto ſanctæ memoriæ Hilario,virum etiam nobis probatum fratrem Rauennium ſecundum deſideria cleri Honoratorum,& plebis vnanimiter conſecraſtis bonum fraternitatis veſtræ opus noſtro iudicio roboramus,&c.Datum 11.Calend.ſept.Aſterio, & Protogene Conſul.habemus ergo ex tempore promotionis Rauennij etiam certum tempus quo ſanctus Hilarius prædeceſſor migrauit, nempe anno decimo Pontificatus ſancti Leonis, Chriſti verò 449. Aſterio & Protogene Conſulibus.

De ſancto Hilario Epiſcopo Arelatenſi, & monacho Lerinenſi. Illuſtriſſimus Baronius in Annalibus Eccleſ.Tom.5.Dum agit de defenſione operum ſancti Auguſtini anno Chriſti 426.Cœleſtini Papæ anno 3.Theodoſij & Valentiniani Imperatorum temporibus.

QVænam autem importunè adeò in his occupatum offenderint Auguſtinum vt eum ab illis ſcilicet libris nobiliſſimi commentarij euocarint iam dicamus. Proſper Aquitanus,& Hilarius Arelatenſis, ambo ſancti Auguſtini ſtudioſiſſimi, hoc eodem tempore ſcripſerunt ad ipſum à Galliis ſinguli ſingulas litteras, eadémque prolixiores de quibuſdam quæſtionibus ab aduerſariis ipſius Auguſtini in medium adductis. Ad has ergo dubitationes ſoluendas eidem Auguſtino diuertere opus fuit.Et paulo poſt.Qui igitur

Proſper Aquitanus & Hilarius laborant pro Auſtino.

ad Auguſtinum ea ſcripſerunt Proſper, & Hilarius nondum erant Epiſcopi: ideò eos Auguſtinus filios non autem fratres appellat ſicut & Celeſtinus Papa cum de iiſdem ſcripſit ad Epiſcopos Galliarum [a]: quando autem contigerit creari Epiſcopos ſuo loco dicetur. Errare ergo ſcias authorem qui in præfatione ad dictas ipſorum epiſtolas affixa eoſdem Epiſcopos nominat: additumque id eſſe ſuperfluo in epiſtola Proſperi ad Auguſtinum. Quænam autem fuerint turbæ iſtæ contra ſancti Auguſtini ſcripta in Galliis concitatę, ex iiſdem vtriſque litteris aliorúmque ſcriptis perfacile intelligi poteſt, nimirum accidiſſe, vt cum peruenirent in Gallias ſcripta ſancti Auguſtini aduerſus Pelagianos, nonnulli qui pelagio ſtuduiſſent, inter quos annumerabatur Ioannes Caſſianus presbyter Eccleſiæ Maſſilienſis cognamento Collator ea carpere, acritérque inſectari cœperint. Inſurrexerunt verò pro eiſdem ſcriptis præcipui defenſores viri eruditiſſimi (quos diximus) Proſper, & Hilarius quorum prior commercio litterarum tantum Auguſtino notus erat. Hilarius autem ſe vſum eſſe Auguſtino magiſtro teſtatur. De ſe enim ita Proſper in dicta epiſtola ad Auguſtinum. Ignotus quidem facie, ſed iam aliquatenus (ſi reminiſceris) animo, & ſermone compertus: Nam per ſanctum fratrem meum Leontium diaconum, miſi epiſtolas & recepi, &c.] qui & inferius de Hilario iſta habent vnum eorum præcipuæ auctoritatis, & ſpiritualium ſtudiorum ſanctum Hilarium Arelatenſem ſciat beatitudo tua admiratorem ſectatorémque in aliis omnibus tuæ eſſe doctrinæ. De ſe verò ipſe Hilarius Auguſtini diſcipulus, ita in ſuis litteris. Nolo autem ſanctitas tua ſic me arbitretur ſcribere quaſi de his quæ nunc edidiſti, arbitretur hæc ſcribere, quaſi de his dubitem, ſufficiat mihi pœna mea, quod à præſentiæ tuæ deliciis exulatus, vbi ſalubribus tuis vberibus nutriebar, non ſolum abſentia tua crucior, verum etiam peruicacia quorundam, qui non tantùm manifeſta reſpuunt, ſed etiam non intellecta reprehendunt, &c. Hæc Hilarius, & paulo inferius idem Baronius.

[a] *Cœleſt. ep. 8.*

S. Hil. S. Aug. diſcipulus.

Sed & hic obiter attingenda quæ Hilarius Arelatenſis inter alia ſancto Auguſtino voluit innoteſcere adiecta ad epiſtolam eiuſmodi appendice ſciat ſanctitas tua fratrem meum, cuius maximè cauſa hinc diſceſſimus. Cum matrona ſua, ex conſenſu perfectam Deo continentiam deuouiſſe. Vnde rogamus ſanctitatem tuam, vt orare digneris, quo hoc ipſum in eis Dominus confirmare, & cuſtodire dignetur. Hæc Hilarius: At quiſnam fuerit iſte germanus eius adhuc me latet: De ſorore verò ipſius Pimeniola nomine [b] nupta Lupo viro illuſtri, eadem dedicata ab eis Deo ex conſenſu caſtitate narratur hiſtoria: cum contigit eoſdem pios coniuges poſt ſeptennium amore perfectionis vitæ ſe inuicem ſeparaſſe, ſanctúmque coniugem Lupum ſub Honorato Abbate Cœnobij Lerinenſis vitam monaſticam excoluiſſe, inde verò à Trecenſibus ad Epiſcopatum aſſumptum mira ſanctitate claruiſſe. Hic namque ille Lupus collega ſancti Germani in legatione Britannica aduerſus Pelagianos ſuſcepta, de qua ſuo loco inferius pluribus dicturi ſumus. Hic ille Lupus quem tot tantiſque præconiis celebrat Sidonius Apollinaris, cum ipſe creatus Epiſcopus ad eum ſcribit in Epiſcopatu nouem iam luſtra perfunctum cuius monitis haud parum Sidonius ipſe profecerat. At quantus hic (quod eſt admiratione dignum) euaſerit ex homine coniugato ſacerdos, hæc modo obiter ex ipſius Sidonij epiſtolæ exordio accipe, [c] Benedictus ſpiritus ſanctus, & pater Dei omnipotentis, quod tu Pater patrum & Epiſcopus Epiſcoporum, & alter ſæculi tui Iacobus, de quadam ſpecula charitatis, nec de

Frater S. Hilarij Epiſcopi Arelatenſis Anonymus.

[b] *Acta S. Lupi apud Sur. die 29. Iulij.*

Mira laudes S. Lupi.

S. Lupus agebat in Epiſcopatu. anno. 45.

[c] *Sid. l. 6. ep. 6.*

inferiore Hieruſalem tota Eccleſiæ Dei noſtri membra ſuper inſpicis.] & inferius poſt deſudatas militiæ Lerinenſis excubias, & in Apoſtolica ſede nouem iam decurſa quinquennia, vtriuſque ſanctorum ordinis te conclamatiſſimum primipilarem ſpiritualia caſtra venerentur, &c.] Hæc de ipſo quem quidem mirifica ſanctitate conſpicuum omnium Galliarum Epiſcopi intuebantur, & venerabantur, cum eum omnes (vt idem ait) ſcirent eſſe normam morum, columnam virtutum. Sed de Lupo hæc modo ſatis, occaſione eius coniugis S. Pimeniolæ ſororis Hilarij: libuit namque ex fructibus poſtea editis, arboris plantationem laudibus iſtis à maioribus dictis proſequi. Quòd verò ad Hilarium de quo agitur, pertinet: commendat ipſum inter alia vna cum S. Petronio Bononienſi S. Eucherij [a] illud elogium. Hilarius nuper, & de Italia nunc Antiſtes Petronius, ambo ab illa pleniſſima (vt aiunt) mundanę poteſtatis ſede vnus in religionis, alius in ſacerdotij nomen aſcendit.) Hæc Eucherius, cùm creatus eſt Petronius Epiſcopus Bononienſis perſeuerante Hilario in vita Monaſteria. Et infrà Vincentius quidam (ſeductus erat iſte hæreſi Pelagiana) rem priuatim agens ſexdecim in eoſdē (ſcilicet libros S. Auguſtin.) propoſuit obiectiones: Inſuper & Camillus, & Theodorus presbyteri Genuenſes decem dubia obiecere. Adhuc etiam, & Caſſianus presbiter Maſſilienſis de quo ſuperius dictum eſt aduerſus eiuſdem Auguſtini doctrinam egit, aduerſúſque eam aliqua intulit. Porrò contra hos omnes ſteterunt Hilarius Arelatenſis & Proſper Aquitanus. Quid Hilarius in aduerſarios ſcripſerit non apparet. Proſperi autem adhuc ſuper ſunt arma quibus pro Auguſtino in hoſtes indefeſſo ſtudio dimicauit: aduerſus ſiquidem Gallos liber extat reſponſionum volumen etiam contra Vincentianos tertius contra Genuates illos præsbiteros: quartus contra collatorem nempè ipſum Ioannem Caſſianum. Cęterum iidem Hilarius atque Proſper ſequenti anno Romam ſe contulerunt ad Celeſtinum Rom. Pont. qui ambo apud eundem ſtudioſè egerunt vt eiuſmodi nugatoribus ora (quod par erat) obſtrueret quod & præſtitit Celeſtinus miſſa Epiſtola ad Epiſcopos Gallicanos.

[a] S. *Eucherius ad Valerianum Epiſt.*

Hilarius Proſper Romam accedunt.

De S. Hilario Epiſcopo Arelatenſi adhuc idem Baronius in Anna. Eccleſiaſt. Tomo. 6. anno Chriſti 445. Leonis Papæ ſexto Theodoſij & Valentiniani Imperatorum temporibus, dum recenſet aliquo reſcripta Imperatoris Valentiniani.

SEd & memoria quidem perpetua dignum eſt eiuſdem Imperatoris, ſcilicet Valentiniani, illud reſcriptum, ſancto Leone Romano Pontifice expetente, ad Aetium agentem in Gallia magiſtrum militiæ hoc anno datum in cauſa Hilarij Epiſcopi Arelatenſis, quod quidem nobiliſſimam rei geſtæ huius temporis hiſtoriam continet: deſcribemus ipſum, ac ſubinde reliqua ad eandem cauſam ſpectantia in medium adducemus, ſic enim ſe habet. [b]

Certum eſt nobis & imperio noſtro vnicum eſſe præſidium in ſupernæ diuinitatis fauore: ad quem promerendum præcipuè Chriſtiana fides & veneranda nobis religio ſuffragatur. Cùm igitur ſedis Apoſtolicæ primatum, ſancti Petri meritum, qui Princeps eſt Epiſcopalis coronæ & Romanæ dignitas ciuitatis, ſacræ etiam Synodi firmauit auctoritas, ne quid præter auctoritatem ſedis iſtius in licitum præſumptio attentare nitatur: tunc enim demùm Eccleſiarum pax vbique ſeruabitur, ſi rectorem ſuum agnoſcat vniuerſitas. Hæc cum hactenus inuiolabiliter fuerint cuſtodita: Hilarius Arelatenſis ſicut venerabilis viri Leonis Romani Papæ fideli relatione comperi-

[b] *Nouel. Valentin. inter Nouel. Theod. poſt eod. Theod. titul. 24. de Epiſc. ordinat. Reſcriptum aduerſus Hilarium Arelaten. Epiſcopum.*

mus)contumaci auſu inlicita quædam præſumenda tentauit: & ideò Tranſalpinas Eccleſias abominabilis tumultus inuaſit, quod recens maximè teſtatur exemplum. Hilarius enim qui Epiſcopus Arelatenſis vocatur, Eccleſiæ Romanæ vrbis inconſulto Pontifice, indebitas ſibi ordinationes Epiſcoporum ſola temeritate vſurpans, inuaſit: nam alios incompetenter remouens, indecenter alios, inuitis & repugnantibus ciuibus, ordinauit: qui quidem, quoniã non facile ab his qui non elegerant, recipiebantur, manum ſibi contrahebat armatam, & clauſtra murorum in hoſtilem morem vel obſidione cingebat, vel aggreſſione reſerabat: & ad ſedem quietis, pacem prędicaturus* per bella ducebat. His talibus contra imperij maieſtatem, & contra reuerentiam Apoſtolicæ ſedis admiſſis per ordinem religioſi viri vrbis Papæ cognitione diſcuſſis, certa in eum ex his quos malè ordinauerat, lata ſententia eſt. Et erat ipſa quidẽ ſententia per Gallias etiam ſine Imperiali ſanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis auctoritate in Eccleſias non liceret? Sed noſtram quoque præceptionem hæc ratio prouocauit, ne vlterius vel Hilario, quem adhuc Epiſcopum nuncupari, ſola manſueti Præſulis permitit humanitas, nec cuiquam alteri Eccleſiaſticis rebus arma miſcere, aut præceptis Romani Pontificis liceat obuiare. Auſibus enim talibus fides, & reuerentia noſtri violatur Imperij. Nec hoc ſolùm, quod eſt maximi criminis, ſubmouemus: verùm ne leui ſaltem inter Eccleſias turba naſcatur, vel in aliquo minui religionis diſciplina videatur: hoc perenni ſanctione decernimus, ne quid tã Epiſcopus Gallicanis, quam aliarum Prouinciarum, contra conſuetudinem veterem liceat ſine viri Papæ vrbis æternæ auctoritate tentare: ſed illis, omnibúſque pro lege ſit, quicquid ſanxit, vel ſanxerit Apoſtolicæ ſedis auctoritas: ita vt quiſquis Epiſcoporum ad iudicium Romani Antiſtitis euocatus venire neglexerit, per moderatorem eiuſdem Prouinciæ adeſſe cogatur: per omnia ſeruatis quæ diui parentes noſtri Romanæ Eccleſię detulerunt, Æti pater cariſſime Auguſti. Vnde illuſtris & præclara magnificentia tua præſentis edictalis legis auctoritate faciet quæ ſunt ſuperius ſtatuta ſeruari, decem librarũ multa protinùs exigẽda ab vnoquoque iudice, qui paſſus fuerit præcepta noſtra violari, & manu diuina. Diuinitas te ſeruet per multos annos parens cariſſime. Dat. VIII. id. Iunij, Romæ, Valentiniano Aug. VI. Conſ. Hactenùs Valentiniani conſtitutio: qua facilè peruides Romani Pontificis in omnes Eccleſias auctoritatem, & ad hoc illi Imperatores inſeruire, vt eius auctoritas aduerſus omnes refractarios ſarta tecta cuſtodiatur.

* *Prædicaturum.*

Vetus controuerſia inter Viennenſem & Arelatẽſem Eccleſiam.

Cęterùm quod ad propoſitam cauſam Epiſcopi Arelatenſis ſpectat, vt exactè cuncta noſcantur, eſt ipſa altius repetenda: primumque illud non ignorandum antiquam quęſtionem agitatam fuiſſe inter Epiſcopum Arelatenſem & Viennenſem, quod ille prætenderet ius ordinandi Epiſcopos prouinciæ Viennenſis ſpectare ad Epiſcopum Arelatẽſem. Iam enim à tempore Concilij Taurinenſis inter Epiſcopos eiuſmodi de primatu controuerſia agitata eſt, hæcque definitio in illa ſynodi ſancita fuit[a]: illud deinde inter Epiſcopos vrbium Arelatenſis & Viennenſis, qui de primatus apud nos honore certabant à ſancta Synodo definitum eſt, vt qui ex eis comprobauerit ciuitatem ſuam eſſe Metropolim, is totius prouinciæ honorem primatus obtineat, & ipſe iuxta præcepta canonum ordinationum habeat poteſtatem. Certè ad pacis vinculum conſeruandum, hoc concilio vtiliori decretum eſt, vt ſi placet memoratarum vrbium Epiſcopis, vnaquæque de his viciniores ſibi inter prouincias vendicet ciuitates, atque eas Eccleſias viſitet, quas

[a] *Concil. Tau. cap.* 1.

oppidis

oppidis ſuis proximas magis eſſe cõſtiterit:ita vt memores vnanimitatis atq; concordiæ, non alter alteram ſibi longius vſurpando, quod eſt alij propius inquietet.]Hæc eſt definitio ſanctæ ſynodi Taurinenſis.

At verò haud his contentus voluit eſſe limitibus Arelatẽſis Epiſcopus, qui & ſuper Prouinciam viennenſem primatum ſibi vendicare præſumebat:Clariſſima enim vrbium Gallicanarum Arelatenſis ciuitas enitere videbatur, quam Auſonius Romam Gallulam nominat [a]: aucta eadem imperatorũ priuilegiis, ſed & Eccleſiaſticis legibus illud olim conſecuta fuerat dignitatis [b], vt ad Arelatenſis Eccleſiæ Epiſcopum pertineret,ſynodum in Prouincia congregare. Quamobrem Arelatenſes Epiſcopi haud acquieſcere viſi ſunt decreto Concilij Taurinenſis, ſed ordinare Epiſcopos, reclamantibus populis in Viennenſi & Narbonenſi Prouinciis ſæpè tentarunt.His acceſſit,quod eiecto Herote Arelatenſi Epiſcopo, & factione Conſtantij tunc magiſtri militum in locum eius intruſo Patroclo, eidem in odium & inuidiam comprouincialium Epiſcoporum & Metropolitanorum contradicentium datum eſt ius ordinandi Epiſcopos non in Narbonenſi tantum Gallia, ſed & Viennenſi. Cùm verò idem ſibi id vſurparet Patroclus Epiſcopus, aduerſus eum cõqueſti ſunt populi apud Bonifacium Romanũ Pontificem [c], de illicita ordinatione præſumpta, aduerſus quem ipſe Bonifacius Papa reſcripſit ad Hilarium Epiſcopũ Narbonenſem, vt ex præſcripto Nicæni Concilij ſinguli Metropolitani ſingulis præſint Prouinciis:prohibuítque ne Arelatenſis Antiſtes ſuæ prouinciæ fines excederet. In quam quoque ſententiã poſtea Cœleſtinus [d], Papa reſcripſit ad Epiſcopos earundem Prouinciarum Viennenſis & Narbonenſis Galliarum, nimirum vt quiſque Metropolitanus ſua prouincia deberet eſſe contentus. Poſtea autem hoc tempore Sancti Leonis Papæ eadem fermè quærela ad ſedem Apoſtolicam perlata eſt aduerſus eundem Hilarium, nimirum quod in Prouincia Viennenſi ordinatum præſcripſiſſet Epiſcopum deponere Cœlidoniũ, rurſúmque & alium in locum Epiſcopi proiecti nomine nõdum mortui ſubſtituere. Cùm verò Romam idem Hilarius ad dicendam cauſam ſponte ſe contuliſſet:de his omnibus conuictus,haud expectata ſententia, vel obtenta licentia,ab vrbe recedens,rediit Arelatũ:aduerſus quem hoc ipſo anno(vt ex reſcripto Valentiniani colligi poreſt)ſanctus Leo ad Epiſcopos Galliæ Viennẽſis prouinciæ Epiſtolam dedit, cuius eſt exordium [e]:*Diuinæ cultum religionis,&c.*Habet autem ipſius præfatione hæc de primatu Romanæ Eccleſiæ:Huius muneris ſacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in beatiſſimo Petro, Apoſtolorum omniũ ſummo principaliter collocaret, vt ab ipſo quaſi quodã capite, dona ſua velut in corpus omne diffunderet:vt exortem ſe myſterij intelligeret eſſe diuini,qui auſus fuiſſet à Petri ſoliditate recedere.Hunc enim in conſortium individuæ vnitatis aſſumptum,id quod ipſe erat,voluit nominari,dicẽdo [f],*Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* vt æterni ædificatio templi, mirabili munere gratiæ Dei, in Petri ſoliditate conſiſteret, hac Eccleſiam ſuam firmitate corroborans, vt illam nec humana temeritas poſſet appetere, nec portæ contra illam inferni præualerent. Verum hanc petræ iſtius firmitatem ſacratiſſimam,Deo(vt diximus)ædificante,conſtructam,nimij impia vult præſumptione violare quiſquis eius poteſtatẽ tentat infringere. &c.]Pergit poſt hæc de præſumptione Hilarij in excedendis ſuæ ipſius prouinciæ terminis, & de Cœlidonio Epiſcopo eiuſque cauſa agitata ipſo præſente Hilario Romæ in Epiſcoporum concilio ſubdit & de cauſa proiecti Epiſcopi, cui ægrotanti Hi-

[a] *Auſon. declar. vrb. Epig.7.*

[b] *Concil.Arelat. 2.c.18. Tom.1.conc.*

[c] *Bonif. epiſtola ad Hilar. Epiſc. Narbon.Tom. 1.conc.*

[d] *Cœleſt. Epiſt.2.c.4. Tom.1.conc.*

Hilarius Romam venit acturus cauſam ſuam.

[e] *Leo epiſtola. 89.*

Romana Eccleſia prærogatiua.

[f] *Matth.16.*

larius ſubrogauerat ſucceſſorem. Cùm etiam ſi mortuus eſſet ad Viennenſem id ſpectaret Epiſcopum, cuius in prouincia proiectus erat Antiſtes. Ad poſtremũ verò redditis his ab Hilario iniuſtè præſumptis, & de creandis nouis Epiſcopis præſcripta regula, hæc in ipſum Hilarium ſanctus Leo: Suis vna quæque prouincia ſit contenta conciliis: nec vltra Hilarius audeat conuentus indicere ſynodales, & ſacerdotum Domini iudicia ſe interſerendo turbare: qui non tantum nouerit ſe ab alieno iure depulſum, ſed etiam Viennenſis prouincię, quam male vſurpauerat, poteſtate priuatum. Dignum eſt enim, fratres, antiquitatis ſtatuta reparari: cùm is qui ſibi ordinationem prouinciæ indebitè vendicabat, talis in præſenti etiam prolatus fuerit, vt cum ipſe frequẽtius temerariis & inſolentibus verbis ſententiam damnationis expeteret, ſuæ tantũ ciuitatis illi ſacerdotium pro ſedis Apoſtolicæ pietate præceptio noſtra ſeruauerit. Non ergo ſit illi ordinatio, qui meriti ſui cõſcius, cum quæreretur ad accuſandum, turpi fuga ſe crediderit ſubtrahendum, exors Apoſtolicæ cõmunionis, cuius particeps eſſe non meruit: Deo (vt credimus) hoc agente, qui illũ inopinãtibus nobis, & ad iudicia noſtra pertraxit & inter examinationes habitas, ne cõmunionis noſtræ conſors fieret, vt abſcederet latenter, efficit.] Addit his admonitionem ad eoſdem Epiſcopos Viennenſis prouinciæ, ne pro leui cauſa ſententiam inferant excõmunicationis in aliquem: præficítque Leõtium Epiſcopum, vt eius conſenſu futuræ ſynodi in ea prouincia celebrentur. Erat Leontius iſte Foroiulij in Gallia Narbonenſi, celebris fama vir. At planè ab hoc diuerſus ille fuit Leontius qui poſtea eiuſdem Arelatenſis Eccleſiæ Epiſcopatum rexit, de quo ſuo loco dicendum, ad quem extat ſidonij Apollinaris Epiſtola [a], qua ipſum his laudibus ornat. Noſtram ediocritas ætate vitæ, tempore dignitatis, priuilegio loci, laude ſcientiæ, dono cõſcientiæ veſtræ facilè vincatur, &c.] Hæc ad Leõtium Sidonius, cum iam eſſet Epiſcopus Aruernenſis. Eiuſdem quoque meminit in Epiſtola ad Baſilium [b]. Habito igitur (vt idem teſtatur S. Leo) Romæ in hac cauſa Concilio litéque Viennenſibus adiudicata, data ab ipſo ad eoſdem Epiſtola: ne maiores tumultus ea de re ab Hilario concitarentur, placuit eidem Romano Pontifici aduerſus eundẽ Hilarium interpellare Imperatoris officium per Aetium Magiſtrũ militiæ exhibendum, hactenus Hilarij cauſa. Sed corrigendum nobis eſt quod aliquando opinati ſumus, ipſum Hilarium abdicantem ſe Epiſcopatu, Lerinum ad priſtinam vitam monaſticam rediiſſe id quidem exiſtimãdi aperuit nobis iram Sidonius [c] Apollinaris, dum in carmine Euchariſtico ad fauſtum, recenſens nobiliſſimos eiuſdem Inſulæ incolas, vitæ monaſticæ profeſſores, hæc de Hilario. Iter redeuntis Hilarij.] Ex quo putauimus ipſum reuerſum Epiſcopatui nuncio remiſſo. Verum vbi tandem peruenit ad nos ab eadem Hilario ſcripta S. Honorati vita, necnon S. Eucherij libellus ad eundem Hilarium datus de laudibus Eremi: planè comperimus reditum ipſius Lerinum contigiſſe, cum adhuc viueret Honoratus, immo ipſo exordio eiuſdem Honorati Epiſcopatus. Secutus enim Hilarius fuerat Arelatum ipſum ſanctum Honoratum creatum Epiſcopum: ſed eo deinde relicto, amatam repetiit ſolitudinem id quidẽ ipſe in primis Hilarius tradit, vbi de S. Honorato agit his verbis alloquẽs ſuos Arelatenſes, vobis me tanto labore per litteras, tanto per excurſum ſuum ambitu ab Inſula, cui me, derelictis Epiſcopatus ſui principiis, ſecreti amore reddideram, non audeo dicere, neſciens, fortaſsè præſcius amouere ſatagebat.] Hæc ipſe. Sed & Eucherius ad ipſum de laude Eremi ſcribens, exorditur his verbis. Magno tu quidem animo egreſſus dudum de domo tua & de cognatione

De quibus re dargutus Hilarius condẽnetur.

Leontius Epiſcopus foroiulien. præficitur toti prouincia.

[a] *Sidon. lib. 6. Epiſtola 3.*

[b] *Sidonius li. 7. Epiſt. 6.*

Interpellatur imperator cõtra Hilarium

[c] *Sid. Epiſtola 90.*

De reditu S. Hilarij, ad Eremũ Lerini.

tione tua,vſq; ad mare magnũ, recẽtia Eremi ſecreta penetraueras:maiore tamẽ virtute repetita eſt à te Eremus,quã petita,ſiquidẽ cũ hanc pri⁹ hoſpes ingreſſus es,habuiſti ducẽ, & veluti itineris tui præuiũ,quẽ deinde militiæ cœleſtis magiſtrũ:eũq; tũc ſecut⁹,& parẽtes relinquẽs parentẽ tamẽ ſequebaris: nunc verò cum eundem adſcitum ad Pontificatus faſtigium proſequendum putaris, ad familiare ſecretũ Eremi te amor retulit. Ergo nunc es nobilior, & maior exemplo. Prius enim cum deſertum peteres, comitatus patrem videbaris:nunc cum deſertũ repetieris,etiam patrem reliquiſti:nempè ipſum ſanctum Honoratum.Hæc alia de his ſanctus Eucherius,cum ea occaſione præclaram illam ad ipſum de laude Eremi lucubrationem dedit. Cæterum quod ad ipſum Hilarium ſpectat;rurſum Arelatum litteris Honorati accerſitus,interfuit(vt ipſe docet)cũ idẽ ſanctus ex hac vita migrauit, quẽ & per egregia funebri oratione laudauit,qua eius vitã contexuit iam Arelatẽſis factus Epiſcopus.At licet creatus Antiſtes,iura ſuæ Eccleſiæ vendicaturus,plus ęquo viſus ſit eſſe prolapſus:tamen cedens, eo tandem peruenit culminis ſanctitatis vt ore omnium meminerit commendari. Et vt omittamus ea repetere quas de ipſo dicta ſunt ſuperius de laboribus aduerſus Pelegianam hæreſim exantlatis,de eius erga pauperes munificẽtia Gennadius ita ſcribit.[a] Hilarius Arelatẽſis Epiſcopos, vir in ſanctis ſcripturis doctus,paupertatis amator,& erga inopum prouiſionẽ non ſolum mentis pietate,ſed & corporis ſui labore ſollicitus fuit: nam pro reficiendis pauperibus etiam ruſticationem contra vires ſuas homo genere clarus exercuit:ſed nec in ſpiritualibus neglexit: nam & in docendo gratiam habuit, & abſque perſonarum acceptione omnibus caſtigatum opus prædicationis ingeſſit. Hæc Gennadius. Porrò haud his paucis circunſcribi & conſcribi valuerunt egregiè eius virtutes & ſpectatiſſima morum ſanctitudo:etenim(vt idem auctor eſt Gennadius[b])Honoratus, non Arelatenſis,ſed Epiſcopus Maſſilien ſis eiuſdem Hilarij res geſtas perpetuæ memoriæ conſecrauit: Laudatum etiam à S. Proſpero diximus: egregio quoque eum præconio proſecutus eſt poſt Eucherium Conſtantius in vita ſancti Germani Epiſcopi. Et ad poſtremum illud ſatis ad coronam Hilarij, quod licet pro mendis, (vt ſibi videbatur iuſtè) iuribus Arelatenſis Eccleſiæ offenſam meruerit tanti Pontificis, tamen quod ſanctitate non vulgari claruerit,in publicis Eccleſiæ etiam Romanæ [c] monumentis titulo meruit ſanctitis adſcribi,anniuerſariáq, memoria eiuſdem vbique locorum dies natalis coli.Cui ſic ad breue temporis ſpatium contigit ob Eccleſiaſticas controuerſias reſilire, vt maiori poſtea impetu ardentioriq́ue animo, & acriori ſtudio ferretur in hoſtes.

Hilarius Arelatenſis Epiſcopus virtutibus clarus.

a *Gennadius de ſcripturis Eccleſ.ca.69.*

b *Gennad. de ſcript.Eccleſ. cap.99.*

c *Rom. mar. die 5.Maij.*

Hilarius ſanctitate clarus

Certè quidem haud mediocre ſpecimen edidit Chriſtianæ modeſtiæ,tum ita exagitatus tam à Põtifice quam ab Imperatore(ſicut[d] enim fremitus Leonis ita & ira Regis) tamen omninò conquieuit neque contrariis editis apologiis ſuã cauſam defendit, cum aloquiũ id præſtandi,& vis eloquentiæ ipſi ſuppeteret,& iura à prædeceſſorib⁹ prætẽta ſuffragarẽtur.Quod verò ad eiuſdẽ Hilarij lucubratione pertinet,nulla prẽterea nobis ingenij eius monumẽta ſuperſunt,niſi data ad S.Auguſtinum epiſtola aduerſus Pelagianos:eius enim fuiſſe diſcipulum,ſuperius dictum eſt.Vitam quoque S. Honorati primi cultoris Inſulæ Lerinenſ.ac deinde Epiſcopi Arelatenſis, ſui ipſius prædeceſſoris conſcripſit:quod teſtatur Gennadius [e] & alij poſt eum:eſt enim funebris oratio, qua res ab eo geſtas eſt proſecutus: ſed eam quidem in bibliotheca Lerinenſi manuſcriptam obſeruatam,haud pridem in lucem Pariſiis ſolertia

d *Prouerb.19*

e *Gennad.69. Vitam S. Honorati ab Hilario ſcripta.*

& cura patrum dictæ ſacræ Inſulæ Lerinēſ edidit vir doctiſſimus Genebrardus,quibus benè precamur, quòd ex ea refellantur fabulæ,ceu potius ſunt dicenda deliria incerti auctoris operis tribus libris diſtincti de vita S.Honorati,quo in primis fingitur idem S.Honoratus Nicomediæ Regis filius , & alia id genus , quæ non ſine nauſea legi poſſunt , niſi ab eo cuius ſit ſtomachus ferreus,& ignorantiæ vndique obductus rubigine.

Vincentius Salernus.

Porrò omnia ferè monumenta ſancti viri huius Hilarij periere : ſuperſunt ſolum oratio funebris de ſancto Honorato ſuo præceſſore, quam habes hic ſupra, & hæc breuis epiſtola data S.Eucherio Lugd. & alia data S.Auguſtino habetur Tom.7.operum S.Auguſtini.

Domino Beatiſſimo merito Suſcipiendo,& in Chriſto deuinctiſſimo Papæ Eucherio Hilarius.

CVm me libellos tuos mecum relaturum præcedentibus litteris indicaſſem,inſtante exactione pueri quem miſeras , lectitare nullatenus potui. Emiſi itaque florulenta beatitudinis tuæ opera, non parum anxius ne necdum ſcripta tam iugiter , tam grauiter ruentibus imbribus labefactarentur. Percurri ea ſemel tantum vniuerſa miratus.Concedat Dominus , vt ſpecioſa hæc in Chriſto inſtructionum noſtrarum gloriæ tuæ opera te in paginis tuis duce aliquando perſentiam. Hoc vnum precor , ne me diu his inſtitutionibus fraudari feras , ſed vnū me de iuuenibus tuis quos hac eruditione ornaſti habens , eo inſtantius habere me velis , quo me magis iuuentutis retia premunt.Memorem te mei Dominus ad profectum Eccleſiæ ſuæ diu ſeruet, beatiſſime Papa.

Annotatio Vincen.Salern.de ſancto Leontio Epiſcopo Foroiulienſi. an. 465.

LIbet hic occaſione epiſtolæ ſancti Leonis Papæ , datæ ad Epiſcopos Galliæ Viennenſis , ea quæ de ſancto Leontio Epiſcopo Foroiulienſi reperi adducere , præficitur enim iſte Leontius toti prouinciæ , à ſancto Leone Papa , vt hic ſupra habes in ſancti Hilarij Arelatenſis Epiſcopi notationibus occaſione ſui clandeſtini diſceſſus ab Vrbe Roma. De quo Leontio Annaliſta Tomo 6. anno Chriſti 465. Hilari Papæ V. agens de Synodo habita Romæ , in qua (inquit.) Fuerunt Epiſcopi numero quadraginta octo , inter quos qui Synodo interfuerunt , primo loco ponitur Maximus Epiſcopus Taurinenſis poſt Romanum pontificem , & poſt Maximum , Ingenuus Ebredunenſis Epiſcopus , idémque conqueſtus eſt apud ipſum Hilarium Romanum Pontificem de vſurpatis quibuſdam ſuæ Dioceſeos viribus. Extat de his epiſtola eiuſdem Hilarij Papæ ad Leontium , Veranum , & Victorium Epiſcopos quibus delegat cauſæ cognitionem, & inſtaurationem iurium Ebredunenſis Epiſcopi Metropolitani Alpium maritimarum. Aduerſus autem eos qui inſana cupiditate non niſi in hoc laborant , vt ſuæ Diœceſis fines dilatent , eſt eiuſdem Hilari Papæ in eadem epiſtola aurea illa ſententia : *expectatio fructus noſtri myſterij , non in latitudine regionum , ſed in acquiſitione ponitur animarum.* Hæc & alia ibi Hilarius digna Pontifice tantæ ſedis. Porro Leontius primo loco poſitus inter Epiſcopos quibus cauſa committitur,etſi cuius Eccleſiæ.

ſiæ Antiſtes fuerit,nulla ſit mentio:ſcias tamen iſtum ipſum laudatũ ab Hilario Arelatenſi in funebri oratione de ſancto Honorato Epiſcopo prædeceſſore:quem Foroiulienſem Epiſcopum,eundem opinor eſſe,ad quem extant Sidonij Apollinaris litteræ.

Veranum autem illum putamus eſſe vencienſem ex monacho Lerinenſis Cœnobij, filium ſancti Eucherij Lugdunenſis, & fratrem Salonij Epiſcopi qui Arauticanæ Synodo interfuit, & ſubſcriptus reperitur. Hæc ille. At cum nobis nec apicem quidem, ſiue quid aliud, quod non aliqua auctoritate, ſeu ex manuſcriptis antiquitate ſimul fulciatur in his recolligendis Lerinenſium geſtis inſerere,& ſi quid dubietatis aut contradictionis habuerint, certis rationibus & authoritatibus non iactantia diſputationis, ſed amore veritatis potius ſignificare quam altercationibus inſeruire propoſitum ſit. Hinc fit vt etiam inuiti cogamur ſcriptis aliquando alienis noſtras qualeſcumque, ne lectorem in errorem inducamus, ſupponere notatiunculis, facilius certè foret errores aut corrigendo delere,aut miſſa facere:ſed noſtrum hoc non eſt, qui vt diximus,de aliorum ſcriptis nec iota quidem patimur immutari niſi coacti aliquando in manuſcriptis deprauatis ſalua ſemper veritate hiſtoriæ.Et cum in hac Chronologia noſtrum ſit ſcopum, cuncta ad gloriam Lerinenſis Inſulæ ſpectantia in vnum colligere,hic dum occaſione ſancti Hilarij Arelatenſis Epiſcopi,agitur de ſancto Leontio Foroiulienſi Epiſcopo, exaranda foret illa epiſtola tertia libri ſexti epiſtolarum Sidonij Apollinaris ad Leontium Epiſcopum,quod & præſtitum eſſet decepti auctoritate Annaliſtæ Baronij, qui vt hic habes non ſemel affirmat datam ad dictum Leontium Epiſcopum Foroiulienſem,quod poſtea correxit in appendice: ſed & dominus Ioannes Sauaro Senator Claromontanus qui melius omnium potuit, & commentauit ipſum Sidonium oculo ſuo Lincæo hæc animaduertit in commentario dictæ epiſtolæ tertiæ libr. 6. his verbis:vir doctus Baronius ann.445. & 490. Annal.Tomo ſexto,penè mihi perſuaſerat(iſtum ad quem ſcribit Sidonium Leontium Foroiulienſem eſſe Epiſcopum,quæ perſuaſio erronea eſt: Leontius quidem fuit Foroiulienſis Epiſcopus,ſed alius ab iſto, & ante iſtum Epiſcopum Burdegalenſem de quo ni fallor, Fortunatus libro primo poëmatum cap. 9.& libro 4.Epitaphium Leontij Epiſcopi anterioris Burdegalenſis ciuitatis.)De Leontio Foroiulienſi meminit Hilarius Arelatenſis in vita ſancti Honorati dicens. Vacantem itaque Inſulam ob nimietatem caloris, & inacceſſam venenatorum animalium metu, Alpino haud longè iugo ſubditam petit præter ſecreti oportunitatem ſancti ac beatiſſimi in Chriſto viri Leontii Epiſcopi oblectatus vicinia & charitate conſtrictus, plurimis à tam nouo auſu retrahere illum conantibus. Hæc ille & Leo Papa epiſtola 66.in fine Ioannes Heremita qui & Caſſianus dicitur vocat Leontium Foroiulienſem Papam in præfatione primæ collationis inquiens. Nunc autem derelinquens nos Pontifex Caſtorius migrauit ad Chriſtum, has interim decem collationes ſummorum patrum,id eſt anacoretarum qui in heremo Scythiæ morabantur,vobis potiſſimum,ô beatiſſime Papa Leonti & ſancte frater Helladi credidi conſecrandas eodem honoris titulo exornat in præfatione nonæ collationis.An verò iſte Leontius Epiſcopus foroiulienſis fuerit comes peregrinationis ſancti Honorati cum ſancto Maguntio, & ſene Capraſio in partes Orientales, vt habetur in illa vitæ hiſtoria eiuſdem Honorati, quæ circumfertur tribus libris, non diſcutio modo:videtur tamen Hilarius aliquam familiaritatem antea contractam inſinuare cum ait, Leontij Epiſcopi oblecta-

tus vicinia & charitate conſtrictus, Honoratum petiiſſe Lerinenſem inſulam. Porro Eccleſia foroiulienſis quotannis ſolemni ritu Calendis Decembris eiuſdem ſancti Leontij feſtum pompa recolit triumphali, & vt martyrem eum veneratur: eius res geſtas, tum Lerini, tum Foroiulii vigilanti inquiſitione perquiſitas, nullatenus adinuenire potuimus. Hymnos verò ſequentes ex vetuſtis breuiariis ad vſum foroiulienſis Eccleſiæ cathedralis olim impreſſis excepimus, cum nulla eius alia extent monumenta.

DE S. LEONTIO EPISCOPO ET MARTYRE

Hymnus ad Veſperas.

EXulta Foroiulium, in Athletæ præconio,
Tu magis plebs fidelium, eius tuta ſuffragio.
Adeſt patris ſolemnitas, in hac exultent filij,
Cordium ſit amœnitas, laus & honor Leontii.
Prouectus ex diſcipulo, princeps factus Eccleſiæ,
Duplato iam manipulo, corona fulget gloriæ.
Addit ſecundo tertium, cum refulget Martyrio.
Meta claudens exilium, throno ſublimis regio.
Laus Chriſto regi gloriæ, qui certantes corroborat,
Dono collato gloriæ, triumphantes remunerat. Amen.

Ad Laudes Hymnus.

CHriſto regi pro milite, ſoluamus laudum cantica
Corde, voce, concinite, vox reſonet armonica.
Gaudet mater in filio, patrem collaudat filia
Cum martyri Leontio, nunc iubilat Eccleſia.
Eius triumphus nobilis, ſit nobis in auxilium,
Preces fundat pro filiis, Deo patri per filium
Pacis concedat fœdera, hoſtium pellat rabiem
Terram Pontum & æthera, placet & regis faciem
Laus Chriſto regi, &c.

Oratio.

Miſericordiam tuam quæſumus Domine interueniente beato Leontio martyre tuo atque Pontifice nobis clementer impende, & ipſius propitiare ſuffragiis. Per &c.

Siſte gradum precor (amice lector) & contemplare nobilitatem ſeu potius incertitudinem aliquando hiſtoriarum: cum hæc iam prælo pararentur ſubiici, nobis exhibita fuit operum ſancti Sidonii Apollinaris cum ſuo commentatore Sauarone ſecunda editio, in qua ipſe dominus Sauaro contra ſuam primam, quam putauerat erroneam opinionem ſentit & ingenuè claréque non ſemel fatetur præfatam epiſtolam tertiam libri ſexti datam eſſe Leontio Foroiulienſi epiſcopo, ideoque eam hic tibi ſubiicimus, & ſic immota manet & vera prima opinio Polyſtoris Baronii.

Sidonius Domino Papæ Leontio, epiſtol. 3. lib. 6.

ETſi nullis hortatibus primordia noſtræ profeſſionis animatis, neque ſi-tim ignorantiæ hactenus ſæcularis, vllo ſupernæ rigatis imbre doctrinæ, non ego tamen tantum mei meminens non ſum, vt à meis præſumã partibus æquali

æquali officiorum lance certandum. Nam cum noſtra mediocritas ætate vitæ,tempore dignitatis, priuilegio loci,laude ſcientiæ, dono conſcientiæ veſtrę facilè vincatur,nullum meremur,ſi par expetamus alloquium.Igitur non incuſantes ſilentium veſtrum, ſed loquacitatem noſtram potius excuſare intentes commendamus Apicum portitorem : cuius ſi peregrinationem prompto fauore foueatis grandis actionibus illius portus ſecuritatis aperitur. Negotium huic teſtamentarium eſt, latent eum propriarum merita chartarum, togatorum illic perorantum peritiam conſulere perrexit, pro victoria computaturus ſi ſe intellexerit iure ſuperari, modo ne ſibi ſuiſque deſidiæ vitio perperam cauiſſe culpetur, hunc eatenùs commendare præſumo, vt ſi eum inſtruere dignanter aduocatio conſulta faſtidit,authoritas coronæ tuæ diſſimulantibus ſtudeat excudere reſponſi celeritatem.Memor noſtri eſſe dignare Domine Papa,vale.

Tranſlatio Sancti Honorati Archiepiſcopi Arelatenſis & Fundatoris Cœnobij Lerinenſis.

PAtres Lerinenſes Idibus Maij celebrant nunc feſtum tranſlationis corporis ſancti Honorati ad ſuum Monaſterium, licet alio tempore contigerit,vt ſupra eſt notatum die vigeſima Ianuarij,quibus autem de cauſis non liquidè aliquo vetuſtò apparet monumento, niſi forſan gratia Indulgentiarum & remiſſionum & maximo concurſu diuerſorum,populorum tunc temporis illò aduentantium. *Maij.* 15.

Tranſlatio Sancti Aygulphi Abbatis Lerinenſis & ſociorum Monachorum Martyrum.

DEcimo ſeptimo cal.Iunij. Antiquitus deuoti Patres Lerinenſes celebrabant feſtum tranſlationis ſanctorum Aygulphi Abbatis præfati Monaſterij & ſociorum Martyrum, quando ſcilicet ab Inſula Amarutuma inter Corſicam & Sardiniam poſitam ad ſuum monaſterium Lerinenſe ſunt euecta ſacra lipſana, vt videre eſt in breuiariis mẽbranis Antiquis manu ſcriptis & Calendariis, quam laudabilem piámque conſuetudinem prompto æquóque animo Patres Lerinenſes hic noſtris temporibus in nouando amplexuros ſpero. Habetur pleniùs eorum paſſionis & tranſlationis hiſtoria infra tertio nonas ſeptembris. *Maij.* 16.

De Sancto Hoſpitio Recluſo ex Gregorij Turonen: Hiſtor. Francorum lib. 6. cap. 6. Anno Domini. 570.

FVit autem apud vrbem Nicenſem eo tempore Hoſpitius recluſus magnæ abſtinentiæ, qui conſtrictus catenis ad purum corpus ferreis,indutus deſuper cilicio, nihil aliud, quam purum patrem ſumebat cum paucis dactylis in diebus autem quadrageſimę de radicibus herbarum Ægyptiarum, quibus Eremitæ vtuntur,exhibentibus ſibi illas negociatoribus,alebatur.Et primùm quidem ius,inquo coctæ erant,hauriens ipſas ſumebat in poſterum. Magnas aũtem per eum Dominus virtutes dignatus eſt operari. Nam quodam tempore,reuelante tibi ſpiritu ſancto,aduentum Longobardorum in Gallias hoc modo prædixit:Veniẽt, inquit,Longobardi in Gallias,& deuaſtabunt ciuitates ſeptem, eo quòd increuerit malitia Gallorum in conſpectu Domini quia nullus eſt intelligẽs,nullus eſt qui faciat bonum,vt ira Dei placetur. Eſt enim omnis populus infidelis,periuriis deditus,furtis obnoxius,in homicidiis põptus, à quibus nullus iuſtitiæ fructus vllatenus gliſſit. Non decimæ dantur, non pauper alitur,non tegitur nudus,non peregrinus hoſpitio recepitur, aut cibo ſufficiente ſatiatur:ideò hæc plaga ſuperueniet.Nunc autem dico vobis: *Maij.* 21.

Vide raram abſtinentiam Hoſpitij.

Longobardorum in Gallias aduentus ab eo prædicitur.

cógerite omnem ſubſtantiam veſtram intra murorum ſepta, ne à Longobardis diripiatur, & voſipſos firmiſſimis communite in locis. Hęc eo loquente;omnes obſtupefacti,& vale dicentes, cum magna admiratione ad propria ſunt regreſſi.Monachis quoque dixit:Abſcedite & vos à loco,auferentes vobiſcum,quæ habetis.Ecce enim appropinquat genus,quod predixi. Dicentibus autem illis:non relinquens te,ſanctiſſime Pater ait : *Nolite timere pro me, futurum eſt enim,vt inferant mihi iniurias,ſed non nocebunt vſque ad mortem.*

Diſcedentibus autem Monachis,venit gens illa:& dum cuncta, quæ reperit,vaſtat,peruenit ad locum, vbi ſanctus Dei recluſus erat. At ille per feneſtrā turris oſtendit ſe eis,illi verò circumeuntes turris aditum,per quē ingrederentur ad eum,inuenire non poterant. Tunc duo aſcendentes, detexerunt rectum, & videntes eum cinctum catenis indutúmque cilicio dicunt, hic malefactor eſt,& homicidium fecit: ideò his ligaminibus vinctus tenetur vocatóque interprete, ſciſcirantur ab eo quid mali fecerit vt tali ſupplicio arctaretur. At ille fatetur ſe homicidam eſſe, omníſque criminis reum. Tunc vnus extracto gladio vt in caput eius libraret, dextera in ipſo ictu ſuſpenſa diriguit, nec eam ad ſe potuit reuocare. Tunc gladium laxans,terræ deiecit. Hæc videntes ſocij eius,clamorem in cœlum dederunt, flagitantes à ſancto, vt quid agi oporteret clementer inſinuaret. Ipſe verò impoſito ſalutis ſigno, brachium ſanitati reſtituit,ille autem in eodem loco conuerſus,tonſurato capite fideliſſimus monachus nunc habetur.Duo verò duces qui eum audierunt incolumes patriæ redditi ſunt: qui verò contempſerunt præceptum eius, miſerabiliter in ipſa prouincia ſunt defuncti:multi autem ex ipſis à dæmoniis correpti clamabāt,*Cur nos ſancte & beatiſſime ſic crucias & incendis?* Sed impoſita eis manu,mundabat eos.Poſt hæc homo erat Andegauenſis incola, qui per nimiam febrē eloquium pariter & auditum perdiderat. Et cum de febre conualuiſſet,ſurdus permanebat ac mutus. Igitur Diaconus ex prouincia illa Romam directus eſt, vt beatorum Apoſtolorum pignora vel reliquorum ſanctorum qui vrbem illam muniunt,exhiberet.Qui cùm ad parentes infirmi illius peruenisſet, rogant vt eum ſibi comitem itineris ſumere dignaretur, confiſi quod ſi beatiſſimorum Apoſtolorum aditet ſepulchra, protinus poſſet aſſequi medicinam.Euntibus autem illis, venerunt ad locum vbi Beatus Hoſpitius habitabat.Quo ſalutato ac deoſculato, cauſas itineris Diaconus pādit ac proficiſci ſe Romam indicat, ſeſeq; his qui ſancto viro de Naucleris amici eſſent commendari depoſcit.Cúmque ibi adhuc moraretur, ſenſit vir beatus per ſpiritum domini adeſſe virtutem.&ait Diacono, *Infirmum qui comes tui nunc eſt itineris,rogo vt meis conſpectibus repreſentes.*At ille nihil moratus,velociter ad metatum vadit inuenítque infirmum febre plenum, qui per nutum aures ſuas dare tinnitum indicabat: apprehenſumque ducit ad ſanctum Dei. At ille apprehenſa manu cæſarie, adtrhaxit caput illius in feneſtram, aſſumptóque oleo benedictione ſanctificato, tenens manu ſiniſtra linguam eius,ori,verticíque capitis infudit dicēs,*In nomine Domini mei Ieſu Chriſti aperiantur aures tuæ,referétque os tuum,virtus illa quæ quondam ab homine ſurdo, & muto noxium eiecit dæmonium.* Et hæc dicens interrogat nomen, ille verò clara voce ait, *ſic dicor.* Cùm hæc vidiſſet Diaconus, ait, *gratias tibi immenſas refero, Chriſte, qui talia per ſeruum tuum dignaris oſtendere. Quærebam Petrum, quærebam Paulum, Laurentiúmque, vel reliquos qui Romam proprio cruore illuſtrant: hîc omnes reperi, hîc cunctos inueni.* Hæc cò cum maximo fletu, & admiratione dicente, Vir Dei omni intentione vanam

vitans

vitans gloriam, ait, *Sile, ſile, dilectiſſime frater, non hæc ego facio, ſed ille qui mundum ex nihilo Condidit, qui pro nobis hominem ſuſcipiens, cæcis viſum, ſurdis auditum, mutis præſtat eloquium, qui leproſis cutem priſtinam, mortuis vitam, & omnibus infirmis affluentem medicinam indulget.* Tunc Diaconus gaudens, & valedicens abſceſſit cum comitibus ſuis, quibus diſcedentibus homo quidam Dominicus (ſic enim erat viro nomen) à natiuitate cæcus aduenit ad iſtius miraculi virtutem probandam. Qui dum in monaſterio duobus, aut tribus menſibus reſideret, orationi, ac ieiuniis vacans, tandem vocat eum ad ſe vir Dei, & ait *Vis recipere viſum?* cui ille ait, *Voluntas, inquit, mea erat, ignota cognoſcere. Nam quæ ſit lux ignoro, vnum tantum ſcio, quod ab omnibus collaudatur. Ego autem ab initio ætatis meæ vſque nunc videre non merui.* Tunc cum oleo benedicto ſuper oculos eius crucem ſanctam faciens, ait, *In nomine Ieſu Chriſti redemptoris noſtri aperiantur oculi tui.* Et ſtatim aperti ſunt oculi eius: & erat admirans, cernénſque magnalia Dei quæ in hoc mundo videbat. Deinde mulier quædam, quæ vt ipſa reclamabat, tria habens dæmonia, ad eum adducta eſt, quam cum tactu ſacro benedixiſſet, atque ex oleo ſancto crucem fronti eius impoſuiſſet eiectis dæmonibus purgata diſceſſit. Sed & aliam puellam ab ſpiritu immundo vexatam, benedictione ſanauit. Cum autem iam dies obitus eius appropinquaret, vocauit ad ſe præpoſitum Monaſterij dicens, *Exhibe ferramentum & irrumpe parietem & mitte nuncios ad Epiſcopum ciuitatis, vt veniat ad me ſepeliendum, die enim tertia ab hoc egredior mundo, & vado in requiem deſtinatam, quam mihi dominus repromiſit.* Hæc eo dicente, miſit præpoſitus ad Epiſcopum ciuitatis Nicenſis, qui ei hæc nunciarent. Poſt hæc Creſcens quidam venit ad feneſtram, & videns eum catenis vinctum vermibus plenum ait: *O Domine mi, qualiter tam valida tormenta tolerare tam fortiter potes?* cui ille ait, *confortat me ille pro cuius nomine hæc patior: Dico autem tibi, quia iam abſoluor ab his vinculis, & vado in requiem meam.* Adueniente autem die tertia, depoſuit catenas quibus vinctus erat, proſtrauit ſe in orationem: & cũ diutiſſimè cum lachrymis oraſſet, collocans ſe ſuper ſcamnum, extenſis pedibus, eleuatíſque ad cœlum manibus, gratias agens Deo tradidit ſpiritum. Et ſtatim omnes vermes illi qui ſanctos artus perforabant, euanuerunt, aduenientes autem Auſtadius Epiſcopus beatum corpus ſtudioſiſſimè ſepulturæ mandauit. Hæc omnia, ab ipſius ore cognoui, quem ſuperius mutum & ſurdum, ab eo ſanatum expoſui qui multa mihi, & alia de eius virtutibus narrauit, ſed perhibuit me res illa loqui, quia audiui vitam ipſius à multis fuiſſe conſcriptam.

Miraculum cuiuſdam euntis Lerinum reliquias ſancti Hoſpitij ſecum deferentis, ex Gregorio Turon. de gloria Confeſſorum cap. 97.

FVit in regione Nicenſi Hoſpitius magnus Dei famulus, qui multis virtutibus præditus, ab hoc mundo migrauit, cúmque ſepeliretur quidam iuxta ipſum ſepulchrum, manum ponens parumper pulueris eleuauit. Quod in linteo inuoluens rudi, ſecum ſuſtulit. Progreſſúſque poſtridie, nauem quæ Maſſiliam ire parabat, offendit in littore: ſed hic Lerinenſe Monaſterium expetere cupiebat. Viri igitur quorum erat nauis, Iudaica erant à ſtirpe progeniti, qua exiſtente cauſa, noluit vir indicare naucleris quæ ferebat. Deinde poſt quam progreſſi contra Lerinenſe monaſterium deuenerunt, nauis in medio pelagi reſtitit, flantibúſque ventis nulla mouetur in parte: ſtupentibus verò Iudæis, quid hoc eſſet, homo ille veritatem aperuit dicens: *Reliquias beati Hoſpitii mecum habeo: & nunc Lerinum adire deſidero: quod vobis indicare metui. Nunc*

autem ſcio, quia eius virtute retinetur nauis veſtra, nec hinc moueri prorſus poterit niſi conſenſum illuc præbeatis. Quo ego ire diſpoſui: quod audientes viri ſtupore permoti, mutatis velis flante vento ſecundo, iam viro in inſula Lerinenſi depoſiti, quò voluerunt liberè abierunt. Ecce quales quantáſque ſuis congregat diuitias mundi paupertas, vt eis non ſolum quæ voluerint, redemptor, qui cuncta ex nihilo condidit, tribuat, verum etiam ipſa eis elementa, iubeat famulari.

Petrus de Natalibus libr. 5. cap. 27. ſic de Hoſpitio incluſo.

HOſpitius confeſſor vir Domini apud Nicæam incluſus, ferro ad carnem accinctus communi tempore modico pane, & dactilis veſcebatur in quadrageſima verò ſolis radicibus herbarum vtebatur: vt de eo ſcripſit Paulus Longobardorum hiſtoriographus libr. 3. Hic ſpiritu prophetico dotatus aduentum Longobardorum longè ante prædixit, quos cum adeſſe cognoſceret: omnes fratres ſuos emittens ſolus remanſit: Longobardi vero ferociſſimi ad locum venientes: & vt intrarent aditum querentes, ſed minimè inuenire valentes, aſcenſo tecto deſcenderunt ad virum Dei, quem vt ferro vinctum reperiunt: exiſtimauerunt eum eſſe reum aliquem, ibidem ex culpa recluſum. Sed cum ipſum vnus eorum gladio ferire vellet: brachium ſibi arefactum eſt, qui mox vt veniam petiit, ſanctus eum illico ſanauit, & conuerſum ad Chriſtum monachum fecit, qui etiam verbum Domini Longobardis prædicans: plures ex eiſdem domino acquiſiuit. Quieuit in pace 10. Calend. Iunij. Hæc Retius in cathologo.

Idem de ſancto Hoſpitio Aimonius de geſtis Francorum libro tertio, capite trigeſimo octauo.

Anno 560. FVit illo tempore ſcilicet circa annum domini 560. recluſus quidam Dei ſeruus, Hoſpitius nomine, apud nicenſem vrbem, qui catenis ſuper nudum corpus conſtrictus ferreis, deſuper cilicio tegebatur. Cæteris quidem diebus purum panem & paucos dactylos edebat: in quadrageſima verò radicibus earum, quas heremus ferebat, herbarum alebatur, per quem in terris ſolo adhuc corpore conuerſantem, virtutes multas ad laudem & gloriam nominis ſui dominus oſtendere eſt dignatus. hæc ille.

Annotatio Vinc. Saler.

Hic dum occaſione ſancti Hoſpitij Confeſſoris Nicienſis de miraculo cuiuſdam euntis Lerinum agimus rogatus à venerabilibus patribus antiqui & deuoti Monaſterij ſancti Pontij propè, & extra ciuitatem Niciæ prouinciæ poſiti ſequentia geſta ſanctorum (etſi ab inſtituto noſtro aliena eſſe videantur) hic apponimus, præcipuéque cum nunquam prælo ſuppoſita extiterint.

Vita ſancti Siacrij Epiſcopi Nicienſis ex manuſcriptis antiquis Cœnobij ſancti Pontij eiuſdem ciuitatis, à variis ſolœciſſimis vindicata, tempus quo floruit infra patet.

Maij 23. BEatus Siacrius Epiſcopus primus vrbis Nicienſis natione, & genere Caroli magni imperatoris Pepini filij fuit: Qui Carolus diuina inſpiratione ad partes prouinciæ prouinciarum diſponente peruenit, vt paganos, & infideles ex dictis locis expelleret, & ipſam gentem ad fidem Catholicam reduceret, qui cum veniſſet ad fines Cimellienſes, & Nicienſes regem Chimerienſem, Cimeliẽſem, & Nicienſem ope diuina deſtruxit & effugauit: duxerat enim

enim idem Carolus ſecum dilectum honeſtúmque iuuenem Beatum Siacriũ nepotẽ ſuũ Comitẽ Brienſem,qui inueniens in diſtrictu Cimellę Eccleſiam in qua ſancti Pontij martyris corpus venerabatur, monaſticã regulam ſectare geſtiens à Patruo Carolo magno,vt inibi ſibi Monaſterium ædificaretur inſtantiſſimis precibus obtinuit: In quo poſtmodum Beatus Siacrius veluti clarum iubar, virtutibus ac miraculis plurimis effulſit, ipſúmque Monaſterium multiplici virtutum genere decorauit: ad cuius piam petitionem idem Imperator comitatum Cimellienſem ſibi & Monachi præſentibus & futuris in perpetuum in præfato cænobio Deo militantibus, ad quotidiana onera ſuportando benignè ceſſit ac largitus eſt. Moderante verò ſummo Apoſtolicæ ſedis clauo Adriano Papa I.anno eius quinto, qui erat domini ſeptingẽteſimus ſeptuageſimus ſeptimus,Beatus Siacrius à Monaſterio extractus, primus Epiſcopus ciuitatis Nicienſis ordinatus fuit, in quo per decem annos laudabiter vixit, virtutibus eximiis corruſcauit,ac demùm eius animam decimo cal. Iunij carne ſoluta æthereas regiones cum Chriſto perenniter regnatura fœliciter conſcendit, corpus verò eius ſepulturæ mandatum eſt in baſilica prædicti Monaſterij ſancti Pontij in quo primus Monachorum paſtor extiterat. Porrò ſanctus hic Siacrius in adoleſcentia & in omni vita ſua, largitione diuina, meruit infirmos curare, Demones fugare, virtutes plurimas exercere, in quo tantæ lux cœleſtis gratiæ, mirum in modum radiabat, vt rebellium, dominus, corda non minus miraculis quam predicationibus per ipſum, obtineret. Tanta denique & profunda erat præditus humilitate, vt etſi magna & ineffabilia dominus per ipſum populo vidente & audiente ederet mirabilia, vnquam tamen vitio ſubiacuit vanæ gloriæ; Aliquando quidam puer laxis loris curſu volatili equitãs incautéq; ab equo deſiliens extinctus eſt:tunc clamor populi extollitur, peruenitque ad aures ſancti Siacrij, qui ſtatim accurrit, & facta oratione ſignóque ſalutiferæ crucis impoſito puer reuixit, & ſanum credidit patri ſuo populo plangente ac dicente, *Benedictus qui venit in nomine Domini*,ô Beate vir Siacri, ô paſtor egregiè te ſuppliciter deprecamur vt pro nobis depreceris dominum,qui te ſecum regnaturum dat per omne ſęculum. Amen.Obiit circa annos domini.787. 777.

Vita ſanctæ Deiuotæ Virginis & Martyris,ex manuſcripto veſtutóque codice Cœnobij ſancti Pontij Nicienſis.

TEmporibus Diocletiani & Maximiani Imperatorũ puella quædã nomine Deiuota ab infantia Chriſtiana fuit, in Inſula quæ vocatur Corſica.Audiẽs autẽ quod Barbarus Præſes ibidẽ eſſet vẽturus ad perſequendos Chriſtianos ſurgens occultè venit ad domum cuiuſdam Senatoris nomine Euticum propter metum & ſacrilegia Paganorum: vt ſua defenſione eam liceret lege viuere Chriſtiana. Beata verò ancilla Chriſti cũ eſſet bonis moribus inſtituta, & ſcripturis ſpiritualibus erudita die noctúque Deo pſallebat hymnos & pſalmos,hac lectionibus vacabat tota mentis intentione, & corpus ſuum Ieiuniis macerabat,euangelicis intenta præceptis: ſciens quod dominus ait. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Igitur cum ſe abſtinẽtiis iugiter affligeret nullus ei potuit ſuadere vt vel vnius diei ſpatium à ieiuniis relaxaret quæ niſi ſolùm reſurrectionis die aliquantulum cibos acciperet.Pallebat ergo mundo cãdore facies eius,& diuino ſplẽdore radiata fulgebat.Audiens hæc Euticius quod Virgo Chriſti Deiuota ita

animam ſuam ieiuniis cruciaret vocauit eam ad ſe dicens. *Quid puella temet ipſam tantis ieiuniis affligis & animam tuã excrucias abſtinendo?* Cui venerabilis Deiuota reſpondit. *Ego animã meam non crucior, ſed diuerſis parco delitiis, quia eſt Deus in cœlo qui me quotidie bonorum ſuorum ſatiat donis.* Ad hęc Euticius timore concuſſus nihil ei vltra dicere auſus eſt, ſed nec claritatem vultus eius intendere poterat: non poſt multum verò tẽporis, Barbarus præſes cũ claſſe nauali in eandẽ Inſulam veniens ad ſacrificandum Diis accedit, cúmq; omnes Primates loci illius ibidem conueniſſent Euticius Senator cum eis ceperunt illic Diis ſuis immolare & thura offerre. S. Deiuota hęc audiens propter illorũ errorem eximio pectoris alta ſuſpiria protrahebat. Et cũ eſſent in vnũ & ibidẽ crapulis vacarent, & Barbarus Præſes de perſequutione Chriſtianorũ tractaret, hoc eſt à ſatellitib⁹ ſuis ei nũciatũ quod cum Euticio Senatore domi eſſet puella quæ Deos eorũ irrideret & ſacrificare differret. Tũc alloquitur Præſes Euticium, dicens, *audio tecum eſſe domi puellam quæ Deos noſtros deſerit, & neſcio quẽ Chriſtum, qui à Iudeis crucifixus eſt colit.* Ad hæc Euticio reſpondit. *Puellam quam dicis nullatenùs potui Diis noſtris vel caput facere flectere.* Dixit ad eum Præſes, *da illã mihi, ego eam faciã Diis noſtris vota perſoluere.* Et ad hæc Euticius reſpondit, *ſi mihi omnẽ ſubſtantiam tuã dares nõ poſſet ad bonum eius meritũ comparari.* Erat quidem Euticius Senator honorabilis, ſed & etiam præſes, ideoq; manifeſtè ei iniuriam facere non audens, Euticiũ occultè veniens interficere iuſſit, & mittens ad domum eius inde iuſſit vt puellã præcipitem traherẽt & adducerent ante præſidem. Ipſa verò dum duceretur pſallebat dicens. *Deus in adiutorium meũ intẽde, Domine ad adiuuandũ me feſtina.* Cúmq; ante conſpectũ præſidis eam præſentaſſent dixit ad eam Præſes, *ſacrifica Diis*, virgo Chriſti Deiuota reſpõdit. *Ego quotidie Deo vero para mẽte deſeruio, Deos verò cereos, Deos æreos & lapideos reſpuo, qui ſunt effigies hominis abſque viſu auditu q;*: tũc Barbarus Præſes motus iracundia Iuſſit os eius lapide cõtundi dicẽs, *Deos & Deas blaſphemare noli.* Iterũ iuſſit eã ſæuiſſimus præſes ligatis manibus & pedibus perpetratim acutiſſimum trahi vt omnia mẽbra eius diſiungerẽtur. Ipſa autẽ dicebat: *Domine Deus gratias ago nomini tuo qui dignaris me cũ corona martyrij ſuſcipere*, & adiiciens voce magna exclamauit, dices. *Deus virtutum qui es ſcrutãs corda & renes, qui dixiſti, & facta ſunt omnia, mãdaſti, & creata ſunt, exaudi orationẽ ancillæ tuæ, & annumera famulum tuũ Euticium cum electis tuis, quia propter me maleficiis à Præſide Barbaro nequiſſimo & omniũ dæmoniorum cultore occiſus eſt.* Audiẽs Barbarus indignè ferẽs iniurias illius, eã ſic ligatis manib⁹ eculeo ſuſpendi iuſſit. Quæ dum ſuſpẽderetur clamauit dicens, *Domine Ieſu Chriſte ſuſcipe ſpiritum meũ qui propter nomen tuũ hæc patior*, & audita eſt vox de cœlo dicẽs, *famula mea exaudita eſt oratio tua, quia quicquid petiſti, aut petieris obtinebis.* Et ſtatim colũba de ore eius egreſſa rapido alta petiit, & ad aſtra volauit. Ibiq; Martyriũ ſuũ conſummauit in pace. Cũque hoc ſæuiſſimus Præſes audiſſet, quod iãm migraſſet ad cœlos, concilio accepto cũ ſuis ſatellitibus iuſſit in craſtinum corpus eius igne cremari. Ipſo tẽpore propter perſecutionem paganorum latitabat in ſpeluncis & cauernis Benenatus Presbiter Saubaudus & Apollenarius Diaconus qui moniti ſunt per viſum vt deberent inde corpus Beatæ Virginis deponere. Tunc accepto concilio vna cũ Gratiano Nauclero cum multitudine virginum nocte obtulerunt corpus eius & poſuerunt in naui ibique condiderunt aromatibus & dum cœpiſſent nauigare cœperunt pergere ad Africam. Flante autem vento auſtrali cœperunt pelagus contra partem ſeptentrionalem. Ipſa autem nauicula quia fuerat

deſtituta

deſtituta & ſicca in littore faciebat multam aquam in ſentina ſua, tota autem nocte laborantes nihil proficiebant diluculo verò irruit ſopor ſuper Gratianum Nauclerum & dixit Sanctiſſimo Benenato Prebitero. *Surge Domine & guberna modicum donec ego paululum requieſcam*, qui dum requieuiſſet viſum eſt Gratiano Nauclero quod Beata virgo Deiuota pulſaſſet latera eius & dixiſſet illi: *Surge Gratiane naucleri quia tempeſtate ſemota modò habebit quietum mare & nauiculam tuam non occupabit amplius aqua, nec fluctibus quatietur: tu verò cum Sanctiſſimo Presbytero diligentius intueimini, & dum videritis columbam egredientem de ore meo ſequimini eam vſque dum veniatis ad locum qui grecè dicitur* Monachon, *latinè autem* Singulare *& ibidem ſepelite corpus meum.* At illi diligenter intuentes viderunt columbam egredientem de ore eius quę præcedebat eos & ſequuti ſunt eam vſque ad prædictum locum, & ipſa columba veniens in locum Monachum in vallem quę vulgò dicitur *Gaumates*, recedit ante ipſam Eccleſiam, quæ eſt ſita in valle ſupradicta in honorē Sancti Georgij ibique ſepelierunt corpus Beatæ Deiuotæ virginis & martyris Chriſti, ſub die ſexto Cal. Februarij regnāte Domino noſtro Ieſu Chriſto cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

De ſancto Baſſo Epiſcopo & Martyre ex manuſcriptis perantiquis Monaſterij S. Pontij Nicienſis.

BAſſus Epiſcopus Niciæ Prouinciæ dum Chriſtum prædicaret à Perinio Præſide detentus & ad deorum ſacrificia inuitatus, cum Idolis immolare contemneret. Primò in Equuleo ſuſpenſus ac diutiùs tortus eſt: deinde laminis ardentibus circa latera appoſitis excruciatus Ieſum Chriſtū Dominum maiori conſtantiæ profitebatur, quapropter in Equulo leuatus fuſtibus: & ſcorpionibus Præſidis iuſſu diutiſſimè cæſus eſt. Poſt hoc depoſitus ad ſtatuas de eorum ligna pro ſacrificio portare compellitur data ſententia: Vt & non ſacrificaret eodē igni conſummaretur: qui dum ſacrificare contemneret in ignem miſſus. Sed in eo dudum manens illæſus educitur: ſicque à Præſide ad inuicem Niciæ prouinciæ deſtinatur cum literis ſibi mandantibus, vt Baſſum aut ſacrificare compelleret: aut excogitatos ſuppliciis perimeret, ſed dum à Iudice ſuaſus ſacrificare nollet: fabricatis duobus clauis ad menſuram longitudinis corporis eius: eiſque à plantis pedum per medium corporis vſque ad verticem cōfoſſus in Chriſti confeſſione emiſit ſpiritum, Nonas Decembris tempore Decij & Valentiniani. Cuius corpus à Chriſtianis in Nicea Ciuitate ſepultum eſt.

De ſancto Anſelmo Epiſcopo ex antiquis membranis Monaſterij S. Pontij Nicienſis.

ANſelmus Epiſcopus ex confinio Lombardiæ, & Burgundiæ ortus, puerilibus annis literis à parentibus traditus, breui ſpacio multa ſapientia pollens ante annum decimumquintum de ſalute animæ cogitare cœpit: & cogitatum ad effectum perduxit. Egreſſus ergo patriam: dum ex tranſcenſu montis nimium fatigatus eſſet. Nec quicquam ad edendum haberet, Miniſter eius ex inſperato panem candidiſſimum diuinitùs in ſacculo reperit: ex quo vterque ad ſocietatem comedit. Exactis autem tribus annis partim in Francia; partim in Burgundia in Hormeniam deuenit, & ſub magiſterio Lanfrancij Prioris Recoenſis doctoris Illuſtriſſimi ſe contulit: ac deinde in eodem Monaſterio habitum Religioſum aſſumpſit, Lanfranco autem in Abbatem Monaſterij Cudonenſis aſſumpto, vt infra in eius hiſtoria quinto Nonas Iudij Anſelmus ei in præfato Prioratu ſucceſſit: ſanctitatéque & ſapientiæ ad-

Beccense
Cadomense

modum clareſcere cœpit. Plurima namque diuina opuſcula, & ſolẽnia compilauit. Cum nocte quadam miraretur quomodo Prophetæ per ſpiritũ multa futura prædixerant, & oraret: Vt hoc ſibi Deus aperiret, per parietes, & muros interpoſitos vidit fratres ad matutinum exurgentes: eorum officia exequentes. Et intellexit quod ſimiliter Deus potuerat ſanctis Prophetis abſcondita reuelaſſe. Dum quendam vice frater ſenior in extremis laboraret: & ſe à duobus lupis vorari vocibus horribilibus inclamaret, Anſelmus pro fratre orauit, & poſtmodum ad ipſum intrauit: qui mox lupos effugatos afferunt flamma ex ore ſancti in modum lanceæ procedente: quam frater ille ſe videre perhibuit, abſolutuſque ab Anſelmo hora nona, vt ſanctus prædixerat expirauit. Alias etiam dum in oratione perſiſteret viſus eſt ab alio fratre luce maxima circunfuſus. Poſtmodum autem ad Archiepiſcopatum Canturienſem Eccleſiæ electus eſt: qui Dei populo exemplis honeſtiſſimis, & doctrinis clariſſimis præfuit. Ipſe enim feſtum conceptionis almæ Dei genitricis ſibi à Domino reuelatum miraculosè colendum dederit, ipſe & primus celebrauit & celebrandum in eius Eccleſia conſtituit. Cùm autem quodam tempore in Villa quadam cum ſociis hoſpitatus eſſet, & hoſpes nihil aliud præter panem & caſeum eis opponendum haberet iubente Epiſcopo: quamuis dudum recuſaſſet: hoſpes ad flumen acceſſit & miſſo rete trutam maximam continuo cœpit: ex qua omnes plenè refecti ſunt. Alio etiam tempore alteri eius hoſpiti conquerenti, quod piſces ei opponendos nõ haberet: ipſe prædixit, quod confortaretur, quia poſt morulam ſibi magnus ſturio mitteretur. Quod & poſt horam modicam factum eſt, ſicque Clarus virtutibus quieuit in pace, tertio Nonas Iulij ſepultuſque iacet in ſua Eccleſia Canturienſi. Hic compoſuit librum proslegionum, id eſt, alloquium de Deo. Item monologica, id eſt, ſoliloquium de ſancta Trinitate. Item de veritate librum vnum de concordia liberi arbitrij & præſentiæ diuinæ: atque prædeſtinationis, & gratiæ librum vnum, cur Deus homo: librum vnum de ſacramento altaris, librum vnum de caſu diaboli, librum vnum de peccato originali, librũ vnum de incarnatione Verbi, librum vnũ de azymis, librum vnum Meditationum vel orationum, librum vnum Parabolarum ſiue Prouerbiorum, librũ vnum de Grammatica, librum vnum ſuper Cantica Canticorum, librum vnum Epiſtolarum ad diuerſos, librum vnum de conceptu Virginali, & originali peccato, librum vnum claruit tempore Henrici Imperatoris III.

De ſancto Frontone Epiſcopo ex iiſdem manuſcriptis.

FRonto Epiſcopus apud Petragonienſem ciuitatem claruit, qui ex eadem vrbe oriundus à iuuentute Deo deuotus Romæ à B. Petro baptizatus & Epiſcopus ordinatus: ad eandem Ciuitatem cum Gregorio presbytero ad prædicãdum miſſus eſt, verum poſt dies tres itineris mortuo Gregorio Fronto ad 5. Petrum rediit acceptoque ipſius baculo ſuper corpus defuncti poſuit: & ſocium excitatum de morte recepit, ſicut de hoc narratur in paſſione beati Petri Apoſtoli tertio calendas Iulij, veniens autem Fronto ad Ciuitatem Petrogoricam verbo & exemplo multos ad Chriſti fidem conuertit & ſeptuaginta Monachos ibidem ad ſeruiendum Domino congregauit: ſed à Præfecto Ciuitatis Squirio nomine perſecutionẽ paſſus eſt: quia quos iſte baptizabat, ille decolabat. Vnde ipſe ſumptis ſeminibus olerum Monachos ſuos aſſumpſit, & eremũ deſertiſſimam petiit, veniens autem ad locum ſuper fluuium Dordonem Draconem ingentem & ſerpentum multitudinem ibidem habi-

habitantem Chriſt o virtute fugauit, ibique cum fratribus Deo ſeruire cœpit, & oleum ſemina ſeminauit, deficientibus verò eis cibis Angelus Squirio Præſidi per noctem apparuit: & ei diuinam vltionem cõminatur niſi ſanctis viris ſubueniat pereuntibus fame. Ille verò territus amicos conſulit: ſed quò ſancti Dei abeſſent, penitus inuenire non valuit. Poſt dies tres nocte iterum Angelo eidem apparente plagis percuſſus eſt. Qui amicis iterum conſultis ſeptuaginta Camelos cibis Monachorum onerat à Deo Frontonis eos commendat, qui duce Domino ad Eremum ſancti Vcij recto itinere peruenerũt, ſanctus autem Epiſcopus onerum medietatem depoſuit: & cum reliquo Camelos remiſit. Qui eadem via qua venerant reuerſi ſunt ad dominum ſuum. Quod cernens Præſes in Chriſto credidit & Frõtonem inueſtigatum abiit: atque Gregorius ab eo vocatus ſacrum baptiſma ſuſcepit eíque in Eremo de cætero miniſtrauit: ſanctus autem vir poſt multos labores in pace quieuit, ſeptimo Kalendas Nouẽbris: ſepultus Petrogoricæ, virtutibus clarens. Quod autem fuerit tranſlatus conſtat tantùm traditione ex antiquis.

De ſanctis Philippo & Philippo Imperatoribus & Martyribus, ex membranis S. Pontij Niciæ.

PHilippus Imperator & Philippus Cæſar eius filius ambo martyres, anno Domini ducenteſimo trigeſimonono, ab vrbe verò condita anno 997. Gordiano Auguſto in Imperium ſucceſſerunt. Cùm enim Gordianus Imperator obtenta victoria in bello Parthico, rediens circa fluuium Euphratem fraude ſuorum fuiſſet interfectus, Philippus ibidem Imperator Romana militia creatus Philippum filium ſuum conſortem regni fecit: exercitumque ex Iſiria incolumen ad Italiam reduxit, imperauitque annis ſeptem. Hic primus Imperator omnium Chriſtianus fuit: quem beatus Pontius Epiſcopus & martyr vna cum filio ad fidem Chriſti conuertit, in Nicea Ciuitate Prouinciæ baptizauit: vt dictũ eſt in Paſſione Pontij Epiſcopi & martyris pridie Idus Maij. Poſt tertiũ verò eius Imperij annum, milleſimus à conditione Romæ annus expletus eſt, vt Auguſtiſſimus omnium præteritorũ, hic natalis annus Chriſti potiùs quàm Idolis ædificaretur. Qui quidem annus fuit à Romanis cum ingenti ludorum & ſpectaculorum apparatu celebratus: nec dubium eſt quia Philippus Imperator Chriſtianus huius tantæ deuotionis gloriam, & honorem ad Chriſtum, & Eccleſiam reportaret: quam ipſum vel aſcenſum in capitolium immolataſque ex more hoſtias nullas auctor oſtendit. Eodem autem tempore Philippus Imperator Decium Militarem virum, in rebus bellicis ſtrenuum, Cæſarem fecit. Cuius præceptor dum corpora Apoſtolorum Petri & Pauli de Catacumbis à Cornelio Papa transferre deberet: totius Senatus Conſultus conceſſum eſt Romano Põtifici cæteriſque Chriſtianis liberè ad ſepulturas Apoſtolorum fiendas inſuaderet, ad id faciendum data ſunt eis de fiſco Reipublicæ adiutotia. Hoc autem Decius cum eſſet Paganus ſimulatè fecit vt Dominis ſuis Chriſtianis cõplaceret. Et ſic ab eis magis honoratus occaſionem mortis confidentiùs pertractaret. Cùm autem Imperatores Deciũ ad Gallias ſubiugandas, quæ nuper rebellauerant miſiſſent. Iſque proſperè cuncta geſſiſſet: & ad libitum potius victoriam Romam rediret, Imperator Philippus eum honorare cupiens eidem à Roma vſque Veronam obuius fuit. Decius autem iam cum quibuſdam ex principalioribus militiæ ſuæ de morte Imperatorum conſpirauerat, & ne proditor dominorum ſuorum notaretur, occaſionem Chriſtianitatis aſſumpſerat, ſuadens, quod non eſſet decens ſub Romanam militiam imperare homines, qui 239

Deorum cultum deſeruiſſent, & à Romanis antiquis legibus diſcedentes noui ignoti & reprobati Dei cultui adhæſiſſent, ſicque de conſenſu illorum Imperatorem in ſtatu ſuo quieſcentẽ & Chriſtũ confitentẽ latenter occidit, & cũ exercitu muneribus & precibus ſubducto Romã venit, ac Senatui cur Dominum ſuũ occidiſſet expoſuit, ſed dum necem Philippi maioris Senatus ratã habuiſſet, Philippus iunior Romæ degens hoc audiens timuit, theſauroſq; paternos ac ſuos beato Sixto II. tunc Romæ Pontifici Eccleſiæ, & pauperibus diſpenſandũ tribuit, & ſe à facie Decij occultauit. Decius autem ad proditionem ſuam palliandam Chriſtianos cœpit crudeliſſimè perſequi: mandans illos ſine vlla miſericordia trucidari. In qua perſecutione multa millia martyrum preſſi ſunt. Inter quos & Philippus imperator iunior ab eo detentus in Chriſti confeſſione iugulatus eſt, ſicque ambo ipſi pater, ſcilicet & filius martyres Chriſto conſecrati ſunt. Iſte Philippus ſenior adeò in fide Chriſti profecerat: vt promptè peccata ſua confitens in feſto Paſchæ à beato Sixto Papa coram omni multitudine communionem Euchariſtiæ ſumeret, Philippus verò iunior non tantùm ſeueri animi fuit, vt nullius cuiuſque commento ad riſum ſolui potuerit, Patrémque ludis ſæcularibus aliquando concinantem vultu annotauerit auerſato.

In præfato Monaſterio ſancti Pontij propè & extra Ciuitatem Nicię Prouinciæ requieſcunt corpora ſancti Pontij martyr.
Sancti Siacri primi Epiſcopi Nicienſis.
Sancti Frontonij Epiſcopi & confeſſoris.
Sanctæ Simpliciæ virginis & martyris.
Et caput ſancti Anſelmi Epiſcopi, variæque aliæ ſanctorum reliquiæ.

De ſancto Vincentio monacho & presbytero Lerinenſi Gennadius de Illuſtribus Eccleſiæ Scriptoribus. Cap. 64. qui anno Domini 430. floruit.

Maij 24. VIncentius natione Gallus apud Monaſteriũ Lerinenſis Inſulæ presbyter, vir in Scripturis ſanctis doctus & notitia Eccleſiaſticorum dogmatum ſufficienter inſtructus, compoſuit ad euitanda hæreticorum collegia nitido ſatis & aperto ſermone vallidiſſimam diſputationem, quam abſconſo nomine ſuo titulauit Peregrini aduerſus hæreticos: cuius operis quia ſecundi libri maximam in ſchedulis partem à quibuſdam furatam perdidit recapitulato eius paucis ſermonibus ſenſu priſtino compegit & vno in libro edidit: moritur Theodoſio & Valentiniano regnantibus.

Honorius presbyter Auguſtudonenſis de Eccleſiæ luminaribus, Idem refert his verbis.

VIncentius natione Gallus apud Monaſterium Lerinenſis Inſulæ presbyter, vir in Scripturis ſanctis doctus ſcripſit vallidiſſimam diſputationem, quam abſconſo nomine ſuo attitulauit Peregrini aduerſum hæreticos: ſub Theodoſio claruit.

Thrithemius de ſcriptoribus Eccleſiaſticis.

VIncentius monachus & presbyter Monaſterij Lerinenſis Inſulæ, natione Gallus vir, in diuinis Scripturis eruditiſſimus & ſeculariũ litterarum non ignarus, vita & moribus clarus. Extat eius inſigne opus quod ſub Peregrini nomine compoſuit à veteribus doctoribus percelebre laudatum de erroribus

roribus & collegiis hæreticorum fugiendis contra omnes hæreticos lib. 2. Alia quoque nonnulla ſcripſiſſe legitur, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit Theodoſio & Valentiniano regnantibus. ann. Dom. 430.

Ado in Chronicis anni 425. ætatis ſextæ.

VIncentius quoque natione Gallus apud Lerinenſem Inſulam presbyter ſatis in diuinis Scripturis eruditus moritur.

Petrus Æquilinenſis in Cathologo ſanctorum.

VIncentius gente Gallus Lerinenſis Inſulæ præsbyter temporibus Theodoſij & Valentiniani Auguſtorũ claruit. Hic vir ſanctitate admirandus, in diuinis Scripturis eruditus ad vitãda hæreticorum colloquia validiſſimam edidit diſputationem, quam celato nomine ſuo peregrini aduerſus hæreticos intitulauit: cuius operis partem, quia in ſchedulis poſitam furto perdiderat, recapitulando paucis ſermonibus ſenſum in vno libro compegit, quieuit Romæ in Chriſto, Calend. Iunij.

Annotatio Vincen. Salern.

His quæ hic ſupra à Reuerendo Petro in Cathalogo adducuntur refragatur Martyrologium Romanum, nono Calend. Iunij, inquiens, *in Monaſterio Lerinenſi ſancti Vincentij presbyteri doctrina & ſanctitate conſpicui.* Et ibi Baronius, quibus de loco dormitionis in ſuo monaſterio Lerinenſi & die. 24. Maij magis aſtipulandum reor, colitur noſtra ſolicitudine eius feſtum ſub duplici officio in præfato Monaſterio abhinc tredecim annos, cum nulla memoria antea ageretur.

Annaliſta Baronius tom. 5. Annalium, anno Chriſti 400. Anaſtaſij Papæ ann. 3. Arcadij & Honorij Imperatorum ann. 6.

GErebat hoc anno ſub eodem Stilicone conſule Vincentius prætorij præfecturam in Galliis, vt reſcriptum Honorij Imperatoris [a] eundem datum ſignificat. Huius ſumma cum laude Seuerus [b] meminit, de eius cum ſancto Martino adhuc ſuperſtite neceſſitudine ita ſcribens meminit Vincentium præfectum virum egregium & quo nullus ſit inter Gallias omni virtutum genere præſtantior dum Turonos præteriſſet à Martino ſæpius popoſciſſe vt ei cõuiuium in ſuo monaſterio daret. In quo quidem exemplum beati Ambroſij Epiſcopi præferebat qui eo tempore conſules, & præfectos ſubinde paſcere ferebatur. Sed virum altioris ingenij ne qua ex hoc vanitas, atque inflatio obreperet noluiſſe, ita Seuerus.

a *Vtrum vè Cod. Theod.*

b *Seuer. Dialog. lib. 1.*

c *Quid Vinc. cum S. Martino.*

Idem Baronius Tom. 5. anno Chriſti 431. dum agit de Celeſtino ſummo Pontifice, hæc dixit.

AGit Inſuper, laudãtque dictam Cœleſtini Epiſtolam etiam Vincentius Lerinenſis vbi ait [d]: ſed & Papa Cæleſtinus pari modo eadémque ſententia: ait enim &c. Poſt recenſita verò eius dicta aduerſus nouatores addit, ergo hæc fuit beati Cæleſtini beata ſententia, non vt vetuſtas ceſſaret obruere, nouitatem, ſed potius nouitas deſineret inceſſere vetuſtatem, quibus Apoſtolicis Catholiciſque decretis quiſquis refragatur. Inſultet primum omnium neceſſe eſt memoriæ ſancti Cæleſtini, qui ſtatuit vt deſineret inceſſere nouitas vetuſtatem. Hæc Vincentius de dicta Epiſtola Cæleſtini, quam tanti ponderis eſſe docet vt ſatis ſit ad omnes hæreſes euertendas nouas ſen-

d *Vinc. Liri. aduer. Hæret. cap. vlt.*

tentias in Eccleſia inducentes:quo potiſſimum argumento tum Pelagianorum,tum aliorum omnium Hæreticorum fundamenta,idem auctor conuellit opere illo contra hæreſes ſcripto,certè aureo : ex quo intelligas longè diuerſum eſſe Vincẽtium hunc Lerinenſem ab illo Vincentio homine Pelagiano,cuius ſunt Vincentianæ obiectiones,quas ſanctus Proſper egregiè confutauit.Hic namque Monachus Lerinenſis monaſterij fuit, ille verò vnus & præsbiteris illis Gallicanis,qui vnà cum cum collegiis inuidiosè ſancti Auguſtini ſcripta carpebat de quo Gennadius[a] meminit eius lucubrationes recenſens eumque ab hoc oſtendit eſſe diuerſum, quem Lerinenſem presbyterum nominat[b] cuius etiam mentionem facit ſanctus Eucherius in præfatione libri inſtructionum , at Salonium quem vnà cum Saluiano eloquentia & ſapientia celebrem fuiſſe commendat.

Vincentij Gallicani duo longè inter ſe diuerſi.

a *Gennad. de ſcript. Eccleſ. c.*80.

b *idem capit.* 64.

Idem Annaliſta anno Chriſti 434. *eodem tomo.*

HOc ipſo anno qui numeratur tertius à conſilio Epheſino Vincentius Lerinenſis cum aduersùs omnes hæreticos tum præcipuè ad ſepeliendas penitus recens emerſas Pelagij Cœleſtij atque Neſtorij hæreſes diſertiſſimum elucubrauit commentarium,ſignat ipſe quidem præſens tempus dum ait[c] de Epheſino conſilio : ante triennium fermè in Aſia apud Epheſum celebratum eſt viris clariſſimis(Baſſo, Antiochóque Conſulibus) de cuius quidem opere hæc habet Gennadius:*Vincentius natione Gallus apud monaſterium Lerinenſis Inſulæ presbyter,vir in ſcriptutis ſanctis doctus & notitia Eccleſiaſticorum dogmatum ſufficienter inſtructus,compoſuit ad euitanda hæreticorum collegia nitido ſatis & aperto ſermone validiſſimam diſputationem, quam abſconſo nomine ſuo titulauit:*Peregrini aduerſus Hæreticos,*cuius operis quia ſecundi libri maximam in ſchedulis partem à quibuſdam furatam perdidit recapitulato eius paucis ſermonibus ſenſu priſtino compegit & vno in libro edidit.*) Hæc Gennadius, ſed quiſnam fuerit iſte Vincentius ex iis quæ ipſo initio præfatur operis,vnde inquiramus ipſe ſuppeditat argumentum,vbi ait:[d] *Cum aliquandiu variis,at triſtibus ſæcularis militiæ turbinibus volueremur, tandem nos in portum religionis cunctis ſemper fidiſſimum Chriſto aſpirante condidimus:vt ibi depoſitis vanitatibus ac ſuperbiæ flatibus Chriſtianæ humilitatis ſacrificio placantes, demum non ſolùm præſentis vitæ naufragia,ſed etiam futuri ſæculi incendia vitare poſſemus* , hæc ipſe. Quamobrem in eam adducor ſententiam, vt hic ille ſit Vincentius Galliarum aliquando viuente ſancto Martino præfectura nobilitatus,quem Seuerus [e] mirificè laudat noſque de eo ſuperiùs egimus : florebat planè his temporibus illud Cœnobium illuſtris ſanctorum domus Inſulæ Lerinenſis de quo pluribus ſuo loco agendum erit inferius:hæc excepit in tumultibus Galliarum tanquam portus (vt ipſe ait)& procellis liberum Vincentium ipſum;cuius quidem quam mira fuerit eruditio libellus ipſius oſtendit: vt vix ſit reperire qui paucioribus chartis maiora & fœliciori tractatu concluſerit, licet commentariolus idem ſit(vt ipſe teſtatur in fine)ex duobus à ſe ſcriptis commonitoriis epitome, his temporibus admodum accommodatus & in Eccleſia catholica ſemper poſteris profuturus,cum nunquam de futuri ſint nouatores hæretici ad quos penitus explodendos, idem auctor ſumma induſtria laborauit , quem libellum ne depereat ſic tibi ſubiicimus.

c *Vinc. Lerin. contra Hær.*

d *Vinc. Lerin. præfat.*

e *Seuero in dialog.* 1. *cap.*12.

VIN

VINCENTII LERINENSIS NATIONE Galli pro Catholicæ fidei antiquitate & vniuerſitate, aduerſus prophanas omnium hæreſeon nouationes.

PRÆFATIO.

DIcente ſcriptura & monente, *Interroga Patres tuos, & dicent tibi: ſeniores tuos, & adnunciabunt tibi.* Et iterũ: Verbis ſapientium ad commoda aurem tuam. Et item. *Fili mi, hos ſermones ne obliuiſcaris, mea autem verba cuſtodiat cor tuum.* Videtur mihi minimo omnium ſeruorum Dei Peregrino, quòd res non minimæ vtilitatis domino adiuuante futura ſit, ſi ea quæ fideliter à ſanctis Patribus accepi, litteris comprehendam, infirmitati certè propriæ perneceſſaria: quippè cum adſit in prõptu, vnde imbecillitas memoriæ meæ aſſidua lectione reparetur. Ad quod me negotium non ſolum fructus operis, ſed etiam conſideratio temporis, & opportunitas loci adhortatur. Tempus, propterea, quod cum humana omnia ab eo rapiantur, & nos ex eo aliquid in inuicem rapere debemus, quod in vitam proficiet æternam: præſertim cum & appropinquantis diuini iudicij terribilis quędam expectatio augeri efflagitet ſtudia religionis, & nouorũ hęreticorum fraudulentia multum curæ & attentionis indigeat. Locus autem, quòd vrbium frequentias, turbaſq; vitãtes, remotioris villulę, & in eo ſecretum Monaſterij incolamus, habitaculum, vbi abſque magna diſtractione fieri poſſit illud, quod canitur in Pſalmo: *Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus.* Sed & propoſiti noſtri ratio in id conuenit, quippè qui cùm aliquandiu variis ac triſtibus ſæcularis militiæ turbinibus voluereмur, tandem nos in portum religionis, cũctis ſemper fidiſſimum, Chriſto adſpirante condidimus: vt ibi depoſitis vanitatis ac ſuperbiæ flatibus, Chriſtianæ humilitatis ſacrificio placantes Deum non ſolum præſentis vitæ naufragia, ſed etiã futuri ſæculi incendia vitare poſſemus. Sed iã in nomine Domini, quod inſtat, aggrediar: vt ſcilicet à maioribus tradita, & apud nos depoſita ſcribã, relatoris fide potius, quàm auctoris præſumptione: hac tamen ſcribendi lege ſeruata, vt nequaquam omnia, ſed tantùm neceſſaria quæque perſtringam: neque id ornato & exacto, ſed facili, cõmunique ſermone, vt pleraque ſignificata potiùs, quam explicata videantur. Scribãt ij lautè & accuratè, qui ad hoc munus, vel ingenij fiducia, vel ratione ducuntur: me verò ſubleuandæ recordationis, vel potiùs obliuionis meæ gratia, communitorium mihimet paraſſe ſuffecerit, quod tamen paulatim recolendo quæ didici, emendare & implere quotidie, Domino præſtãte conabor. At qui hoc ipſum idcirco præmonui, vt ſi fortè elapſum nobis in manus* ſanctorum deuenerit, nihil in eo temerè reprehendant, quod adhuc videant promiſſa emendatione limandum.

Deut.32. *Prouerb.3.* *Prouerb.22.* *Vincentius Monachus fuit.* *Pſal.45.* *Vicentius primùm miles.* *Cõmonitoriũ.* **fortè cenſorum.*

Authoritati ſacræ ſcripturæ Eccleſiaſticæ intelligentiæ addendam eſſe authoritatem, vt Catholicæ fidei veritas ad hæreticæ prauitatis falſitate diſcernatur.

CAPVT I.

SÆpè igitur magno ſtudio, & ſumma attentione perquirens à quamplurimis ſanctitate & doctrina præſtantibus viris, quónam modo poſ-

ſim certa quadam, & quaſi generali ac regulari via, catholicæ fidei veritatem ab hæreticæ prauitatis falſitate diſcernere, huiuſmodi ſemper reſponſum ab omnibus ferè retuli. Quòd ſiue ego, ſiue quis alius vellet exurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueóſque vitare, & in fide ſana ſanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem ſuam, Domino adiuuante deberet. Primo ſcilicet, diuinæ legis authoritate: tum deinde Eccleſiæ Catholicæ traditione.

CAPVT II.

Ratio vitandi hæreticorũ fucos.

HIc forſitan requirat aliquis: Cùm ſit perfectus ſcripturarum canon, ſibíque ad omnia ſatis ſupérque ſufficiat, quid opus eſt, vt ei eccleſiaſticę intelligentiæ iungatur authoritas? Quia videlicet ſcripturam ſacram pro ipſa ſua altitudine non vno, eodémque ſenſu vniuerſi accipiunt, ſed eiuſdem eloquia aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur: vt penè quod homines ſunt, tot illic ſententiæ erui poſſe videantur. Aliter namque illam Nouatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arrius, Eunomius, Macedonius, aliter Apollinaris, Priſcilianus, aliter Iouinianus, Pelagius, Celeſtius, aliter poſtremo Neſtorius. Atque idcirco multum neceſſe eſt, propter tantos tam varij erroris anfractus, vt Propheticæ & Apoſtolicæ interpretationis linea ſecundum eccleſiaſtici & catholici ſenſus normam dirigatur.

Magnopere curandum eſſe, vt id teneamus, quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt.

CAPVT III.

Catholica fides cõſtat vniuerſitate, cõſenſione.

IN ipſa item Catholica Eccleſia magnoperè curandum eſt, vt id teneamus quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt, hoc eſt etenim verè propriéque catholicum (quod ipſa vis nominis ratióque declarat, quæ omnia verè vniuerſaliter comprehendit) ſed hoc ita demum fit: ſi ſequamur Vniuerſitatem, antiquitatem, conſentionem. Sequemur autem Vniuerſitatem hoc modo, ſi hanc vnam fidem veram eſſe fateamur, quam tota per vrbem terrarum confitetur Eccleſia: Antiquitatem verò ita, ſi ab his nullatenus ſenſibus recedamus, quos ſanctos Maiores ac Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt: Conſenſionem quoque itidem, ſi in ipſa vetuſtate, omnium, vel certè penè omnium Sacerdotum pariter & Magiſtrorum definitiones ſententiáſque ſectemur.

CAPVT IIII.

Obiectiones variæ.

QVid igitur faciet Chriſtianus Catholicus, ſi ſe aliqua Eccleſiæ parcula ab vniuerſalis fidei communione præciderit? Quid vtique, niſi vt peſtifero corruptóque membro, ſanitatem vniuerſi corporis anteponat? Quid ſi nouella aliqua contagio non iam portiunculam tantum, ſed totam pariter Eccleſiam commaculare conetur? Tunc item prouidebit, vt antiquitati inhæreat, quæ prorſus iam non poteſt ab vlla nouitatis fraude ſeduci? Quid ſi in ipſa vetuſtate, duorum aut trium hominũ, vel certè ciuitatis vnius aut etiam prouinciæ alicuius error deprehendatur? Tunc omninò curabit, vt paucorum temeritati vel inſcitiæ, ſi qua ſunt, vniuerſaliter antiquiùs vniuerſalis Eccleſię decreta præponat. Quid ſi tale aliquid emergat, vbi nihil huiuſmodi reperiatur. Tũc operam dabit, vt collatas inter ſe Maiorũ conſulat interrogetque ſententias: eorum duntaxat, qui diuerſis licet temporibus & locis in vnius tamẽ Eccleſiæ catholicæ communione & fide permanentes

nentes, magiſtri probabiles exſtiterunt: & quidquid non vnus aut duo tantum, ſed omnes pariter vno eodémque conſenſu, aperte, frequenter, perſeueranter, tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe cognouerit, id ſibi quoq; intelligat abſque vlla dubitatione credendum. Sed vt planiora fiant quæ dicimus, exemplis ſingulatim illuſtranda ſunt, & paulò vberiùs exaggeranda, ne immodicæ breuitatis ſtudio rerum pondera orationis celeritate rapiantur.

CAPVT V.

Donatiſtæ.

TEmpore Donati, à quo Donatiſtæ, cum ſeſe multa pars Aphricæ in erroris ſui furias præcipitaret, cúmque immemor nominis, religionis, vnius homini ſacrilegam temeritatem Eccleſiæ Chriſti præponeret, tunc quicunque per Aphricam conſtituti, prophano ſchiſmate deteſtato, vniuerſis mundi Eccleſiis adſociati ſunt, ſoli ex illis omnibus intra ſacraria catholicæ fidei ſalui eſſe potuerunt: egregiam profectò relinquentes poſteris formam, quem admodum ſcilicet & deinceps bono more, vnius aut certè paucorum veſanię vniuerſorum ſanitas anteferretur.

Nouelli dogmatis inductione quantum inuehatur calamitatis, Arrianæ perfidiæ exemplo monſtratur.

CAPVT VI.

Arriani.

ITem, quando Arrianorum venenum, non iam portiunculam quandam, ſed penè orbem totum contaminauerat, adeò vt propè cunctis Latini ſermonis Epiſcopis, partim vi, partim fraude deceptis, caligo quædam mentibus offunderetur, quidnam potiſſimum in tanta rerum confuſione ſequendum foret, tunc quiſquis verus Chriſti amator & cultor exſtitit, antiquam fidem nouellæ perfidiæ præferendo, nulla contagij ipſius peſte maculatus eſt. Cuius quidem temporis periculo ſatis ſupérque monſtratum eſt, quantum inuehatur calamitatis, nouelli dogmatis inductione. Tunc ſiquidem non ſolũ prauæ res, ſed etiã maximæ labefactatæ ſunt. Nec enim tantũ affinitates, cognationes, amicitię, domus, verum etiam Vrbes, populi, Prouincię, nationes, vniuerſum poſtremò Romanũ imperium funditùs concuſſum & emotum eſt. Namque cùm prophana ipſa Arrianorum nouitas, velut quædam Bellona aut Furia, capto prius omnium Imperatore, cuncta deinde palatij culmina legibus nouis ſubiugaſſet, nequaquam deinceps deſtitit vniuerſa miſcere atque vexare, priuata ac publica ſacra, prophanáque omnia, nullum boni & veri gerere diſcrimen, ſed quoſcunque collibuiſſet, tanquam de loco ſuperiore percutere. Tunc temeratæ coniuges, depopulatæ viduæ, prophanatæ virgines, monaſteria demolita, diſturbati Clerici, verberati Leuitæ, acti in exilium ſacerdotes, oppleta Sanctis ergaſtula, carceres, metalla: quorum pars maxima interdictis vrbibus protruſi atque extorres, inter deſerta, ſpeluncas, feras, ſaxa nuditate, fame, ſiti affecti * contriti, & tabefacti ſunt. Atqui hæc omnia nunquid vllam aliam ob cauſam, niſi vtique dum pro cœleſti dogmate humanæ ſuperſtitiones introducuntur, dum bene fundata antiquitas ſceleſta nouitate ſubruitur, dum ſuperiorum inſtituta violantur, dum reſcinduntur ſcita Patrum, dum conuelluntur definita maiorum, dum ſeſe intra ſacratæ atque incorruptæ vetuſtatis caſtiſſimos limites prophanæ ac nouellæ curioſitas libido non continet?

Arrianapeſtidia quantum malorum inuexerit.

**Attriti.*

Quòd fidem Confeſſorum & Martyrum denegare non poſſumus, quorum victorias prædicamus: & à quibus non partis, ſed vniuerſitatis ſuſcepta eſt defenſio.

CAPVT VII.

SEd forsitan odio nouitatis, & amore vetustatis hæc fingimus. Quisquis hoc † æstimat, beato saltem credat Ambrosio, qui in secundo ad Imperatorem Gratianum libro, acerbitatem temporis ipse deplorans, ait: Sed iam satis inquit, omnipotens Deus nostro exitio, nostróque sanguine Confessorum neces, exilia sacerdotum, & nefas tantæ impietatis eluimus. Satis claruit, eos qui violauerunt fidem, tutos esse non posse. Item in tertio eiusdem operis libro: Seruemus igitur, inquit, præcepta maiorum, ne hereditaria signacula ausi rudis temeritate violemus. Librum signatum illum Propheticum, non seniores, non potestates, non Angeli, non Archangeli aperire ausi sunt: soli Christo explanandi eius prærogatiua seruata est. Librum sacerdotalem quis nostrûm resignare audeat, signatum à Confessoribus, & multorum iam martyrio cõsecratum? Quem qui resignare coacti sunt, posteà tamen damnata fraude signarunt: qui violare non ausi sunt, Confessores & Martyres existerunt. Quomodo fidem eorum possumus denegare, quorum victoriam prædicamus? Prædicamus, inquam, ô venerande Ambrosi, prædicamus planè, laudantésque miramur. Nam quis ille tam demens est, qui eos etsi adsequi non eualeat, non exoptet sequi, quos à defensione fidei Maiorum nulla vis depulit? non minæ, non blandimenta, non vita, non mors, non palatium, non satellites, non Imperator, non imperium non homines, non dæmones: Quos, inquam, pro religiosæ Vetustatis tenacitate tanto munere Dominus dignos iudicauit, vt per eos prostratas repararet Ecclesias, extinctos spiritales populos viuificaret, deiectas sacerdotum coronas reponeret, nefarias illas nouellæ impietatis non literas, sed lituras, infuso cœlitùs Episcopis fidelium lachrymarum fonte, deleret: vniuersum postremò iam penè mundum, sæua repentinæ hereseos tempestate perculsum, ad antiquam fidem à nouella perfidia: ad antiquam sanitatem: à nouitatis vesania: ad antiquam lucem, à nouitatis cæcitate reuocaret.

† *existimare.*

In fine cap. vlt.

Cap. 7. Apoc. 5.

CAPVT VIII.

SEd in hac diuina quadam confessionum virtute, illud etiam est nobis vel maximè considerandum, quòd tunc apud ipsam Ecclesiæ vetustatem, non partis alicuius, sed vniuersitatis ab iis est suscepta defensio, neque enim fas erat, vt tanti ac tales viri vnius, aut duorum hominum errabundas, sibique ipsis contrarias suspiciones tam magno molimine adsererẽt, aut verò pro alicuius prouinciolæ temeraria quadam conspiratione certarent: sed omnium sanctæ Ecclesiæ sacerdotum, Apostolicæ & catholicæ veritatis decreta & definita sectantes, maluerunt semetipsos, quàm vetustæ vniuersitatis fidem prodere. Vnde & ad tantam gloriam peruenire meruerunt, vt non solùm confessores, verum etiam confessorum principes iure meritóque habeantur, Magnum hoc igitur eorundem beatorum exemplum, planéque diuinum, & veris quibúsque catholicis indefessa meditatione recolendum: qui modum septemplicis candelabri, septena sancti spiritus luce radiantes clarissimam posteris formulam præmonstrârunt, quónam modo deinceps per singula quæque errorum vaniloquia, sacratæ vetustatis authoritate, prophanæ nouitatis conteratur audacia.

Quò quisque religiosor est, eò promptius nouellis adinuentionibus contrait, vnde magno studio Stephanus Papa restitit iterationi baptismatis.

CAPVT IX.

NEque hoc sanè nouum: siquidem mos iste semper in Ecclesia viguit, vt quo quisque * floreret religiosior, eò promptius nouellis adinuentionibus

* *fortè foret.*

nibus contrairet. Exemplis talibus plena ſunt omnia. Sed ne longũ fiat, vnum aliquod, & hoc ab Apoſtolica potiſſimũ ſede ſumemus: vt omnes luce clarius videant, beatorum Apoſtolorũ beata ſucceſſio quanta vi ſemper, quanto ſtudio, quanta contentione defenderit ſuſceptæ ſemel religionis integritatem. Quondam igitur venerabilis memorię Agrippinus Carthaginẽſis Epiſcopus primus omnium mortalium contra diuinum canonem, contra vniuerſalis Eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium conſacerdotum, contra morem ac inſtituta maiorum rebaptizandum eſſe cenſebat. Quæ præſumptio tantum mali inuexit, vt non ſolùm hæreticis omnibus formam ſacrilegij, ſed etiam quibuſdam catholicis occaſionem præbuerit erroris. Cum ergo vndique ad nouitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaqua verſum ſacerdotes pro ſuo quiſque ſtudio reniterentur, tunc beatæ memoriæ Papa Stephanus, Apoſtolicæ ſedis Antiſtes, cum cæteris quidem collegis ſuis, ſed tamen præcæteris reſtitit: dignum, vt opinor, exiſtimans, ſi reliquos omnes tantum fidei deuotione vinceret, quantum loci authoritate ſuperabat. Denique in Epiſtola, quæ tunc ad Aphricam miſſa eſt, idem his verbis ſanxit, nihil nouandum, niſi quod traditum eſt. Intelligebat etenim vir ſanctus, & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, niſi vt omnia, qua fide à Patribus ſuſcepta forent, eadem fide filiis conſignarentur: noſque religionem, non qua vellemus ducere, ſed potiùs qua illa duceret, ſequi oportere: idque eſſe proprium Chriſtianæ modeſtiæ & prauitatis non ſua poſteris tradere, ſed à Maioribus accepta ſeruare. Quis ergo tunc vniuerſi negotij exitus? quis vtique, niſi viſitatus & ſolitus? Retenta eſt ſcilicet Antiquitas, explorata Nouitas.

Agrippinus Carthaginẽſis Epiſcopus, iterandi baptiſmatis author.

Stephanus Papa.

Apud Cypr. li. 2. epiſt. 7.

Pulchrè dictum.

CAPVT X.

SEd fortè tunc ipſi nouitiæ adinuentioni patrocinia defuerunt. Imò verò tanta vis ingenij adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus adſertorum numerus, tanta veriſimilitudo, tanta diuinæ legis oracula, ſed planè nouo ac malo more intellecta, vt mihi omnis iſta conſpiratio nullo modo deſtrui potuiſſe videatur, niſi ſolam tanti moliminis cauſam ipſa illa ſuſcepta, ipſa defenſa, ipſa laudata nouitatis profeſſio deſtituiſſet. Poſtremò ipſius Africani Concilij ſiue decreti quæ vires? donante Deo, nullæ, ſed vniuerſa, tanquam ſomnia, tanquam fabulæ, tanquam ſuperflua, abolita, antiqua, calcata ſunt.

Hæretici, vt filij Cham, libenter erratum ſancti viri produnt, & veteris cuiuſpiam viri ſcripta paulò inuolutius edita pro ſe citant.

CAPVT XI.

ET ô rerum mira conuerſio. Authores eiuſdem opinionis, catholici: conſectatores verò hæretici iudicantur. Abſoluuntur magiſtri, condemnantur diſcipuli, conſcriptores librorum filij regni erunt, aſſertores verò gehenna ſuſcipiet. Nam quis illud ſanctorum omnium, & Epiſcoporum, & Martyrum lumen, beatiſſimum Cyprianum, cum cæteris Collegis ſuis in æternum dubitet regnaturum eſſe cum Chriſto? Aut quis contrà iam ſacrilegus, qui Donatiſtas & cæteras peſtes, quæ illius authoritate concilij rebaptizare ſe iactitant, in ſempiternum neget arſuros eſſe cum diabolo? Quod quidem mihi diuinitus videtur promulgatum eſſe iudicium, propter eorum maximè fraudulentiam, qui cum ſub alieno nomine hæreſim concinnare machinentur, captant plerunque veteris cuiuſpiam viri ſcripta paulò inuolutiùs edita, quæ pro ipſa ſui obſcuritate dogmati ſuo quaſi congruant: vt illud neſcio quid

Cyprianus.

Hæreticorum vafricies.

quodcunq; proferunt,neque primi neque soli sentire videantur. Quorũ ego nequitiam duplici odio dignã iudico: vel eò quòd hæreseos venenum propinare aliis non pertimescunt:vel eò etiam quòd sancti cuiusq, viri memoriam tanquam sopitos iam cineres prophana manu ventilant,& quæ silentio sepeliri oportebat, rediuiua opinione diffamant: sequentes omninò vestigia authoris sui Cham,qui nuditatem venerandi Noë,non modò operire neglexit, verùm quoque irridendam cæteris enuntiauit. Vnde tantam læsæ pietatis meruit offensam,vt etiam posteri ipsius, peccati sui maledictis obligarentur: beatis illis fratribus, longéque dissimilibus, qui nuditatem ipsam reuerendi patris neque suis temerare oculis,neque alienis patere voluerunt, sed auersi, vt scribitur,texerunt eum: quod est, erratum sancti viri nec adprobasse, nec prodidisse:atque idcirco beata in posteros benedictione donati sunt. Sed ad propositum redeamus.

Qui sint hodie filij Chã.

Genes 9.

Exponitur locus Pauli: Licet nos, aut angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.

CAPVT XII.

MAgno igitur metu nobis immutatæ fidei, ac temeratæ religionis piaculum pertimescendum est, à quo nos non solum constitutionis Ecclesiasticæ disciplina,sed etiam censura Apostolicę deterret authoritatis.Scitum etenim cunctis est,quàm grauiter,quàm seruerè, quàm vehementer inuehatur in quosdam beatus Apostolus Paulus,qui mira lenitate nimium citò translati,fuerant ab ob,qui eos vocauerat in gratiam Christi, in aliud Euangelium,quod non est aliud:qui coaceruarant sibi magistros ad sua desideria,à veritate quidem auditum auertentes, conuersi verò ad fabulas, habentes damnationem, quòd primam fidem irritam fecissent. Quos deceperant ij, de quibus ad Romanos fratres scribit idem Apostolus? *Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos,qui dissentiones & offendicula præter doctrinam quam ipsi didicistis faciunt,& declinate ab illis: huiusmodi enim Christo domino non seruiunt, sed suo ventri:& per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. Qui intrant per domos & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis:semper discentes, & ad scientiam veritatis nunquam peruenientes. Vaniloqui & seductores, qui vniuersas domos subuertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia. Homines corrupti mente, reprobi circa fidem: superbi, & nihil scientes: sed languentes circa quæstiones & pugnas verborum, qui veritate priuati sunt existimantes quæstum esse pietatem: simul autem & ociosi discunt circumire domos,non solum autem ociosi,sed & verbosi,& curiosi,loquentes quæ non oportet. Qui bonam conscientiam repellentes,circa fidem naufragauerunt. Quorum prophana vaniloquia multum proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit.* Benè autem,quod de iis item scribitur: Sed vltrà non proficiunt:insipientia enim eorum manifesta erit omnibus,sicut & illorum fuit. Cùm ergo tales quidam circumeuntes prouincias & ciuitates, atque errores venalicios circumferendo etiam ad Galatas deuenissent: cúmque his auditis Galatæ nausea quadam veritatis adfecti,Apostolicæ catholicæque doctrinæ manna reuomentes,hæreticæ nouitatis sordibus oblectarentur, ita sese Apostolicæ potestatis exercuit authoritas, vt summa cum seueritate decerneret: *Sed licèt aut nos inquit, aut angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus: anathema sit.* Quid est quod ait, Sed licèt nos? Cur non potiùs,sed licet ego? Hoc est,etiamsi Petrus,etiamsi Andreas, etiamsi Ioannes, etiamsi postremò omnis

Galat. 1.

1. Tim. 4.

1. Tim. 5.

Roman. 16.

2. Tim. 3.

Tit. 1.

1. Tim. 3.

1. Tim. 6.

1. Tim. 5.

1. Tim. 1.

1. Tim. 2.

2. Tim. 3.

Venalicij errores.

Galat. 1.

omnis Apoſtolorum chorus euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus anathemata ſit. Tremenda diſtrictio: propter adſerendam primæ fidei tenacitatem, nec ſibi, nec cæteris coapoſtolis peperciſſe. Parum eſt, etiamſi Angelus, inquit, de cœlo Euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus: anathemata ſit. Non ſuffecerat ad cuſtodiam traditæ ſemel fidei, humanæ conditionis commemoraſſe naturam, niſi angelicam quoque excellentiam comprehendiſſet. Licet nos, inquit, aut Angelus de cœlo. Non quia ſancti cœleſtéſque Angeli peccare iam poſſint, ſed hoc eſt quod dicit: Si etiam, inquit, fiat quod non poteſt fieri, quiſquis ille traditam ſemel fidem mutare tentauerit: anathema ſit.

CAPVT XIII.

SEd hæc forſitan perfunctoriè prælocutus eſt, & humano potius effudit impetu quam diuina ratione decreuit. Abſit, ſequitur enim & hoc ipſum ingenti molimine iteratæ inſinuationis inculcat: ſicut prædiximus, inquit, & nunc iterum dico: Si quis vobis Euangelizauerit præterquam quod accepiſtis Anathema ſit. Non dixit. Si quis vobis adnunciauerit: præterquam quod accepiſtis: benedictus ſit, laudetur, recipiatur: ſed anathema ſit, inquit, id eſt, ſeparatatus, ſegregatus, excluſus, ne vnius ouis dirum contagium, innoxium gregem Chriſti venerata permixtione contaminet. Sed forſitan Galatis iſta tantum præcepta ſunt, quæ in eiuſdem Epiſtolæ ſequentibus commemorantur: qualia ſunt hæc: Si viuimus ſpiritu, ſpiritu & ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes. Et reliqua: Quod ſi abſurdum eſt, & omnibus ex æquo imperata ſunt, ſtat, vt ſicut hæc morum mandata etiam illa, quæ de fide cauta ſunt, omnes pari modo comprehendant.

Anathema aliquem fieri quid ſit. Galat. 5.

CAPVT XIIII.

ET, ſicuti nemini licet inuicem prouocare, aut inuidere inuicem, ita nemini liceat præter id quod Eccleſia Catholica vſquequaque euangelizat accipere. Aut forſitan tunc iubebatur, ſi quis adnunciaſſet præterquam quod annunciatum fuerat, anathemari: nunc verò iam non iubetur. Ergo & illud quod item ibi ait: Dico autem, ſpiritu ambulare, & deſiderium carnis non perficietis, tunc tantùm iubebatur, modò verò iam non iubetur. Quod ſi impium pariter & pernicioſum eſt ita credere, neceſſariò ſequitur, vt ſicut hæc cunctis ætatibus obſeruanda ſunt, ita illa quoque quæ de non mutanda fide ſancita ſunt, cunctis ætatibus imperata ſint. Adnunciare ergo aliquid Chriſtianis Catholicis, præter id quod acceperunt, nunquam licuit, nuſquam licet nunquam licebit, & anathemare eos qui adnuncient aliquid, præterquam quod ſemel acceptum eſt, nunquam non oportuit, nuſquam non oportet, nunquam non oportebit. Quæ cum ita ſint, eſtne aliquis vel tantæ audaciæ, qui præter id quod apud Eccleſiam adnunciatum eſt, adnunciet: vel tantæ leuitatis, qui præter id quod ab Eccleſia accepit, accipiat? Clamet & repetendo clamet, & omnibus, & ſemper & vbique per litteras ſuas clamet ille, ille vas electionis, ille magiſter gentium, ille Apoſtolus tuba, ille terrarum præco, ille cœlorum conſcius, vt ſi quis nouum dogma annunciauerit, anathematizetur. Et contra reclamant ranæ quædam & cyniphes, & muſcæ morituræ, quales ſunt Pelagiani, & hoc Catholicis: Nobis, inquiunt, authoribus, nobis principibus, nobis expoſitoribus damnate quæ tenebatis, tenete quæ

damnabitis,reiicite antiquam fidem, paterna instituta,Maiorum deposita & recipite quænam illa tandem? Horreo dicere:sunt enim tam superba,vt mihi non modo affirmari,sed ne refelli quidem sine aliquo piaculo posse videatur.

Ex Deut.13.cap. Docet cur persæpe diuinitus sinantur magni viri rerum nouarum in Ecclesiæ fieri auctores.

CAPVT XV.

SEd dicet aliquis. Cur ergo persæpè diuinitus sinuntur excellentes quædam personæ in Ecclesia constitutæ res nouas Catholicis adnunciare? Recta interrogatio,& digna quæ diligentius atque vberius pertractetur: cui tamen non ingenio proprio,sed diuinæ legis auctoritate, ecclesiastici magistri documento satisfaciendum est.Audiamus ergo sanctum Mosen, & ipse nos doceat,cur docti viri,& qui propter scientiæ gratiam ab Apostolo etiam Prophetæ nuncupãtur, proferre interdum permittantur noua dogmata, quæ vetus testamentum allegorico sermone Deos alienos appellare consueuit,eò quod scilicet ita ab hæreticis ipsorum opiniones,sicut à Gentilibus dij sui obseruentur. Scribit ergo in Deuteronomio beatus Moses. Si surrexit, inquit in medio tui propheta,aut qui somnium se vidisse dicat:id est, Magister in Ecclesia constitutus,quem discipuli vel auditores sui ex aliqua reuelatione docere arbitrentur. Quid deinde? Et prædixerit, inquit, signum atque portentum,& euenerit quod locutus est. Magnus profecto, nescio quis significatur Magister,& tantæ scientiæ,qui sectatoribus propriis non solum quæ humana sunt nosse, verumetiam quæ supra hominẽ sunt prænoscere posse videatur, quales fere discipuli sui iactitant fuisse Valentinum, Donatum, Photinum Apollinarem,cæteroſque huiusmodi.Quid postea?Et dixerit, inquit,tibi, eamus & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis. Qui sunt Dij alieni, nisi errores extranei,quos ignorabas,id est,noui & inauditi?Et seruiamus eis,id est credamus eis,sequamur eos.Qui ad extremum?Non audies inquit,verba Prophetæ illius,aut somniatoris.Et quare oro te, à Deo non prohibetur doceri,quod à Deo prohibetur audiri?Quia,inquit,tentat vos Dominus Deus vester,vt palam fiat,vtrum diligatis eum an non in toto corde,& in tota anima vestra.Luce clarius aperta causa est,cur interdum diuina prouidentia quosdam Ecclesiarum magistros, noua quædam dogmata prædicare patiatur:Vt tentet vos,inquit,Dominus Deus vester.Et profecto magna tentatio est,cum ille quem tu Prophetam,quem Prophetarum discipulum,quem doctorem & adsertorem veritatis putes,quem summa veneratione & amore complexus sis,is subitò latenter noxios subindicat errores, quos nec cito reprehendere valeas, dum antiqui magisterij duceris præiudicio: nec facile damnare fas ducis,dum magistri veteris impediris affectu.

Dij alieni noua dogmata Deut.13.

Hæreses quare Deus oriri patiatur. Tentatio maxima.

Illud Moysi: Tentat vos dominus si diligatis eum,declarat exemplis Nestorij Photini & Apollinaris,qui non paruæ tentationi Catholicis exstiterunt.

CAPVT XVI.

HIc forsitan efflagitet aliquis, vt ea quæ sancti Moysi verbis adserta sunt, ecclesiasticis aliquibus demonstretur exemplis. Ac qua expostulatio, nec diu differenda.Nam vt à proximis & manifestis incipiam, qualem fuisse nuper tentationem putamus,cùm infœlix ille Nestorius subito ex oue conuersus in lupum, gregem Christi lacerare cœpisset? Cùm eum hi ipsi qui rodebantur ex magna adhuc parte ouem crederent, ideóque morsibus eius magis paterent.Nam quis eum facile errare arbitraretur,quem tanto imperij

iudicio

iudicio electum,tanto ſacerdotum ſtudio proſecutum videret?qui cum magno ſanctorum amore, ſummo populi fauore celebraretur quotidie, palam diuina tractabat eloquia, & noxios quoque Iudæorum & gentilium confutabat errores. Quo tandem iſto modo non cuiuis fidē faceret, ſi recta docere,recta prædicare,recta ſentire?Qui vt vni hæreſi ſuæ aditum patefaceret, cunctarum hæreſeon blaſphemias inſectabatur. Sed hoc erat illud quod Moyſes ait:Tentat vos Dominus Deus veſter,ſi diligatis eum, an non. Et vt Neſtorium prætereamus, in quo plus ſemper admirationis, quàm vtilitatis, plus famæ,quàm experientiæ fuit:quē opinione vulgi aliquandiu magnum humana magis fecerat gratia,quam diuina:eos potiùs commemoremus, qui multis profectibus multáque induſtria præditi, non prauæ tentationi catholicis hominibus exſtiterunt:velut apud Pannonias maiorū memoria Photinus Eccleſiam Sirmitanam tentaſſe memoratur. Vbi cum magno omnium fauore in ſacerdotium fuiſſet aſcitus, & aliquandiu tāquam Catholicus adminiſtraret,ſubitò ſicut malus ille Propheta,aut ſomniator, quem Moſes ſignificat,creditam ſibi plebem Dei perſuadere cœpit, vt ſequeretur deos alienos,id eſt,errores extraneos quos antea neſciebat.Sed hoc viſitatū: illud verò pernicioſum, quod ad tantum nefas non mediocribus adminiculis vtebatur.Nam erat & ingenij viribus valens,& doctrinæ opibus excellens, & eloquio præpotens:quippè,qui vtroque ſermone copioſè & grauiter diſputaret & ſcriberet: quod monumentis librorum ſuorum manifeſtatur, quos idem partim Græco,partim Latino ſermone compoſuit.Sed benè,quod commiſſę ipſi oues Chriſti,multum pro Catholica fide vigilantes:& cautæ,cito ad prę-monentis Moyſi eloquia reſpexerunt,& Prophetæ atque paſtoris ſui licet admirarentur eloquentiā,tentationem tamen non ignorarunt. Nam quem anteà quaſi arietem gregis ſequebantur, eundem deinceps veluti lupum fugere cœperunt.Neque ſolum Photini,ſed etiam Apollinaris exemplo iſtius eccleſiaſticæ tentationis periculum diſcimus, & ſimul ad obſeruandæ diligentiùs fidei cuſtodiā commonemur.Etenim ipſe auditoribus ſuis magnos*actus, & magnas generauit anguſtias:quippè cum eos huc Eccleſiæ traheret authoritas,huc magiſtri retraheret conſuetudo:ſic inter vtraq; nutabundi & fluctuātes,quid potiùs ſibi ſeligendum foret,non expendunt. Sed forſitan eiuſmodi ille vir erat,qui dignus eſſet facilè contemni.Imò verò tantus ac talis,cui nimium citò in plurimis crederetur.Nam quid illo præſtantius acumine,exercitatione,doctrina ? quàm multas ille hæreſes multis voluminibus oppreſſerit, quot inimicos fidei confutauerit errores, indicio eſt opus illud,triginta non minus librorum nobiliſſimum ac maximum, quo inſanas Porphirij calumnias magna probationum mole confudit.Longū eſt vniuerſa ipſius opera commemorare, quibus profectò ſummis ædificatoribus Eccleſiæ par eſſe potuiſſet:niſi prophana illa hæreticę curioſitatis libidine,nouum neſcio quid inueniſſet,quo & cūctos labores ſuos velut cuinſdam lepræ admixtione fœdaret,& doctrina eius non tam ædificatio,quàm tentatio potiùs eccleſiaſtica diceretur.Hic à me forſitan depoſcatur,vt horum quos ſuprà commemorauī hæreſes exponā : Neſtorij ſcilicet,Apollinaris,& Photini.Hoc quidem ad rē de qua nunc agimus,non attinet:propoſitum etenim nobis eſt,non ſingulorum errores perſequi,ſed paucorum exempla proferre, quibus euidenter ac perſpicuè demonſtretur illud quod Moyſes ait:Quia ſcilicet,ſi quando eccleſiaſticus aliquis magiſter,& ipſe interpretandis Prophetarum myſteriis Propheta noui quiddam in eccleſiam Dei tentet inducere, ad tentationem id

Neſto ritu qualis.

Photinus. Pannonius.

Photini dotes

Apollinaris.

**fortè æſtus.*

Apollinaris præſtantia.

noſtram fieri prouidentia diuina patiatur.

Quid ſentiant memorati hæretici Neſtorius, Photinus, & Apollinaris.

CAPVT XVII.

Photini ſecta. Vtile igitur fuerit in excurſu, quid ſupra memorati hæretici ſentiant, breuiter exponere, id eſt, Photinus Apollinaris, Neſtorius. Photini ergo ſecta hæc eſt: Dicit Deũ ſingulum eſſe & ſolitarium, & more Iudaico confitendum: Trinitatis plenitudinem negat, neque vllam Dei verbi, aut vllã ſpiritus ſancti putat eſſe perſonam: Chriſtum verò, hominem tantummodò ſolitarium adſerit, cui principium adſcribit ex Maria: & hoc omnibus modis dogmatizat, ſolam nos perſonam Dei patris, & ſolùm Chriſtum hominem *Apollinaris ſecta.* colere debere. Hęc ergo Photinus. Apollinaris verò in vnitatẽ quidem Trinitatis quaſi conſentire ſe iactat, & hoc ipſum plena fidei ſanitate: ſed in Domini incarnatione aperta profeſſione blaſphemat. Dicit enim in ipſa ſaluatoris noſtri carne, aut animam humanam penitùs non fuiſſe, aut certè talem fuiſſe, cui mens & ratio non eſſet. Sed & ipſam Domini carnem, non de ſanctæ virginis Mariæ carne ſuſceptam, ſed de cœlo in virginem deſcendiſſe dicebat: eamque mutabundus ſemper & dubius, modò coæternam Deo verbo, modò de verbi diuinitate factam prædicabat. Nolebat enim in Chriſto eſſe duas ſubſtantias, vnam diuinam, alteram humanam: vnam ex patre, alteram ex matre: ſed ipſam verbi naturam putabat eſſe diſciſſam, quaſi aliud eius permaneret in Deo, aliud verò verſum fuiſſet in carnẽ: vt cùm veritas dicat ex duabus ſubſtantiis vnum eſſe Chriſtũ, ille contrarius veritati, ex vna Chri-*Neſtorij error.* ſti diuinitate duas aſſerat eſſe ſubſtantias. Hæc itaque Apollinaris, Neſtorius autem contrario Apollinari morbo, dum ſe duas in Chriſto ſubſtantias diſtinguere ſimulat, duas introducit repentè perſonas: & inaudito ſcelere duos vult eſſe filios Dei, duos Chriſtos: vnum Deum, alterum hominem: vnum qui ex patre, alterum qui ſit generatus ex matre. Atque ideo aſſerit ſanctam Mariam non theotocon, ſed Chriſtotocon eſſe dicendam: quia ſcilicet ex ea non ille Chriſtus qui Deus, ſed ille qui erat homo, ſit natus. Quod ſi quis eum putat in litteris ſuis vnum Chriſtum dicere, & vnam Chriſti prædicare, perſonam, non temerè credat. Aut enim iſtud fallendi arte machinatus eſt, vt *Rom. 7.* per bona facilius facilius ſuaderet & mala: ſicut ait Apoſt. *Per bonum mihi operatus eſt mortem.* Aut ergo, vt diximus, fraudulentiæ cauſa quibuſdam in locis ſcriptorum ſuorum vnum Chriſtum, & vnam Chriſti perſonam credere ſe iactitat: aut certè poſt partum iam virginis, ita in vnum Chriſtum duas perhibet conueniſſe perſonas, vt tamen conceptus ſeu partus virginei tempore, & aliquanto poſtea, duos Chriſtos fuiſſe contendat. Et cùm ſcilicet Chriſtus homo communis primum & ſolitarius natus ſit, & necdum Dei verbi perſonæ vnitate ſociatus, poſtea in eum adſumentis verbi perſona deſcenderit: & licet nunc in Dei gloria maneat adſumptus aliquandiu, tamen nihil inter illum & cæteros homines interfuiſſe videatur.

Quid contra prædictas hæreſes de Deo & Saluatore noſtro Catholica ſentiat Eccleſia.

CAPVT XVIII.

HAec ergo Neſtorius, Apollinaris, Photinus aduerſus catholicam fidem rabidi canes latrant: Photinus, Trinitatem non confitendo: Apollinaris, conuertibilem verbi dicendi naturam, & duas in Chriſto ſubſtantias non confitendo, & totam Chriſti animam, aut certè mentem atque rationem in anima denegando, & adſerendo pro ſenſu mentis fuiſſe Dei verbum. Neſtorius duos Chriſtos, aut ſemper eſſe, aut aliquandiu fuiſſe adſeuerando.

Eccleſia

Eccleſia verò catholica, & de Deo, & de ſaluatore noſtro recta ſentiens, nec in Trinitatis myſterium, nec in Chriſti incarnationem blaſphemat: nam & vnam diuinitatem in Trinitatis plenitudine, & Trinitatis æqualitatem in vna atque eadem maieſtate veneratur, & vnum Chriſtum Ieſum, non duos eundemque Deum pariter atque hominem confitetur. Vnam quidem in eo perſonam, ſed duas ſubſtantias: duas ſubſtantias, ſed vnam credit eſſe perſonam: duas ſubſtantias, quia mutabile non eſt verbum Dei, vt ipſum verteretur in carnem: vnam perſonam, ne duos profitendo filios, quaternitatem videatur colere, non Trinitatem. *Duæ ſubſtantiæ in Chriſto.*

CAPVT XIX.

SEd operæ precium eſt, vt idipſum etiã atque etiam diſtinctiùs, & expreſſiùs enucleemus. In Deo vna ſubſtantia, ſed tres perſonæ: in Chriſto duæ ſubſtantiæ, ſed vna perſona: in trinitate alius atque alius, non aliud atque aliud: in Saluatore aliud atque aliud, non alius atque alius. Quomodo in trinitate alius, atque alius, non aliud atque aliud. Quia ſcilicet alia eſt perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti, ſed tamen patris, & filij, & ſpiritus ſancti non alia & alia, ſed vna eademque natura. Quomodo in Saluatore aliud atq; aliud, non alius atque alius. Quia videlicet altera ſubſtantia diuinitatis, altera humanitatis: ſed tamen deitas & humanitas non alter & alter, ſed vnus idemque Chriſtus, vnus idemque filius Dei, & vnius eiuſdemque Chriſti & filij Dei, vna eademque perſona. Sicut in homine aliud caro, & aliud anima: ſed vnus idemque homo anima & caro. In Petro & Paulo aliud anima, aliud caro: nec tamen duo Petri caro & anima, aut alter Paulus anima, & alter caro: ſed vnus idemque Petrus, vnus idemque Paulus, ex duplici diuerſaque ſubſiſtens animi corporiſque natura. Ita igitur in vno eodemque Chriſto duæ ſubſtantiæ ſunt: ſed vna diuina, altera humana: vna ex patre Deo, altera ex matre virgine: vna coæterna & æqualis patri, altera conſubſtantialis matri, vnus tamen idemq; Chriſtus in vtraque ſubſtantia. Non ergo alter Chriſtus Deus, alter homo, non alter increatus alter creatus: non alter impaſſibilis, alter paſſibilis: non alter æqualis patri, alter minor patre: non alter ex patre, alter ex matre, ſed vnus idemque Chriſtus Deus & homo: idem nõ creatus, & creatus: idem incommutabilis & impaſſibilis: idem cõmutatus & paſſus: idem Patri & æqualis, & minor: idem ex patre ante ſæcula genitus, idem in ſæculo ex matre generatur: perfectus Deus, perfectus homo: in Deo ſumma diuinitas, in homine plena humanitas: Plena, inquam, humanitas quippè quæ animam ſimul habeat & carnem: ſed carnem veram, noſtram, maternam: animam verò intellectu præditam, mente ac ratione pollentem. Eſt ergo in Chriſto verbum, anima, caro: ſed hoc totum vnus eſt Chriſtus, vnus filius Dei, & vnus Saluator ac redemptor noſter. Vnus autem, non corruptibili neſcio, qua diuinitatis & humanitatis confuſione, ſed integra & ſingulari quadam vnitate perſonæ. Neque enim illa coniunctio alterũ in alterum conuertit atque mutauit (qui eſt error proprius Arrianorum) ſed ita in vnum potiùs vtrumque compegit, vt manẽte ſemper in Chriſto ſingularitate vnius eiuſdemque perſonæ, in æternum quoque permaneat proprietas vniuſcuiuſque naturæ: quo ſcilicet nec vnquam Deus corpus eſſe incipiat, nec aliquando corpus eſſe deſiſtat: quod etiam humanę conditionis demonſtratur exemplo: neque enim in præſenti tantùm, ſed in futuro quoque vnuſquiſque hominum conſtabit ex corpore, & anima: nec tamẽ vnquam aut corpus in ani- *Aliud. Aliud.* *Arriani confundunt naturas.*

mam, aut anima vertetur in corpus: ſed vnoquoque hominum ſine fine victuro, in vnoquoque hominum ſine fine neceſſariò vtriuſque ſubſtantiæ differentia permanebit. Ita in Chriſto quoque vtriuſque ſubſtantiæ ſua cuique in æternum proprietas, ſalua tamen perſonæ vnitate, retinenda eſt.

CAPVT XX.

SEd cùm perſonam ſæpiùs nominamus, & dicimus, quòd Deus perſona homo factus ſit, vehementer verẽdum eſt, ne hoc dicere videamur, quod Deus verbũ ſola imitatione actionis quæ ſunt noſtra ſuſceperit, & quidquid illud eſt conuerſationis humanæ, quaſi adumbratus, non quaſi verus homo fecerit: ſicut in theatris fieri ſolet, vbi vnus plures effingit repentè perſonas, quarum ipſe nulla eſt. Quotieſcunque etenim aliqua ſuſcipitur imitatio actionis alienæ, ita aliorum officia aut opera patrantur, vt tamen hi qui agũt, non ſint ipſi quos agunt. Neque enim, vt verbi gratia ſæcularium & Manichæorum vtamur exemplis, cum actor tragicus ſacerdotem effingit aut regẽ, ſacerdos aut rex eſt: nam deſinente actu, ſimul & ea quæ ſuſceperat perſona deſiſtunt. Abſit hoc à nobis nefarium ſceleratumque ludibrium. Manichæorum ſit iſta dementia, qui phantaſiæ prædicatores, aiunt filium Dei Deum, perſonam hominis non ſubſtantiuè exſtitiſſe, ſed actu putatiuo, quodam, & conuerſatione ſimulâſſe. Catholica verò fides ita verbum Deſ hominem factum eſſe dicit, vt quæ noſtra ſunt, non fallaciter & adumbratè, ſed verè expreſſeque ſuſciperet: & quæ erant humana non aliena imitaretur, ſed potiùs vt ſua gereret: & prorſus quod agebat, hoc etiam eſſet. Sicut ipſi nos quoque in eo quod loquimur, ſapimus, viuimus, ſubſiſtimus, non imitamur homines, ſed ſumus. Neque enim Petrus & Ioannes, vt eos potiſſimùm nominem, imitando erant homines, ſed ſubſiſtendo. Neque item Paulus ſimulabat Apoſtolum, aut fingebat Paulum, ſed erat Apoſtolus, & ſubſiſtebat Paulus: Ita etiam Deus verbum, adſumendo & habendo carnem, loquendo, faciendo, patiendo per carnem, ſine vlla tamen ſuæ corruptione naturæ, hoc omninò præſtare dignatus eſt, vt hominem perfectum non imitaretur aut fingeret, ſed exhiberet: vt homo verus non videretur aut putaretur, ſed eſſet atq; ſubſiſteret. Igitur ſicut anima connexa carni, nec in carnem tamen verſa non imitatur hominem, ſed eſt homo, & homo non per ſimulationem, ſed per ſubſtantiam: ita etiam verbum Deus, abſque vlla ſui conuerſione vnione ſe homini non confundendo, non imitando, factus eſt homo, ſed ſubſiſtendo. Abiiciatur ergo tota penitus perſonæ illius intelligentia, quæ fingendo imitatione ſuſcipitur: vbi ſemper aliud eſt, & aliud ſimulatur: vbi ille qui agit, nunquam is eſt, quem agit. Abſit etenim, vt hoc fallaci modo Deus verbum hominis perſonam ſuſcepiſſe credatur: ſed ita potius, vt incommutabili ſua manente ſubſtãtia, & in ſe perfecti hominis ſuſcipiendo naturam, ipſe caro, ipſe homo, ipſe perſona hominis exiſteret: non ſimulatoria, ſed vera: nõ imitatiua, ſed ſubſtantiua: nõ denique quæ cum actione deſiſteret, ſed quæ prorſus in ſubſtantia permaneret. Hæc igitur in Chriſto perſonæ vnitas, nequaquam poſt virginis partum, ſed in ipſo virginis vtero compacta atque perfecta eſt.

Manichæi.

CAPVT XXI.

VEhementer enim præcauere debemus, vt Chriſtum non modò vnum: ſed ſemper vnum confiteamur: quia intollerãda blaſphemia eſt, vt etiãſi nunc eum vnum eſſe concedas: aliquando tamen non vnum, ſed duos fuiſſe contendas: vnum ſcilicet poſt tempus baptiſmatis, duos verò ſub tempore natiuita-

Intolerandæ blaſphemia.

natiuitatis. Quod immenſum ſacrilegiũ non aliter profectò vitare poterimus niſi vnitum hominem Deo in vnitate perſonę, non aſcenſu, vel reſurrectione vel baptiſmo, ſed iam in matre, iam in vtero, iã denique in ipſa virginali conceptione fateamur: propter quam perſonę vnitatẽ, indifferenter ei atque promiſcuè, & quæ Dei ſunt propria, tribuũtur homini, & quæ carnis propria adcribũtur Deo. Inde eſt enim quod diuinitus ſcriptum eſt: Et filium hominis deſcendiſſe de cœlo, & Dominum maieſtatis crucifixum in terra: inde etiam eſt, vt carne Domini facta, carne Domini creata, ipſum verbum Dei factum, ipſa ſapientia Dei impleta, ſcientia creata dicatur: ſicut in præſcientia, manus ipſius & pedes foſſi eſſe referuntur. Per hanc, inquam, perſonæ vnitatem illud quoq; ſimilis myſterij ratione profectũ eſt, vt carne verbi ex integra matre naſcente ipſe Deus verbum natus ex virgine catholiciſſimè credatur, impiiſſimè denegetur. Quæ cum ita ſint, abſit vt quiſquã ſanctã Mariam diuinę gratiæ priuilegiis, vt ſpeciali gloria fraudare conetur: Eſt enim ſingulari quodam Domini ac Dei noſtri, filij autem ſui munere veriſſimè ac beatiſſimè *theotocos* confitenda. Sed non eodem modo *theotocos*, quo impia quædam hæreſis ſuſpicatur, quæ adſerit eam Dei matrem ſola appellatione dicendam, quæ cum ſcilicet pepererit hominem, qui poſteà factus eſt Deus; ſicut dicimus presbyteri matrem, aut Epiſcopi matrẽ, non iam presbyterum aut Epiſcopum pariendo, ſed eum generando hominem, qui poſteà presbyter vel Epiſcopus factus eſt. Non ita, inquam, ſancta Maria *theotocos*: ſed ideò potiùs quoniam vt ſuprà dictum eſt, iam in eius ſacrato vtero ſacroſanctum illud myſterium perpetratum eſt, quod propter ſingularem quãdam atque vnicam perſonæ vnitatem, ſicut verbum in carne caro, ita homo in Deo Deus eſt.

Pſalm.21.

Maria.
Θεότοκος.

Recapitulatio prædictorum à capite XVII.

CAPVT XXI.

SEd iam ad ea quæ ſupra de memoratis hæreſibus, vel de Catholica fide breuiter dicta ſunt, renouandæ cauſa memoriæ breuiùs ſtrictiúſque repetamus: quo ſcilicet & intelligantur iterata plenius, & firmius inculcata teneantur. Anathema igitur Photino, non recipienti plenitudinem Trinitatis, & Chriſtum hominem tantummodo ſolitarium prædicãti. Anathema Apollinari, adſerenti in Chriſto conuerſæ diuinitatis, corruptionem, & auferenti perfectæ humanitatis proprietatem. Anathema Neſtorio, neganti ex virgine Deum natum, adſerenti duos Chriſtos, & exploſa Trinitatis fide, quaternitatem nobis introducenti. Beata verò Catholica Eccleſia, quæ vnum Deum in Trinitatis plenitudine, & item Trinitatis æqualitatem in vna diuinitate veneratur: vt neque ſingularitas ſubſtantiæ perſonarum confundat proprietatem, neque item Trinitatis diſtinctio vnitatem ſeparet Deitatis. Beata, inquam, Eccleſia, quæ in Chriſto duas veras perfectáſque ſubſtantias, ſed vnam Chriſti credit eſſe perſonam, vt neque naturarum diſtinctio vnitatem perſonæ diuidat, neque item perſonæ vnitas differentiam confundat ſubſtantiarum. Beata, inquam, Eccleſia, quę, vt vnum ſemper Chriſtum & eſſe, & fuiſſe fateatur, vnitum hominem Deo non poſt partũ, ſed iam in ipſo matris vtero confitetur. Beata, inquam, Eccleſia, quæ Deum factum hominem, non conuerſione naturæ, ſed perſonæ ratione intelligit: Perſonæ autem non ſimulatoriæ, & tranſeuntis, ſed ſubſtantiuæ ac permanentis. Beata, inquam, Eccleſia, quæ hanc perſonæ vnitatem tantam vim habere prædicat, vt propter eam miro ineffabilique myſterio & diuina homini & Deo adſcribat humana: Nam

propter eam& hominem de cœlo ſecundum Deum deſcendiſſe,non abnegat &Deum ſecundum hominem credidit in terra factum,paſſum & crucifixum. Propter eam denique & hominem Dei filium, & Deum filium virginis confitetur.Beata igitur ac veneranda,benedicta & ſacroſancta, & omninò ſupernæ illi Angelorum laudationi comparanda confeſſio, quæ vnum Dominum Deum trina ſanctificatione glorificat. Idcirco etenim vel maximè vnitatem Chriſti prædicat,ne myſterium Trinitatis excedat. Hæc in excurſu dicta ſint, alias(ſi deo placuerit)vberiùs tractanda & explicanda. Nunc ad propoſitum redeamus.

Quod error Origenis magna fuerit in Dei Eccleſia populi tentatio.

CAPVT XXIII.

DIcebamus ergo in ſuperioribus, quòd in Eccleſia Dei tentatio eſſet populi, error magiſtri: & tanto maior tentatio, quanto ipſe eſſet doctior, qui erraret. Quod primùm ſcripturæ authoritate,deinde Eccleſiaſticis docebamus exemplis: eorum ſcilicet commemoratione, qui cùm aliquandiu ſanæ fidei forent habiti, ad extremum tamen, aut in alienam decidiſſent ſectam,aut ipſi ſuam hæreſim condidiſſent. Magna profectò res & ad diſcendum vtilis, & ad recolendum neceſſaria, quam etiam atque etiam exemplorum molibus illuſtrare atque inculcare debemus:vt omnes ferè Catholici nouerint,ſe cum Eccleſia doctores recipere,non cum Doctoribus Eccleſiæ fidem deſerere debere. Sed ego ita arbitror,quod cum multos in hoc tentandi genere proferre valeamus, nemo penè ſit, qui Origenis tentationi valeat comparari:in quo plura adeò præclara,adeò ſingularia, adeò mira exſtiterunt, vt inter initia habendam cunctis adſertionibus eius fidem, quiuis facilè iudicaret.Nam ſi vita facit authoritatem, magna illi induſtria, magna pudicitia,patientia,tolerantia:ſi genus vel eruditio,quid eo nobilius, qui primum inea domo natus eſt, quæ eſt illuſtrata martyrio ? Deinde pro Chriſto non ſolum patre, ſed omni quoque facultate priuatus, tantum inter ſanctæ paupertatis profecit anguſtias,vt pro nomine dominicæ confeſſionis ſæpius, vt ferunt,adfligeretur.Neque verò hæc in illo ſola erant, quæ cuncta poſteà tentationi forent, ſed tanta etiam vis ingenij, tam profundi, tam acris, tam elegantis,vt omnes penè multum longéque ſuperauit: tanta doctrinæ ac totius eruditionis magnificentia, vt pauca forent diuinæ, penè fortaſſe nulla humanæ philoſophiæ, quæ non penitus adſequeretur. * Cuius ſcientiæ cum Græci non crederent,Hebræa quoque elaborata ſunt. Eloquẽtiam verò quid memorem?cuius fuit tam amœna,tam læta,tam dulcis oratio, vt mihi ex ore ipſius non tam verba,quàm mella quædam fluxiſſe videantur. Quæ non ille perſuaſu difficilia diſputãdi viribus elimpidauit?quę factũ ardua non vt facillima viderentur effecit: Sed forſitan argumentorum tantummodo nexibus adſertiones ſuas texuit.Imo planè nemo vnquã Magiſtrorũ fuit,qui pluribus diuinæ legis vteretur exemplis.Sed credo pauca cõſcripſit: Nemo mortalium plura:vt mihi ſua omnia non ſolum non perlegi,ſed ne inueniri quidem poſſe videantur.Cui ne quidquam.ac ſcientiæ inſtrumenta deeſſet, etiam plenitudo exabundauit ętatis.Sed forſitã diſcipulis parum fœlix,Quis vnquã fœlicior?Nẽpè innumeri ex ſinu ſuo doctores,innumeri ſacerdotes,cõfeſſores, & Martyres exſtiterunt. Iam vero quanta apud omnes illius admiratio, quanta gloria,quãta gratia fuerit,quis exequi valeat:Quis nõ ad eum paulo religioſior,ex vltimis mundi partibus aduolauit : Quis Chriſtianorum non pene vt Prophetam,quis Philoſophorum non vt magiſtrum veneratus eſt:Quam autem

Nota.

Origenes.

Origenis genus & eruditio.

** fortè Cuius ſcientiæ cum Græca cederent, Melle dulcior Origenis oratio.*

tem non ſolum priuatæ conditioni, ſed ipſi quoque fuerit reuerendus Imperio, declarant hiſtoriæ, quę eum à matre Alexandri Imperatoris accitum ferũt cœleſtis vtique ſapientiæ merito, cuius & ille gratia & amore flagrabat. Sed & eiuſdem epiſtolæ teſtimonium perhibent, quas ad Philippum imperatorem, qui primus Romanorum principum Chriſtianus fuit, Chriſtiani magiſterij authoritate conſcripſit. De cuius incredibili quadam ſcientia, ſi quis referentibus nobis Chriſtianum non accepit teſtimonium, ſaltem teſtificantibus Philoſophis gentilem recipiat confeſſionem. Ait namque impius ille Porphyrius, excitum ſe fama ipſius Alexandriam ferè puerum perrexiſſe, ibique eum vidiſſe iam ſenem, ſed plane talem tantumque qui arcem totius ſcientiæ * condidiſſet? Dies me citiùs defecerit, quam ea quæ in illo viro præclara exſtiterunt, vel ex minima ſaltem parte perſtringam: quæ tamen non ſolum ad religionis gloriam, ſed etiam ad tentationis magnitudinem pertinebant. Quotus enim quiſque tanti ingenij, tantæ doctrinæ, tantæ gratiæ virum à ſe facile deponeret, ac non potius illa vteretur ſententia, ſe cum Origene errare malle, quam cum aliis vera ſentire. Et quid plura: Eo res decidit, vt tantæ perſonæ, tanti doctoris, tanti Prophetæ, non humana aliqua, ſed vt exitus docuit, nimium periculoſa tentatio plurimos à fidei integritate deduceret. Quamobrem hic Origenes tantus ac talis dum gratia Dei inſolentius abutitur, dum ingenio ſuo nimium indulget, ſibíque ſatis credit, cum parui pendit antiquam Chriſtianæ Religionis ſimplicitatem, dum ſe plus cunctis ſapere præſumit, dum Eccleſiaſticas traditiones & veterum magiſteria contemnens quædam ſcripturarum capitula nouo more interpretatur, meruit vt de ſe quoq; Eccleſia Dei diceret: Si ſurrexerit in medio tui Propheta. Et paulò poſt: non audies, inquit, verba Prophetæ illius. Et item: quia tentat vos, inquit Dominus Deus veſter, vtrum diligatis eum, an non. Verè non ſolum tentatio, ſed etiam magna tentatio, deditam ſibi, atque in ſe pendentem Eccleſiam admiratione ingenij, ſcientiæ, eloquentiæ, conuerſationis & gratiæ nihil de ſe ſuſpicantem, nihil ſe verentem, ſubito à veteri religione in nouam prophanitatem ſenſim paulatimque traducere. Sed dicet aliquis corruptos eſſe Origenis libros. Non reſiſto, quin potius & malo. Nam id à quibuſdam & traditum, & ſcriptum eſt, non Catholicis tantum ſed etiam hæreticis. Sed illud quod nunc debemus aduertere, etſi non ipſum, libros tamen ſub nomine ſuo editos, magnæ eſſe tentationi, qui multis blaſphemiarum vulneribus ſcatentes, non vt alieni, ſed quaſi ſui & leguntur, & amantur, vt etſi in errore concipiendo Origenis non fuit ſenſus, ad errorem tamen perſuadendum Origenis auctoritas valere videatur.

Scribit hac de re Euſeb. Eccleſiaſt. hiſt. lib. 6.

Porphyrij de Origene teſtimonium.

**fortè confe cndiſſet.*

Sentẽtia hac fuit Ciceronis de Platone li. 1. Tuſc. quæſt.

Origenes Dei donis inſolentius abuſus.

Origenis libri ab aliis corrupti.

Quod & Tertullianus mutata ſententia magna fuerat in Eccleſia tentatio.

CAPVT XXIIII.

Sed & Tertulliani quoque eadem ratio eſt, nam ſicut ille apud Græcos, ita hic apud Latinos noſtrorum omnium facile princeps iudicandus eſt. Quid enim hoc viro doctius: quid in diuinis atque humanis rebus exercitatius: Nempè omnem Philoſophiam, & cunctas Philoſophorum ſectas, auctores, adſertoréſque ſectarum, omneſque eorum diſciplinas, omnem hiſtoriarum, ac ſtudiorum varietatem, mira quadam mentis capacitate complexus eſt, ingenio verò nonne tam graui ac vehementi excelluit, vt nihil ſibi pene ad expugnandum propoſuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pondere eliſerit: Iam porro orationis ſuæ laudes quis exequi valeat: Quæ tanta neſcio qua rationum * neceſſitate conſerta eſt, vt ad conſenſum ſui, quos ſuadere

Tertulliani eruditio.

**forte denſitate.*

non potuerit,impellat:cuius quot pene verba,tot ſententiæ ſunt:quot ſenſus, tot victoriæ. Sciunt hoc Marciones, Apelles, Praxeæ, Hermogenes, Iudæi, Gentiles,Gnoſtici,cæteríque quorum ille blaſphemias multis ac magnis voluminum ſuorum molibus, velut quibuſdam fulminibus euertit. Et tamen hic quoqùe poſt hæc omnia,hic,inquam,Tertullianus, Catholici dogmatis, id eſt vniuerſalis ac vetuſtæ fidei parum tenax,ac diſertior multo, quam fœlicior,mutata deinceps ſententia fecit ad extremum, quod de eo beatus confeſſor Hilarius quodam loco ſcribit:ſequenti,inquit, errore detraxit ſcriptis probabilibus auctoritatem.Et fuit ipſe quoque in Eccleſia magna tentatio, ſed de hoc nolo plura dicere.Hoc tantum commemorabo,quod contra Moſi præceptum exurgentes in Eccleſia nouellas Montani furias, & inſana illa inſanarum mulierum, nouitij dogmatis ſomnia, veras prophetias adſeuerando,meruit vt de ſe quoque & ſcripturis ſuis diceretur: ſi ſurrexerit in medio tui Propheta.Et mox:non audies verba Prophetæ illius,Quare: Quia,inquit, tentat vos dominus Deus veſter, vtrum diligatis eum,an non. His igitur tot, ac tantis,cæteriſque eiuſmodi Eccleſiaſticorum exemplorum molibus euidenter aduertere,& ſecundum Deuteronomij leges luce clarius intelligere debemus,quod ſi quando aliquis Eccleſiaſticus Magiſter à fide aberrauerit ad tentationem id noſtram fieri prouidentia diuina patiatur: vtrum diligamus Deum,an non in toto corde & in tota anima noſtra.

In commentariis in Matt. cap. 5.

Tertullianus Montani ſomnium probat.

Quis ſit verus Catholicus,& quod ebulliente hæretica nouitate ſtatim cernatur frumentorum grauitas,& leuitas palearum.

CAPVT XXV.

QVæ cum ita ſint,ille eſt verus, & Germanus Catholicus, qui veritatem Dei, qui Eccleſiam,qui Chriſti corpus diligit, qui diuinæ religioni, qui Catholicæ fidei nihil præponit, non hominis cuiuſpiam auctoritatem, non amorem,non ingenium,non eloquentiam, non philoſophiam: ſed hæc cuncta deſpiciens,& in fide fixus, & ſtabilis permanens, quicquid vniuerſaliter antiquitus Eccleſiam Catholicam tenuiſſe cognouerit, id ſolum ſibi tenendum credendumque decernit:quicquid verò ab aliquo deinceps vno, præter omnes,vel contra omnes Sanctos nouum & inauditum ſubinduci ſenſerit,id non ad religionem,ſed ad tentationem potius intelligat pertinere. Tum præcipue beati Apoſtoli Pauli eruditus eloquiis: hoc eſt enim quod in prima ad Corinth. ſcribit:*Oportet,inquit, & hæreſes eſſe,vt probati manifeſti fiant in vobis.* Ac ſi diceret:Ob hoc hæreſeon non ſtatim diuinitus eradicantur auctores, vt probati manifeſti fiant,id eſt,vnuſquiſque,quam tenax & fidelis,& fixus Catholicæ fidei ſit amator,appareat.Et reuerà cum quæque nouitas ebullit, ſtatim cernitur frumentorum grauitas, & leuitas palearum: tunc ſine magno molimine excutitur ab area, quod nullo pondere intra aream tenebatur. Namque alij illicò prorſus auolant, alij verò tantummodo excuſſi, & perire metuunt,& redire erubeſcunt,ſaucij,ſemineces,ſemiuiui: quippe qui tantam veneni hauſerint quantitatem,quæ nec occidat,nec digeratur, nec mori cogat,nec viuere ſinat.Heu miſeranda conditio, quantis illi curarum æſtibus, quantis turbinibus exagitantur: Nunc etenim qua ventus impulerit, incitato errore rapiuntur: nunc in ſemetipſos reuerſi tanquam contrarij fluctus reliduntur: nunc temeraria præſumptione ea quæ incerta videntur approbant: nunc irrationali metu etiam, quæ certa ſunt expaueſcunt: incerti quà eant, quà redeant:quid appetant,quid fugiant,quid teneant, quid dimittant. Quæ quidem dubij & malè penduli cordis afflictio,diuinæ erga ſe miſerationis eſt medicina,

Germanus Catholicus quis.

1.*Cor.* 11.

Frumentum paleæ.

medicina,ſi ſapiant.Idcirco etenim extra tutiſſimum catholicæ fidei portum diuerſis cogitationum quatiuntur, verberantur, ac penè necantur procellis, vt excuſſa in altum elatæ mentis vela deponant,quæ malè nouitatum ventis expanderant, ſeſéque intra fidiſſimam ſtationem placidæ ac bonæ matris reducant & teneant, atque amaros illos turbulentóſq; errorum fluctus primitus reuomant,& poſſint deinceps viuæ & ſalientis aquæ fluenta potare. Dediſcant benè, quod didicerunt non benè: & ex toto Eccleſiæ dogmate quod intellectu capi poteſt,capiant:quod non poteſt,credant. *Eccleſia Chriſti fidiſſima ſtatio.*

Explicat illud Pauli,ô Timothee,depoſitum cuſtodi deuitans prophanas vocum nouitates.

CAPVT XXVI.

QVæ cùm ita ſint, iterum atque iterum eadem mecum reuoluens & reputans, mirari ſatis nequeo tantam quorundam hominum væſaniam, tantam excæcatæ mentis impietatem,tantam poſtremò errandi libidinem,vt contenti non ſint tradita ſemel accepta & antiquitùs credendi regula,ſed noua ac noua in diem quærant, ſempérque aliquid geſtiant religioni addere, mutare,detrahere:Quaſi non cœleſte dogma ſit, quod ſemel reuelatum eſſe ſuſcitat,ſed terrena inſtitutio,quæ aliter perfici niſi aſſidua emẽdatione,imò potiùs reprehenſione non poſſet:cùm diuina clamant oracula: *Ne tranſferas terminos quos poſuerũt patres tui. Et:Superiudicantẽ ne iudices. Et:Scindentẽ ſepẽ, mordebit eũ ſerpens.* Et illud Apoſtolicũ,quo omnes omniũ hæreſeon ſceleratæ nouitates, velut quoda ſpirituali gladio ſæpè trũcatę sẽpérq; truncandę ſunt. *O Timothee,depoſitum cuſtodi,deuitans prophanas vocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.* Et poſt hæc inueniuntur aliqui tanta inueteratæ frontis duritia,tanta impudentię incude,tam adamantinæ pertinaciæ,qui tantis eloquiorum cœleſtium molibus non ſuccũbant?tantis põderibus non fatiſcant:tantis malleis non cõquaſſentur:tantis poſtremo fulminibus non conterantur:Deuita, inquit, prophanas vocum nouitates: Non dixit antiquitates:nõ dixit vetuſtates imò planè quid è contrariò ſequeretur,oſtendit.Nam ſi vitanda eſt nouitas,tenenda eſt antiquitas:& ſi prophana eſt nouitas,ſacrata eſt vetuſtas.Et oppoſitiones,inquit, falſi nominis ſciẽtiæ.Verè falſum nomẽ apud doctrinas hæreticorũ,vt ignorãtia ſcientię,& caligo ſerenitatis,& tenebrę luminis appellatione fucentur. Quam quidam,inquit, promittẽtes circa fidẽ exciderũt.Quid promittentes exciderunt?niſi nouam,neſcio quam, ignoratámque doctrinam. Audias etenim quoſdam ipſorum dicere,Venite,ô inſipientes & miſeri, qui vulgo Catholici vocitamini, & diſcite fidem veram, quam præter nos nullus intelligit,quæ multis antè ſeculis latuit,nuper verò reuelata & oſtenſa eſt: ſed diſcite furtim atque ſecretim, delectabit enim vos.Et item: Cùm didiceritis,latenter docete, ne mundus audiat,nec Eccleſia ſciat:paucis namque cõceſſum eſt tanti myſterij capere ſecretum. Nonne hæc verba ſunt illius meretricis, quæ apud Salomonis Prouerbia vocat ad ſe prætereuntes viam,qui dirigunt iter ſuũ: Quid eſt,inquit,veſtrũ inſipientiſſimus,diuertat ad me.Inopes autẽ ſenſu exhortatur,dicẽs:Panes occultos libẽter attingite, & aquã dulcem furtim bibite.Quid deinde:At ille,inquit, neſcit quomodo terrigenæ apud eam pereant.Qui ſunt iſti terrigenæ:Exponat Apoſt. Qui circa fidem, inquit,exciderunt.

1.Tim.6.

Prouerb.9.

CAPVT XXVII.

SEd operæ præcium eſt, totum ipſum Apoſt. capitulum diligentius per-

tractare. O Timothee, inquit, depositum custodi, deuitans prophanas vocum nouitates, O exclamatio ista, & ptæsciētię est pariter & charitatis: pręuidebat *Timotheus.* enim futuros, quos etiam prædolebat, errores. Quis est hodie Timotheus: nisi vel vniuersa Ecclesia, vel specialiter totum corpus Præpositorum, qui integram diuini cultus scientiam vel habere ipsi debent, vel aliis infundere. Quid est depositū custodi? Custodi, inquit, propter fures, propter inimicos: ne dormiētibus hominibus superseminent zizania super illud tritici bonum se- *Depositum.* semen, quod seminauerat filius hominis in agro suo. Depositum, inquit, custodi. Quid est depositum? id est, quod tibi creditum est, non quod à te inuentum: quod accepisti, non quod excogitasti, rem non ingenij, sed doctrinæ: nō vsurpationis priuatæ, sed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam: in qua non auctor debes esse, sed custos, non institutor, sed sectator: non ducens, sed sequens. Depositum, inquit, custodi: Catholicæ fidei talentum inuiolatum, illibatúmque conserua. Quod tibi creditum est, hoc penes te maneat, hoc à te tradatur. Aurum accepisti, aurum redde: nolo mihi pro aliis alia subiicias: nolo pro auro aut impudenter plumbum aut fraudulenter æramenta supponas: nolo auri speciem, sed naturam planè. O Thimothee, ô Sacerdos, ô Tractator, ô Doctor, si te diuinum munus idoneum fece- *Allusio ad ea quæ habemus Exod. 36.* rit, ingenio, exercitatione, doctrina esto spiritualis tabernaculi Beseleel, pretiosas diuini dogmatis gemmas exculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adiice splendorem, gratiam, vetustatem. Intelligatur te exponente illustriùs, quod anteà obscuriùs credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, *Nouè, nō noua dicenda.* quod anteà vetustas non intellectum venerabatur: eadem tamen quæ didicisti ita doce, vt cùm dicas nouè, non dicas noua.

Talentū cuique traditum custodiendū.

Quomodo in Ecclesia, quæ depositum custodit, profectus habeatur religionis.

CAPVT XXVIII.

SEd forsitan dicit aliquis: Nullus ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur religionis? Habeatur planè, & maximus. Nam quis ille est tam in- *Profectus.* inuidus hominibus, exosus Deo, qui istud prohibere conetur? Sed ita tamen, *Permutatio.* vt verè profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, vt in semetipsa vnaquæque res amplificetur: ad permutationem verò, vt aliquid ex alio in aliud transuertatur. Crescat igitur oportet, & multum vehementerque proficiat, tam singulorum, quàm omnium, tam vnius hominis, quàm totius Ecclesiæ ætatum ac seculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eadémque sententia.

CAPVT XXIX.

IMitetur animarum religio rationem corporū, quæ licet annorum processu numeros suos euoluant, & explicent, eadem tamen quæ erant, permanent. Multum interest inter pueritiæ florem, & senectutis maturitatem: sed iidem tamen ipsi fiunt senes, qui fuerant adolescentes: vt quamuis vnius eiusdémq; hominis status habitusque mutetur, vna tamē nihilominus eadémq; natura, vna eadémq; persona sit. Parua lactentiū membra, magna iuuenum: eadé ipsa sunt tamen. Quod paruulorū artus, tot virorum: & si qua illa sunt, quæ qui maturioris ætate pariuntur, iam in seminis ratione proserta: vt nihil nouum postea proferatur in senibus, quod non in pueris iam antea latitauerit. Vnde non dubium est, hanc esse legitimam & rectam proficiendi regulam, hunc ratum atque pulcherrimum crescendi ordinem: si eas semper in grādioribus

Partes

partes ac formas numerus detexat ætatis, quas in paruulis creaturis ſapientia præformauerat. Quòd ſi humana ſpecies in aliquam deinceps non ſui generis vertatur effigiem, aut certè addatur quippiam membrorum numero, vel detrahatur, neceſſe eſt vt totum corpus vel intercidat, vel prodigioſum fiat, vel certè debilitetur. Ita etiam Chriſtianæ religionis dogma, ſequatur has decet profectuum leges: vt annis ſcilicet conſolidetur, dilatetur tempore, ſublimetur ætate: incorruptum tamen, illibatumque permaneat, & vniuerſis partium ſuarum menſuris, cunctiſque quaſi membris ac ſenſibus propriis plenum atque perfectum ſit: quòd nihil præterea permutationis admittat, nulla proprietatis diſpendia, nullam ſubſtineat definitionis varietatem.

CAPVT XXX.

Semen triticeæ fidei.

EXempli gratia: Seuerunt Maiores noſtri antiquitùs in hac Eccleſiaſtica ſegete triticeæ fidei ſemina: iniquũ valdè & incongruum eſt, vt nos eorum poſteri pro Germana veritate frumenti, ſubditicium zizaniæ eligamus errorem. Quin potiùs hoc rectum & conſequens eſt, vt primis atque extremis ſibimet non diſcrepantibus, de incremẽtis triticeæ inſtitutionis, triticei quoque dogmatis frugem demetamus: vt cum aliquid ex illis ſeminum primordiis acceſſu temporis euoluatur, & nunc lætetur & excolatur: nihil tamen de germinis proprietate mutetur: addatur licet forma, ſpecies, diſtinctio: eadem tamen cuiuſque generis natura permaneat: Abſit etenim, vt roſea illa Catholici ſenſus plantaria, in carduos ſpinaſque vertantur. Abſit, inquam, vt in iſto ſpirituali paradyſo, de cynnamomi & balſami ſurculis, lolium repentè atque aconita proueniant. Quodcunque igitur in hac Eccleſia, Dei agricultura, fide patrum ſatum eſt: hoc idem filiorũ induſtria decet excolatur, & obſeruetur: hoc idem floreat & matureſcat: hoc idem proficiat & perficiatur. Fas eſt etenim, vt priſca illa cœleſtis philoſophię dogmata proceſſu temporis excurentur, limentur, poliantur: Sed nefas eſt vt commutentur, nefas vt detruncentur, vt mutilentur. Accipiant licet euidentiam, lucem, diſtinctionem: ſed retineant neceſſe eſt plenitudinem, integritatem, proprietatem.

Roſea Catholici ſenſus plantaria.

Abdicata qualibet parte Catholici dogmatis quantum abolendæ religionis periculum conſequatur.

CAPVT XXXI.

NAm ſi ſemel admiſſa fuerit hæc impiè fraudis licentia, horreo dicere, quantum exſcindendæ atque abolẽdæ religionis periculum conſequatur. Abdicata etenim qualibet parte Catholici dogmatis, alia quoque, atque item alia, ac deinceps alia & alia iam quaſi ex more & licito abdicabuntur. Porrò autem ſingulatim partibus repudiatis, quid aliud ad extremum ſequetur, niſi vt totum pariter repudietur? Sed & econtrà, ſi nouitia veteribus, extranea domeſticis, & prophana ſacratis admiſceri cœperint, proſerpat hic mos in vniuerſum neceſſe eſt, vt nihil poſthac apud Eccleſiam relinquatur intactum, nihil illibatum, nihil integrum, nihil immaculatum, ſed ſit ibidem deinceps impiorum ac turpium errorum lupanar, vbi erat antè caſtæ & incorruptæ ſacrarium veritatis. Sed auertat hoc à ſuorum mentibus nefas diuina pietas, ſitque hic potiùs impiorum furor.

Locus notatu dignus.

Turpiũ errorum lupanar.

Chriſti Eccleſia, ſedulâ depoſitorum apud ſe dogmatam cuſtos, quod conciliorum ſuorum decretis enitatur.

CAPVT XXXII.

CHriſti verò Eccleſia, ſedula & cauta depoſitorum apud ſe dogmatum cuſtos, nihil in iis vnquam permutat, nihil minuit, nihil addit: non am-

Eccleſiæ officium.

putat neceſſaria, non apponit ſuperflua, non amittit ſua, non vſurpat aliena: ſed omni induſtria hoc vnum ſtudet, vt vetera fideliter ſapienterque tractando, ſi qua ſunt illa antiquitùs informata & inchoata, accuret & poliat: ſi qua iam expreſſa & enucleata, conſolidet, firmet: ſi qua iam confirmata & definita, cuſtodiat. *Concilia.* Denique quid vnquam aliud Conciliorum decretis eniſa eſt, niſi vt quòd anteà ſimpliciter credebatur, hoc idem poſteà diligentiùs crederetur? quod anteà lentiùs prædicabatur, hoc idem poſtea inſtantiùs prędicaretur? quod anteà ſecuriùs colebatur, hoc idem poſteà ſollicitiùs excoleretur? Hoc, inquam, ſemper, neque quicquam prætereà, hæreticorum nouitatibus excitata. Conciliorum ſuorum decretis catholica perfecit Eccleſia, niſi vt quod priùs à maioribus* ſola traditione ſuſceperat, hoc deinde poſteris etiam per ſcripturæ Chirographum conſignaret: magnam rerum ſummam paucis literis comprehendo, & plerunque propter intelligentiæ lucem, non nouum fidei ſenſum, nouæ appellationis proprietate ſignando.

** Fortè ſua.*

Redit ad Apoſtoli verba, Deuitans prophanas vocum nouitates.

Caput XXXIII.

1. Cor. 6. 2. Iean. 1. SEd ad Apoſtolum redeamus: *O Timothee, inquit, depoſitum cuſtodi, deuitans prophanas vocum nouitates: deuita, inquit, quaſi viperam, quaſi ſcorpionem, quaſi baſiliſcum: ne te non ſolùm tactu, ſed etiam viſu afflatuq; percutiant.* Quid eſt deuitare? Cùm huiuſmodi nec cibum ſumere. Quid eſt deuita? Si quis, inquit, venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert. Quam doctrinam? niſi Catholicam, & vniuerſalem, & vnam eandemque per ſingulas ætatum ſucceſſiones incorrupta veritatis traditione manentem, & vſque in ſæcula, ſine fine manſuram? Quid tum? Nolite, inquit, recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis: qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis. Prophanas, inquit, vocum nouitates. *Prophana nouitates.* Quid eſt prophanas? Quæ nihil habent ſacri, nihil religioſi, ab Eccleſiæ penetralibus, quæ eſt templum Dei, penitus extraneas. Prophanas, inquit, vocum nouitates: Vocum, id eſt, dogmatum, rerum, ſententiarum nouitates: quæ ſunt vetuſtati, quæ antiquitati contrariæ. *Doctrina hoc tempore diligenter attendenda.* Quæ ſi recipiantur, neceſſe eſt vt fides beatorum Patrum, aut tota, aut certè magna ex parte violetur: neceſſe eſt vt omnes omnium ætatum fideles: omnes ſancti, omnes caſti, continentes, Virgines, omnes clerici, Leuitæ & Sacerdotes, tanta Confeſſorum millia, tanti Martyrum exercitus, tanta vrbium, tanta populorum celeritas & multitudo, tot inſulæ, Prouinciæ, Reges, Gentes, Regna, Nationes, totus poſtremò iam penè terrarum orbis, per Catholicam fidem Chriſto capiti incorporatus, tanto ſeculorum tractu ignoraſſe, erraſſe, blaſphemaſſe, neſciſſe quid crederet: pronuncietur.

Caput XXXIIII.

PRophanas, inquit, vocum nouitates deuita, quas recipere atque ſectari nunquã Catholicorũ, ſemper verò hæreticorũ fuit: Et reuera, quæ vnquã hæreſis, niſi ſub certo nomine, certo loco, certo tẽpore ebulliuit? Quis vnquã hæreſes inſtituit, niſi qui ſe prius ab Eccleſiæ Catholicæ vniuerſitatis & antiquitatis conſenſione diſcreuerit? Quod ita eſſe, luce clariùs exempla demonſtrant. *Hæretici ſeip ſos ab Eccleſia Catholica ſegregant.* Quis enim vnquam antè prophanum illum Pelagium, tantam virtutem liberi præſumpſit arbitrij, vt ad hoc in bonis rebus per actus ſingulos adiuuandum, neceſſariam Dei gratiam non putaret? *Pelagius.* Quis ante prodigioſum diſcipulum eius Cœleſtium reatu prænaricationis Adæ omne genus humanum negauit aſtrictum? *Cœleſtius.* Quis ante ſacrilegũ Arrium, Trinitatis vnita- *Arrius.*

tem

tem deſcindere,quis ante ſceleratum Sabellium,vnitatis Trinitatem confundere auſus eſt? Quis ante crudeliſſimum Nouatianum,crudelem Deum dixit, eò quòd nollet mortem morientis,quàm vt reuertatur & viuat? Quis autem Magum Simonem, Apoſtolica diſtrictione percuſſum, à quo vetus ille turpitudinum gurges vſque in nouiſſimum Priſcillianum continua & occulta ſucceſſione manauit,authorem malorum,id eſt ſcelerum, impietatum, flagitiorúmque noſtrorum,auſus eſt dicere creatorem Deum? Quippè quem adſerit talem hominum manibus ipſum ſuis creare naturam,quæ proprio quodam motu & neceſſariæ cuiuſdam voluntatis impulſu,nihil aliud poſſit,nihil aliud velit,niſi peccare:eò quod furiis omnium vitiorum exagitata& inflammata,in omnia turpitudinum barathra inexhauſta cupiditate rapiatur. Innumera ſunt talia,quæ breuitatis ſtudio prætermittimus: quibus tamen cunctis ſatis euidenter perſpicuéque monſtratur, hoc apud omnes ferè hæreſes quaſi ſolenne eſſe ac legitimum,vt ſemper prophanis nouitatibus gaudeant, antiquitatis ſcita faſtidiant, & per oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ à fide naufragent. Contrà verò, Catholicorum hoc ferè proprium depoſita ſanctorum Patrum & commiſſa ſeruare,damnare prophanas nouitates: & ſicut dixit, & iterum dixit Apoſtolus: Si quis annunciauerit, præterquam quod acceptum eſt,anathemare.

Sabellius. *Nouatianus.* *Simon Magus* *Priſcillianus.* *Hæretici nouarum rerum ſemper cupidi antiqua faſtidiunt.*

Quo pacto hæretici diuinæ ſcripturæ teſtimoniis vtantur.

CAPVT XXXV.

HIc fortaſſe aliquis interrogét, an & hæretici diuinæ ſcripturæ teſtimoniis vtantur. Vtuntur planè,& vehementer quidem,nam videas eos volare per ſingula quæque ſanctæ legis volumina:per Moſi, per Regum libros, per Pſalmos, per Apoſtolos, per Euangelia,per Prophetas. Siue enim apud ſuos,ſiue alienos:ſiue priuatim,ſiue publicè, ſiue in ſermonibus, ſiue in conuiuiis, ſiue in plateis: nihil vnquam penè de ſuo proferunt, quod non etiam ſcripturæ verbis adumbrare conentur. Lege Pauli Samozateni opuſcula,Priſcilliani,Eunomij Iouiniani,reliquarúmque peſtium: cernas infinitam exemplorum congeriem,propè nullam omitti paginam,quæ non noui aut veteris teſtamenti ſententiis fucata & colorata ſit. Sed tanto magis cauendi & pertimeſcendi ſunt,quanto occultiùs ſub diuinæ legis vmbraculis latitant. Sciunt enim fœtores ſuos nulli ferè cito eſſe placituros, ſi nudi & ſimplices exhalentur: atque idcirco eos cœleſtis eloquij velut quodam aromate aſpergunt, vt ille qui humanum facilè deſpiceret errorem, diuina non facilé contemnat oracula. Itaque faciunt quod hi ſolent, qui paruulis auſtera quædam temperaturi pocula, prius ora melle circumlinunt:vt incauta ætas cûm dulcedinem præſenſerit,amaritudinem non reformidet. Quod etiam iis curæ eſt, qui mala gramina,& noxios ſuccos,medicaminum vocabulis præcolorant:vt nemo ferè vbi ſupraſcriptum legerit remedium,ſuſpicetur venenum.

Sub diuinæ legis vmbraculis hæretici errores ſuos tegunt. *Pulcherrimæ ſimilitudines.*

Allegatur contra hæreſes initium 7. capitis Matthæi.

CAPVT XXXVI.

IDem denique & Saluator clamabat. *Attendite vobis à Pſeudoprophetis, qui veniunt ad vos in veſtitu ouium,ab intus autem ſunt lupi rapaces.* Quid eſt veſtitus ouium? niſi prophetarum & Apoſtolorum proloquia: quæ iidem ouili quadam ſynceritate agno illi immaculato, qui tollit peccatum mundi, tanquam vellera quædam texuerunt: Qui ſunt lupi rapaces? niſi ſenſus hæreticorum feri, & rapidi, qui caulas Eccleſiæ ſemper infeſtant, & gregem Chriſti

Matth. 7. *Veſtitus ouium quid.* *Qui ſint lupi rapaces.*

quaqua poſſunt dilacerant? Sed vt fallaciùs incautis ouibus obrepant, manente luporum ferocia, deponunt lupinam ſpeciem,& ſeſe diuinæ legis ſententiis,velut quibuſdam velleribus obuoluunt:vt cùm quiſque lanarum mollitiem præſenſerit, nequaquam aculeos dentium pertimeſcat. Sed quid ait Saluator? Ex fructibus eorum cognoſcetis eos.Id eſt, cùm cœperint illas voces non iam proferre tantùm, ſed etiam exponere: nec adhuc iactare ſolùm, ſed etiam interpretari: tunc amaritudo illa, tunc acerbitas,tunc rabies intelligitur, tunc nouitium virus * exhalabitur, tunc prophanæ nouitates aperiuntur, tunc primum ſcindi ſepem videas, tunc transferri patrum terminos, tunc Catholicam fidem cædi, tunc Eccleſiaſticum dogma lacerari.

Fructus hæreticorum.

* *exhalatur.*

Ex 1. Cor. 11. capite, quod Pſeudoapoſtoli ſint operarij ſubdoli, transfiguranies ſe in angelos lucis. Item, quod ſint diſcipuli diaboli tentantis Chriſtum.

CAPVT XXXVII.

TAles erant ij quos percutit Apoſtolus Paulus in ſecunda ad Corinthios, dicens: *Nam eiuſmodi, inquit, Pſeudo Apoſtoli, ſunt operarij ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti:* Quid eſt transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti? Proferebant Apoſtoli diuinæ legis exempla,proferebant & illi: Proferebant Apoſtoli Pſalmorum authoritates,proferebant & illi. Proferebant Apoſtoli ſententias Prophetarum,& illi nihilominus proferebant. Sed cum ea,quæ ſimiliter protulerant, interpretari non ſimiliter cœpiſſent, tunc ſimplices à ſubdolis,tunc infucati à fucatis,tunc recti à peruerſis, tunc poſtremò veri Apoſtoli à falſis Apoſtolis diſcernebantur. Et non mirum, inquit: Ipſe enim ſathanas transfigurat ſe in angelum lucis:non eſt ergo magnum, ſi miniſtri eius transfigurantur ſicut miniſtri iuſtitiæ. Ergo ſecundum Apoſtoli Pauli magiſterium,quotieſcunque vel Pſeudo Apoſtoli,vel pſeudoprophetæ, vel Pſeudodoctores,diuinæ legis ſententias proferunt,quibus malè interpretatis errores ſuos aſtruere conentur,non dubium eſt, quin authoris ſui callida machinamenta ſectentur: quæ ille nunquam profectò comminiſceretur niſi ſciret omninò nullam eſſe ad fallendum faciliorem viam, quàm vt vbi nefarij erroris ſubinducitur fraudulẽtia, ibi diuinorum verborum prætendatur authoritas.Sed Dicet aliquis:Vndè probatur quòd ſacrę legis exemplis diabolus vti ſoleat? Legat Euangelia,in quibus ſcribitur: *Tunc aſſumpſit eum diabolus, id eſt, Dominum Saluatorem: & ſtatuit illum ſuprà pinnam templi, & dixit ei, ſi filius Dei es, mitte te deorſum, ſcriptum eſt enim, quòd angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis: in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Quid hic faciet miſellis hominibus, qui ipſum Dominum maieſtatis,ſcripturarum teſtimoniis appetiuit? Si inquit,filius Dei es,mitte te deorſum. Quare? Scriptum eſt, enim, inquit. Magnoperè nobis doctrina loci iſtius attendenda atque retinenda eſt, vt tanto Euangelicæ authoritatis exemplo, quando aliquos Apoſtolica, ſeu prophetica verba proferre contra Catholicam fidem viderimus, diabolum per eos loqui minimè dubitemus. Nam ſicut tunc caput capiti,ita nunc quoque membra membris loquuntur: membra ſcilicet diaboli, membris Chriſti, perfidi fidelibus, ſacrilegi religioſis, hæretici poſtremò Catholicis. Sed quid tandem dicit? Si,inquit,filius Dei es,mitte te deorſum. Hoc eſt,filius eſſe vis Dei,& hæreditatem regni cæleſtis accipere, mitte te deorſum, id eſt, ex iſtius te ſublimis Eccleſiæ vertice,quæ etiam templum Dei putatur,doctrina & traditione demitte.

1. Cor. 11.

Transfigurare ſe in Apoſtolos Chriſti quid.

Fallendi via facillima.

Matth. 4.

Nota.

Mittere ſe deorſũ quid.

demitte. Ac ſi quis interroget quempiam hæreticorum ſibi talia perſuadentem: vnde probas, vnde doces quod Eccleſiæ Catholicæ vniuerſalem & antiquam fidem dimittere debeam: Statim ille. Scriptum eſt enim. Et continuò mille teſtimonia, mille exempla, mille auctoritates parat, de Lege, de Pſalmis, de Apoſtolis, de Prophetis, quibus nouo & malo more interpretatis, ex arce Catholica, in hæreſeos barathrum infœlix anima præcipitetur. Iam verò illis quæ ſequuntur promiſſionibus miro modo incautos homines hæretici decipere conſueuerunt. Audent etenim polliceri, & docere, quod in Eccleſia ſua, id eſt, in communionis ſuæ conuenticulo, magna & ſpecialis, ac planè perſonalis quædam ſit Dei gratia, adeò vt ſine vllo labore, ſine vllo ſtudio, ſine vlla induſtria, etiamſi nec quærant, nec petant, nec pulſent, quicunque illi ad numerum ſuum pertinent, tamen ita diuinitus diſpenſentur, vt Angelicis euecti manibus, id eſt angelica protectione ſeruati, nunquam poſſint offendere ad lapidem pedem ſuum, id eſt nunquam ſcandalizari.

Ex Catholica arte in hæreſeos barathū. præcipitari.

Offendere pedem ad lapidem.

Nota.

Qui reſiſtendum ſit fallaciis diaboli & diſcipulorum eius, dum ſcripturas allegant.

CAPVT. XXXVIII.

SEd dicet aliquis: Si diuinis eloquiis, ſententiis, promiſſionibus, & diabolus, & diſcipuli eius vtuntur, quorum alij ſunt Pſeudo Apoſtoli, & pſeudo Prophetæ, & pſeudo magiſtri, & omnes ex toto hæretici, quid facient Catholici homines, & matris Eccleſiæ filij: quonam modo in ſcripturis ſanctis veritatem à falſitate diſcernent: Hoc ſcilicet facere magnoperè curabunt, quod in principio Commonitorij iſtius ſanctos & doctos viros nobis tradiſſe ſcripſimus: vt diuinum canonem ſecundum vniuerſalis Eccleſiæ traditiones, & iuxta Catholici dogmatis regulas interpretentur. In qua item Catholicæ Apoſtolicæque Eccleſiæ ſequantur neceſſe eſt Vniuerſitatem, Antiquitatem, Conſenſionem. Et ſi quando pars contra vniuerſitatem, nouitas contra vetuſtatem, vnius vel paucorum errantium diſſentio contra omnium vel certè multo plurium Catholicorum conſenſionem rebellauerit, præferant patris corruptioni, Vniuerſitatis integritatem: in qua eadem vniuerſitate nouitatis prophanitati antiquitatis religionem, itemque in ipſa vetuſtate, vnius ſiue pauciſſimorum temeritati primum omnium generalia, ſi qua ſunt vniuerſalis concilij decreta præponant. Tunc deinde, ſi id minus eſt, ſequantur quod proximum eſt, multorum, atque magnorum conſentientes ſibi ſententias Magiſtrorum: quibus adiuuante Domino fideliter, ſobriè, ſollicitè obſeruatis, non magna difficultate noxios quoſque exurgentium hæreticorum deprehendemus errores.

Elegans oppoſitio.

Quonam modo hæreſes prolatis veterum magiſtrorum ſententiis concordantibus deprehendantur & condemnentur.

CAPVT. XXXIX.

HIc iã conſequẽs eſſe video vt exemplis demonſtrẽ quonam modo prophanæ hæreticorum nouitates, prolatis atque collatis veterum magiſtrorum concordantibus ſibimet ſententiis, & deprehendantur & condemnentur. Quæ tamen antiqua ſanctorum Patrum conſenſio, non in omnibus diuinæ legis quæſtiunculis, ſed ſolum certè, præcipuè in fidei regula magno nobis ſtudio & inueſtiganda eſt, & ſequenda. Sed neque ſemper, neque omnes hæreſes hoc modo impugnandæ ſunt, ſed nouitiæ recentéſque tantummodo; cum primum ſcilicet exoriuntur, antequam infalſarint vetuſtæ fidei regulas ipſius temporis vtentur anguſtiis, ac priuſquam manante

In quibus inter ſe conſentiant partes orthodoxi.

latius veneno Maiorum volumina vitiare conentur. Cæterum dilatatæ & inueteratæ hæreſes nequaquam hac via aggrediẽdæ ſunt, eo quod prolixo temporum tractu longa iis furandæ veritatis patuerit occaſio. Atque ideo quaſcunque illas antiquiores, vel ſciſmatum, vel hæreſeon prophanitates, nullo modo nos oportet, niſi aut ſola, ſi opus eſt Scripturarum auctoritate conuincere, aut certè iam antiquitus vniuerſalibus Sacerdotum Catholicorum Conciliis conuictas damnatáſque vitare. Itaque cum primum mali cuiuſque erroris putredo erumpere cœperit, & ad defenſionem ſui quædam ſacræ legis verba furari, eáque fallaciter & fraudulenter exponere: ſtatim interpretando canoni Maiorum ſententiæ congregandæ ſunt, quibus illud quodcumque exurget nouitium, ideóque Prophanum, & abſque vlla ambage prodatur, & ſine vlla retractione damnetur. Sed eorum duntaxat Patrum ſententiæ conferendæ ſunt, qui in fide & communione catholica, ſanctè, ſapienter, conſtanter viuentes, docentes, & permanentes, vel mori in Chriſto fideliter, vel occidi pro Chriſto fœliciter meruerunt. Quibus tamen hac lege credendum eſt, vt quicquid vel omnes, vel plures, vno eodémque ſenſu manifeſtè, frequenter, perſeueranter, velut quodam conſentiente ſibi magiſtrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmauerint, id pro indubitato, certo, ratóque habeatur: Quicquid verò, quamuis ille ſanctus & doctus, quamuis Epiſcopus, quamuis Confeſſor & Martyr, præter omnes, aut etiam cõtra omnes ſenſerit id inter proprias & occultas, & priuatas opiniunculas à communis, publicæ, ac generalis ſententiæ auctoritate ſecretum ſit, nec cum ſummo æternæ ſalutis periculo, iuxta ſacrilegam hæreticorum, & ſciſmaticorum conſuetudinem, vniuerſalis dogmatis veritate demiſſa, vnius hominis nouitium ſectemur errorem.

Quorum Patrum ſententias ſequi oporteat.

Patrum conſentientes ſententiæ, quantæ ſint auctoritatis.

CAPVT XL.

QVorum beatorum Patrum ſanctum Catholicumq; conſenſum, ne quis ſibi temerè fortè contẽnendum arbitretur, ait in prima ad Corint. Apoſtolus: Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos, quorum ipſe vnus erat: ſecundo Prophetas, qualem in actibus Apoſtolorum legimus Agabum: tertio doctores, qui tractatores nunc appellantur, quos hic idem Apoſtolus etiam Prophetas interdum nuncupat, eò quod per eos Prophetarum myſteria populis aperiantur. Hos ergo in Eccleſia Dei diuinitus per tempora & loca diſpenſatos, quiſquis in ſenſu Catholici dogmatis vnum aliquid in Chriſto ſentientes contempſerit, non hominem contemnit, ſed Deum: à quorum veridica vnitate ne quis diſcrepet, impenſius obteſtatur idem Apoſtolus, dicens: *Obſecro autẽ vos fratres, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia.* Quod ſi quis ab eorum ſententiæ communione deſciuerit, audiet illud eiuſdem Apoſtoli: *Non eſt Deus diſſentionis, vel pacis:* id eſt non eius qui à conſentienti vnitate defecerit, ſed eorũ qui in conſentiendi pace permanſerint, ſicut in omnibus, inquit, Eccleſiis ſanctorum doceo, id eſt Catholicorum: quæ ideò ſanctæ ſunt, quia in fidei cõmunione perſiſtũt. Et ne quis forſitan prætermiſſis ceteris ſe ſolũ audiri, ſibi ſoli credi arrogaret, paulo poſt ait: an à vobis inquit verbũ Dei proceſſit: aut in vos ſolos deuenit: Et, ne hoc quaſi perfũctoriè acciperetur, adiecit: ſi quis inquit videtur Propheta eſſe aut ſpiritalis, id eſt, ſpiritalium rerũ Magiſter, ſummo ſtudio æqualitatis & vnitatis cultor exiſtat vt ſcilicet neque opiniones ſuas cæteris præferat, & ab vniuerſorum ſenſibus

1. *Cor.* 12.

Act. 12. *Tractatores Prophetas.*

1. *Cor.* 1.

1. *Cor.* 14.

non

non recedat. Cuius rei mandata qui ignorat, inquit, id eſt, qui aut neſcira non diſcit,aut ſcita conténit,ignorabitur:hoc eſt,indignus habebitur,qui inter vnitos fide, & exequatos humilitate diuinitùs reſpiciatur: quo malo neſcio,an quidquam acerbiùs cogitari queat. Quod tamen iuxta Apoſtolicam comminationem pelagiano illi proueniſſe cernimus Iuliano,qui ſe Collegarum ſenſui, aut incorporare neglexit, aut excorporare præſumpſit .Sed iam tempus eſt,vt collicitum proferamus exemplum,vbi & quomodo ſanctorum Patrum ſententiæ congregatæ ſint,vt ſecundum eas ex decreto atque authoritate Concilij Eccleſiaſticæ fidei regula figeretur. Quod quò commodiùs fiat,hic ſit iam huius commonitorij modus:vt cætera quæ ſequuntur,ab alio ſumamus exordio.Secundum commonitorium interlapſum eſt, neque ex eo ampliùs quidquam,quàm poſtrema particula remanſit,id eſt, ſola recapitulatio,quæ:& ſubiecta eſt.

Iulianus Pelagianus.

Secunda pars, penè tota commonitorij tercidit.

Recapitulatio eorum, quæ præcedenti libro ſunt dicta.

CAPVT XLI.

QVæ cum ita ſint,iam tempus eſt, vt ea quæ duobus his commonitoriis dicta ſunt,in huius ſecundi fine recapitulemus.Diximus in ſuperioribus hãc fuiſſe ſemper & eſſe hodiéque Catholicorum conſuetudinem, vt fidem veram duobus his modis approbent. Primum diuini Canonis authoritate, deinde Eccleſiæ catholicæ traditione:non quia Canon ſolus non ſibi ad vniuerſa ſufficiat, ſed quia verba diuina pro ſuo pleríque arbitratu interpretantes,varias opiniones erroréſque concipiant.Atque ideo neceſſe ſit, vt ad vanam Eccleſiaſtici ſenſus regulam ſcripturæ cœleſtis intelligentia dirigatur; in iis dũtaxat præcipuè quæſtionibus,quibus totius Catholici dogmatis fundamenta nituntur.Item diximus, in ipſa rurſus Eccleſia Vniuerſitatis pariter & antiquitatis conſenſionem ſpectari oportere, ne aut ab vnitatis integritate in partem ſchiſmatis abrumpamur, aut è vetuſtatis religione in hæreſeon nouitates præcipitemur. Itẽ diximus, in ipſa Eccleſiæ vetuſtate duo quædam vehementer ſtudioſéque obſeruanda, quibus penitùs inhærere deberent, quicunque hæretici eſſe nolint: Primum ſi quid eſſet antiquitùs ab omnibus Eccleſiæ Catholicæ ſacerdotibus vniuerſalis concilij authoritate decretum:Deinde ſi qua noua exurgeret quæſtio,vbi id minimè reperiretur, recurrendum ad ſanctorum patrum ſententias,eorum duntaxat,qui ſuis quique temporibus,& locis in vnitate communionis & fidei permanentes, Magiſtri probabiles extitiſſent. Et quidquid vno ſenſu atque conſenſu tenuiſſe inuenirentur, id Eccleſiæ verum & Catholicum abſque vllo ſcrupulo iudicaretur.

Duobus modis vera fides approbatur.

Breuiter recapitulat ex ſecundo commonitorio, quod intercidit: quomodo in Conc. Epheſino ſanctorum patrum ſententiæ congregatæ ſint, vt ſecundum eas authoritati Concilij Eccleſiaſticæ fidei regula figeretur.

CAPVT XLII.

QVod ne præſumptione magis noſtra, quam authoritate Eccleſiaſtica promere videremur,exemplum adhibuimus ſancti Concilij, quòd antè triennium fermè in Aſia apud Epheſum celebratũ eſt viris clariſſimis, Baſſo Antiochoque Conſulibus. Vbi cùm de ſanciandis fidei regulis diſceptaretur,nequa illic forſitan prophana nouitas in modũ perfidiæ Ariminenſis obreperet, vniuerſis Sacerdotibus,qui illo ducẽti ferè numero conuenerãt,hoc catholiciſſimum,fœliciſſimũ atque optimum factu viſum eſt, vt in medium ſanctorum Patrum ſententiæ proferrentur, quorum alios martyres, alios

Concilium Epheſinum.

Confeſſores,omnes verò Catholicos ſacerdotes fuiſſe,& permanſiſſe conſtaret: vt ſcilicet ritè atque ſolemniter ex eorum cõſenſu atque decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur, & prophanæ nouitatis blaſphemia condẽnaretur.Quod cùm ita factũ foret,iure meritóq; ille Neſtorius,Catholicę ve tuſtati contrarius,beatus verò Cyrillus ſacroſanctę antiquitati conſentaneus iudicatus eſt.Et vt ad fidem rerum nihil deeſſet,etiam nomina & numerũ(licèt ordinem fuiſſemus obliti)edidimus eorum patrum iuxta quorum ordinẽ ibidem cõcinentem ſibi concordémque ſententiam,& legis ſacræ proloquia expoſita ſunt, & diuini dogmatis regula conſtabilita. Quos ad confirmandã memoriam hic quoque recenſere nequaquam ſuperfluum eſt. Sunt ergo hi viri,quorum in illo Concilio,vel tanquam iudicum, vel tanquam teſtiũ ſcripta recitata ſunt.Sanctus Petrus Alexandrinus Epiſcopus,doctor præſtantiſſimus, & Martyr beatiſſimus : Sanctus Athanaſius eiuſdem ciuitatis antiſtes, Magiſter fideliſſimus,& Confeſſor eminẽtiſſimus:Sanctus Theophilus ciuſdem,item vrbis Epiſcopus, vir fide,vita,ſcientia ſatis clarus : cui ſucceſſit venerandus Cyrillus, qui nunc illuſtrat Alexandrinam Eccleſiam. Et ne forſitam vnius ciuitatis ac prouinciæ doctrina putaretur, adhibita ſunt etiam illa Cappadociæ lumina, ſanctus Gregorius Epiſcopus & confeſſor de Nazianzo:Sanctus Baſilius Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus & confeſſor. Sanctus item alter Gregorius Nicenus Epiſcopus,fidei conuerſationis, integritatis & ſapientiæ merito,fratre Baſilio digniſſimus. Sed ne ſola Græcia aut Oriens tantùm,verùmetiam Occidentalis & Latinus orbis ita ſemper ſenſiſſe approbaretur:lectæ ſunt quoque ibi quædã ad quaſdã Epiſtolæ ſancti Fœlicis Martyris, & S.Iulij,vrbis Romæ Epiſcoporum. Et vt non ſolùm caput vrbis,verumetiam latera,illi iudicio teſtimoniũ perhiberent, adhibitus eſt à meridie beatiſſimus Cyprianus,Epiſcopus Carthaginenſis, & martyr;à ſeptentrione ſanctus Ambroſius, Mediolanenſis Epiſc. Hi ſunt igitur omnes apud Epheſum ſacrato Decalogi numero Magiſtri,Conciliarij,Teſtes.Iudicéſq; producti:quorum beata illa Synodus doctrinã tenens,conſiliũ ſequens, credens teſtimonio,obediẽs iudicio,abſq,*tædio,præſumptione,& gratia,de fidei regulis pronũciauit.Quanquã multò amplior maiorum numerus adhiberi potuerit,ſed neceſſe non fuit:quia neque multitudine teſtiũ negotij tẽpora occupari oportebat,& decem illos non aliud ferè ſenſiſſe,quàm cæteros omnes collegas ſuos nemo dubitat. Poſt quæ omnia adiecimus etiam beati Cyrilli ſententiam,quæ geſtis ipſi ipſis Eccleſiaſticis continetur.Namque cùm lecta eſſet S.Capreoli Epiſcopi Carthaginenſis epiſtola,qui nihil aliud intẽdebat, & precabatur,niſi vt expugnata nouitate antiquitas defenderetur,ita Epiſcopus Cyrillꝰ proloquutus eſt & definiuit:quod hic quoque interponere nõ abs re videtur:ait enim in fine geſtorum : Et hæc, inquit, quæ lecta eſt epiſtola, venerandi & multum religioſi Epiſcopi Carthaginenſis Capreoli, fidei geſtorum inferetur,cuius aperta ſententia eſt: vult enim antiquæ fidei dogmata cõfirmari,nouitia verò & ſuperfluè adinuẽta, & impiè promulgata reprobari atque damnari.Omnes Epiſcopi acclamauerũt:Hæ omnium voces ſunt, hæ omnes dicimus, hoc omnium votum eſt. Quæ tandem omnium voces, atque omnium vota,niſi,vt quod erat antiquitùs traditũ,teneretur?quod adinuentũ nuper,exploderetur?Poſt quæ admirati ſumus & prædicauimus,quanta Concilij illius fuerit humilitas & ſanctitas,quot numero ſacerdotes, penè ex maiori parte Metropolitani,tantæ eruditionis,tantæque doctrinæ vt propè omnes poſſint de dogmatibus diſputare:Quibus quũ ipſa in vnũ cõgregatio audendi

Patres prediĉi Concilij Epheſini.

** odio.*

Cyrillus.

Capreolus Epiſcopus.

audendi à ſe aliquid & ſtatuendi addere videretur fiduciam, nihil tamen donarent, nihil præſumerent, nihil ſibi penitus arrogarẽt: ſed omnimodis precauerent, ne aliquid poſteris traderent, quod ipſi à Patribus non accepiſſent: & non ſolum in præſenti rem benè diſponerent, verumetiam pòſt futuris exempla præberent, vt & ipſi ſcilicet ſacratæ Vetuſtatis dogmata colerent, prophanæ verò Nouitatis adinuenta damnarent. Inuecti etiam ſumus in Neſtorij ſceleratam præſumptionem, quòd ſacram ſcripturam ſe primum & ſolum intelligere, & omnes eos ignoraſſe iactaret, quicunque ante ſe Magiſterij munere prædi ti, diuina eloquia tractauiſſent: vniuerſos ſcilicet Sacerdotes vniuerſos Confeſſores & Martyres, quorum alij explanaſſent Dei legem: alij verò explanantibus conſenſiſſent, vel credidiſſent: totã poſtremo etiam, nunc errare & ſemper erraſſe adſeueraret Eccleſiam, quæ, vt ipſi videbatur, ignaros, erroneoſque doctores & ſequuta eſſet & ſequeretur.

Execranda Neſtorij arrogantia.

Hæc noſtra quoque tẽpeſtatis inſani hæretici impiè docere conantur.

Geminam adijcit Apoſtolicæ ſedis authoritatem ad prophanas quaſque nouitates extinguendas.

CAPVT XLIII.

QVæ omnia licet cumulatè abundeque ſufficerent ad prophanas quaſque nouitates obruendas & extinguendas, tamen ne quid deeſſe tantæ plenitudini videretur, ad poſtremum adiecimus geminam Apoſtolicæ ſedis authoritatem: vnam ſcilicet ſancti Papæ Xyſti, qui nunc Romanam Eccleſiam venerandus illuſtrat: alteram præceſſoris ſui beatæ memoriæ Papæ Cœleſtini, quam hic quoque interponere neceſſariam iudicauimus. Ait itaque Papa Xyſtus in epiſtola, quam de cauſa Neſtorij Antiocheno miſit epiſcopo: Ergo inquit, quia ſicut ait Apoſtolus, fides vna eſt, quæ euidenter obtinuit dicenda, credamus, & tenenda credamus. Tãdem illa tenenda & credenda proſequitur, & ait: Nihil vltrà, inquit, liceat Nouitati, quia nihil addi conuenit Vetuſtati: Perſpicua maiorũ fides & credulitas, nulla cœni permixtione turbetur. Omnino Apoſtolicæ: vt Maiorũ credulitatem perſpicuitatis lumine ornaret, nouitias verò prophanitates cœni permixtione deſcriberet. Sed & Papa Cœleſtinus pari modo eademque ſententia: Ait enim in epiſtola, quam Gallorum ſacerdotibus miſit, arguens eorum conniuentiam, quòd antiquam fidem ſilentio deſtituentes, prophanas nouitates exutgere paterentur: Meritò inquit, cauſa nos reſpicit, ſi ſilentio foueamus errorem. Ergo corripiantur huiuſmodi, non ſit ijs liberum, habere pro voluntate ſermonem. Hic aliquis fortaſſe addubitet, quinam ſint illi, quos habere prohibeat liberum pro voluntate ſermonem: Vetuſtatis prædicatores, an Nouitatis ad inuentores. Ipſe dicat, & dubitationem legentium ipſe diſſoluat. Sequitur enim: Deſinat, inquit, ſi ita res eſt, id eſt, ſi ita eſt, vt apud me quidam vrbes & prouincias veſtras criminantur, quòd eas quibuſdam nouitatibus conſentire noxia diſſimulatione faciatis: deſinat itaque, inquit, ſi ita res eſt, inceſſere nouitas vetuſtatem. Ergo hæc fuit beati Cœleſtini beata ſententia, non vt veſtutas ceſſaret obruere nouitatem: ſed potiùs nouitas deſineret inceſſere vetuſtatẽ. Quibus Apoſtolicis Catholiciſque decretis quiſquis refragatur, inſultet primùm omnium neceſſe eſt memoriæ ſancti Cœleſtini, qui ſtatuit vt deſineret inceſſere nouitas vetuſtatem: deinde irrideat definita ſancti Xyſti qui cenſuit, ne vltra quidquam liceat Nouitati, quia nihil addi conuenit Vetuſtati: Sed & beati Cyrilli ſtatuta cõtemnat, qui venerandi Capreoli zelum magna prædicatione laudauit, quòd antiquæ fidei dogmata confirmari cuperet, nouitia verò adinuenta damnari. Epheſinam quoque Synodum, id eſt, totius penè

Xyſtus Papa.

Non exſtat.

Cœleſtium Papa.

Orientis ſanctorum epiſcoporum iudicata proculcet: quibus diuinitùs, placuit, nihil aliud poſteris credendum decernere, niſi quòd ſacrata ſibiq́ue in Chriſto conſentiens ſanctorum Patrum tenuiſſet antiquitas, quiq́ue etiã vociferantes & acclamantes, vno ore teſtificati ſunt, has eſſe omnium voces, hoc omnes optare, hoc omnes cenſere: vt ſicut vniuerſi ferè ante Neſtorium hæretici, contementes vetuſtatem, & aſſerentes nouitatem, damnati forẽt, ita ipſe quoque Neſtorius author nouitatis, & impugnator vetuſtatis condemnaretur. Quorum ſacroſancto & cœleſtis gratiæ munere inſpirata conſenſio cui diſplicet, quid aliud ſequitur, niſi vt prophanitatem Neſtorij adſerat non iure damnatam? Ad extremum quoque vniuerſam Chriſti Eccleſiam & Magiſtros eius Apoſtolos & Prophetas præcipuaq́ue tamen Apoſtolum Paulum velut quædam purgamenta contemnat: illam, quòd à religione colendæ & excolendæ ſemel ſibi traditæ fidei nunquam receſſerit: illum verò quia ſcripſerit: O Timothee, depoſitum cuſtodi, deuitans prophanas vocum nouitates. Et item: Si quis vobis annunciauerit præterquam quod accepiſtis anathema ſit. Quod ſi neque apoſtolica definita, neque Eccleſiaſtica decreta temeranda ſunt, quibus ſecundum ſacroſanctam vniuerſitatis & antiquitatis conſenſionem cuncti ſemper hæretici, & ad extremum Pelagius, Cœleſtius, Neſtorius, iure meritoq́ue damnati ſunt, neceſſe eſt profectò omnibus deinceps Catholicis, qui ſeſe Eccleſiæ matris legitimos filios probare ſtudent, vt ſanctæ ſanctorum patrum fidei inhæreant, adglutinent, immoriantur: prophanas verò prophanorum nouitates deteſtentur, horreſcant, inſectentur, perſequantur. Hæc ſunt ferè quæ duobus Commonitoriis latiùs dilata, aliquanto nunc breuiùs recapitulandi lege conſtricta ſunt: vt memoria mea cui adminiculandæ iſta confecimus & commonendi aſſiduitate reparetur, & prolixitatis faſtidio non obruatur.

FINIS.

IOANNES COSTERIVS ad Lectorem.

QVoniam hunc D. Vincentij librum, doctiſſimi cuiuſque iudicio longè optimum, eiuſq́, lectionem non tantùm vtilem, ſed & neceſſariam quoque hac tempeſtate omnibus eſſe conſtat: non ſolum Theologiæ candidatis, ſed Iuriſperitis quoque & Medicis, omni denique & conditioni & ætati: viſum eſt hic commentariolum quoddam adiungere, in eorum præſertim gratiam, qui in diuinorum librum lectione minus exercitati ſunt: vt in promptu habeant, quo nodos omnes ſi qui inter legendum ſeſe offerant diſſoluere poſſint. Vale.

IN

IN D. VINCENTII DE CATHOLICAE fidei veritate librum, breuia quædam ſcholia. Authore Ioanne Coſterio Louanienſi, Priore Regularium Louanij ad ſanctum Martinum.

TVnc item prouidebit, vt antiquitati inhæreat.) Tertullian. lib. de præſcriptionibus contra hæreticos: Conſtat omnem doctrinam, quæ cum Eccleſiis Apoſtolicis, matricibus & originalib. fidei conſpiret veritati deputandam: id ſine dubio tenentem, quod Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo accepit. Hæc ille ibi. Qui liber quum vtiliſſimus ſit, & hac tempeſtate lectu perquam neceſſarius, neceſſum vt à ſacrarum literarum ſtudioſis diligentiſſimè euoluatur. Nam præterquam quòd multa tradit, quæ ad veræ atque orthodoxæ fidei cùm patrocinium tum conſeruationem faciunt, mirificè quoque hæreticorum mores vitamque depingit. *In cap. 4.*

Tempore Donati.) Is capitis ſui ſomnium ſequutus, ſolùm Chriſti Eccleſiam in Aphrica eſſe dicebat: neque vſquam alibi niſi iſtic verum eſſe baptiſmum. Cuius veſaniæ multi adhærentes, magnam calamitatem Affricanis Eccleſiis attulerunt: quum impij ac crudeles homines non minus ferro quam impiis vocibus circumquaque inobſiſtentes deſæuirent: vt quos ratione non poterant, terrore ac pœnis in ſuam ſententiam pertraherent. Cùm hoc pernicioſo ac pertinaci malo quum atrox & longa D. Aurelio Auguſtino pugna fuiſſet, tandem profligauit, excidit, extinxit. *In cap. 5.*

Item quando Arrianorum venenum.) Arriana factio ab Arrio quodam Alexandrinæ Eccleſiæ præsbytero initium ſumpſit. Is Philoſophicæ ſcientiæ Typho inflatus, nouum ac nefarium dogma orbi Chriſtiano moliebatur obtrudere: Chriſtum Dei filium Patri non eſſe homuſion, hoc eſt, non eiuſdem cum Patre eſſentiæ, ſed creatura meſſe, atque ideo patre longè inferiorem. Huius verò impietatis tam incredibilis fuit ſucceſſus, vt omnes fere Romani imperij Eccleſias hæc lues peruaſerit, magna nimirum facilitate ac plauſu id cunctis ſequentibus quod imperatoribus, quod epiſcopis fere omnibus probari videbat. Scribit enim D. Hilarius lib. contra Conſtan. Auguſtum, centum & quinque Epiſcopos fuiſſe, qui Arrij perfidiam ſequebantur. Inter cæteros verò orthodoxos Patres, qui ſeſe huic errori infracta animi conſtantia opponebant, præcipue D. Athanaſij Epiſcopi Alexandrini claruit fides, & virtus prorſus adamantina, quem hæreticorum vis terra mariq, inſectata, nuſquam quietum deſidere patiebatur. Hac de re, qui plura ſcire volet, hunc ad Euſebium Cæſarienſem Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptorem remittimus: nos enim breuitati operam dantes, omnia referre non poſſumus. *In cap. 6.*

Velut quędam Bellona aut Furia.) Has cæca vetuſtas deas fecit, quarum alteram bellorum præſulem, alteram furoris matrem eſſe voluit. Hanc Græci Erynnin in vocant, ἀπὸ του ἐρρειν τὸν νοῦν, quod humanam mentem corrumpat. De vtráque Seneca in Tragediis: Sequitur triſtis.

Sanguinolenta Bellona manu.
Quæque ſuperbos, vrit Erinnys.

Tres porrò furias Poëtæ eſſe finxerunt, quas Cic. lib. de nat. Deor. ſpecula-

latrices ac vindices facinorum ac ſcelerum eſſe ſcribit.

Capto priùs omnium Imperatore.) Aut de Conſtantio, Conſtantini Cæſaris filio, qui poſt mortẽ patris cum vtroque fratre, Cõſtantino ac Conſtante imperium tenuit, aut de Valẽte loquitur: quorum alter Orientalẽ, alter Occidentalẽ Eccleſiã ob Arrianæ perfidiæ defenſionẽ nefãda crudelitate vexabat.

De Conſtantij Cæſaris impietate, fraude ac tyrannide multa ſunt in eo libro, quem ſanctus Confeſſor Hilarius Pictauienſis antiſtes, vnicum id temporis ac pręclarum Gallicanæ Eccleſiæ lumen, magna cum libertate aduerſus hunc ipſum conſcripſit hominem (vt par erat) ſuis coloribus perpulchrè depingens. Grauiſſimam enim calamitatem Eccleſiæ Chriſti inflixit, & fortaſſe neutiquam minorẽ, quam aut Nero, aut Decius: qui nihil aliud ageret, quàm vt orbem terrarum (vt Hilarij verbis dicam) pro quo Chriſtus paſſus eſt, diabolo condonaret. Porrò, Valens in morem Adæ, vxoris blandiciis flexus, quæ iam pridem Arrij venenum imbiberat, Arrianæ ſeſe factioni adiũxit: ad quod etiam maximas faces dabat Eudoxius, qui ea tempeſtate Conſtantinopolitanam Eccleſiam, non tam regebat, quam peruertebat. Valentem enim, dum ab eo baptizaretur, iureiurãdo obſtrinxerat, vt Arriani dogmatis ſe defenſorem, atque eorum: qui huic obſiſterẽt, hoſtem exhiberet. Quod ille ſanè, haud ſegniter effecit. Nam præter alia ludibria, contumelias, terrores, minas ac ſupplicia quæ Chriſtianæ fidei cultoribus inferebat, tam atrocibus furiis in monachos inuectus eſt, vt horũ tria millia, qui in vaſta illa Aegypti ſolitudine, maximè verò apud Nitriam diuinis rebus dediti erant, profecturus ad Perſicum bellum per tribunos ac præfectos nequitiæ ſuæ ſatellites ad militiam euocari, nolẽtes fuſtibus ad internecionem mactari iuſſit: aliquot etiam millia Barbaris trucidãda obiectãs, in eo pręlio, quo aduerſus Gotthos conflixit.

Cuncta deinde palatij culmina.) De aulicis proceribus dicit, qui omnes Arrianam peſtem confouebant. Denique & Iuſtina Valẽtiniani maioris vxor poſt viri mortem, Arrij virus, quod longo tempore ob viri metum quem Catholicæ fidei admodũ tenacem ſciebat, alta mente repoſtum geſtarat, Valentiniano filio eriamnum adoleſcenti infundere conabatur. Hęc Mediolani aliquandiu agẽs, incredibilem moleſtiam Chriſti ſacerdotibus adferebat, atque in primis valiſſimũ Eccleſię murũ (D. Ambroſiũ dico) minis, terroribus, atq; omni armorũ genere arietare ac perfringere moliebatur: quãuis ille interim ob Ieſabelis illius inſaniam ne latũ quidẽ vnguẽ à ſua conſtãtia dimoueretur.

Oppleta ſanctis ergaſtula, carceres, metalla.) Ergaſtula loca erant in agris, vbi deteriora mancipia vincta operabantur: dicta vox à verbo ἐργάζομαι quod eſt operor. Eò quoque protrudebantur homines obærati, qui addicti & nexi apud veteres iuriſconſultos dicebantur, quos lege duodecim tabularũ ob æs alienum creditoribus in temporariam ſeruitutem addictos fuiſſe conſtat. Huiuſmodi quoque ſeruitutẽ apud Hebræos fuiſſe, declarat quarti Regum voluminis caput quartum: vbi dicitur: Ecce creditor venit, vt tollat filios meos ad ſeruiendum ſibi. De ergaſtulo memini me legiſſe in vita D. Clemẽtis, quem III. poſt D. Petrum Rom. Eccleſiæ præfuiſſe ferunt. Cùm peruenisſet (inquit ille, quiſquis fuit, qui eam hiſtoriam conſcripſit) B. Clemens ad locum exilij, erant illic in ergaſtulis ad ſecãda marmora, Chriſtianorum pluſquam duo millia. Tertulianus item in libro de habitu mulicbri: Apud Barbaros quoſdam, quia vernaculum eſt aurum & copioſum, auro vinctos in ergaſtulis habent. Præterea Columella lib. de re ruſtica. 1. Mancipia vincta quæ ſunt ergaſtuli, per nomina quotidie villicus citare debebit, atque explorare

vt

vt ſint compedibus diligenter innexa,&c.

Metalla.)De fodinis agit,in quibus effodiebatur vel aurum, vel argentum æs,vel plumbum,ferrum.Omnia enim quæ ſub terram fodiendo reperiuntur Alciatus vir noſtra ætate doctiſſimus, metalli nomine comprehenſa ſcribit ſic dictum,quia ἄλλον μεθ' ἄλλον, id eſt,aliud poſt aliud inueniatur. Qui huic operi deſtinati erant,grauiſſimam ſeruitutem ſentiebant: quum in ſubterraneis ſpecubus tanquam à communi luce reiecti ſeu viui ſepulti iacerent:Tum etiam præterquam quod intollerandis laboribus premebantur, nunquam libertatem,ſemper verò mortem expectabant. Proximi enim erant his de quibus extremum ſupplicium ſumebatur: quod ex Pauli Iuriſconſulti verbis liquet. Summa ſupplicia,inquit,ſunt crux, crematio, decollatio: mediocrium, autem delictorum pœnæ ſunt,metallum,ludus,deportatio: minimæ, relegatio,exilium,opus publicum,vincula.Deſtomachatur Anneus Seneca quodam in loco in hominum inexplebilem auaritiam, qui ſeruos in metalla defoderent,nec contenti eſſent in rebus, quas palam atque in propatulo habemus, ſed venas terrarum,lapidúmque rimarentur, atque in tenebris malè obtruſa quærerent.Auream enim arenam,hoc eſt, auri ramenta effodiebant, quæ aurificum ſtudio repurgata,atque conflata,cudendæ monetæ apta fiebant.In id verò operis, damnabantur præfracti ac refractarij ſerui,tum verò potiſſimum atrociores fures, quos Græci λωποδύτας vocant quod noctu viatores palliis veſtibúſque ſpoliarent: In eam ergo latomiam ab impiis Imperatoribus ij, qui Chriſtum libera voce confeſſi erant, relegabantur, quemadmodum cum ex aliis,tum verò euidentius ex D. Cypriani ſcriptis doceri poteſt. Igitur in epiſtola cuius initium,Gloria quidem veſtra:Denique exemplum inquit, veſtrum ſecuta multiplex plebis portio confeſſa eſt,vobiſcum pariter, & pariter confortata eſt,connexa vobis vinculo fortiſſimæ charitatis, & à præpoſitis ſuis nec carcere,nec metallis ſeparata,Et paulo poſt:qui triumphus in pectore vnumquemque veſtrum ſtare ad promiſſum dei præmium, de iudicij die eſſe ſecurum: ambulare in metallo, corpore quidem captiuo, ſed corde regnante: Præterea in quatuor coronatorum vita ſic legitur: dum Dioclecianus omnes metallicos hoc eſt,eos,qui in metallo laborarent congregaret, inuenit Claudium,Caſtorium, Symphorianum & Nicoſtratum, mirificos in arte quadrataria.

Librum ſignatum illum propheticum, non ſeniores, &c.) Locus eſt in Apocalypſi,capite quinto,Et vidi,inquit,in dextera ſedentis ſupra thronum librum ſcriptum intus & foris,ſignatum ſigillis ſeptem,Et vidi angelum fortem & prædicantem voce magna:Qui eſt dignus aperire librum & ſoluere ſignacula eius:Et nemo poterat,neque in cœlo, neque in terra, neque ſubtus terram aperire librum, neque reſpicere illum. Et ego flebam multum quoniam nemo dignus inuentus eſt aperire illum,neque videre eum. Et vnus de ſenioribus dicit mihi:Ne fleueris:ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid aperire librum,& ſoluere ſeptem ſignacula eius. *In cap.7.*

Librum ſacerdotalem quis noſtrum reſignare audeat, ſignatum à Confeſſoribus, & multorum iam martyrio conſecratum: Perpulchra ſententia & Ambroſiano illo pectore digna.Porrò ſacerdotalem librum diuinam appellat ſcripturam.Ea enim ipſis, vt conſeruent vtque expromant cum tempus expoſcit peculiariter eſt commiſſa:quemadmodum Propheta docet: Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam & legem ex ore eius requirent, qui Angelus domini eſt.Et alibi:interroga ſacerdotes legem.Hunc verò ſignatum librum,

quem ſupra eleganter hæreditaria ſignacula vocat, nemo temerè reſignare, hoc eſt, violare ac corrumpere debet, quem multorum Martyrum ſanguine obſignatum & conſecratum eſſe conſtat. Sanctorum enim patrum ſanguis, quem, vt hunc fidei ſuæ commiſſum librum integrum atque illæſum ſeruarent, effuderunt, veluti ſigillum aut ſignaculum quoddam eſt huic libro appenſum, quo conteſtati ſunt, vera, ſincera, rectáque eſſe, quæ in hoc ſunt libro conſcripta. Non abſimilem huic ſententiam habet Tertullianus libr. 4. aduerſus Marcionem? Videamus inquit, quid etiam Romani de proximo ſonent, quibus Euangelium & Petrus & Paulus ſanguine ſuo ſignatum reliquerunt.

Qui violare auſi non ſunt Confeſſores & Martyres exſtiterunt) Longe aliud veteribus quam nunc vulgò ſignificabat Confeſſor: quum iam diuis ferè omnibus id nominis tribuant, quod olim non niſi iis datum fuit, qui ob Chriſto teſtimonium publicitus datum, publica aliqua calamitate vel pœna, non tamen morte erant affecti. Qualis in primis fuit D. Hilarius Pictauienſis Antiſtes, qui ob Catholicæ fidei patrocinium, duriſſima quæque ab Arriana factione perpeſſus, tandem per Saturninum Arelatenſem Epiſcopum hominem crudelem & ſanguinarium, apud Phrygas tunc ſæuitia & barbarie nobiles relegatus eſt: vbi præclaros illos & nunquam intermorituros de Trinitate libros, magno tum ingenio tum eloquentia conſcripſit. De hoc D. Hieronymus in Epiſtola ad Magnum oratorem: Hilarius meorum Confeſſor temporum, & Epiſcopus, duodecim Quintiliani libros & ſtylo eſt imitatus & numero, Et in epiſtola quadam ad Marcellam: Tantum, inquit, virum (agit autem de Hilario) & temporibus ſuis diſertiſſimum reprehẽdere non audeo qui & confeſſionis ſuæ merito, & vitæ induſtria, & eloquentiæ claritate, vbicumque Romanum eſt nomen prædicatur. Huius quoque nominis elogium magnus ille Paphnutius, de cuius ſanctitate multa ſunt apud Euſebium in Eccleſiaſtica Hiſtoria, promeruit: quem Maximinus Cæſar effoſſo dextro oculo, & ſiniſtro poplite inciſo, ad metalla damnauit. Multa ſunt apud diuum Cyprianum, quæ ad eius rei, de qua nunc agimus, plenionem cognitionem faciunt. Libro de ſimplicitate prælatorum: Confeſſio, ait, exordium gloriæ eſt non meritum coronæ: non perficit laudem, ſed initiat dignitatem. Et ſtatim poſt confeſſionem maius periculum eſt, quia plus aduerſarius prouocatus eſt. Denique in ſermone de Lapſis quinto: Religioſa vox Chriſtum locuta eſt, in quem ſe ſemel credidiſſe confeſſa eſt, &c.

In cap. 8. Qui in modum ſeptemplicis candelabri,) Alludit ad candelabrum illud, de quo multa in Exod. c. 25. quod ſex calamis ex haſtili eius productis, magna arte atque ambitione fabrefactum erat. Cæterum candelabri nomine, quod totum aureum erat, doctores Chriſtum, per lucernas verò ſeptem, Spi-

In cap. 9. ritus gratiam ſeptiformem intelligunt.

Quondam igitur venerabilis memoriæ Agrippinus Carthaginenſis Epiſcopus.) Nequicquam hactenus vt de hoc viro apud veteres aliquid inuenirem, tentaui: præterquam quod diuus Cyprianus libro de hæreticis baptizandis obiter huius mentionẽ facit. Verba ipſius ad rem exam: apud nos, inquit, non noua aut repentina res eſt, vt baptiſandos cenſeamus eos, qui ab hereticis ad Eccleſiã perueniunt, cum multi iã anni ſint, & longa ætas, ex quo ſub Agrippino bonæ memoriæ viro, cõuenientes in vnũ epiſcopi plurimi hoc ſtatuerũt, &c.

Horum ſententia ab Eccleſia Romana reiecta eſt, quam & diuus Auguſtinus in opere contra Donatiſtas refellit: potiſſimum libro tertio, ſexto & ſeptimo.

Nihil

Nihil nouandũ eſſe,niſi quod traditum eſt.)Traditum porro erat à Roma- *In cap.10.*
na Eccleſia, hæreticos cùm ad Eccleſiam redire vellent, ſola manus impoſitione non retinctione debere pugari. Cæterum ea epiſtola, quam à Stephano Papa ad Aphricam hic miſſam dicit,inter D.Cypriani opera eſt,lib.epiſtolarum ſecundo,numero ſeptimo:cuius initium: Quanquã bene ſibi conſcius animus,&c. Epiſtola eſt lectu digna : nimirum & erudita,& antiquam illam Romanę Eccleſiæ grauitatem ſpirans.In ea verò(vt & illud hic quoq; in ſtudioſorum gratiam adiiciam) ſententia eſt quædam fœdè admodum depraua-ta, cui nulla euulgatio hactenus remedium attulit. Nam poſtrema editio, quam Colonienſes anno 44.nobis dederũt,in qua vir vtraque lingua doctiſſimus D.Henricus Grauius multa vulnera perſanauit,locum corruptum quidem eſſe oſtendit interpoſitis duobus aſteriſcis interim tamen nihil adferens quod eam tabem ſanare queat. Sententia verò hæc eſt : Abſit enim ab Eccleſia Romana,vigorem ſuum tam prophana facilitate dimittere,& niſi vos ſeueritatis,euerſa fidei maieſtate diſſoluere,&c.Igitur quum Clemens medicinæ doctor,natione Anglus,vir ornatiſſimus, ac Græcarum literarum peritiſſimus,mecum ſubinde pro ſua humanitate de litteris conferret,atque harum occaſione multa de præclariſſimi viri Thomæ Mori, quo familiariter dum viueret,vſus erat,humanitate,pietate, prudentia ac eruditione diceret, meminit quoque ſub inde Margaretæ Mori filiæ: cuius ingenium atque doctrinam mirificè prædicabat. Vt autem cognoſcas,inquit,vera eſſe quæ dico, adferam tibi ex Cypriano locum deprauatũ admodum, quem illa citra exemplaris ſubſidium,ſola ingenij ſui fœlicitate reſtituit.Erat autem ea ſententia, quam ſuprà poſui. Nam pro eo,quod ibi legimus,niſi vos ſeueritatis,neruos, ſeueritatis reponendum eſſe dicebat.Error ſcribarum inſcitia obrepſit.Suſpicandum,ſcriptũ fuiſſe in antiquo codice hoc modo,ñuos, apiculo ſupra n. literam ſcripto:verùm quia & hæc dictiuncula, niſi, hac ratione contractiùs pingi ſolet, ſcriba vnum vocabulum in duas voces diſſecuit.

Vt etiam poſteri ipſius, peccati ſui maledictis obligarentur.) Chanaam *In cap.11.*
enim filius Cham,qui fuit pop.Chananæus,huius maledictionis populus tulit:reiectus nimirum à Deo, & idolorũ cultui deditus,atque Iſraeliticæ genti acerrimus atque infeſtiſſimus hoſtis. Quare non ſemel eam gentem Dominus exſcindi imperat.Sic enim legis:De his autem ciuitatibus quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes viuere, ſed interficies in ore gladij : Hæthæum videlicet & Amorrhæum,& Chananeum,Pherezæum & Iebuſæum, ne fortè doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipſi operati ſunt diis ſuis.Huc pertinet,quod Abraham ſummo ſtudio cauit,ne Iſaac filius eius de filiabus Chananæorum acciperet vxorẽ. Inde quoque eſt illa prophetica exprobratio Patertu° Amorrhæus & mater Certhæa. Porrò Amorrhæus, filius eſt Chanaan.Daniel item ad illos flagitioſos ſenes: Semen Chanaan, inquit, & non Iuda. Pulcherrima verò atque accommodatiſſima allegoria hic vſus eſt auctor,qua ſignificat neminem oportere petulãtiùs inſectari, ſi quid leuiter à ſanctis Patribus erratum ſit,ſed tegere verecundè, quod vtique eſt candidi animi : ne dum noſtro ingenio plus quàm æquum eſt indulgemus, horũ authoritas(quæ vt ſarta tecta ſit, multũ intereſt)grauiter labefactetur.

In aliud Euangelium, quod non eſt aliud.) Hoc modo legiſſe videtur D. *In cap.12.*
Hieronymus,quod è commentariis,quos in hanc epiſtolam conſcripſit, doceri poteſt : Tranſlati(inquit)eſtis in aliud Euangelium, quod non eſt aliud. Quanquã Eraſmus in annotationibus ſuſpicatur Hieronymũ legiſſe,in aliud

Euangelium quod nõ eſt,nec addidiſſe aliud. Si enim ait : Quia omne quod falſum eſt non ſubſiſtit:& quod contrarium eſt,non eſt. Vt eſt illud : Ne tradas Domine ſceptrum tuum his,qui non ſunt.Et alibi:Ea quæ non erant,vocauit Deus. Certè Tertullianus quoque Vincentianæ lectioni adſtipulatur. Sic enim ſcribit lib.4.contra Marcionem:Miror vos tam citò transferri ab eo qui vos vocauit in gratiam,in aliud Euangelium.Et ſtatim:Nam & adiiciens quòd aliud Euangelium omninò non eſſet, creatoris confirmat id, quod eſſe defendit. Græca tamen exemplaria ſecùs legunt etiam illud quod Robertus Stephanus nobis nunc poſtremum dedit.Sic enim habet.

θαυμάζω ὅτι ὕτω ταχέως μετατίθεσθε ἀπὸ τοῦ καλέσαντος ὑμᾶς ἐν χάριτι χριστοῦ εἰς ἕτερον εὐαγγέλιον, ὃ οὐκ ἔστιν ἄλλο εἰ μή τίνες εἰσὶν οἱ ταράσσοντες ὑμᾶς.

Atque errores venalitios circumferendo.) Alluſio eſt ad circum foraneos iſtos mercatores, qui quaquauerſum merces ſuas vendendas circumferunt: quorum iſti falſorum dogmatum nundinatores perſimiles ſunt, qui vrbes, pagos,vicos ac domos viduarum(vt Apoſtolus dicit)penetrantes,adulterinã doctrinam ſuam ceu vendendam exponunt.

Catholicæque doctrinæ manna reuomentes.) Ad hunc modum legendum eſſe cenſemus, quum omnes excuſi libri,quos hactenus vidi,legant, remouentes. Tacitè enim alludit ad Iſraeliticum populum , qui cùm ex Aegyptiaca ſeruitute in vaſtam ſolitudinem illam imperio Dei eſſet edoctus cœleſtis cibi,qui iis quotidie dabatur,nauſea adfectus,ad ollas carnium quas in Aegypto reliquerant,ſuſpirabant.

In cap.14. Cùm infœlix ille Neſtorius.) Neſtorius Epiſcopus Conſtantinopolitanus fuit: vir quantumuis natura eloquens,in ſcripturis tamen & veterum lectione,quos præ ſe fortiter cõtemnebat, minùs exercitatus.Pelagianam hæreſim ſequutus eſt.Hic verò in id ſummo ſtudio laborauit , vt Chriſtum Dei filium ex virgine Naria natum,hominem duntaxat, non etiam Deum eſſe doceret: atque ideo Mariam *χριστότοκον*, non autem *θεότοκον* eſſe dicendam : poſtea verò ſanctæ inculpatæ vitæ merito Chriſtum obtinuiſſe : vt dignus haberetur , cui ſe diuinitas iungeret.Huius igitur nefandi erroris veluti rediuiuos excitans cineres , & ex antiquis fauillis nouum volens mouere incendium, iure ab Eccleſia reiectus eſt : perſtrenuum contra hanc ſuam audaciam habens antagoniſtam D.Cyrillum Alexandrinum antiſtitem,qui hãc peſtem multis ſudoribus profligauit , extingit : Multa paſſim apud Zozomenum in Eccleſiaſtica hiſtoria de huius Neſtorij peruicatia , arrogantia , ac tyrannide leguntur:vbi inter cætera quoque refertur,linguam ipſius, qua multas ac intolerandas in Chriſtum blaſphemias euomuerat, primùm poſt mortem eius à vermibus fuiſſe depaſtam.

Velut apud Pannonios maiorum memoria Photinus.) Hic Galata natione , Epiſcopus verò Sirmitanæ Eccleſiæ fuit : vir Græca & Latina lingua diſertus. Sabellij verò ac Pauli Samozateni perfidiã fouens , qui Chriſtum nudum duntaxat hominem non etiam Deum eſſe blaterabant , humanæque ſcientiæ præſidio fretus , creditum ſibi Chriſti gregem in ſuam ſcientiam pertrahere & diuerſis atque occultis cuniculis in Catholicam domum irrepere tentabat.De hoc Photino eſt antiquorum Patrum ſententia,quòd multa continentiæ & ingenij bona vno ſuperbiæ malo perdiderit.

Sed etiam Apollinaris exemplo.) Syrus hic fuit, ſua ætate omnium facilè doctiſſimus atque eloquentiſſimus.Porphyrij vecaniæ,qua in Chriſtianos

incredibili

incredibili petulantia debacchabatur, triginta voluminibus reſpondit, denique cùm Iulianus Cæſar, fidei Chriſtianæ deſertor, interdixiſſet Chriſtianis diſciplina Græcorum, ne nihil ageret, Hebræorum hiſtorias vſque ad Saulis Regis tempora heroïco carmine conſcripſit, in viginti quatuor tomos, iuxta literarum Græcarum numerum, opus illud (vti ferunt) partitus. Cæterum poſteà ingenij ac eloquentiæ fiducia fretus, nouum ac perniciоſum dogma in Eccleſiam inducere voluit: quod quale fuerit, Vincentius noſter obiter hic breuiterque perſtringit.

Fuit & alius Apollinaris (ne quis fallatur.) Hierapolitanus antiſtes, quem D. Hieronymus cõtra Cataphrygarum inſanas nænias ſcripſiſſe, & M. Antonino, ſub quo floruit, pro fide Chriſtianorũ inſigne volumẽ obtuliſſe refert.

Magna pudicitia.) Tradunt Origenem dum Alexandriæ adoleſcens cate- *In cap. 23.*
chiſtam ageret, caſtitatis amore ſe ipſum exſecuiſſe, quo liberè citraque pudicitiæ periculum Euangelicam philoſophiam doceret. Quam rem tanquam Chriſtianæ doctrinæ contrariam pòſt illi obiecit Demetrius, tunc Alexandrinę Eccleſię Epiſcopus, quẽ fœlices Origenis ſucceſſus clãculo mordebãt.

Qui primũ in ea domo natus eſt, quæ eſt illuſtrata martyrio?) Filius enim fuit Leonidis martyris, qui ſub Seuero principe omnifaria crudelitate in Chriſtianos ſæuiente, deciſo capite, martyrij lauream eſt adeptus. Denique & ipſum quoque etiamnum puerum, tanto martyrij amore arſiſſe ferunt, vt vltrò quoque ad iudicis tribunalia, vbi martyres torquebantur: fuiſſet conuolaturus, ni à matre fuiſſet detentus. Cùm verò ad principis fiſcum patris bona eſſent relata, tanta rerum familiarium premebatur inopia, vt lucubrationes ſuas interdum diuendere ſit coactus, quò haberet, vnde vel tenuiter viuere poſſet. Cæterum quòd Vincentius frequentiùs hunc ob dominicæ confeſſionis nomen adflictum fuiſſe ſcribit, eius rei meminit Euſebius Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libro ſexto: dicens eum in Deciana perſequutione poſt toleratas contumelias, minas, carceres, vincula, catenas, præclarũ conſtantiæ ac fidei ſuæ teſtimonium præbuiſſe. Proinde quid de Origenico ingenio vel doctrina ſentiendũ ſit, vel vnicum D. Hieronymi teſtimonium, quod hic adſcribam, abundè docebit. Igitur in epiſtola ad Pammachium & Oceanum, cuius principium, Schædulas quas miſiſtis: Vulr, inquit, aliquis laudare Origenem? Laudet, vt laudo, Magnus vir ab infantia, & verè martyris filius Alexandriæ Eccleſiaſticam ſcholam tenuit, ſuccedens eruditiſſimo viro Clemẽti presbytero. Voluptates in tantum fugit, vt zelo Dei, ſed non ſecundùm ſcientiam, ferro truncaret genitalia: Calcauit auaritiam, ſcripturas memoriter tenuit, & in ſtudio explanationis earũ diebus deſudauit ac noctibus Mille & eo amplius tractatus, quos in Eccleſia locutus eſt, edidit: Innumerabiles prætera commentarios, quos ipſe appellauit Tomos: & quos nunc prætereo, ne videar operum eius indicem texere. Quis noſtrum poteſt tanta legere, quanta ille conſcripſit? Hactenus ille.

Cuius ſcientiæ cùm Græci non crederent, Hebræa quoque elaborata ſunt.) Mihi hæc lectio non vſquequaque arridet. Quid ſi legamus. Cuius ſcientiæ cum Græcia cederet. Hebræa quoque elaborata ſunt. Id quippe autor dicere videtur, quòd cùm Origenes ingenij ſui magnitudine & indefatigatis ſtudij laboribus ad Græcarũ diſciplinarũ faſtigiũ pertigiſſet, Hebraicas quoque literas diſcere voluerit. Tantũ, ait Hieronymus, in ſcripturis diuinis habuit ſtudij, vt etiã Hebræam linguã cõtra ætatis gentiq; ſuæ naturã ediſceret. Cęterũ ſi hac noſtra diuinatione huius rei ſcopũ non attigimus, (quis enim vulnera

omnia citra exẽplaris ſubſidium ſanare poſſet?) adferat aliquis meliora,& lucrũ computabimus:vt ſi quid hic ſupputationis hæreat, perſanetur omnino.

Nemo mortalium plura.)Si exſtaret ea epiſtola, quam D. Hieronymus ad Paulam Euſtochij matrem conſcripſit, in qua quicquid ab Origenico ingenio elaboratum eſt, diligenter contexuit,conferens eum M. Varroni, homini vt omnium doctiſſimo, ita polygrapho quoque, non eſſet cur hac de re turpiter contendere deberemus,vt plerique faciunt,qui de iis rebus differere volunt,quas neſciunt.

Sed dicet aliquis corruptos eſſe Origenis libros.)Hac de re D.Hieronymi libet hic proferre ſententiam. Sic enim ille in Epiſtola ad Pammachium & Oceanum ſcribit: Illud verò quòd aſſerunt à quibuſdam hæreticis & maleuolis hominibus libros eſſe violatos, quàm ineptum ſit,hinc probari poteſt. Quis prudentior,doctior,eloquentior Euſebio,& Didymo,aſſertoribus Origenis,inueniri poteſt? Quorum alter ſex voluminibus apologiarum,ita eum vt ſe ſenſiſſe confirmatn:alter ſi eius errores nititur excuſare, vt tamen illius eſſe fateatur: non ſcriptum negans, ſed ſenſum ſcribentis ediſſerens. Aliud eſt,ſi quæ ab hæreticis addita ſunt,Didymus quaſi benè dicta defendat.Solus inuentus eſt,Origenes,cuius ſcripta in toto orbe falſarentur:& quaſi Ad Mithridatis literas omnis veritas vno die de voluminib⁹ illius raderetur.Si vnus violatus eſt liber, nũ vniuerſa eius opera, quæ diuerſis locis & temporibus edidit, ſimul corrumpi potuerunt?Ipſe Origenes in Epiſtola quam ſcribit ad Fabianum Romanæ vrbis epiſcopum, pœnitentiam agit, cur talia ſcripſerit, & cauſas temeritatis in Ambroſium refert, quod ſecretò edita, in publicum protulerit. Hæc ille. Verum nequis fallatur,Ambroſius de quo hic agit,Alexandrinus erat, vir vt nobilis, ita admodum diues. Hic quoniam Oreginis induſtria à Marcionis errore ad Catholicam fidem reuocatus erat, ingenti ſtudio(vt par erat)ipſum complectebatur. Commentanti enim membranas, notarios,ac ea quæ huic rei neceſſaria erant abundè ſuppeditabat: nihil non faciens, quo fœlix illud ingenium ad ſcribendum prouocaret. Hunc ergo quum haberet.Ergo dioctin, hoc eſt, operis penſum exigentem omne quod ad ſe ſcribebatur, ceu proprium is ſibi vendicans, amicis paſſim citra delectum legendum offerebat.Et hoc eſt quod Origenes ſuprà conqueritur.

In exp.24. Sed & Tertulliani eadem ratio eſt.) Tertulianũ ſcribit Hieronymus preſbyterum fuiſſe prouinciæ Africanæ,ciuem vero Carthaginenſem. De cuius omnifaria eruditione & ingenij acumine multa ſunt in veterum monumentis.D.Cyprianus tanti hunc fecit,tamque habuit charum vt ne diem quidem ſine eius lectione traduceret,ſolitus notario dicere,Da magiſtrum,Tertullianum ſignans.Neque verò minoris hunc D. Hieronymus fecit, qui paſſim data occaſione,eius laudes eloquitur. In epiſtola ad Magnum oratorem:Tertulliano,inquit quid acutius? quid eruditius? Denique in Apologetico libro, quem aduerſus Gentes conſcripſit, cunctã ſæculi diſciplinam cõtineri dixit. Quòd proculdubio verum eſt:quum vir acris & ardentis ingenij, non ferens Gentilium inſolentiam atque ſæuitiam, qua in Chriſtianos ferebantur, omnes ingenij ſui neruos in horum defenſionem intendit: in comparabiles interim eruditionis ac eloquentiæ ſuæ opes iſthic oſtentans. Verùm(quod dolendum)hoc tam præclarum doctrinæ lumen, quum multos ex errorum tenebris ad veram lucem reuocaſſet, ipſe poſteà, neſcio quo malo ingenio afflatus,in fœdos ac pudendos errores prolapſus eſt:ſecutus imprimis Montani impoſtoris vecordiam qui ſe Paracletum à patre miſſum eſſe fingebat, denique

nique & Millenariorum, quos Græci Chiliaſtas vocant, fauit errori, quibus perſuaſum erat, facta communi reſurrectione, nos in hac terra veluti in campis Elyſiis ſuauiter & lautè annos mille victuros. Proinde caſtitatis tantus erat amator, vt Cathaprhygarum ſecutus inſaniam, ſecũdas nuptias damnaret. Id quod ſubinde alias, tum verò ex profeſſo in opere ſuo de Monogamia facit.

Gnoſtici) Tam ſuperbo titulo hæc hæretica lues populo ſe venditabat: ab exacta nimirum rerum omnium (vt ipſi volebant) ſcientia, quam ſe habere iactabãt. Gnoſtici enim, cognoſcentes ſunt, *παρὰ γνῶτις*. Horum alij Baſilidem, alij Valentinianum principem fuiſſe volunt. Sunt qui à Gnoſticis Ophitarum ſectam confictam eſſe dicant: quorum hæc erat opinio, vt ſerpentem illum, cuius impoſtura primi parentes decepti ſunt Chriſtum fuiſſe dicerent, tanquam ſciẽtiæ boni & mali auctorem. Epiphanius horum tam ſpurca & abominanda opera fuiſſe ſcribit, vt caſtis auribus nefas ſit ea ingerere.

Et inſania illa inſanarũ mulierum nouitij dogmatis ſomnia.) De Priſcilla & Maxilla dicit: quæ Montani ludibria ſecutæ, quum eſſent opulentæ ac nobiles fœminæ, & propheticum ſpiritum ſe habere mentirẽtur, multas Eccleſias primùm auro, deinde nefandis dogmatibus corruperunt. Quòd autẽ inſanas dicit, alludit ad vates phanaticos & lymphatos: Scribunt veteres has mulieres cum præceptore ſuo Montano ſuſpendio interiſſe.

Vt probati manifeſtentur.) Sic Tertullianus: Hæc ſunt ingenia de ſpiritalibus nequitiæ, meritò contemplandæ fidei neceſſaria: vt electi manifeſtentur, vt reprobi detegantur, denique initio libri de præſcriptionibus auerſus hæreticos. Conditio præſentium temporum fratres, inquit, etiam hanc admonitionem prouocat noſtram, non oportere nos mirari ſuper hæreſes iſtas: ſiue quia ſunt, futuræ enim prænunciabantur: ſiue quia fidem quorundam ſubuertunt: ad hoc enim ſunt, vt fides habendo tentationem, haberet etiam probationem. Cyprianus item libro 3. de ſimplicitate Prælatorum: Oportet hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant. Sic probãtur fideles, ſic perfidi deteguntur, ſic & ante iudicij diem hic quoque iam iuſtorum atque iniuſtorum animæ deteguntur, & à frumento paleæ ſeparantur: vt dum corda & mentes noſtras veritatis diſcrimen examinat, probatorum fides integra, manifeſta luce clareſcat. *In cap. 25.*

Statim cernitur frumentorum grauitas, & leuitas palearum.) Alluſio eſt ad Euangelicam ſententiam, quæ eſt Matth. cap. 3. Cuius ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam &c. Frumenti nomine conſtantes in fide Chriſti: palearum verò, leuiculos & qui omni vento doctrinæ mouentur, ſignans. Non abſimili phraſi vſus eſt Tertul. libr. de fuga in perſecutione, Quis eſt, inquiens, exitus perſecutionis, quis effectus alius, niſi probatio & reprobatio fidei, qua ſuos vtique dominus examinauit? Hoc nomen iudicium eſt perſecutio, per quam quis aut probatus aut reprobatus iudicatur. Porrò iudicium ſoli Deo competit. Hæc palea illa, quæ & nunc dominicam aream purgat, Eccleſiam ſcilicet, confuſum aceruum fidelium euentitans, & diſcernens frumentum martyrum, & paleas nugatorum. Cyprianus quoque libro de ſingularitate clericorũ: Nemo æſtimet bonos de Eccleſia poſſe diſcedere. Triticum non rapit ventus nec arborem ſolida radice fundatam procella ſubruit. Inanes paleæ tempeſtate iactãtur, inualidæ arbores turbinis incurſione euertuntur. Tum alibi: Plantationẽ non plantatam à Deo patre videmus non frumẽti ſtabilitate ſolidari: ſed tanquã paleas diſſipãtis inimici ſpiritu ventilari.

In cap. 26. Qui eſt veſtrum inſipientiſſimus, diuertat ad me.)Verſionem ſeptuaginta interpretum ſequitur. Sic enim illi habẽt. ὃς ἐστιν ὑμῶν ἀφρονέστατος ἐκκλινάτω πρὸς με. Vulgata autem editio : Quis eſt paruulus? declinet ad me. Et mox Inopes autem ſenſu exhortatur,dicens. LXX. καὶ τοῖς ἐνδέοσι φρονῶν, Nos,Et vecordi locuta eſt. Deinde,aquam dulcem furtim bibite, Hoc modo & D Ambroſius legit,lib.de Cain & Abel.1.c.4.LXX. καὶ ὕδατος κλοπῆς γλυκέρου πίετε. Vulgaris lectio,aquæ furtiuæ dulciores ſunt. At ille,inquit,neſcit,quomodo terrigenæ apud eam pereant. LXX. ὁδὲ οὐκ ὅτι οἶδεν γηγενεῖς παρὰ αὐτῇ ὀλλυνται. Nos,& ignorauit,quòd ibi ſint gigantes.

In cap. 27. Eſto ſpiritalis tabernaculi Beſeleel.) Alludit ad vetus Iudaicę gentis tabernaculum, quod Beſeleel diuina ſapientia præditus ſummo artificio exſtruxit. Locus ex Exodi 31. c. Ecce vocaui, inquit, ex nomine Beſeleel, filium Vri,filium Hur,de tribu Iuda,& impleui eum ſpiritu Dei,ſapientia & intelligentia,& ſcientia, in omni opere,ad excogitãdum quicquid fabrefieri poteſt ex auro,argento,& ære,& marmore & gemmis,& diuerſitate lignorum. Cæterum ſpiritalis tabernaculi nomenclatura Eccleſiam Chriſti, cuius illud typus fuit,ſignificat,quam quiſquis doctoris, aut paſtoris munere fungitur, in morẽ illius Beſeleelis, omni venuſtate atque elegãtia ſpiritali expolire debet.

In cap. 30. Iniquũ eſt,vt pro germana veritate frumenti, ſubditiciũ zizaniæ eligamus errorem.)Tacitè alludit ad Euangelicam parabolam vbi Chriſtus zizaniã inter triticum à diabolo ſatã eſſe dicit. Perquàm eleganter autem veram atque Germanã fidem,tritiam vocat:tum quòd ea ſterilis non ſit,ſed fructus vberrimos ex ſe producat,ſpem nimirum ac charitatem?tum etiam,quod guſtu ſuauis,mirum in modum animam paſcat:quod hæreticorum lolium, lappæ, ac tribuli præſtare non poſſunt. Neque enim (vt Chriſti verbis vtar) de ſpinis colligunt ficus,neque de rubo vindemiant vuam.

Et nunc lætetur & excolatur.)Lætare,pro fimum adhibere dicit,quod ſtercorare vocãt hi,qui de re ruſtica ſcribũt. Vſus eſt ea voce Palladius.li.1.In lętandis,inquit,arboribus crates faciemus. Inde eſt lętamen,fimus qui per agrũ ſpargitur. Dictum verò ſic volunt,quod ſegetes lętas,hoc eſt,pingues efficiat.

Quodcunque igitur in hac Eccleſia, Dei agricultura.) Hoc modo Paulus populum ad fidem vocatum appellat in priori ad Corinth. epiſt. cap. 3. Dei, inquiens,agricultura eſtis:Inde eſt quod alibi legimus. Omnis plãtatio quam non plantauit pater meus cœleſtis eradicabitur. Deus enim pater, quemadmodum Chriſtus apud Ioannem dicit,agricola eſt. Populum enim ſuum tanquam agrum colit,irrigans miſericordiæ imbre, & peccatorum ac malarum affectionum ſpinas euellens,aperiens cor noſtrum tanquam aratro diuini ſermonis,plantans ſemina præceptorum,& fructum pietatis exſpectans.

Ab Eccleſiæ penetralibus, quæ eſt templum Dei, penitùs extraneas.) Dictum enim prophanum volunt tanquam à porrò & phano, hoc eſt, longè à phano:Quod euidenter poeta expreſſit.

Procul ô procul eſte prophani,
Conclamat vates,totóque abſiſtite luco.

Denique & D.Cyprianus in epiſtolis,Quiſquis,inquit,Eccleſiæ,non tenet vnitatem, prophanus eſt, alienus eſt foris eſt. Cæterum quod hic per cainophonias,id eſt,nouitates vocum, ſententias ac dogmata noua ſignificari ſcribit,hoc ipſum & D. Baſilius ait : vocum nouitates, nouas quaſdam & nuper inuentas doctrinas,atque à vero alienas,appellans.

In cap. 34. Quis ante crudeliſſimum Nouatianum.)Crudelem hunc ideo dicit, quòd

in

in peccatum prolapſis, & ad Eccleſiam lachrymis, gemitu, & dolore pulſantibus (vt D. Cypriani verbis vtar) diuinæ pietatis, & lenitatis paternæ ſolatia & ſubſidia claudit: nec ad ſoluenda vulnera admittit vulneratos, ſed ſine ſpe pacis & communicationis relictos, ad luporum rapinam, & diaboli prædam proiiciat. Denique in ea epiſtola, quam contra huius inſanos errores conſcripſit, ecce obortus eſt, ait, alius hoſtis, & ipſius paternæ pietatis aduerſarius, hæreticus Nouatianus, qui non tantum (vt in euangelico ſignificatum eſt) ſicut Sacerdos vel Leuites iacentem vulneratum præteriret, ſed ingenioſa & noua crudelitate ſauciatum potius occideret Aduerſus hunc item Nouitianum pulcherrimos illos ac longè vtiliſſimos de pœnitentia libros ſcripſit D. Antiſtes Ambroſius in quibus tyrannicum ac prorſus ſanguinarium huius dogma ſcripturarum auctoritate grauiter premit. Nam cum eos libros ad antiquorum exemplarium collationem recognoſceremus, codicem & emendatum venerandæ antiquitatis nacti ſumus, qui hunc titulum præferret Ambroſij libri de pœnitentia contra Nouatianos. Quod idcircò ſcribendum hic duximus, quia excuſi libri ſecus habeant. Hos verò libros propediem, aſpirante numine, dabimus tibi, lector à multis & craſſis erroribus vindicatos, poſtquam id quod iamdudum, parturimus ad vmbilicum perduxerimus.

Quicquid verò quamuis ille ſanctus & doctus, quamuis Epiſcopus, quamuis Confeſſor & martyr &c. Eadem fere Tertull. libr. de præſcriptionibus aduerſus hæreticos. Quid ergo, inquit, ſi Epiſcopus, ſi Diaconus, ſi vidua, ſi virgo, ſi doctor, ſi etiam Martyr lapſus à regula fuerit, ideò hæreſes veritatem videbuntur obtinere? Ex perſonis probamus fidem, an ex fide perſonas? *In cap. 39.*

Furandę veritatis patuerit occaſio: Tacitè alludere videtur ad id quod Dominus ait apud Ioannem. Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro. Et eodem loco: Quotquot venerunt fures ſunt & latrones. Furantur enim hæretici veritatem, & ſcripturæ diuinæ oſtium violenter effringunt, dum ad ſuam ſententiam commodúmque verba ſacræ legis detorquent, & veluti in ius ſuum tranſcribunt. Sic paulo poſt quoque ad defenſionem ſui ſacræ legis verba furari.

Tertiò doctores, qui nunc tractatores appellantur. Indiſcriminatim ponit doctores, tractatores, Magiſtros, Prophetas, Horum enim munus erat diuinas litteras populo enarrare. Nam quod Prophetæ in nouo teſtamento appellentur non ſolum ij qui futura vaticinantur, ſed etiam qui ſacram ſcripturam interpretantur. Paulus non ſemel docet. Epheſiis enim ſcribens: Et ipſe inquit dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem prophetas alios autem Euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores ad conſummationem ſanctorum in ædificationem corporis Chriſti. Hic Propheterum nomine veteres ſcriptores eos intelligi debere dicunt, qui antiquorum Prophetarum ænigmata, & ea, quæ obſcurius ab iis dicta ſunt, in lucem proferunt. Idipſum quoque Paulus oſtendit in priore ad Corinthios epiſt. capit. 12. Alibi quoque euidentiùs: ſpiritus Prophetarum Prophetis ſubiectus eſt. Et in Apoſtolicis Actis: Erant in Eccleſia Prophetæ, & doctores. Cæterum quos Apoſtolus ad Epheſios ſcribens quinto loco ponit doctores, hoc Vincentius toto hoc opere ſuo magiſtros vocat, quemadmodum & diuus Hieronymus in commentariis huius epiſtolæ, hunc locum enarrans. Græcè eſt, τοὺς διδασκάλους. *In cap. 40.*

FINIS.

Incipit prologus vitæ beati Lamberti Epiſcopi Vencienſ. & Monachi ſacræ Inſulæ Lerinenſis. Floruit anno Domini 1154.

Die 16. Maij. CVm cuncta Creatoris opera quæ à Deo immenſa ſunt inſcrutabilia, vt totius mentis humanæ cognitionem excedant, meritò admiranda ſint quædam tamen quæ præter conſuetudinem contingunt, nonnulli plus admiramur quæ quidem licet admiratione, narratione ſimul & laude digniſſima habeantur: tamen quia in peccatoris ore non eſt pulchra laudatio, cum metu & reuerentia nos oportet de talibus habere ſermonem: non quod maiora ſint, ſed quia inſolita videlicet dictu cœcis viſum, mutis loquelam, & ſurdis auditum reſtitui, paraliticis membrorum officia reparari conſpicimus, & multa alia quæ frequenter per ſanctos ſuos diuina pietas operatur. Cùm etiam cuncta quæ diuino nutu ſubſiſtunt ad dandam omnipotenti laudem, & gloriam diuinis oraculis inuitentur, præcipuè tamen à ſanctis vniuerſis ſuis benedicendus eſt Deus atque laudandus viuentes & in mandatis Chriſti perſeuerantes diuerſis virtutibus adornaret, & tam inter mundi labores atque Anguſtias poſitos quam viæ vniuerſæ carnis ingreſſos miraculis decoraret, & terrenis cœleſtes efficeret, ac diuinitatis ſuæ participationem præberet & gloriam: Quorum dum vitam vel geſta recenſentes exponimus, quid aliud agimus, quàm lumen ſuper cãdelabrum ponendo iter agentibus viam oſtendimus? Quod inpræſentiarum Domino annuente facere cupientes, ipſum veritatis auctorem inuocemus, vt & quod verum eſt dicere, & quicquid veritati contrarium eſt vitare concedat, dum ne minus periculoſum ſit pro vero falſum aſſerere, quam ipſam veritatem abnegare. Quod igitur ſcimus ratione approbamus, dum credimus, auctoritati fidem adhibemus. Nam qui ſolam narrat opinionem, næuum quandoque falſitatis incurrit. Nos ergo relinquentes dubia pro certis, ea quæ à multis tam laicus, quam cleris perſonis fidelibus, & honeſtis certa relatione didicimus, quæ etiã oculis noſtris vidimus, vt quæ frequenter fieri conſpicimus de veris geſtis beati Lamberti Vencienſis epiſcopi exequimur, ipſam veritatem nos ducente ſpiritu ſancto narratione vela pandamus.

Patria & parentes beati Lamberti. Beatus itaque Lambertus de Bandunio regenſis oppido & genere nobilium traxit originem: Cuius mater dum eum in vtero geſtaret, & partui propinquaret doloribus anguſtiata vita deceſſit, & de ventre illius inciſo idem puer manibus extractus eſt. Continuò autem ſacro fonte regeneratus, paruóque tempore parentum domo nutritus eſt, & poſtea Deo dicatus, atque in Lerinenſi Monaſterio educandus, & tam litteris quam Monaſticis inſtitutionibus traditur imbuendus. Ibique dum adoleſceret tam bonæ indolis adoleſcens, tantæ humilitatis, tam ſanctæ conuerſationis apparuit, vt tam Deo quam hominibus placens ab omnibus, nimio affectu diligeretur, tantáque gratia pollebat, vt mentis ingenuitate, ac morum honeſtate nobilium genus omne tranſcenderet, virginitatem quoque carnis & animæ cum omni deuotione in omni æuo diuina gratia inſpirante ſeruauit. In addiſcendis litteris ſedulus ad retinenda ea quæ percipere poterat ſtudioſus circa ea quæ Dei ſunt omnimodis erat ſollicitus. Veruntamen periculum matris animum eius valdè perterruit in tantum vt ſe matricidam aſſereret, eò quod initium natiuitatis eius cauſa mortis illius exſtitiſſet. Vnde ſuæ conditionis memor, omnium ſe nouiſſimum exiſtimabat, & omnium virtutum cuſtodem humilitatem ſecum familiariter retinebat. Vigiliis verò

Lerini educatus.

Perpetuò ſeruat Virginitatem.

Deflet obitum matris.

Vigiliis verò ieiuniis & orationibus aſſiduis inſiſtendo, ad ſupernam promiſſionem anhelabat. Vir igitur prudentiſſimus erat, quia tranſitoria fugere nouerat, & quæ beatum faciunt poſſidentis omnimodis appetebat, Refrenando etiam ea quæ nomine poſſent delectari temperantiã obtinebat. Fortis erat quia nunquam aduerſis potuit frangi, nec aliquando proſperis eleuari. Iuſtus quoque erat, quia nulli vnquam quod ſuum erat abnegauit, & Creatoris obſequio ſe perpetua & conſtanti voluntate vt dignum eſt mancipauit. Cúmque de virtute in virtutem infatigabiliter aſcendere conaretur fama ſanctitatis illius circumquaque crebeſcente oportuno in tempore diuina predeſtinatione Venciẽſis Eccleſiæ ordinatur Epiſcopus. Eãdem igitur quadraginta annis fideliter rexit Eccleſiam: ſubiectámque ſibi plebem non minus exemplis quam verborum predicatione inſtruxit, humilitatis quoque non immemor dum plus ſublimaretur, non quaſi dominationem in Clero haberet ſe extollebat, ſed erat inter eos quaſi vnus ex ipſis. Audientes autem multi diuerſis ægritudinibus alligati tantæ ſanctitatis famam, concurrebant ad eum, eius auxiliũ per orationem, vel per manus impoſitionem flagitantes, qui continuò priſtina ſanitate recepta ad propria cum gaudio reuertebãtur. Etiam Epilenticis diuinæ pietatis beneficio reſtituit ſanitatẽ. Per triginta verò omnes ante terminum vitæ ipſius pſalterium ex integro antequam comederet ſtando perlegere ſingulis diebus ſolitus erat, Licet verò ſtatura eſſet procerus, ſpecioſus forma, vultúque decorus, ieiuniorum tamen & orationum ac vigiliarum aſſiduitate corpus edomitum in ſeruitutem ſpiritus redigebat, & omni mentis intentione vbi theſaurum ſuum reconditum habebat in cœleſtibus conuerſabatur. Quanquam & tam ſpeciali dignitate quam & ſanctitatis fama magnus inter homines haberetur, permiſſum tamen ſe exiſtimando paruis ſemper erat contentus. Tranſgreſſoribus autem normam iuſtitiæ opponebat quoſdam etiam plus perferendo quam perſequendo ab impietate reuocabat, mitibus atque piis mitiſſimus exiſtebat. Quodam igitur tempore quadrageſimali abſtinentia peracta in die ſancto paraſceue dum ad veſperum clericis potus deferretur, ipſe ſibi aquã præcepit afferri, quæ ab eo more ſolito ſignata ilicò in vinum conuerſa eſt. Quo dum guſtaſſet, vinumque cõperiſſet, minatus eſt miniſtrum, quòd ſibi vinum detuliſſet. Iterumque ipſo precipiente aqua delata eſt. Ipſoque benedicente ſignatæ, ſtatímque vinum eſt effecta. Quo guſtato atque comperto cunctis qui aderant admirantibus increpauit miniſtrum non credens quod aqua eſſet, id quod ſibi detulerat. Iterumque præcepit aquam ſibi in peluim afferri & ſe vidente in ſcyphum infundi, quam iterum ſub nomine Trinitatis ſignauit & continuò vinum effecta eſt. Quod cùm vir beatiſſimus comperiſſet, & opus diuinæ fuiſſe pietatis intellexit, & cum gratiarum actione ex eo bibit, & clericis qui cum eo erant ad bibendum porrexit, quorum quidam qui biberunt ſuperſtites exiſtunt, & certum teſtimoniũ proferunt. Appropinquãte verò reſolutionis eius tempore, artubus ægritudine fatigatis à lecto ſurgere non valebat, ſed mentem ac ſpiritum ab intentione orationis non relaxabat. Concurrebant ergo ad eum ex vicinis ciuitatibus & caſtellis innumerabiles viuorum ac mulierum cateruæ viſitationis gratia, quia ab omnibus circumquaque nimio affectu diligebatur. Cuidam autem mulieri longius manenti, quæ per quinquenium cœca extiterat, viſum eſt per ſomniũ ſe ante ſanctum virum Lambertum aſſiſtere, & per illius manus tactum viſum recipere? Cuius viſionis non immemor quantocius potuit ad locum vbi erat perrexit. Quæ ingreſſa

Creatur Epi. Vencienſis. Rexit an. 40.

Ieiuniis totũ pſalteriũ recitabat.

Aquam in vinum ter conuertit.

interius obnixius deprecabatur,vt eam benediceret:Dumq; eleuata manu eã benedixiſſet,apprehẽsã manũ illius mulier deoſculata eſt,& tetigit inde oculos ſuos,& ſtatim viſũ recepit,cũctiſq; qui aderãt admirãtibus pro ſua illuminatione Deum benedicere cœpit.Cumq; vir beatiſſimus exitui propinquaret audiuit cæmẽtarios in Eccleſia tundentes lapidem,& ſarchophagũ illius aptantes interrogauit quid ageretur, & dictum eſt ei à circunſtantibus quod ſepulchrũ illius in quo ponendũ eſſet corpus illius pararetur.Rogauitq; eos vt ſe adiuuarẽt,& ad videndũ illud ducerẽt.Quod cũ factũ eſſet,benedixit illud & eleuata manu ſignauit. Et ſic reuerſus ad lectũ aliquantulũ quieuit.Et circunſtãte bonæ memoriæ Petro Antipolitano Epiſcopo, & Arnaudo Nicienſi Epiſcopo,cũ cleri ac plebis numeroſa multitudine de his quæ ad eũ pertinebãt q ageretur memoriter ordinauit.Epiſcopo verò agẽte in extremis interrogatus quomodo ſe haberet.Quibus reſpõdiſſe fertur.*Benè me habeo,& bona domini in terra viuentium me viſurũ credo.*Et hæc illius vltima verba fuerũt. Et ſic bonis operibus agitatum ſpiritum reddidit,ſepultuſq; eſt honorificè in ſepulchro lapideo à iam dictis Epiſcopis in eadem Vencienſi Eccleſia,cui Deo auctore preſul extiterat 7.Calend.Iunij.vbi ad eius memoriã viuentes multa beneficia diuina miſeratione percipiunt.Venerunt quoque die ſeptimo ex vicinis oppidis clerici multi Miſſarum ſolẽnia celebraturi, pauperes etiã Eleemoſinarum beneficiũ recepturi,inter quos quidam qui lõgo tempore fuerat cœcus aduenies ante B.viri ſepulchrum orauit, ſtatimq; viſum recepit. Videntes autẽ illum qui cum pluribus annis cœcũ agnouerant,nunc videntem, valde admirati ſunt,& diuinæ pietati laudẽ attribuunt. Mulier quædam filiũ habens cæcũ, audiẽnſq; tot ac tanta de B.Lamberto,narrari miraculorũ inſignia,adduxit filiũ ſuum ad ſepulchrũ illius, & excubiis celebratis oratione ſtatim oculi eius illuminati ſunt. Procedente verò tempore in paſcali ſolẽnitate dum deceret omnem Chriſtianum ſanctitati, & honeſtati operã dare váſque ſuũ in ſanctitate & honore poſſidere, puer quidã rixando & conuiciando cũ altero,ſubito inſanire cœpit, & à dæmonio vexari,Apprehendẽtes autem eum qui circunſtabãt,tenuerunt eũ & ligauerunt. Cúmq; diutius vexaretur,& malè ſe haberet,fuit conciliũ eorum vt ad ſepulchrum B. Lãberti eũ adducerent,ibique dimitterent. Quod cum factũ fuiſſet aliquantulũ quieuit, ſtatimque quaſi à ſummo expergefactus priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt. Quidã homo Fulco nomine Venciẽſ.Eccleſię parochianus qui longo tẽpore ſurdus extiterat, venit ad Eccleſ. & ante ſepulchrum ſanctiſſimi viri cum lumine ſuo noctẽ duxit inſomnem.Cúmque circa auroram orationi inſiſteret, quod fideliter petiit impetrauit.Nam dũ ad inſtar pellis excicatę dũ impetuosè rũpitur auris illius feciſſe crepitũ dũ aperiretur, & ſi optatũ recepit auditum.Quidã iuuenis & corpore ægrotabat,& mẽte alienabatur à Deo vt amici eius de ſalute illius dubitarent,& fecerunt ergo imaginẽ ceream,ipſumque ægrum ad ſepulchrũ B.Lamberti adduxerunt,& imaginẽ detulerunt.Cúmq; in excubiis pernoctaſſent,æger diuino beneficio ſenſit leuamẽ,& ſic de illius ſalute gaudentes ad propria ſunt reuerſi. Redunte autem tẽpore cum ad celebrandũ annuale obſequiũ Cleri ac plebis multitudo maxima conueniret: Quoddã inſigne,omnibúſque admirãdũ,cunctis qui aderant cernentibus apparuit. Nã vas in quo Corpus illi⁹ quieſcebat manãtibus limpidiſſimis aquis cœpit ſuperfundi,quaſi imbribus validis de ſuper irrigaretur. Miles quidam famoſiſſimus intercrat, qui lumen dudum vnius oculi penitùs amiſerat, & aqua illa oculum cœcum tetigit, & continuò lumen quo caruerat recepit.

Illuminat cœcã mulierem ex ciuitate Nicea.

Diem claudit extremum. 26.Maij.

Cœcus ad ſepulchrũ eius lumẽ recepit.

Paruulusetiã illuminatur.

Puer obſceſus à dæmone liberatur.

Surdus auditum recepit.

Inſano ſanitati redditur.

Ex ſepulchro eius aqua ſcaturit.

Monoculus ſanatur.

Puer

Puer quidam Ioan. nomine qui ſemper mutus extiterat ibidē adductus, ante ſepulchrum viri loqui ſimul & Deum benedicere cœpit. Mulier verò quædam Suſana nomine, de aqua illa quæ de ſepulchro illius manauerat, in vaſe vitreo recepit, & ſecum detulit, multiſque qui variis ægritudinibus detenti erant ad bibendum porrexit, qui illico priſtinæ ſanitati reſtituti ſunt. Mulier quædam quæ & longo tempore muta extiterat, & brachium ſimul ac manum paraliticam habebat, eodem die & ſanitatē recepit, & loquelam. Duæ mulieres, quorum altera erat cæca, altera ſurda, ſub vnius diei ſpatio deſideratam ſoſpitatem ſe recepiſſe gauiſæ ſunt. Homo quidam cœcus, & mulier cœca de diuerſis locis venientes ante ſepulchrum illius orantes diuinæ pietatis beneficio vna die ſimul illuminati ſint. Quatuor mulieres in diuerſis locis habitantes, audito rumore tot, ac tantorum miraculorum ad ſepulchrum Beatiſſimi viri venerunt miſericordiam vnanimiter deprecantes, quarum duæ longo tempore cæcitate laborauerāt, tertia per quinquennium muta fuerat: Quarta quindecim annis paralitica extiterat: Quæ per triduū orando ſuſtinuerunt, & in die tertia optatam quam petierunt ſalutem impetrare meruerunt. Mulier quædam ſciatica quæ nullo tempore valebat incedere, ad memoriā prætaxati Epiſcopi delata eſt, & ante ſepulchrum illius poſita, quæ vſque in craſtinum perſeuerauit orans, & circa manè oſſibus illius crepitantibus, ita vt audiri poſſent à circunſtantibus erecta eſt, & ſanitati reſtituta. Mulier quædam habens filium paraliticum ad memoriam Beatiſſimi Lamberti adduxit, & ante ſepulchrum illius pernoctantes noctem duxerunt inſomnem circa mane autem cum firmitate membrorum optatam adeptus eſt ſoſpitatem: & ſic cum eadem matre ſua cum gaudio ad propria veuerſus eſt.

Mutus loquitur aliaq; varia ægritudines ſanātur.

Præfactus verò Epiſcopus per quadraginta annos Vencienſem rexit Eccleſiam (vt dictum eſt.) Et Anno Incarnationis noſtri ſaluatoris Milleſimo, Centeſimo, quinquageſimo quarto, ſuum ſuo reddidit ſpiritum creatori.

Anno Domini. 1154.

Extractum & collationatum cum ſuo proprio originali exiſtente in Archiuis Eccleſiæ cathedralis Vencienſis in prouincia prouinciæ per nos Antonium Iſnardum Canonicum Theologalem & Vicariū generalem Vencien. pro Reuerendiſſimo in Chriſto patre & Domino, Domino Guilielmo Blanco Epiſcopo Vencien. & Graſſen. & Dominicum lauream Præcentorem dictæ Eccleſiæ, & Mauricium Vianum beneficiatum & curatum eiuſdem Eccleſiæ, & Magiſtrum Petrum de Guigonis notarium regium & ſecretarium capitali prædictæ Vencien. Eccleſiæ. Et in fidem & teſtimonium premiſſorum nos ſubſcripſimus. Anno Domini Milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſexto & die decima quarta menſis Ianuarij Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Clementis Papæ Octaui, Anno quarto indictione nona. A Iſnardus Vicarius generalis, Dominicus laurea præcentor Vencien. Mauricius Vianus curatus. Et ego Petrus de Guigonis notarius regius & ſecretarius prædicti capituli Vencien. in fidem omnium ſubditus P. de Guigonis noſter & ſecretarius ſic ſignatis.

Verſus inſculpti ante altare ſiue ſepulchrum ſiue lapidem Beati Lamberti Epiſcopi Vencien. 1154.

DIſcat, qui neſcit, quod Epiſcopus hîc requieſcit,
Nomine Lambertus multa bonitate refertus.

Quique quaterdenis huic ſedi præfuit annis,
Non hunc erexit res blanda, nec aſpera flexit.
Parcat peccatis, illius fons pietatis,
Et luceſcat ei, lux perpetuæ requiei.

De ſancto Germano Epiſcopo Parienſi & monacho Lerinen. Gregorius Turonen. Hiſtor. Franc. lib. 4. cap. 51.

28. *Maij.* SYgibertus verò obtentis ciuitabus illis quæ citra Pariſios ſunt poſitæ, vſque Rothomagenſem vrbem acceſſit, volens eaſdem vrbes hoſtibus cedere, quod ne faceret à ſuis prohibitus eſt, regreſſus inde Pariſios eſt ingreſſus: ibique ad eum Brunichildis cum filiis venit. Tũc Franci qui quondam ad Childebertum aſpexerant ſeniorem, ad Sygibertum legationem mittunt, vt ad eos veniens, derelicto Chilperico, ſuper ſeipſum Regem ſtabilirent. Ille verò hæc audiens miſit, qui fratrem ſuum in ſupra memorata ciuitate obſiderent ipſe illuc properare deliberans. Cui S. Germanus Epiſcopus dixit, ſi abieris & fratrem tuum interficere nolueris, cuius & victor redibis: ſin autẽ aliud cogitaueris, morieris: ſic enim Dominus per Salomonem dixit: *Foueam quam fratri tuo parabis, in eam corrues.* Quod ille peccatis facientibus audire neglexit. Veniẽte autẽ illo ad villam cui nomen eſt Victoriacum, ab exercitu Rex ſtatuitur duoque pueri à Fredegunda regina deſtinati vtraque ei latera feriunt, ſicque vociferans emiſit ſpiritum.

Idem Gregorius Turonen. Hiſt. Franc. lib. 5. cap. 8.

Moritur anno Domini 578. EO anno (primo ſcilicet Childeberti regis filij Sygiberti) erat enim annus noſtrę ſalutis quingenteſimus ſeptuageſimus octauus & Beatus Germanus Pariſiorũ Epiſcopus tranſiit: in cuius exequiis, multis virtutibus quas in corpore geſſerat, hoc miraculum confirmationem fecit. Nam carcerariis acclamantibus, corpus in platea adgrauatum eſt, ſolutiſque eiſdem rurſum ſine labore leuatur: ipſi quoque qui ſoluti fuerant in obſequium funeris vſque ad baſilicam in qua ſepultus eſt, liberi peruenerunt. Ad ſepulchrum autẽ eius multas virtutes Domino tribuente, credentes experiuntur: ita vt quiſque ſi iuſta petierit, velociter exoptata reportet. Si quis tamen ſtrenuus virtutes illius quas in corpore fecit ſollicitè vult inquirere librum vitæ illius, qui à Fortunato præsbytero compoſitus eſt, legens cuncta reperiet.

Idem Gregorius, Hiſt. Franc. lib. 8. cap. 33. de miraculis poſt mortem ſancti Germani Epiſcopi.

TVnc diruente igne ſuper vinctos carceris adparuit eis Beatus Germanus & cõminuens trabem abſque cathenas quibus vincti tenebantur reſerato carceris oſtio, vinctos abire permiſit incolumes, illi verò egreſſi ſe ad baſilicam S. Vincentij in qua ſepulchrum habetur beati Antiſtitis contulerũt.

Idem Gregorius de gloria confeſſorum. Cap. 90. de ſepulchro eiuſdem S. Germani Epiſcopi.

INgrediente autem Chilperico Rege in vrbẽ Pariſiacam, poſtridie qua Rex ingreſſus eſt ciuitatem, paraliticus qui in porticu baſilicæ S. Vincentij, in qua Beatus Germanus requieſcit in corpore, reſidebat, dirigitur; manè autem facto expectante populo gratias beato antiſtiti referebat. Nam ſepè ibi, & greſſus

greſſus paralyticorum, & cœrum viſus virtute ſancti reſtituuntur: & raro aduenit eius ſolemnitas quin ibi eius virtus oſtendatur.

In cap. verò. 92. eiuſdem libri, ſubinfert idem Gregorius Turonen.

IN Dolenſi autem Biturigi termini vico Beatus Luſor Leucadi quõdam ſenatoris ſyluis requieſcit, q fertur in Albis migraſſe à ſæculo: in cripta verò poſitus ſuper pauimentum, ſepulchrum habens ex marmore pario mirabiliter excultum. Factum eſt autem vt quadam vice S. Germanus Pariſiacæ vrbis Epiſcopus ad hunc tumulum vigilias celebraret, haud procul formulam habens in qua genua cum neceſſitas cogeret, deflectebat. Factum eſt autem in vna vigiliarum nocte, dum pſalmos lectionis Dauidicæ decantarent, ſtationis labore laſſi clerici quaſi pro aliquo releuamine, ſe ſuper ſepulchrum ſancti defixis vlnarum cõpagibus ſuſtentarent. Contremuit illico, beati tumulus confeſſoris, & ſibi iniuriam irrogari præſenti vibratione fatetur. At Germanus Pontifex terrore perterritus, amoueri de ſuper præcepit ſomnolentes, dicens: *Abſiſtite, ô ſegnes, procul à tumulo ne ſancto Dei moleſtia inferatur:* quibus amotis tremorem illum deinceps non ſenſerunt. Hæc Gregorius Turonenſis.

Ado verò Viennen. in Chronic. ætate ſexta anno 564. hæc habet de ſancto Germano Epiſcopo Pariſ.

FRanci qui ſub ditione Chilperici erant ad Sygibertum tranſeunt, ſicque Sygibertus Tornacum vbi Chilpericus reſidebat obſedit. Eo tempore ſanctus Germanus Pariſiorum Epiſcopus Sygiberto Regi mandauit, vt contra fratrem ſuum nullo modo abiret, neque de interfectione illius cogitaret, quod ille audire contempſit: ſed Francis conſentiens, more gentis impoſitus clypeo Rex conſtitutus eſt, ad regnum fratris ſui Chilperici adeptus, qui non longè fraude Fredegundis à duobus iuuenibus interfectus eſt. Sicque prophetia ſancti viri Germani vera fuit. Hæc Ado.

De ſancto Germano Epiſcopo Pariſienſi. Petrus in Cathalogo lib. S. capite 59.

GErmanus Epiſcopus Pariſienſis, territorij Auguſtudonenſis indigena, patre Eleutherio, matre Euſebia natus eſt, qui à iuuentute Deo ſeruiens à ſancto Nectario Epiſcopo, Abbas ſancti Symphoriani conſtitutus in ſanctitate maxima, & operibus virtutũ pollebat & ſignorum miraculis refulgebat. Cùm enim incendium in monaſterio accidiſſet & iam officinas flammæ circumquaque vallarent, Germanus aſcenſo tecto ſumptáque cacuma plena aqua *Alleluia* concinens, & paululũ aquas ſuper ignem effundens flãmas extinxit. Cùm quidã Radulphus quaſdã cœnobij res inuaſiſſet, vrſus aduenies per tres dies continuos equos ipſius deuorãs damnũ ablatorũ triplicauit, nec deſtitit donec ille reſipuit, & res ablatas reſtituit. Annæ vxori Ebronij Regis miſſam celebrãs facie fulgidus admodũ apparuit. Per annos quatuor antequã Epiſcopus fieret cũ per viſum claues portæ Pariſiẽſ. à ſene ſibi fuiſſent traditę conſeruandæ, prædixit ſe ipſius futurum Pontificem ciuitatis; quod & poſt quadriennium factum eſt, qui in Epiſcopatu doctrina, clarus miraculis effulſit. Iuuenem enim à Iudæis in carcere tentum & compeditum eum inuocantem, ruptis vinculis per noctem abſoluit. Ianuam Eccleſiæ ſanctorum Geruaſij & prothaſij ſibi clauibus obſeratam baſilicam intrare cupiens, cuius ſolo ſignaculo reſerauit: multos à dæmoniis abſeſſos liberauit: & ægros pluri-

mos à variis languoribus ſanos effecit. In victu ſuo parciſſimus : neceſſitati pauperum liberaliſſimus fuit, obitum ſuum præſciens ad caput lecti notarium ſuum ſcribere fecit, quinto calendas Iunij & nihil vltra. Quod dum nemo, quid ſibi hoc vellet, intelligere poſſet, dum quinto calendas Iunij à corpore migrauit: quod propter hoc talem ſcripturam ſanctus feciſſet vnuſquiſque cognouit. Sic ergo die quo ſanctus annorum ferè octuaginta obdormiuit in domino : ſepultus in Eccleſia Pariſienſi. Hæc Petrus in Cathal.

Migrat. 28. Maij.

De Bono ſiue Chonono Abbate ſacri Monaſterij Lerinenſis Annotatio Vinc. Saler.

29. Maij.

QVarto Calendas Iunij proponitur nobis nobilis religione Lerinenſis Abbas vita & nomine Bonus & Cultor eximius ſacræ obſeruationis Monaſticæ diſciplinæ, cuius rerum geſtarum poſt multos labores & vigilias in euoluendis manuſcriptis bibliothecæ Lerinẽſis & aliorum authorum impenſos nullatenùs aliquid certi adinuenimus præter Epiſtolam ſancti Gregorij magni ad ipſum Abbatem datam & ex ea Baronius in annalibus, quæ omnia hic ſubiicio. Porrò miramur vnde euenerit ipſius tam multiplex nominis variatio, nam in tertio libro vitæ ſancti Honorati Archipræſulis Arelatenſis capite 26. Chononus nominantur & in quodam peruetuſto codice membrano, præfati cænobij adeſt Catalogus ſanctorum & procerum qui olim floruerunt in Inſula Lerinenſi inter quos, & iſte anuumeratur ſub iis verbis ſanctus Chononus ſiue Chononius ſeu Chonon vigeſimo nono maij floruit anno 600. quem refert Arnoldus Vion author ligni vitæ in ſui Martyrologij Monaſtici libro tertio die quo ſuprà; inquiens, *Lerini depoſitio ſancti Chononis Abbatis admiranda ſanctitatis & humilitatis viri.* Et in notis: de quo prædictæ tabulæ Lerinenſes hac die, quæ quamuis tempus quo floruerit reticeant, putamus tamen eum eſſe ad quem ſanctus Gregorius Papa ſcribit, laudans eum de cauta Monaſterij prouiſione & diligenti gubernatione, inſuper illuſtriſſimus dominus Gregorius Cortheſius Mutinenſis Cardinalis ampliſſimus noſtri ordinis in carmine de laudibus Lerinæ recenſens aliquos ſanctorum Lerinenſium Chonona eum vocitat dicens.

Maximum poſt hos ſuperante idipſum
Nomen, anblandum eloquium diſerti
Cæſari dicam, an rigidum Chonona
Polemiumve.

Denique beatiſſimus Papa Gregorius in regiſtro Epiſtolarum, libro nono, in dictione quarta ordinationis ſuæ, anno duodecimo inchoato, Chriſti verò 601. ſecundum aualiſtam Baronium in Epiſtola octaua Bononem ſeu Bonum eum appellat, quam in gratiam lectoris hic integram referimus, quæ talis eſt.

Gregorius Bononi Abbati Monaſterij Lerinenſis.

PRæpoſitorum ſolicitudo ſubiectorũ eſt cautela quam qui ſuper rem creditem vigilat, hoſtis inſidias declinat, quam autem ſolers hic in regendis fratribus quantóque ſtudio in eorum ſis cuſtodia vigilans, Reuerendiſſimo fratre & coepiſcopo noſtro Menna referente cognouimus. Et ſicut nos audita deceſſoris tui incauta remiſſio ſæpius contriſtata eſt, ita prouiſionis tuæ ſolicitudo lætificat, quia ſtudij tui cautelam & tibi ad renumerationem

& aliis

& aliis ad vtilitatis exemplum prodeſſe non dubium eſt. Sed quia quantum ſe aduerſarius noſter ex omni parte præcaueri cognoſcit, tanto per occulta quærit irrumpere:& repugnantem ſibi callida arte nititur decipere,dilectionis tuæ vigilantia ardentiori ſe ſemper cura ſuccendat,& ita cuncta Deo iuuante præmuniat,vt lupus ſæuiens huc illúcque diſcurrens in oues dominicas ingrediendi locum non habeat.Eos ergo,qui tibi commiſſi ſunt à gula, à ſuperbia, ab auaritia, à maliloquio & ab omni immundicia redemptoris noſtri ſuffragante gratia prohibere ac ſtudij tui ſit per omnia cuſtodire:vt tanto tibi maior de commiſſa gubernatione merces accreſcat,quanto ſubiecti tui contra aduerſarij nequitias te fuerint vigilante victores. Itaque boni te dulcem praui ſentiant correctorem, in qua videlicet correctione hunc eſſe ordinem noueris obſeruandum vt perſonas diligas & vitia perſequaris,ne ſi aliter agere fortaſſe volueris tranſeat in crudelitatem correctio & perdas quos emendare deſideras,ſic enim vulnus debes abſcindere vt non poſſis vlcerare quod ſanum eſt,ne pluſquam res exigit ferrum impreſſeris, noceas cui prodeſſe feſtinas.Ipſa enim in te dulcedo cauta non remiſſa ſit,correctio verò diligens ſit,non ſeuera. Sed ſic alterum condiatur ex altero vt & boni valeant amando quod caueant & praui metuendo quod diligant. Hæc dilectiſſime fili ſollicitè attende, ſtudioſe cuſtodi, vt dum tali moderatione Deo noſtro incolumes quos ſuſcepiſti reddideris in die æternæ retributionis eo dicente audire ſis meritus:euge ſerue bone & fidelis quia in pauca fidelis, Chriſti ſupra multa te conſtituam,intra in gaudium Domini tui, filium præterea noſtrum Columbum presbyterum qui charitati tuæ ſuis eſt meritis commendatur:in tua dilatione proficere optamus & ex noſtra commendatione.

Illuſtriſſimus Baronius in annalibus tomo 8. *anno. Chriſti* 601. *Gregorij magni duodecimo inchoato, Mauricij Imperatoris quinto decimo hæc habet de Bono Abbate Lerinenſi.*

SIcut verò aduerſus impios atque atque ſceleſtos homines ſanctiſſimi viri Gregorij zelus exarſit,ita è contra eos quos munus ſuum nouit religiosè explere fouit,& ſuis penè viſceribus clauſit: Videas hæc ex ipſius literis ad Bonum Abbatem cœnobij Lerinenſis antiquitus fœcunditate ſanctorum conſpicui iſte namque releſſatam à prædeceſſore monaſticam obſeruantiam fibulis diſciplinæ reſtrinxit,quem ipſe Gregorius de perſeuerantiæ bono ſollicitus vt perſeueret admonens ſalutaria monita impertitur. Hæc ille.

De ſancto Venantio Confeſſore Fratre ſancti Honorati Epiſcopi Arelatenſis ex manuſcriptis Lerinenſibus moritur circa annos Domini 374.

CVm mira ſanctorum opera recitantur illius quippe gloria prædicatur, per cuius fidem atque potentiam ipſi, vt ait Apoſtolus: *Vicerunt regna operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones.* Natura quippe humana cuius ſenſus & cogitatio prona ſunt ad malum ab adoleſcentia per ſemetipſam labitur ad vitia, ſed ad ſalutaria virtutum merita nullatenus aſſurgit niſi potentis manus Dei fuerit auxilio ſubleuata.Vnde Apoſtolus: *Non inquit, volentis & currentis ſed miſerantis eſt Domini.* Ad laudem igitur & gloriam diuinæ bonitatis aliqua de eius operibus quæ per beatum confeſſorem ſuum Venantium dignata eſt operari,prout in diuerſis deſcripta voluminibus reperimus. Huic inſerere lectioni decreuimus, vt in natali eius feſto quod hodie excolitur, habeat ſancta deuotio veſtra vnde ad virtutum exempla prouocetur. Glorioſus itaque Chriſti Confeſſor Venantius illuſtri proſapia ortus ſicut *Maij* 30.

clarus genere,clarus apparuit &morũ honeſtate.Ipſam nãq;ſummę nobilitatis originẽ probis nobilitauit moribus,ſanctis operibus adornauit,Fuit enim Germanus frater illius eximij confeſſoris Chriſti Honorati, qui primus Monaſterij Lerinenſis fundator & pater, poſtea Arelatenſis Epiſcopus exſtitit. Nam cum idem probatus Chriſti Athleta vita & nomine Honoratus in annis adhuc puerilibus conſtitutus diuina vocatione ad Catholicæ fidei notitiam fuiſſet adductus: Eius carnalis pater obuiantia parare cœpit molimina blanditiiſque mollibus ac oblectamenta ſæculi huius pueritiam illicere nititur innocentem.Et quia per ſe hoc explere non poterat hunc adoleſcentem fratrem,qui tunc Germanus nomine nominatus ludicris geſtis aptus erat,adiunxit.Iungitur ergo illi frater adoleſcentior,melius ſenior, deditus ad tranſibilia geſtáque puerilia: Qui ſanctum puerum Honoratum de ſuſcepto virtutis culmine aliquantum quiret flectere,ſed omnipotente Deo huius iniqua diſſipare conſilia longè aliter quam ſperabat res euenit. Nam cum ad mundi huius illecebras frater fratrem allicere conaretur, diuina illicò circũfulgẽte claritate,hic qui ad ſubuertendum venerat mutatione dextræ excelſi ſubitò apparuit conuerſus,qui accepta conuerſionis gratia miniſtrante ſancto ſene Capraſio ad ſacramentum baptiſmi ſuſcipiendum proripuit. Qui Venantius appellatus in tantam virtutum eminentiam excreuit vt ſancti Honorati eius Germani fratris adiutor exiſteret & eum non minus virtute quam conſortio comitaretur. Et toto quo poſtea vixit tempore comes eius indiuiduus fieret. Erant autem inter illos certamina grata propoſiti:Cuius ſcilicet mens ad pietatem mollior, cuius eſſet cibus durior,cuius veſtis aſperior, cuius ſermo blandior.Quis eorum loqueretur rariùs,quis crebrius oraret. Quem minus detineret lectus,quem magis lectio occuparet, quem minus moueret iniuria,quis facilius miſericordia moueretur.Fuit itaque pius Chriſti Confeſſor Venantius elegantis formæ decorus, fuit & venuſtus aſpectu,ſermone blandus,miſericordia leuis,morum honeſtate compoſitus,ętate iuuenis,ſed mente canus. Et quanto magis ſublimitate virtutum creſcebat, tanto humilitate ac compunctione deſcendebat. Cibo & ſomno parciſſimus, aſperrimo Cilicio pro ſtratu,& duro lapide pro ceruicali vtebatur. Erat etiam tantæ benignitatis dulcedine perfuſus,vt homnib.charus,omnibus redderetur amabilis: Renitebat in iuuene morum grauitas, ſenilis maturitas, rara ei erat fœminarum viſitatio,etiam propinquarum. Angelica ab eo vita in terris ducebatur in multa patientia, in vigiliis,in Ieiuniis,in caſtitate,in ſanctimonia, in longanimitate,in ſpiritu ſancto,in Charitate non ficta,in verbo veritatis, in virtute Dei & inter tot virtutes quod ſatis eſt difficile totius vanitatis fuga. Interea quia præcipuus Chriſti famulus Venantius inter cognatos & notos ad paupertatem & ignobilitatẽ,vt optabat,deuenire non poterat ad longinquas & exteras nationes tranſire diſpoſuit, pauebat ipſe quoque gloriam ſuam & odorem ſuæ ſanctæ conuerſationis iam longè latéque diffuſum, licet ad Dei laudem referret, ſibi tamen vanitatis periculum inferre metuebat.Inito itaque conſilio relicto regalium veſtium ſplendore, omnibúſque ſæcularis Pompæ ſpretis inſigniis beatus Venantius vna cum ſanctiſſimo Honorato eius fratre ad mare properat, nauem aſcendit, patriam propriam fugit, propinquos pro Chriſto deſerit, ac parentes ſub ſancti ſenioris Capraſij perfectæ, conſummatæque grauitatis viri magiſterio vitam ſuam inſtituere, moréſque componere ſalubriter elegit. Longum eſt percurrere quem ab illis protectum vnuſquiſque locus ab eis expetitus

Grata certamina virtutum.

Decoratus virtutibus Venant.

Fugit patriã.

Senex Capraſius magiſter venantij.

traxit

traxit, quam ſalubrem Eccleſiis doctrinam inuexerint, quot magiſtris, & Pontificibus fuerint in ſilentio magiſtri, Venantius verò iuuenis & delicatus contra ſuæ teneritudinem naturæ: maris rheuma calorémque ac ſterilitatem Achaici littoris apprehenſi incredibili patientia ac virtute tolerabat, pro nō exiguo reor computandum miraculo iuuenem delicatè tam molliter educatum contra tantas aquarum & aurarū varietates, tanta valuiſſe animi cōſtantia decertare. Quod quàm graue, quàm intolerabile illi teneritudini fuerit ipſius beati Venantij incurabilis ægritudo patefecit. Nam ex tunc eo breui quo vixit tempore debilis quidem corpore extitit: ſed fortis & robuſtus animi deuotione. Sed quia beati Venantij merita enarrare per ſingula difficile cernimus ad fœlicem eius tranſitum noſtræ mentis oculos & ſtilum dirigamus. Venantius itaque igne feruens diuini amoris ſuum tenerum corpuſculum vigiliis multis ac variis abſtinentiis indeſinenter macerabat, diuinæ etiā contemplationi editus contemptis tranſitoriis ſola cœleſtia cogitabat, cúmque miſericors Deus ſui fidelis famuli laboribus finem imponere, eique pro legitimo certamine repoſitam coronam iuſtitiæ reddere decreuiſſet, ipſo permittente inuaſit eum ſolito acerbior corporis valetudo inualeſcente. Itaque langore ad extrema perductus eſt: vultus tamen eius angelicus manſuetudine & hilaritate iucundus nuſquam apparuit mutatus: aſſiſtentibus ibidem ſanctis Dei Capraſio & Honorato vna cū non exiguo ſanctorum virorum cœtu anima illa generoſa ſancta & incontaminata carnis eſt vinculis abſoluta, in Methona Achayæ Prouinciæ Aſiæ. Cuius exceſſui occurrit Dominus Ieſus Chriſtus cum multitudine Angelorum eique dicit, *Euge Venanti ſerue bone & fidelis intra in Gaudium Domini tui.* Et ſic cum illis concinentibus Angelorum choris ipſa ſancta anima cœlorum culmina penetrauit. Beati namque viri opinionis fama in tantum excreuerat vt Hebræi, Græci, paritérque Latini eius gloria congauderent pro eius excellentibus meritis exultarent. Iudæi quoque qui Chriſtum reſpuunt fidelem Chriſti ſeruum admirabantur, eiuſque vitam laudibus attollentes, dignis præconiis commendabant. Illius ergo ſuffragio, fratres Chariſſimi, toto cordis anniſu eius nos precibus commēdemus, qui ſancti Patris noſtri Honorati frater fuit carne, ſed religione germanior: eius vitam atque mores ſequi ſtudeamus, vt intercedentibus eius meritis in æternum cum illo viuere valeamus præſtante domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Moritur Venantius in Methona Achayæ.

Annotatio Vinc. Saler.

Sanctiſſimi ac Deo acceptiſſimi Confeſſoris, iuuenis Venantij, ſacrata buſta, in Monaſterio Inſulæ Lerinenſis infra turrim, & in capella ſanctæ crucis priſca religio docet aſſeruari, vt ex lapidis inciſione præ foribus exiſtentis eiuſdem baſilicæ colligitur, vbi hæc leguntur. Hæc eſt capella ſanctæ crucis quæ appellatur ſancta ſanctorum propter reconditas inibi reliquias ſanctorum videlicet Honorati, Capraſij, Venantij, &c. Quomodo autem, quo tempore, à quibuſve perſonis, veneranda eius oſſa fuerint in præfatam ſacram Inſulam deportata, non certo aliquo antiquo Monimento aut ſcripto docemur: non inconueniens tamen arbitramur à Beatiſſimo patre noſtro Honorato eius vnico germano, tum à moderatore eiuſdem ſancto ſene Capraſio cum aliis reliquiis (vt traditur in primi libri capitulo decimo ſeptimo vitæ S. Honorati, illius inquam quæ circunfertur tribus libris, etiam beatas exuuias ſancti Venantij à Methona Achayæ Lerinam

noſtram delatas eſſe, cum primum inibi ſignifer Honoratus caſtra Dei (Monaſterium ſcilicet) locaret à noto Domino iam quarti fine labente ſeculi. Anno 375. vt notatur in quodam membrano codice per antiquo Lerinen. M.S. tantæ enim fraternitatis excellentiæ humanitati, & inuiolabilis fidei, perpetuiq́ue vinculi compagini valdè alienum videbatur, ſi frater vnicum germanum, magiſter tam charum diſcipulum, quorum erat mens ſicut & fides vna in Chriſto, infines tam longa intercapedine ſegreges linquerent: immo magis conſonum, vt quos vna in lucem protulerat mater, vna regenerauerat vnda baptiſmatis, vnaq́ue inter huius vitæ peregrinationis curſum inſeparabilis circumduxerat fides eadem ad vnum ambos germanos reduceret Monaſterium, vt quos Deus coniunxerat homo non ſepararet: Porrò in vetuſto M. S. pſalterio ſacri Monaſterij Lerinenſis à Reuerendo patre Domino Ioanne de Nicæa Monacho eiuſdem Cœnobij & priore ſancti Stephani de Bargiamono, ac deinceps Camerario Lerinenſi exarato ab hinc ducentos quadraginta quinque annos, & nempè currente Redemptionis noſtræ milleſimo tricenteſimo ſexageſimo quarto, habetur hymnus in natali ſanctorum Capraſij & Venantij, ad veſperas, & Laudes tunc decantari ſolitus, cuius ſerie non obſcurè proditur corpora ſanctorum Venantij & Capraſij in Lerinenſi Inſula haberi: cum dicitur: *Hi ſunt quos inclita hæc tenet Inſula*, quem in antiquitatis gratiam hic ſubnectimus.

Sanctorum merita pangamus ſocÿ,
Caprasÿ Venantÿ, quorum veſtigia
Sequamur humili corde & opere
Laudantes dignè Dominum.
Primus paſtor fuit docens diſcipulum
De ſtirpe regia natum,
Sed gratia qua fiunt omnia fonte baptiſmatis
Renatum plenè reddidit.
Hi ſunt quos inclita hæc tenet Inſula,
Quos multi Martyres, ſed plus Confeſſores,
Hanc plures Præſules ſeſe ſequuti ſunt,
Ad regna iuſtè cæleſtia.
Atleta iuuenis obſer obſequia
Pro tuis famulis per tua merita
Duc nos ad brauia quibus inhabitas
Per tuas ſanctas ſemitas.
Te trina Deitas vnaq́; poſcimus,
Vt tu nos viſites horum precantibus,
Nos quoque colloces tuis agminibus
Finitis vitæ curſibus. Amen.

Decantantur inſuper eius inſignes virtutes à ſancto Hilario Arelatenſi Epiſcopo in illo ſermone quem habuit ad populum & clerum Arelatenſem in funere Sancti Honorati ſui Predeceſſoris, quem habes ſupra ſextodecimo Ianuarij: ſupponitur & huic hymno, oratio ad ſanctum Venantium ex breuiario M. S. ad vſum ſacri Monaſterij Lerinenſis, quæ ſatis eſt.

ORATIO

ORATIO.

DEus, ſub cuius nutibus vitæ noſtræ momenta decurrunt, & cui nulla inſtantia præterita, præſentia, & futura non pereunt, ſed præſentialiter aſſiſtunt: præſta nobis ſupplicibus tuis, vt qui beatum Venantium confeſſorem tuum, ad tuorum ſanctorum & electorum elegiſti conſortium, ipſo intercedente eſto nobis huius vitæ caducæ firmum præſidium & futuræ gloriæ perpetuum fulcimentum. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c. Amen.

Vita ſancti Capraſij Abbatis Monaſterij Lerinenſis, excepta ex annoſo codice eiuſdem Cœnobij, & à nobis fideliter exarata: Moritur circa anni Domini 430.

VIdemus quamplurimos homines gentilium libro ſtudiosè perlegere fabulas poëtarum, comœdiaſque & carmina perſcrutari: Alios cernimus Ethnicorum geſta, quibus iuxta huius mundi ſtultitiam aliquid ſtrenuè geſſiſſe cernuntur, curiosè perquirere, tenacique memoria retinere: Quoſdã etiam perpendimus talium perditorum hominum libentiùs hiſtorias allegare: quam ſanctorum doctrinas: virtutes, & exempla referre: Cùm tamen ſanctorum vitam, & merita recitando, quam maxima cunctis immineat vtilitas. Nam in hoc (vt propheta admonet) Dominum laudamus in ſanctis eius, qui in illis ſemper mirabilis apparet. Inſuper eius propitiationis gratiam, ſanctorum interuentione promerentur, & eorum conſideratione virtutum nobis incitamenta præparamus. Emiſſis igitur ſtultorum hominum ſtudiis. Glorioſi Patris noſtri Capraſij, cuius hodie feſtum colimus, virtutes, ac merita, ad memoriam reuocemus. *Iunij 1.* *Sanctorum vitas quantum afferant legẽtibus vtilitatis.*

Fuit itaque beatus Capraſius ingenuus, ac ſpectabilis genere, ſed quod laudabilius eſt, virtute mentis excelſus: à primæuo iuuentutis flore Philoſophiæ artibus imbutus, miroque claruit ingenio: ſed tandem diuina præuentus gratia prudenter attendens, quia iuxta Apoſtoli dictum: *Sapientia huius mundi ſtultitia eſt apud Deum*, & quia ſcientia inflat, charitas autem ædificat: elegit potiùs ſtultus ab omnibus reputari, vt apud Deum ſapiens mereretur haberi, illa ſecreta ſapientiæ diuinæ adipiſci cupiens, quæ Pater cœleſtis abſcondit à ſapientibus, & prudentibus, ſed mira dignatione paruulis, id eſt, & humilibus recelauit: nec ſuo & deſiderio fraudatus, nam pius & miſericors Deus, qui tam ſalubre propoſitum cordi eius inſpirauit, gerendi gratiam, & perficiendi virtutem miniſtrauit. *1. Cor. 3. & 8.* *Matth. 11.* *Luc. 10.*

Beatus igitur Capraſius verus Chriſti diſcipulus, mundanam illam relinquens Philoſophiam, Euangelicam aggreſſus eſt diſciplinam. In primis, poſſeſſiones, & quæcumque in hoc ſeculo habere poterat, amore Chriſti comtemnere, pauperibuſque diſtribuere diſpoſuit. Euangelicam ergo illis expeditus aggreditur paupertatem, onuſque mundanæ ſolicitudinis deponit, & iuncta Apoſtoli doctrinam, quæ retro ſunt obliuiſcens, ad ea quæ anteriora ſunt, ſe extendit. Omnia huius ſæculi concupiſcibilia arbitratus eſt, vt ſtercora, vt Chriſtum lucrificaret, & vt ſoli Deo liberiùs vacaret, non ſolùm corde, ſed etiam corpore ab hominum aſpectibus, & ſæculi cõuerſatione receſſit, & in quadam arcta aridaque ſolitudine monaſticam vitam ducere, ſolitariamque inſtitutionem aggredi deliberauit. In qua nimirum eremi ſolitudine, ad tantum virtutum apicem prouectus eſt, vt non ſolùm ſibi ipſi proficiſceret, ſed etiã quãplurimorũ Deo mihi tantũ monachorum Pater, & Dux efficeretur, qui eius exempla ſectantes pariter, & doctrinam, latã viam, & ſpatioſam, quæ ducit ad mortem, deſerentes, arctam, quæ ducit ad *Sanctus Capraſius ſubſtãtiam ſuã pauperibus diſtribuit.* *Multos ſuo exẽplo ad vitæ melioris inſtitutum attrahuit.* *Matth. 7.*

vitam æternam, Christo authore, ingredi contendebant.

Vide vitã S. Honorat. 16. Ianuarij. Tom. 1.

Interea eius magisterio se subdidit ille Christi præsul, virtute, sacerdotio, & nomine Honoratus, Lerinensis Monasterij Pater, qui postmodum Arelatensi Ecclesiæ præfuit Episcopus: cui etiam adhæsit preciosissima illa gemma, interno splendore perspicua, Beatus videlicet Venantius, eiusdẽ S. Honorati pater, qui ambo præfatum sanctum senem Caprasium pro suæ vitæ merito, vt eximiæ sanctitatis prærogatiua (domino sic ordinante) tanquam Patrem, & ordinatorem in domino atque Custodem suæ adhuc tenerę ætatis elegerunt, qui videns prædictos egregiósque duos iuuenes Christum sitientes Honoratum videlicet, aque Venantiũ patriam, ac parentes pro Christo velle relinquere, rerum approbans propositum, per terras, mariaque eos assiduè comitatus est, licet iam esset ætatis grauitate confectus. Transcursis igitur è Nicomedia, immensis terræ marisque spatiis vir domini Caprasius, cum duobus regalibus gemmis, Honorato scilicet, & Venantio, Cisalpinam ingressus prouinciam talidus lapidibus fidei igne fulgẽtibus, sanctam Insulam Lerinensem illustrauit, in quorum aduentu illa sacra Lerinensis insula diuino more est cultui mãcipata, summæ religionis priuilegio decorata.

B. Venantius S. Honorat. frater.

Sanctus Caprasius Cisalpinam ingreditur Insulã Lerinensem.

O fœlix virtutum magister, qui tantos ac tales meruit habere discipulos, ô laudabilis Pastor animarum, qui talium gloriatur in Christo spiritualium propagine filiorum. Quanti putamus fuisse meriti, quantæ virtutis virum hunc, qui, vt ita dicam, Magistrorum voluit esse magister? quam fœlix, & beata habitatio illius sanctæ Lerinensis insulæ, quæ tam præclaris est munita patronis, per Dei prouidentiam ad multorum vtilitatem de tam longinquis ignotisque regionibus abductis.

Attẽde quãtis virtutum gemmis fuerit decoratus S. Caprasius.

Vir ergo domini Caprasius feruidus erat charitate, humanitate deiectus, mitissimus pietate, in spe firmissimus, modestus in incessu, obedientia promptus, abstinentia singularis, aspectu serenus, contemplatione sublimis, longanimitate fortis, orationis instantia continuus, nihil in hoc sæculo consolationis quærens, nihil desiderans nisi Christum, quem solum desiderando assequebatur, beatam quærendo vitam, beatam agebat. Optabat à peccatoribus seggregari: etiam non solum à peccatoribus, sed etiam à peccatis suggregatus erat. Omne in Dei laudibus tempus habere volebat, & toto tempore Deo vacabat. Appetebat sanctorum congaudere cœtibus: atque etiam in præsenti adhuc vita positus similiter gaudebat. Christo frui cupiebat: mente & spiritu fruebatur. Vir iste beatus pro virtutum magnitudine tantæ fuit opinionis, & famæ, vt multi sanctorum doctorum suæ tempestatis, eius dignæ conuersationis testimonium perhiberent, ac de ipso in suis tractatibus memoriam facerent.

Quanta fuerit sãctitatis Caprasius doctorum scripta testantur.

Vnde præcipuus ille Lugdunensis Ecclesiæ Antistes Eucherius, in fine libri quem de Heremi laude conscripsit, cum de sanctis Lerinensis insulæ incolis loqueretur, hunc virum Dei inter reliquos præcipuè nominauit, ita dicens: *Hæc videlicet Lerinensis sancta Insula, nunc possidet venerabilem grauitate Caprasium, veteribus sanctis parem. Hæc nunc habet sanctos senes illos, qui diuersis cellulis Aegyptios patres nostris Gallicis intulerunt.* Et beatus Hilarius, in sermone, quem funebrem in sancti Honorati laudem habuit, beatum Caprasium perfectæ consummataque grauitatis fuisse, angelica in Insulis conuersatione degisse, & inter Christi amicos connumeratum describit.

Michael Archangelus apparet ei ante mortem.

Cùm ergo beatus Caprasius annosus plurimum, grandeuusque esset, atque decrepitus & tempus suæ resolutionis instaret (vt legitur) apparuit ei sanctus

Michael

Michael Archangelus, atque ſuum fœlicem exitum poſt biduum imminere, diuino nutu reuelauit. Nec incongruè quidem vt angelico viro migraturo ex hac vita, Angelica legatio occurreret, quæ ſanctam illam animam, & ab hoſtili improbitate defenderet, & cœleſtium ciuium gloria ſublimaret. In eius igitur extremis conuenerunt glorioſæ, & inclytæ memoriæ ſacerdotes, Fauſtus ſcilicet, Theodorus, Maximus, & Hilarius, cuius mentionem iamdudum fecimus. Qui beati viri Capraſij conſcius meritorum, ſuæ Pontificalis dignitatis oblitus, ad eius pedes reſidens ipſius ſe orationibus commendabat, atque vt ſui memor eſſet grandi eum humilitate efflagitabat, non indignum reputans tantum Eremi incolæ obſequium impendere, ipſiúſque eximię ſanctitati dignitatę ſacerdotij ſubſternere. Quid igitur officij nos peccatores indigni huic beato viro iam cum Chriſto regnāti poterimus exhibere, cum audimus tantum Pontificę eius adhuc in terris poſitū ſuffragia tanta cum humilitate depoſcere. Eius ergo interceſſionis opem ardenter imploremus, auxilij eius beneficia poſcamus, illius vitam atque mores pro noſtræ modulo virtutis imitemur. Tranſiit autem ex hac vita vir Dei Capraſius ad optata gaudia ſupernorum, die calendarum Iuniarum in ſacra Lerinenſi Inſula circa annos humanæ redemptionis triginta ſupra quadringentos inibique ſepultus, regnante domino noſtro Ieſu Chriſto in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Intersūt eius obitui multi ſacerdotes eius ſuffragia expoſtulantes.

Petrus in Catalogo libro vndecimo cap. 162.

CApraſius, albas Monaſterij Lerinenſis quieuit in Chriſto Calendis Iunij.

Ioannes Trithemius de viris illuſtribus ordinis ſancti Benedicti libro tertio capite 279.

CApraſius Abbas Lerinēſis Monaſterij vir maximus humilitatis & manſuetudinis, regularis diſciplinæ Zeloſus obſeruator, magna ſanctitatis ſuæ monimenta reliquit. Eius geſta habentur, cuius feſtum agitur Calendis Iunij.

Annotatio Vinc. Saler.

Vide, quæſo; qua ratione illum ſibi aſſumat in ordinem diui Benedicti cum Capraſius ſanctus diuum Benedictum præceſſerit ſpatio cētum ferè annorum, vt etiam dictum eſt in ſancto Cæſario Epiſcopo Arelatenſi & monacho Lerinenſi infrà vigeſimo ſeptimo Auguſti, porrò agunt de ſancto ſene Abbate Capraſio Martyrologium Romanum cum Baronio, Beda, Vſuardo, Adone, & aliis. Meminit eiuſdem Sidonius Apollinaris in carmine Euchariſtico ad Fauſtum vbi dum relegit Inſulæ Lerinēſis ſanctos hæc de Capraſio.

——*Quantos illa Inſula plana*
Miſerit ad cœlum montes, quæ ſancta Capraſij
Vita ſenis, &c.

De eo item in vita ſancti Honorati digeſta tribus libris libro primo, capite quinto, & ſexto vixit temporibus Theodoſij & Honorij Imperatorum.

Tranſlatio ſancti Florentij Abbatis Lerinenſis.

ARnoldus Vion, belga Monachus Caſſinenſis in ſuo Martyrologio Monaſtico quinto Calendas Iulij hæc refert, Hoia Inſula & Monaſterio tranſlatio beati Florētij Abbatis confeſſoris: Subdit ipſe hanc notationem de ea Molanus in additione ad Vſuardum, hac item die, natalis verò eius habetur die vigeſima ſecunda ſeptembris, vide infrà. *Iunij 27.*

Vita ſancti Arnulphi Metenſis Epiſcopi, à quodam eius familiari amico conſcripta: Puto autem eam eſſe cuius meminit Paulus Diaconus de geſtis Longobardorum lib.6.cap.5. moritur an. domini 642.

PREFATIVNCVLA AVCTORIS.

Iulij. 18. IN omnipotentis Dei nomine, & Chriſti Ieſu Domini noſtri filij eius, vitam & actus ſanctiſſimi antiſtitis Arnulphi adiuuante nos ſpiritu ſancto qui in eo requieuit,ſcribere aggrediar,eius opere fretus qui ait: *Aperi os tuum & ego implebo illud.* Neque enim reticenda ſunt quæ diuulgata, aliis bonæ actionis exemplum præbent,eorumque ſectationibus id proculdubio conferunt vt ſint cum ſanctis ciues patriæ cœleſtis.

Vita.

BEatus igitur Arnulphus Epiſcopus,Francorum proſapia ortus, altus ſanè & nobilis parentibus atque rebus ſæculi opulentiſſimus fuit: ſed nobilior poſtea & ſublimior in Chriſti fide permanſit. Huius ergo res memorabiles,& laude dignas,nonnullas ab eius familiaribus didici, pleráſque per memetipſum cognoui. Et quidem operæ pretium mihi videtur,ab ipſius natali die ſcribendi initium ſumere:erat peregrinus quidam ſeruus Dei, Stephanus noſter,qui ab Italiæ partibus veniens in loco vicino morabatur,ei cum reuelata fuiſſent natiuitatis eius exordia aliquantiſper apud ſe reticens,tandē tanquā cœleſte editurus oraculū prę ſaga voce ait. *Scitote omnes, & attendite quod puer iſte iā natus ſummis honoribꝰ perfunctus, & apud Deū & apud homines magnus erit.* Quòd ita poſtmodum certus rerū probauit euentus. Deinde cū eſſet præclara indole, & plenus gratia Dei oportuno tēpore literarum ſtudiis imbuendus traditus eſt preceptori. Apud quem inter cæteros contubernales ſuos,ſagaci ingenio & memoria capaci gratioſus & amabilis extitit:Chriſtoque in ipſo habitante,cunctis quidem fuit ſubditus, ſed fide & charitate omnes anteceſſit: Cúmque iam bene edoctus ad robuſtam peruenisſet ætatem Gundolpho ſub regulo, ſiue palatij rectori vel magiſtro regióque conſiliario in bonis actibus exercitandus oblatus eſt. Quem ille per multa deinceps experimenta probatum Theodoberti Regis Miniſteriis applicauit. Ecquis verò illius in armis,& bellicis rebus ſtrenuitatem ſatis enarrare queat, quando ille ſæpè aduerſarum gentium phalanges ſuo ferro abegit? Itaque Chriſto præſule,dēmum effectus eſt omnium ſummus, qui dudum penè omnium infimus videbatur: ita vt ſex prouinciæ, quas nunc totidem curant regis domeſtici, ſub illius adminiſtratione,eius ſolius arbitrio regerentur. Fuit autem ſedulus in oratione,in ieiuniis, in miſericordia pauperibus exhibenda, & ſicut ſcriptum eſt,reddebat Deo & quæ Dei ſunt & quæ ſunt Cæſaris Cæſari. Porrò amicis & parētibus ipſum cogētibus vix cedens,ex inclyta nobiliſſima gente Deo ſic volente duxit vxorem puellam prę claris moribus ornatā. Prę ſtitítque illi Deus ſpeciale munus ſeu duarum gemmarum ſplendidum decus,vt ex eadem egregia fœmina duorum filiorū gaudia ſuſciperet. Inter hæc diuerſis in palatio honoribus,& Miniſterio primus floruit:ſed iugis eius meditatio circa Monaſteria & loca ſancta Verſabatur.

Peregrinus vaticinatur de puero Arnulpho.

Per id tēpus erat in Regis Miniſterio Romaricus vir egregius qui eius cognito deſiderio ſancto & familiari ei affectu iungebatur. Itaque comunicato inter ſe conſilio iuxta præceptum domini dicentis, *vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus & veni ſequere me, & habebis theſaurum in cœlo,* relictis omnibus ad Lerinenſe Monaſterium propter Chriſtum peregrè proficiſci

ficiſci ſtatuunt,ſed hac in re vtriuſque deſiderio altiſſimi voluntas obſiſtit, neque enim fas eſſe cenſuit omnipotens Deus vt hi duo viri,qui poſtmodum ſeu lampades duæ fulſerunt in ſæculo ſub modio occultarentur dicente ſcriptura:Nemo accendit lucernam & ponit eam ſub modio,ſed ſuper candelabrum,vt luceat omnibus qui in domo ſunt.Cum ergo his quæ diximus bonis ſtudiis tanquam auriga potens & ſtrenuus inuigilaret fortè euenit, vt vrbs Metenſis præſule careret.Tum vna vox populorum Arnulphum,regis domeſticum & Conſiliarium dignum Epiſcopatu acclamat. Ille cernens Deo ſic viſum eſſe compulſus cum lachrymis eam vrbem gubernandam ſuſcepit. Ita Pontificalem ferens Infulam vt quamuis nolens cogeretur etiam curam & ſolicitudinem qua tenentur Regis domeſtici,itemque palatij primatum,ſiue Magiſterium retinere. *Fit Epiſcopus Metenſis.*

Mox autem tanta illi acceſſit profuſa in pauperes munificentia vt fama perferente etiam de lõginquis regionibus & ciuitatibus innumera pauperum multitudo ad ſanctum Arnulphum antiſtitem refocillanda feſtinaret. Erat ille iugiter ſollicitus,& bonis operibus præſertim monachis ſuſcipiendis, & peregrinis deuotiſſimè intentus: ita vt quos hoſpitio recepiſſet, eorum ſuis manibus ablueret pedes illoſque veſtitos,& cibo potuque refertos deducens mox alios refocillandos reciperet. Porrò abſtinentiæ eius modum explicare quis poſſit,iam præſertim ille interdum poſt triduana vel prolixiora ieiunia pane hordeaceo & aquæ potu victitaret: indutus quoque licet clam cilicio eius perpetuo vſu exeſis & manicatis membris,geminum addebat vigiliarum & inediæ cruciatum.

Multa eius miracula extant,ſed ego non niſi pauca commemorabo. In locis verò propinquis eſt prædium ſancti Stephani, in eo cum eſſet vir ſanctus,quædam mulier Bertila nomine,nequiter à Dæmone arrepta, cum vitæ ſuæ diſcrimine ſæpe fortiter quatiebatur.Accidit tum, vt coram ſancto præſule baccharetur:at ille ductus pietate,quę erat ſemper in eo eximia,Heu miſerum,inquit,humanum genus quid adeo pręualuit inimicus,vt vbi Chriſtus debuit habitare ibi infœlix ille ſuum habeat domicilium?Nocte proxima iubet mulierem eſſe in vigiliis, cúmque pro ea Dominum oraret mox dæmonium abceſſit clamans & eiulans lætantur omnes,Epiſcopus fœminam iubet abire incolumem & hilarem quò paulò ante inimicus diuexerat.

Eo tempore quo triduanum ieiunium Eccleſia vniuerſalis celebrare conſueuit vir ſanctus extra ciuitatem cum crucibus atque promiſcua plebe orandi gratia iuxta morem proceſſit,& ecce media hominum frequentia fœmina à dæmone arrepta clamare incipit.Eam vt vidit Epiſcopus crucis vexillo iniecto quamprimum eam ab hoſte liberauit.

Alio tempore intra vrbem precandi ſtudio ad baſilicam ſanctæ crucis acceſſit, ibique puellã miſerè à dæmone exagitatã inuenit. Motus ergo miſericordia ait Archidiacono ſuo, Hac nocte frater, pro hac miſera orationum vigilias celebremus & cras diluculo huc pariter reuertamur. Poſtridie reuerſi puellam à dæmone liberatam conſpiciunt. Ita factum eſt vt eius ſanctitas etiam abſentes,& procul poſitos curaret. *Liberatus à dæmonio.*

Temporibus Dagoberti Regis,cum in eius palatio eſſet vir ſanctus quidam leproſus clamauit ad eum,victum & veſtitum ab illo petens, ille mox iubet eum adduci in hoſpitium vbi cum ſuo more humaniter tractaret, ſiſcitabatur ex eo, erat autem barbarus,num ſacra baptiſmatis vnda ablutus eſſet.Ille confeſtim reſpondet. Nequaquam,domine mi, quis enim mihi in-

fœlici & à populis excluſo, & abiecto baptiſmi gratiam conferret: Ait ad eum vir Dei, ne timeas frater, fieri enim poteſt, modo tu credas in Chriſtum, vt & corporis & animi fruaris ſoſpitate. Poſtquam ergo à ſancto viro percepit baptiſmi ſacramentum, celeriter ab eius corpore lepra diſceſſit, fuitque deinceps vtroque horror ſanúſque prius in vtroque fuerat contaminatus.

Conuertit & ſanat leproſum.

Profectus quandoque cum eodem rege in Turingiam incidit in nobilem quendam, Noddilonem quendam puerum & parentes eius, ipſi valde clarum ſupremis lachrimis proſequentem, erat enim & ſanguine & amicitia ei admodum coniunctus. Rege autem ocyus ex illo pago abire properante, nihil aliud afflicto homine concilij aderat, niſi vt more gentilium languentis perfecto capite cadauer flammis exureret, ſed vt credimus omnipotentis Dei nutu & voluntate factum eſt, vt ſanctus Arnulphus Epiſcopus à manſionibus necdum eſſet egreſſus. Eo comperto Noddilo celeri gradu ad eum abiit & infœlicitatem ſuam ſingultibus potius quam verbis ei exponit. Itaque vir egregius protinus venit ad ęgrotantis lectulum, & illic humi proſtratus orat diutiſſimè, inde ſemiuiuum hominem ſuo more ita alloquitur: *Pœniteat te, inquit, fili ſiquid fortè feciſti mali, vt duplicem accipias medicinam.* Ille hominem Dei veniſſe exultans vir verbis exprimit quod animo voluebat, quippequi iam ſupremum pene ſpiritum traheret. Quid plura, calida affertur aqua & propriis manibus vir ſanctus ægroti faciem manus, & pedes ingenti ſtudio abluit & oleo benedicto corpus eius perungit, & ecce eodem die tanquam nullam perpeſſus infirmitatem cum cæteris lætus & incolumis è villa profectus eſt. Alio quoque tempore ab eo patratum miraculum ſilentio præmendum non eſt. Noddo quidam homo ſcéleſtus, cibo bene fartus, & vino æſtuãs cum complicibus ſuis non verebatur obtrectare ſancto Epiſcopo, dicẽs illum non Dei eſſe cultorem, ſed hominem potiùs voluptati addictum ad cuius lectum non ſolum Rex, ſed etiam Regina tanquam conſilium captantes nocturnis horis properarent. Cum ergo cubitum iuiſſet cum ſocio detractore, iubente Domino omnia illorum veſtimenta flamma corripuit. Itaque exiliens magnis vocibus aquam expetit, ſed aqua iniecta flammam diuinitus immiſſam, non extinxit, ardebant acriter circa nates & verenda interulæ illorum nec poterant ardentes veſtes exuere. Quid multa? cum non poſſent aliud foras exiliunt, & inſtar porcorũ ſeſe in luto vociferantes volutans: ſed magis, magiſque in eorum membra genitalia ignis ſæuit, impletum eſt in illis vt reor, quod in Pſalmo habetur, *Detrahentem occultè proximo ſuo hunc perſequebar.* Iuſto igitur Dei iudicio illis in locis pœnas luerunt, de quibus illi ſanctum virum ſua obtrectatione infamare voluere. Nec diu poſt Noddo ille in eiuſmodi flagitiis deprehenſus eſt, vt regia animaduerſione iure illi vita adepta ſit, & ne ſolus moreretur filius eius mox eadem ſententia punitus eſt.

Erigit ſe in mortuum.

Vltro proſequitur detractores eius.

Per id tempus cum iam penè theſauros omnes in pauperum vſus erogaſſet, adhuc ei ſupererat diſcus argenteus librarum duarum. Cum Hugo quidam, primus inter Proceres datis alimoniis & iis quæ pauperibus eſſent neceſſaria, comparauit, ſed non eſt paſſus omnipotens Deus, vt homo Laicus eo frueretur qui beati protomartyrij honor omnia olim conſecratus eſſet. Illo enim Hugone repentina morte ſublato diſcus ad Clotarium Regem allatus eſt, qui eum conſpexiſſet, eum à ſancto Arnulpho Epiſcopo alendorum pauperum cauſa venundatum fuiſſe, mox admirabili

Ingens eius munificentia in pauperes.

bili inſtinctu ſeu diuinitùs impulſus iubet eum adiunctis centum aureis celeriter ad S. Pontificem Metini referri: Ita factum eſt vt matricularij, & cæteri pauperes Chriſti haberent alimenta & res ſanctorum, qui quibus ſemel data fuerat abſque vllo diſpendio reſtitueretur.

Cum autem id genus permultæ virtutes per eum in populo crebeſcerent remotura à vulgi ſtrepitu & fragoribus loca expetiit, quibus crebro ſeu ergaſtulo incluſus ſoli Deo ſacris offerendis precibus ſtudioſiſſimè vacaret conuenienter illi diuinæ admonitioni, *Vacate & videte quoniam ego ſum Deus.* Ita ſæpè in villa Dodimiaca quæ eſt apud Voſagum: interdum Calciaci non longè ab vrbe in cellulam recluſus cœlum diuinis nocturniſque precibus putabat. Sed cum in his Athleta Chriſti contra diabolum ſanctiſſimè, & fortiſſimè dimicaret, conſcientiæ religione promotus ne plebs ipſi à domino credita, illo ſic remoto æternæ vitæ pabula minus acciperet intentius cœpit. Principem flagitare vt præſulem ſucceſſorem ipſi daret, miténſque epiſtolas per internuncios ſe eo munere indignum, ſe peccatorem aſſeuerabat, orans vt talem eligeret Pontificem qui verbo prædicationis in populo ſeminando eſſet magis aptus & idoneus. Iis litteris relictis, Clotarius Rex non modicis correptus angoribus, & omni ſe conſilio deſtitutum queritans, ſi ſanctus Epiſcopus à palatij frequentia abeſſet inter cętera ſic illi reſcribit: Quod ſcribis domine & pater vt tuo loco alium eligamus Epiſcopum, id quidem nos nulla ratione facere hauſi ſumus: & rurſus, quantum deuotione tua quem ex admonitione diuina eſſe confidimus gauiſi ſumus, dum ſcribis te à domino admonitum: tantum rurſus doloris ſenſimus quod præter ſpem tuo conſpectu carere debeamus. Immò verò domine & pater ſi qualibet impellente deuotione ob exercenda bona opera: aliò te conferre deliberaſti, petimus vt nos ſine pace & communione tua pro Dei amore nequaquam relinquas.

Rogat Clotarium Regem vt ei ſucceſſorem ſubroget.

Epiſt. Clotarij.

Multa ſanè Clotarius Rex virum ſanctum fide & amore proſequebatur adeò vt etiam tum, cum iam Dagobertum filium ſuum ad principatus culmen euexiſſet illi & regnum gubernandum & ipſum Dagobertum erudiendum tradiderit: Quem ille acceptum tam præclarè & ſapienter inſtituit vt in gente Sicabrorum nullus ei rex ſimilis fuiſſe feratur. Sed cum inſuperabili deſiderio vir beatus ad Eremum aſpiraret Rex, Dagobertus vt erat prudens ſuſpicatus ſe eum minis abſterriturum, ne illius conſiliis & ſolatiis deſtitueretur, ait ad eum. *Chariſſimi filij tui ob admiſſum facinus caput amputabo, ſi nobiſcum nolis permanere.* At vir ſanctus ei reſpondet: *filij mei vita in manu Dei eſt. Tu verò compos vitæ non eris ſi inſontium vitam perdere volueris.* Tum iratus rex enſem manu corripit. At beatus Epiſcopus Regis morituri iram parui pendens conſtanter ait. *Quid facis miſerrimè? ita ne mala pro bonis vis reddere? En habes me paratum, exerce arma tua in ſanguinem meum quantum collibitum eſt animo tuo. Ego pro illius mandatis mori non dubito, qui & vitam mihi dedit, & pro me mortuus eſt.* Tum verò vnus ex proceribus dixit: *Noli, bone Rex, contra te ipſum impiè agere, an non vides ſanctum virum obeundi martyrium cupidum eſſe? Cur non pertimeſcis Chriſti ſeruum iniuria afficere?* His verbis iubente Deo Regis ira nonnihil repreſſa eſt: Interea Regina adeſt & ambo agnoſcentes culpam ſuam ſimul ad pedes ſancti Præſulis corruunt orántque cum lachrymis vt ipſorum miſereatur, aiuntque ad illum. Abi domine ad Eremum per arbitratu tuo, tantummodo te placitum habeamus quem iniuria affecimus.

Itaq; vir ſanctus, data illis venia à Palatio eggreditur, & ecce præ foribus conſpexit claudorum, cœcorum, omnis generis pauperum, viduarum, & orphanorum innumeram prope multitudinem lamentabili voce dicentium; *Cur nos miſeros, ſancte paſtor, derelinquis? quiſnam deinceps noſtri miſerebitur? quis nobis victũ & veſtitum præbebit? Te amoto omnes moriemur fame & nuditate conſumpti: obſecramus per Chriſtum ne nos derelinquas.* Tum ille lachrymans blanda voce ait ad eos, *Deus vobis paſtorem dabit, qui vos paſcat in multa miſericodia, faciẽ verò meã non diu viſuri eſtis. Vos autẽ querite primũ regnũ Dei, ſicut Chriſtus docet, & iuſtitiam eius & hæc omnia adiicientur vobis, ſitis inuicem humani, benigni, miſericordes, vt poſt huius paupertatis & miſeriæ anguſtias, in futura vita cum Chriſto fœlices regnare mereamini. Lazarus mendicus in ſinu Abrahæ Angelis portatus eſt. Et vos ergo querite dominum, & ſic in æternum viuet anima noſtra.* His dictis ſtatim ad orationum pergit certamina. Poſtea non multo interiecto tempore viro iuſto iugi intentione id expetenti ſanctus Goericus cognomento Abbo ſucceſſor eligitur, Domino id agente vt ſancto ſanctus ſubſtitueretur, id vbi præcepit vir egregius Romaricus à patribus vagari egreſſus ad beatum Arnulphum venit & vtroque in id conſentiente in vaſta Eremo aptum illi locum preparauit.

Sed quid proxima ab eius aduentu nocte à beato Antiſtite miraculi intra vrbem perpetratum ſit, ſilere non debeo. Caſu accidit vt Regis promptuarium vorax ignis vexaret & inde erumpens excelſiſſima flamma domos vndique vicinas minaciter lamberet, repentè exiſtit eiulatus, & clamor totius Ciuitatis ad tam preſens exitium. Quod nos audientes celeri greſſu imus ad domum beati viri pro ſuo more perpetuo pſalmodiæ melos promentis illico apprehenſa manu eius, Romaricus ait: *Egredere domine, en adſunt præ foribus equi noſtri, ne quod abſit, te in hac vrbe ignis abſumat.* Reſpondit vir ſanctus: *Nequaquam chariſſime, imo verò producite me illuc vt videamus immane hoc, quod graſſatur incendium, me verò ponatis iuxta illud, ſi vult Deus vt ardeam habet me in manu ſua.* Tum verò apprehenſis eius ſanctis manibus ad Larem venimus, & mox illo iubente in orationem proſtrati, capitulo dicto ſurreximus omnes, ille verò manum eleuans contra ingentes flammas ſignum crucis expreſſit. Confeſtim miro modo tanquam cœlitus percuſſus nihil alibi nocens intra parietes in ſemetipſum totus contortus ignis interiit: noſque iam deinceps ſecurî pro depulſo periculo gratias agentes Deo, dictis matutinis, ad lectulos noſtros remeauimus, vbi tum vni ex fratribus talis apparuit viſio, intuens cœlum, vidit inſtar flammæ ignis, crucis ſignum depictum, factaque eſt vox de cœlo à crucis latere, ita dicens: *Cernis hoc ſignum, Hac nocte Arnulphus Epiſcopus per illud totam hanc Ciuitatem ab incendio liberauit.* Mirantibus nobis omnibus virtutem quam vidimus in igne proſtrato, frater ille viſionem hanc enarrauit.

Extinguit voraces flammas.

Poſtea verò beatus Arnulphus relictis cunctis ſæculi rebus, & bene atque integrè in pauperes erogatis, ſecurus iam de theſauro in cœlis abſcondito cùm pauci fluxiſſent dies, pauper quidem in ſæculo propter Chriſtum effectus, ſed diues Domini virtute, ſeu nouus Elias ad eremum properans, inter beſtias & feras ſylueſtres, exiguis conſtructis domiciliis quotidiana meditatione laudes Deo deprompſit. Aſcitis enim nonnullis monachis atque etiam leproſis, ſuis manibus fidiſſimam operam, & ſeruitutem eis iugiter impendebat, calciamenta à pedibus detrahens eaque detergens capita & pedes illorũ

crebro

crebro abluens,lectos illorum quotidie ſtudioſiſſimè componens,à coquinę etiam ſeruitio non abhorrens, idem & Epiſcopus & cocus ſæpè ipſe eſuriẽs, ſuos contubernales paſcebat, lectus verò eius, vilis in oculis hominum elegantiſſimus in obtutibus Angelorum, ſpretis mollibus & pretioſis operimentis,ciliciis ornabatur.

In his igitur & aliis bonis innumeris vitam Angelicam agens,Deo volente athletam ſuum ad deſtinatum vocare brauium, ad extremum cœpit vrgere diem.Quo comperto,prẹſto illi fuit vir Religioſiſſimus, Romaricus cum cæteris monachis fœlicem eius è corpore egreſſum præſtolaturus. Eum igitur electus Dei & ſacratiſſimus Antiſtes alloquens: *Bone vir, inquit, & Deo amabilis, ora Chriſtum pro me. Iam enim adeſt dies in quo iudici meo præſentabor. Quid faciam? nihil equidem geſſi in hoc ſæculo, omnibus ſceleribus & peccatis vallatus coarctor, quorum vt veniam merear quæſo Dominum pro me depreceris.* Dixit hoc vir ſanctus conuenienter illi ſententiæ ſcripturæ diuinæ: *Iuſtus in primordio ſermonis accuſator eſt ſui.* Iam aderat hora vt illa ſancta anima manibus ſanctorum Angelorum ad Chriſtum deferretur. Ea igitur è corpore abeunte, fit proculdubio gaudium magnum ſupernis virtutibus in cœlo, & ingens naſcitur luctus pauperibus Chriſti & Monachis in terris.Adeſt iuxta morem ſacroſanctum Euangelium quod lector inter pſallentium luctus & cantus recitet.Porrò vir egregius Romaricus eius ſanctiſſimum corpus quo potuit honore in caſtello ſepulturæ mandauit. Inde anni fermè exactis ſpatiis, vir lectiſſimus ſucceſſor eius Goericus Epiſcopus, communicato cum aliis conſilio collecta cleri & populi multa frequentia,auitis quoque duobus Epiſcopis,abiit in eremum, atque illic reuerenter excubias pariter agentes ; ſancta membra in feretro reponunt,cum gaudio ea ad vrbem transferunt,ſuaui interim odore è ſacris illis membris emergente & omnium illorum nares implente.

Obitus S. viri.

Transfertur corpus Sancti.

In illo itinere quæ facta ſint miracula vt potero iam exponam, cum ventum eſſet ad quendam riuum cuius ripæ ſcis à tellure, euntibus lubricum prebebant tranſitum,poſteriores feretri portitores caſu corruunt,ſed vt reor Angeli ſtatim eum caſum excipiunt. Priores enim ſine vllo gradiendi impedimento feretro in aëre ſublato pergunt liberè & expeditè.Surgentéſque illi qui lapſi fuerant,cũ ea loca humiliora euaſiſſent ad collegas ſe ſe adiungunt.

Miracula in tranſlatione.

Huic miraculo mox aliud acceſſit. Homo quidam in pago Caluomontenſi,Cunica nomine inceſtus erat.Eum vir ſanctus ſæpè monuerat,ſed cum ad pœnitentiæ emendationem producere non poſſet priùs exceſſit è vita quã ille ſe corrigeret. In eius villa oratorium erat: itaque oportunum illis iter agentibus videbatur vt manſio illic pararetur,vel eo præcipuè nomine,quod ſanctum corpus oporteret in Eccleſia vigiliis honorari. Vt ergo ventum eſt ad fines telluris hominis inceſti, de repente figuntur greſſus feretrum portantium, ita vt nulla illis facultas ſuppeteret ſacra membra vlteriuș transferendi.Anguntur animis ſacerdotes & populus omnis quod neſcirẽt ad quam manſionem diuerterent præſertim die iam ad veſperam declinante. Tum verò Noddo dux qui cum aliis exierat ait, *Cernitis virum ſanctum nolle in inceſti huius terrã ingredi? eſt autem licet procul villa mea ad quam peruenire non poterimus ante ſolis occaſum. Deeſt ibi quoque potus & res aliæ quibus tantam multitudinem poſſim reficere. In vno tantum vt audio vaſculo parum ceruiſiæ habetur.* His auditis vniuerſus populus iter eò intendit,tantaque omnes celeritate feruntur vt ij qui feretrum geſtabant,portari ſe potiùs,quam portare ſibi viderentur,

& adhuc luce diei manente, ad deſtinatum perueniret locum. Ait autem Noddo ad illos: *Nunc hac nocte paſcat vos beatus Arnulphus, quod enim deeſt nobis illo intercedente poteſt ſuppetere:* Et ecce quamprimum exiguus ille potus in tantam copiam excreſcit, vt abundè ſatiatis omnibus, etiam altera luce ſupereſſet.

Inde iam cum multa proſperitate & lætitia ad vrbem perueniunt, mox ciuitas omnis cum crucibus & cereis ingentique gaudio & admiratione obuiam, procedit Paſtorémque ſuum quem pridem ſeu fugitiuum amiſerat, in cœlo iam regnantem recipit, & ſacrum corpus illius in baſilica ſanctorum Apoſtolorum cum reuerentia & ingenti exultatione ſepulturæ tradunt. Ab ipſa autem ſepultura quid apud Chriſtum in eremo ſibi comparaſſet, ſuis ciuibus per miracula illicò declarauit. Nam illico mulier quædam Iulia nomine, luminibus olim orbata ad ſepulchrum eius acceſsit illicque cum fide proſtrata orans abſque mora lumen multis annis optatum recuperauit cernénſque iam viam quam ſine aliena manu ingredi antea non poterat abſque duce rediit ad diuerſorium. Aliud miraculum nuper ex viro religioſo Aringiſilo Abbate cognoui. Mulier quædam Ceruerella nomine in ſuburbano Mediomatricum degens, auſa fuit die dominico operari, itaque celeriter diuinitùs caſtigata vtraque manu contracta eſt. Illa in magnas coniecta anguſtias, ad Aringiſilum Abbatem venit: eoque iubente ad ſepulchrum beati Antiſtitis, cum fide properè abit, ſeu cum oſtia obſerata inueniſſet ante valuas ſanctæ Baſilicæ ſe proſternit orans cum lachrymis ſanctum Epiſcopum vt eam ſanaret. Mox digiti palmis fortiter affixi, laxato rigore ad priſtinũ reuocantur ſtatum abitque ad propria mulier læta & incolumis quæ triſtis & contracta aduenerat.

Per idem tempus Ciaro homunculus pedibus contractus gemino ſuffultus Scipione vir pedetentim idque cum ingenti iniuria ingrediebatur. Is ad monumentum ſancti viri cum ſe in preces proſtraſſet, laxatis neruis ſurrexit ſanus, & hilaris, & ad domicilium ſuum firmo gradu reuerſus eſt, qui eò baculis ſuſtentatus acceſſerat. Nec nos pauca è plurimis huius beati viri miraculis & operibus bonis pro noſtra facultate in ſcriptura retulimus. Quod ſi verò bona omnia quæ ille geſsit, ſtylo exarare vellemus, vaſtum opus & ingens lectori exiberemus. Voluimus autem è multis ſaltem aliqua narrare, ne lectori & auditori faſtidium pareremus, Freti auxilio omnipotentis Dei & redemptoris noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt benedictus in ſæcula. Amen.

Item de eodem beato Epiſcopo Arnulpho ex geſtis Metenſium Pontificum, antiquus M. S. codex non habet nomen authoris, ſed non dubito eſſe Paulum diaconum qui eo loco quem ſupra annotauimus ſe teſtatur de Epiſcopis Metenſibus ſcripſiſſe.

POſt Pappolum Epiſcopum ad regimen Eccleſiæ Metenſis, beatiſsimus Arnulphus viceſimusnonus aſcitus eſt, vir inter omnia lumine sãctitatis, & ſplendore generis clarus, qui ex nobiliſsimo fortiſsimoque Francorum ſtemmate ortus, ita Dei Eccleſiæ profuit, vt pallatij moderator exiſteret. Hic denique & in corpore permanens ſimul & poſt vitæ exitum multa admiranda patrauit. Quæ ſi quis noſſe deſiderat libellum qui de eius ſpecialiter actibus conſcriptus eſt legat. Vnum tamen eius admirabile factum referam quod ſatis miratus ſum quo ordine præterierit is, qui eius contexuerit vitam. Hic denique cùm pœnitentiam pro aliquibus exceſsibus ageret,

ageret, contingit vt per Moſellæ fluminis pontum tranſiret, cúmque ſubterfluentium aquarum profundos nec viſu penetrabiles gurgites cerneret, non dubiæ ſpe fiduciam mente gerens, extractum digito annulum in illam aquarum profunditate proiecit, tunc, inquiens me putabo culparum nexibus abſolutum quando iſtum, quem proiicio recepero annulum. *Proiicit annulum in Moſellã fluuium.*

Poſt aliquot verò annos, cum ad Epiſcopatus aſcendiſſet officium, ei die quadã piſcator quidã piſcem attulit: quẽ ille ſibi quia carnibus abſtinebat ad refectionem veſpertinam iuſſit prępararí. Cúmque eius miniſter officij more ſolito eum exenteraſſet, eundem annulum intra ipſius piſcis inteſtinum reperit. Ille factum admiratus, ſed rem neſciens beato Arnulpho detulit. Quem illis vt vidit ſtatim recognouit ac Deo omnipotenti iam de remiſſione peccatorum fidus gratias retulit, ac deinceps non remiſſiùs vitam duxit, ſed maiori ſe potiùs abſtinentia coarctauit. Nec diſſimiliter pater hic venerabilis, quam olim eidem illo ſignum domino popoſcit. Ille etenim indicium qui vellus in aera poſitum capere voluit, vtrum in bello victoriam de inimicis habere potuiſſet: iſte annulum in profundiſſimum fluminis gurgitem proiiciens experiri cupit, vtrum de inimicis iam victoriam cœpiſſet. Fortes quidem quos ille deuicerat, ſed hi quos iſte ſuperauerat fortiores. Hæc ego nõ à qualibet mediocri perſona didici, ſed ab ipſo totius veritatis aſſertori pręcelſo Rege Carolo cognoui, qui de eiuſdem beati Arnulphi deſcendens proſapia & in generationis linea trinepos extabat.

Nam venerandus iſte vir, vt ad ſuperiora redeam iuuentutis ſuæ tempore ex legitimi matrimonij copula tres filios proceauit, id eſt Anchiſum, Vualachiſum, & Clodulphum. Cuius Anchiſi nomen ab Anchiſe patre Aeneæ qui à Troia in Italiã olim venerat, creditur eſſe deductum. Nam gens Francorum ſicut à veteribus eſt traditum à Troiana proſapia trahit exordium? Cùm igitur hoſtes de quibus præmiſimus venerabilis Arnulphus filios haberet, quoniã erat miſericors & ad pietatis opera ſemper intẽtus predictis filiis ſuis cœpit ſuadere, vt ei aſſenſum preberent quatenùs omnes ſuas facultates ad vſus pauperum diſpertiret. Tunc vnus filius, id eſt Clodulphus ſe hoc poſſe facere, id eſt portionem ſibi debitam, patri largiretur, omnimodis denegauit. At verò alter filius, id eſt Anchiſus, fidens de Chriſti pietate ſibi plura condonari ad omnia quæ pater vellet ſe libenter obedire promittit. Agit venerandus pater gratias filio, & prędicit ei plura ipſum, quam reliquerat habiturum, in ſuper benedixit eum cunctámque progeniem naſcituram in poſterum. Factum eſt ita. Nam & plures Anchiſo quã reliquerat diuitiæ acceſſerunt, & ita in eo paterna eſt conſtabilita benedictio, vt de eius progenie tam ſtrenui fortéſque viri naſcerentur, quod non immeritò ad eius proſapiam Francorum ſit regnum tranſlatum. Et vt agnoſcere hoc poſſis paucis admimauertere docebo. Anchiſus genuit Pipinum, quo nihil vnquam potuit eſſe audacius. Pipinum genuit Carolum, viris omninò fortiſſimis conferendum, qui inter cætera & magna bella quæ fecit, ita præcipuè Saracenos detriuit vt vſque hodie gens illa truculenta & perfida Francorum arma formidet. Hic porrò genuit Pipinum ſapientia nihilominùs & fortitudine ſatis clarum: qui inter reliqua quæ patrauit, Vaſcones iam dudum Francorum ditioni rebelles cum Vnacfario ſuo principe fœlicitate mira debellauit & ſubdidit. Huius item filius magnus rex Carolus extitit, qui Francorum regnum ſicut nunquam antea fuit, dilatauit. Denique inter plura & mirãda quæ geſſit Longobardorum gentem, bis iam à patre deuictam altero eorum rege, cui Deſiderius no-

men erat capto,alteróque qui dicebatur Adalgiſus & cum genitore regnabat ſuo, Conſtantinopolin pulſo vniuerſam ſine graui prælio ſuæ ſubdidit dictioni,& quod raro fieri aſſolet, clementi moderamine victoriam temperauit.Romanos præterea ipſámque vrbem Romuleam, iam pridem eius præſentiam deſiderantem quæ aliquando mundi totius domina fuerat, & tunc à Lõgobardis depreſſa gemebat, duris anguſtiis eximens ſuis addidit ſceptris cunctáque nihilominùs Italia miti dominatione potitus eſt,de quo viro neſcias,virtutem in eo bellicam,an ſapientiæ claritatem omniúmque liberalium artium magis admireris peritiam.

Hic ex Hildegarde coniuge quartuor filios & quinque filias procreauit. Habuit tamen ante legale connubium ex Hinimiltruda nobili puella filium nomine Pipinũ, Natorũ ſanè eius quos eis Hildegardis peperit iſta nomina Primùs dictus eſt Carolus ſcilicet patris ac proaui vocabulo nuncupatus. Secundus item Pipinus fratri atque auo Equiuocus. Tertius Ludouicus, qui cum Clotario qui biennis occubuit vno partu eſt genitus. Ex quibus iam Deo fauente minor Pipinus regnum Italiæ, Ludouicus Aquitaniæ tenent. Mortua autem Hildegarde, Rex excellentẽ. Carolus Faſtradã duxit vxorem. Porrò Hildegardis apud vrbem Metenſem in beati Arnulphi oratorio requieſcit. Pro eo denique quod à beato Arnulpho iam dicti Reges originem ducerent, ſuorum ibi charorum defuncta corpora poſuere. Nam ibi humatæ ſunt duæ Regis Pipini filiæ quarum vna Rothaidis, altera Adelhaidis appellata eſt. Ibi quoque vt iunioris Regis Caroli duæ nihilominùs natæ ſunt tumulatæ, ſcilicet Adelhaidis, & Hildegardis, quæ Hildegardis materno nuncupato nomine, matrem morientem citius ſubſecuta eſt.

De ſancto Arnulpho Epiſcopo Metenſi & Monacho Lerinenſi Petrus in Catalogo lib. 7. cap. 68.

Die.18. Iulij. ARnulphus Epiſcopus Metenſis,vt ait Petrus Damiani,Pater Pipini fuit: & auus Caroli magni Imperatoris, qui Lotharingiæ ducatum tenens: vxore,& filiis,ac ſæculo derelictis eremum petiit, & ſolitariam vitam elegit. Veniens autem ad pontem fluminis Moſellæ:annulum ſuum in aqua demerſit,tali conditione : vt quicumque ipſum reciperet:ſe à domino intelligeret peccatis omnibus abſolutum, indeque in eremo mundo mortuus deo vixit. Defuncto autem Metenſi Epiſcopo in Pontificem electus eſt, dumque piſcis eidem ad edendum fuiſſet oblatus exenterato piſce annulus eius in ventre repertus eſt:cum tamen per duas dietas à loco vbi annulum deiecerat, piſcis captus eſſet. Intelligens autem ſanctus peccata ſua ſibi dimiſſa, nihilominùs pœnitentiæ operibus arctiùs inſudauit:pauperibus largè miniſtrauit:& multis miraculis claruit. Nam in diebus Rogationum ad proceſſionem tendens, dæmoniacum liberauit, leproſum quendam barbarum in domo ſuſceptum ad Chriſtum conuertit, quem baptizans ſpiritu pariter, & carne mundauit. Ciuitatem ſuam incendio penè totam flagrantem, dum omnes aufugerent : ipſe ſe igni obiiciens ſigno crucis edito flammas compeſcuit, & vlterius procedere non permiſit, quo die per viſum quidam longè conſtitutus crucem igneam in aëre conſpexit, audita voce quod tali ſigno Metenſis ciuitas per Arnulphum ab incendio liberata. Tandem vir domini famam populi fugiens, eremum repetiit : cum aliquibus Monachis deo ſeruiuit : ſucceſſore ſibi Goerico ordinato, vbi, & poſt

tempus

poſt tempus modicum in pace quieuit decimo ſeptimo Calend. Septembr. *Die 16. Aug.* Succeſſor autem eius obitu ipſius cognito cum clero & populo locum adiit, & ſanctum corpus ad ſuam ciuitatem transferens in Eccleſia Apoſtolorum condidit, vbi & quieſcit ſignis effulgens. Hæc Petrus in Cathalog.

Annotatio Vincen. Salern.

De S. Arnulpho. De acceptiſſimi Deo Epiſcopi Arnulphi Metenſis baſilica Gregorius Turonenſis in appendice hiſtor. Franc. ſiue libro vndecimo capite centeſimo ſecundo, facit mentionem ſub his verbis. *Poſt hæc Drocus filius Pepini à valida febre correptus mortuus eſt & ſepultus in baſilica beati Arnulphi Confeſſoris in Metis vrbe:* agitque de eo Baronius in ann. Eccleſ. tom. octauo, & Arnauldus Vionbelga in ligni vitæ libro tertio, decimo octauo Iulij inquiens, de ſancto Arnulpho martyrologium Romanum, cum Baronio, Beda Molanus in addit. Vſuardum & Galeſinius, hac die vitam eius compoſuiſſe fertur Beda, quæ reperitur in tertio operum eius toto, incerti tamen eſſe auctoris, cum ex Baronio in notis huius diei, tum aliis, & maximè auctoris ipſius verbis colligimus, in fine enim fatetur ſe præſentem fuiſſe cum aliis monachis, & fratribus, morti ſancti Arnulphi quæ contigit anno ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundum Baronium vel 641. vt vult Franciſcus de Roſieres: ſed eo tempore 640. Bedam nondum natum fuiſſe ex hiſtoriis manifeſtum eſt, obiit enim vt volunt. anno 734. falſo igitur attribuitur Bedæ hæc vita. Agunt præterea de eo Vincentius in ſpeculo libr. 23. cap. 72. 73. 74. 75. 76. & 77. Franciſcus de Roſieres fusè tom. 3. Stemmatum Lotharingiæ hiſtoriæ capitulo 48. Fuit dux Auraſiæ quintus, cuius adminiſtrationem accepit anno 601. in qua per annos viginti, & amplius permanſit, & tandem ſeruata charitate ab vxore ſeparatus, Ducatui vale dicens omnibus relictis ad monaſterium Lerinenſe acceſſit anno 622. Ex quo vacante ſede Metenſi, Dei voluntate, ac omnium vocatione eam Eccleſiam gubernandam ſuſcipere coactus eſt anno 623. altero ab eius conuerſione: quam cum annis quindecim ſanctiſſimè rexiſſet, vitæ Eremiticæ deſiderio inflammatus, poſthabitis rurſus omnibus ad ſolitudinem *Anno integro manet Lerini* ſe recipiens anno 638. ibique Angelicam vitam ducens, ad deſtinatum peruenit præmium anno Domini 641. cuius corpus per eius ſucceſſorem ſanctum Goericum in ciuitatem Metenſem tranſlatum honorificè reconditum eſt. Sur. tom. 4. die 15. Auguſti qui eſt tranſlationis ipſius vitam eius à Paulo Diacono monacho Caſſinenſi conſcriptam habes hic ſupra: quo die etiam celebratur feſtum alterius ſancti Arnulphi Epiſcopi Sueſſionenſis qui migrauit ex hac vita anno Domini 1087. quadringenteſimo ſcilicet, & quadrageſimo ſexto anno poſt tranſitum ſanctiſſimi noſtri Arnulphi Epiſcopi Metenſis & incolæ Lerinenſis.

De ſancto Valerio Epiſcopo Nicienſi & monacho Lerinenſi Arnauldus in ſuo martyrologio monaſtico.

NOno Calend. Auguſti Nicæ in prouincia depoſitio ſancti valerij Epiſcopi & Confeſſoris qui ex Monacho Lerinenſi ad Epiſcopatum aſſumptus boni paſtoris officium implere ſtuduit & in Gaudium Domini ſui introductus audire meruit. Euge ſerue bone, &c. *Die 24. Iulij.*

Annotatio Vinc. Saler.

De quo tabulæ Lerinenſes hac die. Res eius geſtæ hactenus me latent,

cum quod quando floruerit tabulæ illæ non referant, tum etiam quod Cathologum Episcoporum illius ciuitatis nondum videre contigerit. Hæc ille.

De translatione sancti Germani Episcopi Parisiensis. Petrus in Cathal. libro sexto capit, 138.

TRanslatio corporis sancti Germani Episcopi Parisiensis ab incolis eiusdem ciuitatis octauo Calend. Augusti celebratur, cuius reliquiis Dominus tantam gratiam contulit, vt in eius translatione corporis, earum contactu, cœcis visum, surdis auditum, claudis gressum præberet, multósque langoribus variis detentos, sanos efficeret, & obsessos ab immundis spiritibus liberaret. Hæc petrus.

Vita sancti Lupi Trecensis Episcopi & monachi Lerinensis grauiter conscripta, vt habetur in Antiquis M.S. Codicibus. Creatur Episcopus ann. 417. Moritur autem anno. 479.

Die 29. Iulij. BEatissimi & Apostolici viri, Antistitis Lupi vitam vel breuiter commorare operæ pretium est. In eius enim præclaris operibus multiplex sese dicendi materia offert. Ortus est in Leucorum oppido nobili in primis familia, patre Epirochio, quo ex hac luce substracto traditus est Alistichio patruo suo, multa generis nobilitate æquè conspicuo, eius opera scholis adhibitus, Rhetorum studiis imbutus. Deinde verò iam apprimè eruditum florentis eloquij fama per regiones diuulgauit. Iuncta autem ei est matrimonio Pimeniola sancti Hilarij Episcopi Arelatensis socer illustris memoriæ, quæ in ipsa iuuentute sensus maturitate pollens pudicitiæ semper amore flagrabat. Cum iam septimus coniugij annus volueretur, instigante Domino, se ad conuersionem mutuis adhortationibus contulerunt. Itaque superni spiritus vigore incitatus Lupus, ad animi cultum transferens vestium splendorem, relicta paterna domo, cunctisque mundanæ cupiditatis vinculis dissipatis, Euangelicæ perfectionis feruens desiderio eximiæ claritudinis, & virtutis virum Beatum Honoratum alacri animo statuit inuisere. Erat is Abbas primæ habitationis Lerinensis monasterij.

Patria & pater sancti Lupi. à Tullo videlicet.

Traditur litteris.

Ducit vxorem.

Postea continenter viuunt.

Beatus Honoratus Abbas.

S. Lupus suscipit habitum Monasterium Lerini à S. Honorato.

Vbi ad eum perùenit eius institutioni ceruicem vltrò subdens, dominicæ seruitutis suaue iugum mansuetissimis humeris accepit, omnigenis vigiliis & ieiuniis sese afficiens. Cúmque annum vnum illic egisset magno fidei calore regressus est ad vrbem Matisconensem, vt ea quæ ipsi remanserant pauperibus elargiretur. Et ecce de improuiso ad vrbis Trecensis Episcopatum rapitur: fuere autem hæc eius permotionis primordia, vt ciuibus suis viam salutis semper concionibus sacris explicaret, vt imperitos populi sensus diuina lectione institueret. Porrò clerum quoque suum gratia præeunte, habenis iustitiæ strenuè moderabatur.

Fit Episcopus sanctus Lupus.

It in Britanniam contra Pelagianos cum S. Germano.

Exacto verò bienni spatio cum esset pollens ingenio, clarus eloquio, sanctitate præcipuus: Cum sancto Germano, totius perfectionis & gratiæ spiritalis pleno, cõtra hæresim Pelagianam, quæ sanã oppugnabat fidem, in Britaniam profectus est, qui vno spiritu iuncti, & pari voluntate concordes, terribiles oceani fluctus, temporibus hybernis in explorato mari se committentes orationũ gubernaculis mitigarũt. Inter ipsius autẽ vndarũ minas, cũ ad tutam stationem appulissent, crebris virtutum signi aduentus sui nuncios præmittebant. Ad vrbis enim cuiusdam mœnia, vt propinquarunt, omnes se illis obuiam

uiam effudere,quibus ipſi admirandis ſignis admirationi fuerunt. Erant verò ſine intermiſſione intenti ad capiendos homines:eáque cauſa ægris curationes adhibebant,ſpiritus immundos palàm ex obſeſſis eiiciebant.Denique omnes ad ſanæ fidei confeſſionem ab errore reuocarunt,cum iam totam ferè Britanniam Pelagiana peſtis occupaſſet. *Faciunt mutaſigna.*

Non longè poſt tempora Hunni erumpentes,& per omnem Galliam diffuſi,partim ſimulatæ pacis ante tentabant vrbes,partim vi expugnabant, vbi ad Trecenſem infeſto agmine venêre ciuitatem,patentibus campis ſitam, & nec armis munitam,nec muris,ſolicitus pius Antiſtes, ad vſitata ſe recipiens præſidia, ſolis ad Deum fuſis precibus, ſupernæ opis auxilio eam defendit. At immanis ille,& ferus Attila, fidem tanti viri altiori ſenſu ſuſpiciens, pro ſua exercitúſque ſui ſalute,&incolumitate,ſecum eum vult proficiſci ad Rhenum vſque, pollicens, vbi eo ventum ſit, ſe ipſum dimiſſurum: Mox copia offertur ab eo loco reuertendi, non negatur reditus, iter quoque indicatur: orat Tyrannus obnixè ſanctum virum,vt velit pro ipſo dominum deprecari, interprete vſus Hunigaſio. Reuerſus autem vir Dei, vt vidit ſe deſperatione ſuorum turbatum ad montis perfugium Catiſconem cæteris ſolertior feſtinauit,vt eò transferret plebem,quam orationum ſuarum ſuffragiis diſcrimini ſubiacentem inter excidia publica, & hoſtilia arma defenderat. Illud perfugium diſtat ab vrbe milliaribus quinque,& quadraginta.Manens illic biennì ſpatio, offenſus raritate ſuorum eò venientium Matiſconem ſibi cenſuit expetendam. Illuc eunti quædam mulier iuxta Baſilicam Aliſiam corpore proſtrata in aggere publico,ſe paralyticam magna voce ſignificauit. Orauit pro ea vir ſanctus,& mox ſanitati ſe reſtitutam ſenſit. *Hunni vaſtãt Gallias.* *S. Lupus precibus ſuam tuetur vrbẽ.* *Sanat Paraliticam.*

Cùm autem in Matiſconenſi prædio degeret, circa horam ſextam oblata eſt ei puella, ex dæmonis infeſtatione linguæ officio deſtituta. Confeſtim ſignum crucis illi imprimens, & media nocte pro more ſurgens, pſalmodia abſoluta, inuocato nomine ſacroſanctæ Trinitatis, loquendi facultatem ei impetrauit. Etſi verò ex plurimis geſtis eius pauca iam perſtrinximus, at operæ precium tamen videtur vitæ eius hiſtoriam breuiter pertexere. Annis plus minus viginti, lectuli quietem neſciens in tabula cubauit, veſtis eius perpetuo cilicium fuit. Præter illud, vnius tunicæ vſu ſemper contentus, in orationibus alternis noctibus peruigil perdurabat. triduanis ieiuniis defatigato corpuſculo,libidinis in centiua proſternens, fletibus ora, ſemper in futura intentus, indefeſsè rigabat.iugi etiam diſtictione, & ſeueritate Sabbatum omne nõ niſi panis hordeacei eſu tranſmittebat.Nec ſacræ immemor legis,cenſus ſuos pauperibus,captiuiſque ſe redimendis humaniſſimè impendebat, ſciens eleemoſinis cœlorum nos poſſe regna mercari. Per multos, quos nouerat deſperatione teneri, celeri viſitatione refouebat, atque in iis clariſſimum virum Claudium, filium ſpectabilis Germaniani, quem iam deficiente membrorum vigore, detinebat vicinæ mortis pallor, halitúſque frigidi indicabant robur extinctum, eum ferè exanimem intra corpuſculi hoſpitium oratione retinebat, iamque morientem reuocabat ad vitam,in viſcera refuſo, qui iam abſceſſerat, calore vitali, languentibúſque venis ſuos motus recuperantibus, & ſpem viuendi ipſo etiam vultu promittente. *Item mutam.* *Eius cubile veſtis,vigilia ieiunia.* *Eleemoſina.* *Bene mortuũ reſtituit.*

Nec minoris miraculi res eſt, vno eodémque tempore,& alibi oſtendiſſe

virtutẽ. Nã chariſſima materfamilias, germana ſoror ſancti, & venerabilis presbyteri Ruſtici, quã lethalis iampridẽ vexabat defectio membrorum, ita vt decem menſibus neque pes, neque manus ſuum faceret officium, ab illo viſitari peroptans, vt eum venientem intuita eſt precibus adiungens lachrymas, palmas vtraſque extendit dicens: *Si vis pater me ſanare.* At ille bis terque in preces incumbens, lachrymarum imbre perfuſus, compellauit ægrotam. Ea verò mox ſublata voce clamauit nihil ſe dolere, iam abſceſſiſſe languorem omnem. Cúmque omni cibi appetentia hactenùs caruiſſet, quam primum ſibi petiit alimoniam apportari.

Item Paralyticam.

Reges omnes eum veneran tur.

Iam illud ſingularis gratiæ beneficium, quod ei inter mundi proceres diuinitus collatum fuit, non patitur ſolicitudo ſilentio præteriri, omnes quidem gentium Reges ei præſtabant reuerentiam: ſed ſpecialius tamen à Rege Gebauulto eximia fuit ei exhibita obedientia. Namque Brionenſes, quos olim captiuos abduxerat Alemannorum immanitas, litteris à beato viro acceptis, non illectus cupiditate, non præda hominum captus, non auri pondere, nec precio victus, ſed regia dignitate ſublimis, libertati reſtituit, hoſtili ſeruitute abſolutos, & nimiæ iam dominationis acerbitate preſſos, tanquam deuotus Reipublicæ miniſter, in eum ſtatum quem legibus omnes amiſerant reuocauit, priſtina dignitate donatos.

Eius aliquot inſignes diſcipuli.

Multos autem habuit vir beatiſſimus præclara virtute diſcipulos, inſigni miraculorum gloria illuſtres, in S. Polychronio Virdunenſis Eccleſię Epiſcopo gratia curationum pręfulſit, ita vt religatis poſt tergum manibus dæmonibus imperaret, priuſque ſenſum perciperent obſeſſi, quã corporũ ſuorum colliſionem. S. Seuerum Treuirenti Eccleſiæ ordinatum Epiſcopum, primæ Germanæ gentibus prædicantem non ambigimus inter Apoſtolos ſuum habere conſortium. Sanctum quoque Albinum Catalaunenſem antiſtitem, diuturnæ ſanctitatis prærogatiua eminentem, non debemus taciti omittere, quam ille crebro per multis locis dæmones ab hominibus profligauit. Nec immerito dum tantorum virorum celebramus præconia, eximij magiſtri laudis depromere rideri debemus. Succeſſit autem ei dignus ille honore ſacerdos Camelianus, eius morum imitator. Iam annis quinquaginta, & duobus. S. Lupus glorioſæ memoriæ antiſtes, ſacerdotio functus erat, cum vitæ præſentis debitum perſoluens ſpiritum miſit ad ſuperos, dignis in terra laudibus celebrandus. Inde ergo nunc nobis quò ſublimis euectus eſt, præſidium impendat: Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt gloria, & poteſtas per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Diuturnus valdè Epiſcopatus eius & obitus.

Annotatio Vinc. Saler.

Et ſi huius vitæ hiſtoria, ſatis ſanctitas præclari ouium cuſtodis lupi Tricaſſimi, inſigníſque vigilantia, & labores immenſi pro grege dominico ſuſcepit eluceant: libet etiam ad pleniorem noſtri inſtituti obſeruantiam & tanti patris honorem, quid eius amiciſſimus Caius Solius Sidonius Apolinaris vir nobiliſſimus & ſanctiſſimus Epiſcopus Aruernorum coeuitanus, de vigilantiſſimo, ac verè manſuero noſtro Lupo Lerinenſi in ſuo illo præclaro epiſtolarum & poematum opere, ſenſerit, referre, vt magis ſanctitatis, ætatis longæuæ, eruditionis, facundiæ, priuilegia, aliaque inſignia viri Dei opera clarius emicent: quatuor namque ſunt epiſtolæ ad ipſum Lupum à Sidonio directæ, quarum duas potiſſimas hic ſibi ſubiicimus.

Sidonius.

Sidonius Domino Papæ Lupo S. Epiſtola.1.lib.6.

BEnedictus ſpiritᵘ ſanctus,&Pater Dei omnipotẽtis,quòd tu pater Patrũ, & Epiſcopus Epiſcoporum,& alter ſæculi tui Iacobus, de quadam ſpecula charitatis,nec de inferiore Hieruſalem,tota Eccleſiæ Dei noſtri membra ſuper inſpicis,dignus qui omnes cõſoleris infirmos,quique meritò conſularis ab omnibus. Et quid nunc ego dignum dignationi huic patris & fœtida reatu terra reſpondeam? Colloquij ſalutaris tui & indigentiam patiens, & timorem,recordatione vitæ plectibilis adducor, vt clamem tibi quod dixit Domino tuus ille collega?exi à me,quia homo peccator ſum, Domine [a]. Sed ſi iſte timor non temperetur affectu, vereor ne Geraſenorum [b] deſtituar exemplo, & diſcedas à finibus meis. Quin potius illud quod mihi conducibilius eſt colleproſi mei te propoſita cõditione conſtringam, vt aiam tibi, *ſi vis potes me mundare* [c]. Qua ille ſententia non plus de Chriſto quid peteret prodidit, quam quid crederet publicauit. Ergo ne cum ſis procul ambiguo primus omnium toto,quà patet,orbe Pontificum, cùm prærogatiuæ ſubiiciatur,cùm cenſuræ tuæ attremat etiam turba [d]. Collegij, cùm in grauitatis veſtræ comparationem.ipſa etiam grandęuorum corda pueraſcant,cùm poſt duſudatas militiæ Lerinenſis excubias [e], & in Apoſtolica ſede nouem iam decurſa quinquennia, vtriuſque ſanctorum ordinis quendam ſe cõclamatiſſimũ [f] primipilarẽ ſpiritalia caſtra venerentur, tu nihilominus haſtatorũ anteſignatiorũq; [g] pauliſper cõtubernio ſequeſtratus, vltimos calones [h] tuos, lixaſque [i] non deſpicis,&ad extimos trahariorum,[k] qui per inſipientiam ſuã adhuc ad carnis ſarcinas ſedent, crucis diu portatæ vexilla circumfers, ac manum linguæ porrigis,in conſcientia vulneratis.Noſti (vt apparet) ex aduerſa acie ſauciatos,Dux veterane,colligere,&peritiſſimus tubicen ad Chriſtum à peccatis receptui canere,& Euangelici paſtoris exemplo non amplius lætaris,ſi permaneant ſani,quam ſi non remaneant deſperati.Te ergo norma morum,te columna virtutum,te ſi blandiri reis licet, vera, quia ſancta dulcedo,deſpicatiſſimi vermis vlcera,digitis exhortationis contrectare nõ pinguit ſibi auaritiæ non fuit paſcere monitis animam fragilitate ieiunam, & de apotheca dilectionis altiſſimæ ſectãdæ nobis humilitatis propinare menſuram. Sed ora vt quandoque reſipiſcam, quantum meas deprimat oneris impoſiti maſſa ceruices. Facinorum continuatione miſer eò neceſſitatis acceſſi,vt is pro peccato populi nunc orare compellar, pro quo populus innocentum vix debet impetrare,ſi ſupplicet. Nam quis bene medelam æger impartiat?Quis febriens arroganti tactu, pulſum diſtinguat incolumem? quis deſerto ſcientiam militaris rei iure laudauerit? quis eſculentus abſtemium competenter arguerit?Indigniſſimus mortalium, neceſſe habeo dicere,quod facere detracto:& ad mea ipſe verba damnabilis, cum imperem quæ nõ impleo,idem in me quotidiè cogor dictare ſententiam. Sed ſi tu inter me & illum,cui cõcrucifigeris Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum pro ſcelerum meorum populo [l] iunior magis quàm minor Moſes,interceſſor aſſiſtas:non vlterius deſcendemus in infernum viuentes,nec per carnalium vitiorum incentiua flammati ad altare Domini ignem diutiùs accendemus alienum:[m] quia quamquam nos, vtpote reos, gloriæ libra non reſpicit, ſatis tamen ſuperque gaudebimus, ſi precatu ſuo leuare valeamus interioris hominis noſtri,& ſi non integrum ad remunerationem, certè vel cicatricatum pectus ad veniam.Memor noſtri eſſe dignare domine Papa. Vale.

a *Luc. cap. 5.*
b *Idem c.8. Marc.c.5. Matth.8.*
c *Ibidem.*
d *i. Episcoporum.*
e *Vide infra notationem.*
f *i.Ducem.*
g *Qui primi in acie haſtis pugnabant.*
h *Serui militum.*
i *Qui ad aquam vehẽdam milites ſuſtentant vel lixa dici tur miles deterrimus.*
k *Qui ſarcinas & militaria vehunt impedimẽta.*
l *i. multitudine peccatorum.*
m *Exod.c.30 Leuit. c.19.*

Annotatio Vincent. Saler.

Ne quis tanquam temporibus iſtis inuſitatum miretur nomen Papæ tribui Epiſcopis, pauca hic inſerenda ex commentario Claromontani in Sidonio decerpam: ait enim ſuper his verbis, Papæ Lupo, id eſt, Lupo Epiſcopo Tricaſſino ſanctitatis, & eruditionis viro præſtantiſſimo: nam in ea ſignificatione veteribus vſitatiſsimum erat Epiſcopos inſigniri titulo Papæ, & præter authores quos alij notarunt, ſanctus Paulinus ad Fauſtum Regienſem Epiſcopũ Domino Patri & patrono Fauſto Papæ Paulinus Dinamius Patricius cõſcriptor vitæ ſancti Maximi Regienſis ad Vrbicum ſucceſſorem Fauſti. Vrbico Papę ſalutem, & ibidem in fine: Domine vere ſanctè & beatiſſimè Papa. Ennodius in vita Epiphanij Ticinenſis Epiſcopi, facio ergo, venerande Papa quæ poſcis. Aurelius etiam Carthaginenſis Epiſcopus, Papa dictus eſt. Balſamo, in præfatione Carthaginenſis ſynodi, & multi alij quos nimis longum eſſet referre. Sed neque ſoli Epiſcopi Papæ vocabantur, ſed etiã omnes clerici, Vulfridus ſtrabo de rebus Eccleſ. cap. 7. Papa tranſiit in dignitatis nomen, vt clerici venerandi eodem nomine appellarentur, vnde Epiſcopi Protopapæ dicebantur, & protomyſtæ, id eſt, primi ſacerdotes, clerici verò minoris ordinis, Piſenni, diminutiuè, id eſt, Papæ Minimiſſimi: quando autem Romani Pontifices id nomen præcipui tituli, & merito, ſibi vendicarunt, obſeruat Baronius in Martyrologio ex M. S. bibliothecæ Vaticanæ. Quidam deducunt huius nominis notationem quaſi Pater Patrum, ab his notis Pa. Pa. Remiſius Antiſiodorenſis de celebratione Miſſæ. Papa autem ſecundùm quoſdam dicitur, admirabilis, vel coronatus: ſed melius eſt Pater Patrum, id eſt, Epiſcoporum: vnde bene à Sidonio Lupus vocatur in hac Epiſtola Pater Patrum, & Epiſcopus Epiſcoporum, quo titulo Iacobus frater domini noſtri à S. Clemente Papa honoratur epiſt. 1. *Clemens Iacobo domino Epiſcopo Epiſcoporum regenti Hebræorum Eccleſiam ſanctam Hieroſolimis.* Et Sidonius alibi paſſim de Lupo, Princeps Pontificum Gallicanorum non tamen ordinis aut poteſtatis, ſed ſanctitatis, ætatis, & eruditionis priuilegio. Sequitur in Epiſtola. *Cum poſt deſudatas militiæ Lerinenſis excubias*: hæc ideo, quia certe ſeminarium Epiſcoporum ſtruit Lerinis inſula, in qua Lupus miles excubauit, vt idem affirmat in epiſt. 14. lib. 8. data ad ſanctum Principium Epiſcopum Sueſſionenſem, fratrem ſancti Remigij, dicens. *Satis in illo quodam Cœnobio Lerinenſi ſpectabile caput, Luporum concellita, Maximorumq́:* & idem in Euchariſtico ad Fauſtum,

Quæ ſancta Capraſiis.
Vita ſenis, iuueniſque Lupi.

Sequitur Sidonius, *& in Apoſtolica ſede nouem iam decurſa quinquennia.* Et in Epiſtola 11. libri noni. *Iam per quinquennia decem*, ex quibus patet, Lupum Tricaſſinam Cathedram ſediſſe decem luſtris, & eò amplius vt Beda, Vſuardus, & Ado quarto cal. Auguſti. S. Lupi qui quinquaginta duobus annis ſacerdotio functus eſt: quare è viuis migrauit biennio poſt ad eum datam à Sidonio ſequentem Epiſtolam quam libenter hic ſubiicio quia nimirum in ea maximè facundia beati viri extollitur, vt merito etiam Conſtantius in vita ſancti Germani Altiſiodorenſis Epiſcopi lib. 1. cap. 19. & 20. Lupus facundo ore hæreticos ad ſanam fidem reduxit, item, deinde antiſtites venerandi torrentes eloquij ſui, cum Apoſtolicis & Euangelicis tonitruis profuderunt.

Sidonius

Sidonius domino Papæ Lupo S. Epiſtola XI. lib. IX.

PRopter libellum, quem non ad vos magis quàm per vos miſſum putaſtis, Epiſtolam veſtram non ad me magis quàm in me ſcriptam recepi. Ad exprobrata reſpondeo pro æquitate cauſæ, non pro æqualitate facundiæ: quam quis nunc ego, aut quantus qui agere præſumam vobis imputantibus innocentem? quocirca delicto huic (quantulumcunque eſt) inter principia cõfeſtim ſupplico ignoſci, diffidẽtiæ tantùm & non ſuperbiæ faſtus errorem. Nam cum mihi rigor cenſuræ tuæ in literis æquè vt moribus ſit ambifariam contremiſcendus, fateor tamen in voluminis ipſius operiſque reſeratu illam mihi fuiſſe plus oneri, quàm prætenditis charitatem: Nec citra iuſtum iſta coniicio, quandoquidem mortalium mentibus vis hæc naturalitus ineſt, vt ſi quid perperam fiat, minus indulgeant plus amici. Scripſeram librum ſicut pronuntiatis, plenum onuſtúmque vario cauſarum, temporum, perſonarúmque congeſtu: facturus rem videbar imprudentiſſimam, ſi tantum mihi cuncta placuiſſent, vt nulla tibi diſplicitura confiderem: huc item quiſquis iudicij euentus foret, vidi partibus meis nequaquam pietatis ex ſolido conſtare rationem, ſi non ſaltem vobis eſſet anterius allatum volumen, & ſi non videretur oblatum, ſub hoc ſcilicet temperamento; vt ſi forte placuiſſem, non vos arrogantia præteriſſe: ſi ſecus, non vos improbitas expetiſſe iudicaretur. Nam ſanè multo labore me credidi deprecaturum vitatas cauſas erubeſcendi: pariter illud noſſe vos noueram, quod auctores in operibus edendis pudor potius quam conſtantia decet: quódque tetricis puncta* cenſoribus, tardus procacitas recitatoris, quàm trepidatio excudit. Alioqui ſi quis eſt ille, qui cum fiducię prerogatiua, thematis antè mandati operam peruulgat: incipit expectationi publicæ, quamuis ſoluerit multa, plura redhibere. Præterea quicquid ſuper huiuſce ſcripti tenore cenſueris, malui factum confiteri ſimpliciter, quàm trebaciter [a] diffiteri. Dixiſſet alius, neminem tibi prætuli, nullas ad vllum peculiares literas dedi: quem prælatum ſuſpicabare, vnius Epiſtolæ forma contentus abſceſſit, atque ea quidem nihil ſuper præſenti negotio deferente. Tu qui te quæreris omiſſum, tribus loquaciſſimis paginis [b], fatigatus, potiùs in nauſeam concitaris, dum frequenter inſulſæ lectionis verbis inanibus immoratus. Adde quia etiam in hoc quod forſitan non notaſti, reuerentiæ tuæ meritorúmque ratio ſeruata eſt: quod ſicut tu antiſtitum cæterorum Cathedris, prior eſt tuus in libro titulus, illius nomen vix ſemel tantum & ſibi aſcripta pagina ſonat: tuo præter tibi deputatas [c] frequenter illuſtrantur alienæ [d]: Illud his iunge, quod ſi quid ibi vel caſualiter placet, tu per conſilium meum lectitas: ille quandoque per beneficium tuum, qui munuſculi mei in caſſum preſſus inuidia, necdum ad facultatem legendi (vt ſuſpicor) venit, cum iamdiu ipſe perueneris ad copiam transferendi: Aio, tanquam non ſit authographas membranas arbitraturus, ſi tamen quod ante percurras, vel exemplar acceperit, neque enim in iis quæ tractaueris vlla culpabitur, aut diſtinctionum raritas, aut frequentia barbaris morum. Nempè ad extremum palàm videtur etiam tibi tranſmiſſa proprietas, cui vſus abſque temporis fixi præſcriptione tranſmiſſus eſt, qui ſupradicto tandiu potes vti libello, vt eum non amplius zothecula tua [f] quàm memoria includat, hæc & his plura fors aliquis. Ego verò cuncta prætereo, & malo precari veniam, quàm reatum, ſi hoc [g] eſſe creditur, deprecari: præſentum quoque negligentiam literarum nunc nec excuſo: primùm, quid & ſi cupiam, parum cultius ſcribere queo: dehin quòd.

* *Puncta* 1. *id eſt ſuffragia.*

a *Forſan trebaciter.* 1. *trite. & non ſemel ſed iterum atque iterum diffiteri.*

b *Id eſt Epiſtolis.*

c *Scilicet* 17. *Epiſt.* 1. *&* 9. *lib.* 9. *& iſta.*

d *Epiſt. ſcilicet* 17. *lib.* 4. *Epiſt.* 13. *&* 15. *lib.* 7. *Epi.* 14. *&* 15. *l.* 8.

f *Armaiolli.*

g *Forte & forſitam.*

libellari opere confecto,animus tandem feriaturus, iámque propalare diſſimulat,excolere detractat. Attamẽ cum ſatis tibi,& quidem merito(quidnam enim ſimile?)in omnibus cedã (quippe in alio genere virtutum,iam per quinquenia decem [a], non æquæuis ſacerdotibus tantum,verùm & antiquis,quoties collatur antelatúſque ſis)noueris volo: quamuis quæſtibus quatias aſtra, atque maiorum cineres,fauilláſque in teſtimonium læſæ charitatis implores pedem me [b]conflictui tuo,ſi mutuo ſuper amore certandum eſt,non retractaturum:quia cum in cæteris rebus,tum fœdiſſimum perquàm eſt in dilectione ſuperari: quæ velis nobis certa profeſſio conuitiis tuis,illis cuncta blandimentorum mella vincentibus non præter æquum reponderatur. Ecce habes literas tam garrulas fermè, quàm requirebas : quanquam ſunt omnes(ſi quæ vſpiam tamen ſunt)loquaciſſimę.Námque in audentiam fermocinandi quem non ipſe compellas?qui omnium(de me enim taceo) literatorum , licet oculi affectent,ſic ingenia producis,vt ſolet aquam terræ in viſceribus abſconditam per atomos bibulos radius extrahere ſolaris.Cuius Lucis aculeo non ſolo penetratur aut arena ſubtilis,aut humus foſſilis: ſed ſi ſaxei mõtis oppreſſu fontium conditorum vena celetur , aperit arcanum liquentis elementi ſecretorum cœleſtium natura violentior:Ita ſi quos,vir ſacroſanctæ, ſtudioſorum [c]ſenſeris,aut quietos ,aut verecũdos,aut in obſcuro iacentis famæ receſſu delitescentes,hos eloquij tui claritas , artificè confabulatu , dum compellat , & publicat. Sed quorſum quàm moris eſt ? Redeamus ad cauſam , ſuper cuius abundante blateratu,quia pareo,precor vt errata confeſſum veniæ clementis indultu placatus impartias , licet quæ lætitia tua ſancta quæque communio, copioſiùs hilarere , ſi meæ culpæ defenſio potiùs tibi ſcripta ferretur , quam ſatiſfactio.Memor noſtri eſſe dignare,domine Papa.

a *Diuturnus Epiſcopatus S. Lupi.*

b *Adagium.*

Similitudo.

c *De ſe loquitur Sidonius quia vir natura quietiſſimus erat.*

De Legatione ſancti Lupi Epiſcopi Trecenſis & ſancti Germani Altiſſiodorenſis in Britanniam venerabilis Beda libro primò Eccleſiaſtica hiſtoriæ gentis Anglorum, cap. 17.

ANte paucos ſanè aduentus Anglorum in Britanniam annos hæreſis pelagiana per Agricolam illata Seueriani Epiſcopi Pelagiani filium fidem Britannorum fœda peſte, commaculauerat,verum Britanni eum neque ſuſcipere dogma peruerſum gratiã Chriſti blaſphemando nullatenùs vellent, neq; verſutiam nefarię perſuaſionis refutare verbis certando ſufficerent,inueniunt ſalubre cõſilium vt à Gallicanis antiſtibus Auxilium belli ſpiritalis inquirãt, quam ob cauſam collecta magna Synodo quærebatur in cõmune qui illic ad ſuccurrendũ fidei mitti deberẽt:atq, omniũ eligebãtur apoſtolici ſacerdotes Germanus Altiſſiodorenſis & Lupus Trecaſſinæ ciuitatis Epiſcopi qui ad confirmandam fidem gratiæ cœleſtis in Britanniam venirent,qui cum prompta deuotione preces & iuſſa ſanctæ Eccleſiæ ſuſcepiſſent , intrant oceanum & vſque ad medium itineris quo à Gallico ſinu in Britanniam vſque tenditur ſecundis flatibus nauis tuta volabat. Tum ſubito occurrit per gentibus inimica vis dæmonum qui tantos,taléſque viros ad recuperandam tendere populis ſalutem inuiderent:concitant procellas cœlum diemque nubium nocte ſubducunt,ventorum furores vela non ſuſtinent , cedebant miniſteria victa nautarum ferebatur nauigium oratione non viribus & caſu dux ipſe vel Pontifex,fractus corpore laſſitudine ac ſopore reſolutus eſt.Tunc verò quaſi repugnatore ceſſante tempeſtas excitata conualuit,& iam nauigium ſuperinfuſis fluctibus mergebatur. Tunc beatus Lupus , omneſque turbati excitant ſeniorem elementis furentibus opponendum , qui periculi immanitate conſtantior

Procella à dæmonibus excitatur.

Oratione ſedatur tempeſtas.

ſtantior Chriſtum inuocat & aſſumpto in nomine ſanctæ trinitatis, leui aquę aſpergio fluctus ſæuientes opprimit, collegam commonet, hortatur vniuerſos oratio vno ore & clamor profunditur. Adeſt Diuinitas, fugantur inimici, tranquillitas ſerena ſubſequitur, venti è contrario ad itineris miniſteria reuertuntur, decurſiſque breui ſpatiis pelagi optati littoris quiete potiuntur. Ibi conueniens ex diuerſis partibus multitudo, excepit ſacerdotes quos venturos etiam vaticinatio auerſa prædixerat, nunciabant enim ſiniſtri ſpiritus quod timebant qui imperio ſacerdotum dum ab obſeſſis corporibus detruduntur & tempeſtatis ordinem & pericula quæ intulerant fatebantur, victóſque ſe eorum meritis & imperio non negabant. Interim Britanniarum Inſulam Apoſtolici ſacerdotes raptim opinione, prædicatione, virtutibus impleuerunt Diuinúſque per eos ſermo quotidie non ſolum in Eccleſiis, verum etiam per triuia & per rura prædicabatur, ita vt paſſim & fideles Catholici firmarentur & deprauati viam correctionis agnoſcerent, erat illis Apoſtolorum inſtar & gloria & auctoritas per conſcientiam, doctrina per litteras, virtutes ex meritis. Itaque Regionis vniuerſitas in eorum ſententiam prompta tranſierat, latebũt abditi perſuaſionis ſiniſtrę auctores & more maligni ſpiritus gemebant perire ſibi populos euadentes: ad extremum diuturna meditatione concepta prę ſumunt inire conflictum, procedunt conſpicui diuitiis, veſte fulgentes circundati aſſentatione multorum diſcriménque certaminis ſubire maluerunt, quem ſubuerterant pudorem taciturnitatis incurrere ne viderentur ſeipſi ſilentio damnauiſſe. Illic planè immenſa multitudo etiam cum coniugibus & liberis excitata cõuenerat, aderat populus & ſpectator futurus & iudex, aſtabant partes diſpari conditione diſſimiles, hinc diuina fides, inde humana preſumptio, hinc pietas, inde ſuperbia, Inde Pelagius auctor, hinc Chriſtus primo in loco beatiſſimi ſacerdotes Germanus atque Lupus præbuerunt aduerſariis copiam diſputandi, quæ ſola nuditate verborum diu inaniter & aures occupauit & tempora deinde vti Antiſtites venerandi torrentes eloquij ſui cum Apoſtolicis & Euangelicis imbribus profuderunt, miſcebatur ſermo proprius cum diuino & aſſertiones moleſtiſſimas lectionum teſtimonia ſequebantur, conuincitur vanitas, perfidia confutatur, ita vt ad ſingulas verborum obiectiones errare ſe dum reſpondere nequit fateretur: populus arbiter vix manus continet, iudicium tamen clamore teſtatur.

Arripuit portum optatum

Prædicationi inſiſtunt.

Iniuit diſputationem cum Pelagianis.

Confunditur vanitas Hæreticorum.

Gregorius Turonenſis libro de Gloria Confeſſorum, Capite 67. & 68.

LVpum Antiſtitem apud Tricaſſinorum Campaniæ vrbem ſepultum nulli habetur incognitum: ad cuius Baſilicam Maurus cuiuſdam ſeruus negligentia amiſſa confugit: frendens verò Dominus eius de veſtigio proſecutus ingreſſus Baſilicam nec oratione proſtratus blaſphemias in ſanctum euomere cœpit, ac dicere, en tu Lupe ſeruum meum auferes & propter te non licebit mihi in eum vltionẽ debitam exercere: & iniecta manu ſeruum trahere cœpit dicens, *non mittet hodie hic Lupus manum ſuam de ſepulchro & emat te de manibus meis.* Hæc dicente miſero ex templo lingua quæ in ſanctum blaſphemias effudit diuinitus obligatur, atque mutatus homo debacchare cœpit per totam ædem, dans mugitum vt pecus, ſermonem vt homo non proferens, cumque hæc ſuis nunciata fuiſſent apprehenſum duxerunt ad domum ſuam, vxor verò eius multa munera in baſilicam poſuit: ſed hic tertia die cum graui cruciatu finiuit vitam. Quo defuncto mulier quæ dederat recepit, ſeruus tamen permanſit ingenuus. Capit. 68.

Huic Antiſtiti famulabatur Auentinus quidam religioſus, ad quem poſt *Cap. 68.*

huius obitum captiui fecere confugium, quorum Domino Auentinus pretium obtulit, ſed ille obligans ſe ſacramento ait, nunquam hæc niſi in Pago meo ſum accepturus, deditque ſuam dexteram quod ſi illuc pecuniam tranſmitteret iſte confeſtim captiuos à vinculo ſeruitutis abſolueret. Tranſmiſſo itaque pretio oblitus dominus fidei ſuæ dum captiuos abſoluere diſſimulat, ipſe ligatur. Nam ſtatim ſummitas digiti de manu quæ fidem fecerat dolere grauiter cœpit. Deinde paulatim dolor accreſcens per manum brachiumque totum extenditur: quid plura? Truncatum ad ipſam iuncturam cubiti brachium concecidit & hic ſpiritum exhalauit. Vxor vero eius poſt hæc voluit eos iterum ad ſeruitium reuocare, ſed capitis dolore percuſſa, virum ſecuta eſt & ſic hi in ingenuitate perpetua abſque vllius ſcripturæ munitione mãſerũt.

Ado Viennenſis Chronicorum libro ætate ſexta anno 452. Hæc infert de S. Lupo.

Hæreſis Pelagiana Britannorum turbat fidem quæ à Gallicanis Epiſcopis auxilia quærentes Germanum Altiſiodorenſis Eccleſiæ Epiſcopum ad Lupum Trecaſſinum æque Apoſtolica gratia Antiſtites fidei defenſores accipiunt. Confirmant Antiſtites fidẽ verbo veritatis ſimul & miraculorũ ſignis.

Vincentius Belluacenſis ſpeculo hiſtoriali libro 20. cap. 16.

PORro ſanctus Lupus Leucorum familiæ primus fuit: cui glorioſæ familiæ Pimeniola ſancti Hilarij Epiſcopi Arelatenſis Germana coniux fuit ſeptimo anno coniugij ſe ad conuerſionem hortatu mutuo contulerunt. Tunc ille relictis omnibus ſanctum Honoratum Abbatem Lerinenſem expetiit, cuius inſtitutione ceruice ſubdita omnium vigiliarum abſtinentiarúmque dogmatibus inſtitutus eſt. Poſt annum verò regrediens: vt quæ ſibi remanſerant pauperibus eroganda detraheret ad vrbis Tricaſſinæ illicò pontificatum raptus eſt, vbi populum viam ſalutis docens clerúmque ſtrenuè gubernans poſt biennium cum ſancto Germano in Britanniam perrexit, in quo itinere ſignorum mirabilibus cunctis admiratione fuere: nec longé poſt cum per Gallias vbique diffuſus premeret Hunorum exercitus Tricaſſinam vrbem patentibus campis expoſitam nec armis munitam nec muris, vir ſanctus recurrens ad nota præſidia ſola ad Deum interceſſione & prece interpoſita ſuperno auxilio defendit. Multis quoque aliis miraculis claruit: nam & mulierem paraliticam ſanauit: puellam impulſu Dæmonis mutam ligno crucis impoſito liberauit & alios plures ægros ſanauit, annis ferme viginti quinque expers lectuli iacendi laborem ſuperpoſitus tabulæ ſuſtinuit. Cui indumentum non niſi cilitij conſuetudo fuit, vnus tunicę ſemper vſu contentus in orationibus peruigil ac alternis noctibus perdurabat biduanis ieiuniis defatigato corpuſculo iuuentutis incentiua proſternens: fletibus ora futuris intentus indefeſsè rigabat: cæterum quæ fuerint eius facta ex ſcholis eiuſdem diſcipulorum virtutis exempla docuerunt. Nam in ſancto Policiano Medunenſi Epiſcopo curationum gratia perlucebat: ſanctum Beuerum Treueris ordinatum Germaniæ gentibus prædicantem Apoſtolorum non ambigimus ſocietate permixtum. Sanctus Lupus quinquaginta duobus annis Sacerdotio functus ſpiritum emiſit. Hæc vincentius.

Sigibertus in Chronicis anno Domini. 425.

GErmanus Antiſſiodorenſis Lupus Trecaſſinus. Eucherius Lugdunenſis Hilarius Arelatenſis Epiſcopi in Galliis florent. Idem anno 436. Tempore hoc Germanus Antiſſiodorenſis & Lupus Trecaſſinus potentibus Britannis in Britannium Diriguntur vt hæreſim pelagianam quæ ibi ante aliquot annos pullularat confutarẽt & rectam fidem Apoſtolica authoritate ſo-

ſolidarent

lidarent, atque vt Chriſtianitatem quæ ibi per ſocietatem pagnorum corrupta fuerat reſtaurarent.

Petrus in Cathologo ſanctorum libro ſexto cap. 156.

LVpus Epiſcopus Trecenſis Leucorum familię primus, qui vxorem quandam nomine Pimeniolam S. Germani Arelatenſis Epiſcopi Germanam in ſæculo habuit. Anno verò ſeptimo coniugij ſui, ambo communi voto ad Deum conuerſi monachalē vitam elegerunt: vnde & Lupus ſæculo relicto ad S. Honoratum Abbatem Lerinenſem adiit & factus monachus biennio ſecum manſit. Deinde cū S. Germano cognato ſuo in Britaniam perrexit, poſt annum regrediens vt quæ ſibi remanſerant pauperibus diſpenſaret, diuino nutu Trecaſſimæ ciuitatis Pontifex factus eſt. Hic ciuitatem ſuam, ſua oratione ab Hunnorum exercitu omnes Galliarum vrbes deuaſtante ſeruauit. Cum enim Attillæ flagello Deo Hunnorum principi accurriſſet & pro patria intercederet & princeps ferox ciuitatem omnino delere proponeret diuina virtute tam ipſe quam omnis exercitus cæcitate percuſſi tranſierunt per ciuitatem à porta vſque ad portam neminem videntes aut lædentes, ſicque patria ſaluata eſt. Hic mulierem paraliticā ſanauit, puella quę dæmonis oppreſſione muta affecta fuerat, nec dum à Dæmonio liberauit, ſed etiam ei loquellam reſtituit, aliaque plurima miracula perfecit, & anno 25. Epiſcopatus ſui ſanctitate pollens ad dominum migrauit, quarto cal. Auguſt. ſepultus in Eccleſia ſua.

Annotatio Vinc. Saler.

Etſi publica manifeſtáque errata non tam indigeant admonitione (cum de facili deprehendantur) quam animaduerſione vt veritas repulſu falſitate maneat illibata, libet menda illapſa in epilogo vitæ S. Lupi recenſito à Petro in cathologo, licet iudicem non poſtulet ne ſimpliciores deludant admonēdo propulſare: primum itaq; mendum eſt vbi dicit S. Lupum duxiſſe vxorem Pimeniolam ſororem S. Germani Arelatenſ. Epiſc. & ne caſu æſtimetur poſitum Germanum pro Hilario confirmat errorem, cum ſubdit profectum eſſe cum S. Germano cognato ſuo in Britāniam, erat enim Pimeniola ſoror S. Hilarij Archiepiſc. Arelatenſ. non Germani Antiſſiodorenſis, ſecūdum confundit tempus quo manſit cum S. Honorato Lerini nempè vno anno & poſtea regreſſus eſt diſpenſare pauperibus quæ ſibi remanſerant & tunc creatus eſt Epiſc. Tracaſſimus, confundit inquam cum biennio quo ſtetit à creatione in Epiſcopatu ante profectionem in Britāniam, tertium cùm aſſerit 25. anno Epiſcopatus ſui migraſſe ad dominum cum conſtet vixiſſe in Epiſcopatu annis quinquaginta duobus, ſed facilis error in chifris & litteris numerabilibus cum 52. ſi ponantur inuerſæ faciant. 25. Sed veram habeas & certam hiſtoriam ſancti Lupi ab aliis authoribus hic adductis nō amplius immorabimur.

Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius in annal. Eccleſ. anno Chriſti 429. Celeſtini Papæ. 6. Theodoſi & Valentiniani temporibus.

CErtè quidem clades ipſa illata Britannorum Eccleſiæ ab ipſorum gente Pelagio ac eius diſcipulis in illa Inſula in primis, ex qua Pelagi⁹ author impietatis oriundus erat, opus fuit è vicinis Gallis, imo è longè poſita romana Eccleſ. aduerſus ingruentia mala auxilium implorare, ſed non vnus Germanus Epiſc. Antiſſiodorenſis tātum ſuſcepit onus ſubeundum. Verum additus eſt illi Collega vir ſanctiſſimus Lupus Epiſc. Trecenſis, amboq; ſicut Paulus & Barnabas in Euangelium ſegregati, ſed iam rem ipſam à Conſtantio deſcriptam referre aggrediamur, eodem, inquit tempore ex Britannis directa

Conſtantius lib. 1. cap. 19. Apud Sur. tom. 4.

legatio Gallicanis Epiſc. nunciauit Pelagianã peruerſitatem in locis ſuis latè populus occupaſſe & quamprimũ fidei catholicæ debere ſuccurri, ob quam cauſam Synodus numeroſa collecta eſt, omniumq; iudicio duo præclara religionis lumina vniuerſorum precibus ambiuntur, Germanus ac Lupus Apoſtolici ſacerdotes terram corporibus, cœlum mentibus poſſidentes, & quanto neceſſitas laborioſior apparebat, tanto eam promptiùs Heroës deuotiſſimi ſuſceperunt, celebritatem negotij fidei ſtimulis maturantes, hæc ille. Si mira quæ ipſi ſanctiſſimi Antiſtites ſequentibus ſignis in dicta Inſula egerunt ſcire cupis ipſum conſule Conſtantiam.

Maximus Pontificem.

Idem Annaliſta Baronius in annal. Eccleſ. tom. 6. anno Chriſti. 451. Leonis Papæ XII. Valentiniani & Martiani Imperatorum temporibus.

Res geſtæ Lupi Trecenſis cum Attila.

SEd quæ tranſlata ſunt inter Attilã & Lupum Trecenſem Epiſc. ſanctitate clarum ex vita ipſius fideliſſimè ſcripta hic enarremus: non longa, inquit author, poſt tempora Hunni erumpentes & per totam Galliam diffuſi partim ſimulatæ pacis arte tenebant vrbes, partim vi expugnabant. Vbi ad Trecenſem infeſto agmine venere ciuitatẽ patentibus campis ſitam nec armis munitam nec muris: ſollicitus pius Antiſtes ad vſitata ſe recipiens præſidia ſolus ad Deum fuſis precibus ſupernæ opis auxilio eam defendit. At immanis ille & ferus Attila fidem S. viri altiori ſenſu ſuſpiciens pro ſua exercitúſque ſui ſalute & incolumitate ſecum eum vult proficiſci ad Rhenum vſque, pollicens ei vbi eò ventum ſit ſeipſum dimiſſurum, mox copia offertur ab eo loco reuertendi: non negatur redditus, iter quoque iudicatur, orat Tyrannus obnixè S. virum vt velit pro ipſo dominum deprecari, interprete vſus Hunnigario. Reuerſus autem vir Dei vt vidit ſe deſperatione ſuorum turbatum ad montis perfugium Latiſconem cæteris ſolertior feſtinauit, vt eò transferret plebẽ quam orationum ſuarum ſuffragiis diſcrimini ſubiacentem inter excidia publica & arma defenderat, illud perfugium diſtat ab vrbe milliaribus quinque & quadraginta. Manens verò illic biennij ſpatio offenſus raritate ſuorum, eò venientium Matiſconem ſibi ſenſit expetendam. Subdit miracula ab eo tunc edita fideliſſimus ſuorum temporum rerum ſcriptor, licet multa nimia breuitate tranſilierit: niſi fortè mutilata habeantur, quæ extant eius acta. Hæc enim aliis ſuperaddunt [a] cum S. Lupus Attilæ flagello Dei Hunnorũ principi occurriſſet & pro patria intercederet & princeps ferox delere omninò ciuitatem proponeret: diuina virtute, tum ipſe tum exercitus neminem videntes tranſierunt per ciuitatem à porta vſque ad portam veluti cœcitate percuſſi, ſicque patria ſaluata eſt. Sed de his authorem aliquẽ veterem non inuenimus, qui autem fuſiùs res Attilæ ſunt proſecuti iſta adiiciũt [b]: Lupus indutus Pontificali cum multitudine cleri Attilæ aduenienti ſit obuius: his facta ſalutatione interrogat Attilam quiſnam eſſet qui tot regibus deuictis nationibus, populiſque proſtratis, vrbibus euerſis cuncta ſibi ſubderet? Cui Attila ego inquit, ſum Rex Hunnorum Attila flagellum Dei. Ad hæc Lupus & quis eſt mortaliũ qui Dei flagello reſiſtet? veni igitur Dei mei flagellum illóque vtere vt Deus concedit. Ad hæc verba barbarus emollitus Trecenſem vrbem illæſam tranſiit. Hæc ipſi cæterùm Trecenſium rerum ſub Attila adhuc alia deſiderarij videntur, nimirum acta Martyrij ſancti Nemorij eius Eccleſiæ Archidiaconi & ſociorum quos iuſtos ab Attila occidi referunt acta publica Eccleſiarum, in quibus ſeptimo idus Septembris relati, iidem inter martyres habentur. Lupum verò ipſum ad plures adhuc annos vitam propagaſſe Sidonij epiſtola ad eum ſcripta, cum

[a] *Petrus Cathal. li. 6. cap. 156. & alij.*

[b] *Nicol. Ola. in Attila. cap. 2.*

Sidon. lib. 6. cap. 1.

iam

iam nouem vt ait quinquennia haberet in epiſcopatu demonſtrat. Sed quantæ hic eſſet æſtimationis ex eiuſdem Sidonij epiſtolæ exordio accipe, vbi ait: *Benedictus ſpiritus ſanctus & parte Dei omnipotētis quod tu Pater patrū & Epiſcopus Epiſcorum & alter ſæculi tui Iacobus de quadā ſpecula charitatis nec de inferiore Hieruſalem tota Eccleſia Dei membra ſuperinſpicis, dignus qui omnes conſoleris infirmos, &c.* Hæc quidem ipſe ob eminentem egregiamque vitæ illius ſanctitudinem qua cæteris Epiſcopis emineret licet aliis Galliarum Epiſcopis pluribus ditione inferior eſſet.

Sequitur Baronius in annal. Eccl. Tom. 6. anno Chriſti. 472. Simplicij Papæ V. Leonis & Olibrij Imperatorum temporibus.

EXtat quidem Sidonij Apollinaris Epiſtola [a] ſcripta ad ſanctum Lupum Trecenſem Epiſcopum data, cum ipſe Sidonius creatus eſſet Epiſcopus qua ſanctiſſimi viri preces implorat, vt regiminis quod tunc ſuſceperat onus illæſa conſcientia ferre poſſet: Nam quæritur dicens facinorum continuatione miſer eò neceſſitatis acceſſi vt his pro peccato populi nunc orare compellar, pro quo populus innocentum vix debet impetrare ſi ſupplicet: quando autem ea ſcripta fuerat epiſtola vt pariter Sidonij promotio poſſit haberi comperta hoc inueſtigandum, ſi quo modo conſequi liceat quæ optamus, conſiderandum eſt igitur, quod idem ait, eo tēpore quo illa ſcribebat, Ipſum Lupum iam in ſede epiſcopali exegiſſe annos quadraginta quinque: ſunt enim hæc eius verba: *Cum primo poſt deſudatas militiæ Lerinenſis excubias, & in Apoſtolica ſede, nouem iam decurſa quinquennia, vtriuſq; ſanctorum ordinis quendam te conclamatiſſimum primipilarem ſpiritualia caſtra venerentur, &c.* Cùm ergo iam ſit creatus Epiſcopus Auernenſis Sidonius, cum ſanctus Lupus nouem iam exegiſſet in ſede quinquennia: modo perueſtigandum eſt tempus ſedis ſancti Lupi Trecenſis, vt ex eo notus pariter fiat annus, quo Sidonius ad Epiſcopatum prouectus eſt: extāt res geſtæ [b] ſancti Lupi licet breui compendio, omni tamen fide antiquitus ab homine eius tempore ſcriptis traditæ, ex quibus poteſt intelligi quo potiſſimum anno ipſe fuerit creatus Epiſcopus. Dum enim ait ipſum Lupum adiunctum eſſe collegam ſancto Germano Epiſcopo Altiſſiodorenſi in legatione in Britanniam aduerſus Pelagianos ſuſcepta, cum idem Lupus iam annum ſecundum ageret in Epiſcopatu ex hoc colligi neceſſe eſt, ipſum eſſe creatum Tricenſem Epiſcopum anno Domini quadringenteſimo vigeſimo ſeptimo cum iam conſtet ex his quæ ſuperiori Tomo quinto annalium dicta ſunt ſancti Proſperi authoritate cōtigiſſe eam obire ſanctos Epiſcopos legationem anno redemptionis quadringenteſimo vigeſimo nono. Adde igitur nouem quinquennia exacta, poſt annum Domini quadringenteſimū, vigeſimum ſeptimum quo ſanctū Lupum creatum Epiſcopū dicimus vtique peruenies ad præſentem annum Domini quadringenteſimum ſeptuageſimum ſecundum. Cùm igitur conſtet anno quo ipſe ſanctus Lupus iam trāſegerat nouem in Epiſcopatu quinquennia Sidonium creatum eſſe Epiſcopum Auernenſem, vtique dicendum eſt ipſum creatum Epiſcopum hoc ipſo anno Domini quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo cum eſſet annorum circiter quadraginta. Hæc obiter de ſancti Lupi tempore Baronius.

[a] *Sid. lib. 6. Epiſ. 1.*

Ætas ſancti Lupi in epiſt.

[b] *Sur. Tom. 4. Die 29. Iulij.*

427.

472.

De Sancti Lupi obitu idem Baronius in annal. Eccl. Tom. 6. anno Chriſti 479. Simplicij Papæ XII. Zenonis Imperatoris & Odoachri Regis temporibus.

HOc eadem anno ſcilicet quadringēteſimo ſeptuageſimo nono magnus ille Lupus Trecēſis Epiſcopus Gallicanę Eccleſiæ decus, cuius immenſa

Sancti Lupi Epiſcopi obitus.

præconia ſuperius ex Sidonio Apollinari retulimus: ex hoc mundo migrauit in cælum æternæ vitæ præmia à Deo conſecuturus cum iam annis quinquaginta duobus Epiſcopali præfectura ſuam Eccleſiam ſanctiſſimè adminiſtraſſet. Porrò eius hoc anno obitus temporis ratio inde certa deducitur quod cum fideliſſimus author qui res ab eo geſtas poſteris tradidit, teſtetur ipſum eſſe creatum Epiſcopum biennio ante functionem legationis cum ſancto Germano in Britanniam nēpè anno Domini quadringenteſimo vigeſimo ſeptimo, his ſi addas eius ſedis annos quinquaginta duos, planè inuenies ipſum hoc anno quadringēteſimo ſeptuageſimo nono mortuū eſſe, ſed quid de eiꝰ diſcipulis viris laudatiſſimis, de quo eiuſdē Lupi obitū idē auctor ſcribat, ipſius hic verbis reddamus multos autem habuit vir beatiſſimus præclara virtute diſcipulos inſigni miraculorum gloria illuſtret. In ſancto Polychronio Virdunenſis Eccleſiæ Epiſcopo gratia curationum præfulſit, ita vt religatis poſt tergum manibus dæmonibus imperaret, priuſque ſenſum reciperent obſeſſi quam corporum ſuorum colliſionem, ſanctum Seuerum Creuerenſis Eccleſiæ ordinatum Epiſcopū primæ Germaniæ gentibus prædicentem non ambigimus inter Apoſtolos ſuum habere conſortiū. Sanctum quoque Albinum Catalaunēſem Antiſtitem diuturno ſanctitatis prærogatiua eminentem non debemus taciti omittere quam ille crebrò permultis locis dæmones ab hominibus profligarit: nec immeritò dum tantorum virorū celebramus præconia eximij magiſtri laudes depromere videri debemus, ſucceſsit autem ei dignus illo honore Sacerdos Camelianus eius morum imitator: iam annis quinquaginta & duobus ſanctus Lupus glorioſæ memoriæ Antiſtes ſacerdotio functus erat cum vitæ præſentis debitum perſoluens ſpiritum miſit ad ſuperos dignis in terra laudibus celebrandus. Inde ergo nunc nobis quo ſublimis euectus eſt, præſidium impendat. Hactenus & Lupo cuius diem natalē Eccleſia Catholica religioſo cultu annis ſingulis quarto calendas Auguſti celebrādum ſuſcepit. At ne putes in tam longęuæ ſedis Lupi numerum errorem vt aſſolet, irrepſiſſe atque ex Sidonio veritatem: extat eius epiſtola ad ipſum data, cum ageret in ſede annum quinquageſimum, ſunt hęc enim Sidonij verba: iam per quinquennia decem non æquęuis ſacerdotibus tantum verum & antiquis, quoties collatus antelatuſque ſis, &c. Hæc ipſe de Lupo in cuius loco, vt dictum eſt, ſubrogatus eſt Camelianus ab authore laudatus ſicque ſubſcriptus reperitur concilio Aurelianenſi primo, hæc Baronius de Lupo.

Diſcipuli ſancti Lupi ſanctiſſimi.

Sid. li. 9. epiſt. 11.

De ſancto Lupo Monacho Lerinenſi & Trecorum Epiſcopo, Dionyſius Faucherius Monachus Lerinenſis.

Caularum Domini gregiſq; ſacri
Cuſtos ſedulus, impiger vigilq;
Arcebat Lupus, impiam furentis
Lupi tartarei voracitatem:
Arcebatque Attilæ ferocis auſus
Ne incluſis ouibus flagella dira
Sæuus incuteret metūne victas
Diuerſas ageret, bonúſque paſtor
Seruatis gregibus ſalubriora
Sacra pabula legis ingerebat,
Et puris adaquans frequenter vndis
Naſcentem ſcabiem impetiginémque
Fœdam ſedulus abluebat omnem,
Ne damnoſa ſui beatus vlla
Detrimenta gregis notaret vnquam:
Hunc Lerina Lupum ſacrata tellus
Purgatæ requies amica mentis
A ſanctiſq; viris cupita dudum
Sedes protulit ô greges beatos
Et Eauſtos ter & amplius Lupo iſti.

Tam-

Tam miti placido atque manſueto
Paſtores ſimiles habere tandem.
Si poſſint miſeræ videſne acerba
Vt languent pecudes fame atque morbis.
O fatum lachrymabile & dolendum!
O luctu gemituque proſequendum
Damnum viribus eſſe deſtituta,
Fixa humo nequeunt leuare membra
Ægra, en corpora vix trahunt beati
Eſſent ergo greges Lupo beato,
Paſtores ſimiles habere tandem
Si poſſint placida, qui oues piaque
Errantes reuocare voce norint
Languentéſque humeris ſuis referre
Ad caulas proprióſque ſingularum
Morbos ſollicita piaque cura
Norint pellere ducere & nitentes,
Ad Iordanis aquas, vbi agnus illum
Ille agnus ſine labe qui veuſtam
Deterſit maculam parente primò
Contractam pecus omne ſordidantem
Merſatus vitreis dediſſe limphis:
Hanc vim fertur vt his repentè lotæ
Immutentur oues cutémque non tam
Quam mentem ſibi ſentiant nouatam.
Hinc brutos igitur rudéſque ſenſus
Exutæ rationis & capaces
Effectæ fugerent graues lacunas
Olentes malè dicerent ſablubres
Herbas capere dicerent voraces
Vitare ingluuiem Lupi fideli,
Si Lupo ſimiles habere poſſent
Paſtores veteris nouæque legis
Qui illas à ſacra ducerent vireta
Ad ſancta ſinai iuga alta montis
Ad montem domini Sion amœnum,
Amœnum quoque Golgothæ cacumen
Bonus paſtor vbi gregi ſalubrem,
Fuſo ſanguine proprio, medellam
Confecit, pietas amorque tantus
Illius fuit in greges. Proinde
Si poſſunt ouium ſubire curam
Et poſſunt merito boni atque veri
Paſtoris ſibi vendicare nomen
Qui nec parcere nouerint laboris
Imo parcere neſciunt cruori
Pro ſalute gregis mori parati.
Qui antiquæ pariter nouæq; legis
Sciant paſcua optima limpidóſque
Fontes queis pecudes Lupus fidelis,
Caularum domini gregiſque dudum
Cuſtos officii artis & locorum
Gnarus paſcere diligenter atque
Illarum eſt ſolitus lauare ſordes
Exemploque boni & pij magiſtri
Emori pro ouibus fuit paratus.

Eiuſdem Dioniſij Faucherij de ſancto Lupo, hymnus.

COnditor mũdi Deus alme ſanctum,
Qui Lupũ claris meritis micantem
Hoſte deuicto ſocias polorum
Cœtibus aluus.
Da pater dignis celebrare ſacram
Laudibus lucem, reditúque lato
Fulgeat læti, vt reſonemus imo
Pectore carmen.
Hic iuuentutis renitens decorem
Liquit vxorem facie venuſtam,
Sed fide longè ſpecioſiorem
Te duce Ieſu.
Ambo concenſu parili flagrantes
Igne diuino genialis vſum
Reſpuunt lecti renuuntque vani
Gaudia mundi.
Hinc Honoratum Lupus expetiuit,
Et gregi ſancto ſociatus illi
Audiens ſacræ pia diſciplinæ
Colla ſubegit.
Moribus ſanctus radians pudicis
Paſtor eſt votis populi creatus,
Vt ſacræ gnarus gregibus miniſter
Pabula legis.
Corporum morbos variáſque peſtes,
Mentis & laruas precibus fugauit
Orbe & exploſo docuit perennem
Quærere vitam.
Attilam dirum domini flagellum,
Innocens non extimuit, ſed vrbis
Iuſſit occluſus reſerare moto
Obice valuas.
Ille pertranſit gregibúſque ſaluis
Exiens nulli nocuit, fidelis
Paſtor ô quantis meritis refulſit
Munere Chriſti.
Poſt famen frigus, ſimul & labores,
Quos tulit conſtans patiénſque blandè

Senſibus carnis domitis cupita
Pace quieuit.
Sint tibi curæ pecudes, repenſo,
Quas tibi ſacri pretio cruoris
Aſſeris Ieſu, gemitúſque noſtros
Aſpice clemens.
Huic Lupo miti ſimiles putantur
Chriſte paſtores ſtatuas ouili,
Qui gregi paſtum ſtudio ſagaci
Ritè miniſtrant.
Et Lupi techas varias rapacis
Semper obſeruent, vigilique curæ
abluant ſordes, ſcabiémque curent
Arte ſalubri.
Laudibus patrem celebremus almum,
Eius & prolem paritérque ſanctum
Spiritum, qui nos recreans ſupernis.
Dotibus ornet. Amen.

Ode, en laquelle brefuement eſt deſcripte la vie de monſieur ſainct Loup Eueſque de Troyes.

QVe n'ay-ie le Luth d'Homere
Luth que le monde reuere,
Ou du Phebus Vandomois
Pour chanter à nos François
Non pas vne autre Iliade,
Non vne autre Franciade:
Car ces deux diuins eſprits
Ont ia r'emporté le pris.
Sainct Loup perle de la France,
Ie prendrois ton excellence
Pour ſubiect de mes diſcours:
Mais las lils demeurent cours
Lors que s'entreprens de dire
Tes hauts faicts deſſus ma lire,
Où l'on ne peut paruenir
Il vaut mieux ſe contenir.
Que s'il te plait de conduire
Le pedal de ma Nauire,
Ie mettray le voile au vent
S'il te plaiſt d'aller deuant,
Ma voix par tout eſpandue
Sera de tous entenduë,
Au fort en faicts de haut pris
Suffit l'auoir entrepris.
Sus donc ma langue hardie
Commence ta melodie
Et nous entonne à ce coup
Les merueilles de ſainct Loup,
Et pour ce Prelat de Troyes
Toutes tes forces employes
A chanter deuotement
Vn ſi fecond argument.
Sainct Loup plein de toute grace
Naquit de Royalle race,
De parens deuotieux
D'vn treſor ſi precieux,
Tulle, lieu de ſa naiſſance
L'a en grande reuerance:
Le ciel eſt touſiours riant
Du coſté de l'Orient.
Mourant ſon pere Epericlie
Il fut mis ſoubs Alitiche
Oncle ſien noble & ſcauant
Qui ſes ſciences grauant
En cet eſprit admirable
Le fit toſt à ſoy ſemblable,
L'homme en peu d'heure comprend
Quand le ſainct eſprit l'apprend.
De iour en iour il s'aduance
En vertu, grace, & ſcience,
Son eſprit doux & humain
Fut aymé du Duc Germain
Deſpuis Eueſque d'Auxerre,
Plus que Prince de ſa terre:
Si toſt que l'homme eſt connu
Il eſt ſoudain retenu.
Il conſent de prendre femme,
Non que l'amoureuſe flamme
L'ait iamais peu toucher,
Ains pour par elle cacher
Sa chaſteté, pour ce faire
Il prend la ſeur ſainct Hylaire,
O chaſte & pudique amour
Où eſt ores ton ſeiour.
Sept ans apres il delaiſſe
Femme, dignité, richeſſe,
Suit le chemin aſſuré,
Et ſoubs l'Abbé honoré,
Prenant l'habit Monaſtique
Son ame aux vertus appliqué,
Le monde auec ſes appas
Nous conduit droit au treſpas.
Sa ſaincte renommee
Par la France eſtant ſemee

Tout

Tout ſoudain il eſt ſuiuy
Du peuple qui tout rauy
Auec inuincibles ioyes
Le nomme Eueſque de Troyes.
Le falot n'eſt allumé
Pour eſtre au muid enfermé.
Pelagius l'heretique
Contre la foy Catholique,
Infectoit le peuple Anglois
Mais deux Eueſques François
S. Loup & celuy d'Auxerre
Firent voile en Aagleterre.
Le mal qui va trop croiſſant
A beſoin d'vn bras puiſſant.
La mer leur donne paſſage,
Leurs veux accoiſent l'orage,
L'Angleterre les reçoit
Et dans ſon ame conçoit
L'eſpoir que par leur venuë
La vraye foy ſera cognuë;
Le prix n'eſt pas entendu
D'vn bien qu'il ne ſoit perdu.
S. Loup comme vn fort Hercule
Au combat point ne recule,
Mais d'vn courage indompté
Surmonte ceſt effronté
Par ſes ſignalez miracles
Et par ſes diuins oracles;
Vn iour en fin quoy que tard
Le menſonge perd ſon fard.
Soudain nouuelles alarmes
Font prendre au peuple les armes,
A l'extremité reduict.
Mais par ces prelats conduict
Les fiers Saxons en leur fuitte
Eſtonnez prennent la fuitte,
Dieu ſcait bien ſans coup frapper
Ses ennemis attraper.
Eſtant de retour en France.
Voyant la grande ſouffrance
Que faiſoit en ce temps la
Le fleau de Dieu Attila,
Qui taſche par toutes voyes
Prendre la ville de Troies,
Les traicts de Dieu ſont laſchez.
Deſſus nous par nos pechez.
Qu'on iette à bas le trophee.
Qu'on donne à vn feint Orphee
D'auoir par ſes doux accords.
Amoly le Roy des morts.
Il faut ores que la fable
Cede au conte veritable,
La force de l'Oraiſon
Se monſtre en temps & ſaiſon.
Si courtois fut ſon langage
Qu'il peut adoucir la rage
Du deſſain de ce Tyran.
Qui deuers le Rhein tirant.
Et pour au peuple ne nuire.
Le pria de le conduire,
On recognoit au beſoin
Celuy qui des ſiens a ſoin.
Il fait que ſon corps endure
D'eſtre couché ſur la dure,
Ieuſne preſque inceſſamment,
Porte vn pauure veſtement,
Et par deſſous le Cilice
Pour le preſeruer de vice,
Le corps qu'on veut trop nourrir
Fait ſouuent l'ame mourir.
Sa vie eſtoit admirable,
Son parler doux & affable,
De charité tout bruſlant
Sur ſon parc touſiours veillant,
Sachant qu'il faut que ſa vie
Soit pour la brebis rauie:
Ou eſt cil qui met ſa peau
Pour deliurer ſon troupeau?
Mais mon Luth, il te faut taire,
Tu ſerois trop temeraire,
De ces vertus raconter
Tu pourrois pluſtoſt conter
Les fruicts que l'Eſté nous donne,
Et les raiſins de l'Automne,
Auſſi bien va-on diſant
Que tu n'es pas ſuffiſant.
Di pour acheuer ta courſe.
Qu'il eſt de vertu la ſource
Que c'eſt vn œuure accompli,
Que Dieu de dons la remply,
Mais n'oublie pas de dire
Que ie le prie & deſire
De les pouuoir imiter
Auant que les reciter.

Quatrains A L'honneur de ſainct Loup.

CE paſteur des Troiens de ſoy-meſme vainqueur,
Conduit iadis ſon peuple en ſon doux paſturage,
Qu'ores d'vn ſouuenir graué dedans ſon cœur
Il cherit Dieu en luy, & luy en ſon image.

Autre.

Si l'on pouuoit peindre au vif la vertu
Par le pinceau, iamais plus bel ouurage
Ne ſe verroit, car le vice abbatu
Seroit aux pieds de ceſte belle image.

Autre.

Tu vois l'exterieur en ce diuin portraict
Le geſte & le maintien, mais ſans aucuns obſtacles.
Pour voir l'interieur, ſes dicts & ſes miracles,
De ſa vie en tes mains prend le petit extraict,

Martyrium egregium beatiſſimorum Porcarij Abbatis & Quingentorum monachorum paſſum in ſacra Inſula Lerinenſi circa annos triginta ſupra ſeptingentos ex fideliſſimis perantiquis manuſcriptis cœnobij Lerinenſis depromptum.

Ann. 730. Aug. 17.

TEmpore Caroli qui vt in Chronicis reperitur ob victorias quas fecerat Martellus vocabatur: cum exigentibus peccatorum ſpurciſſiis, diſponeret dominus affligi genus humanum per ſæuitiam paganorum quatenus alios ſaltem perterritos pœnæ timore alios horrore à ſuis erroribus reuocaret, nefandæ gentis exercitus Aggaronorum loca ſuæ habitationis, tanquam de viuariis egrediens in partes Galliarum venit. Quæ videlicet gens crudeliſſima, omni humanitate poſtpoſita, vbique terrarum graſſatur, maritima quæque vltra, citráque peragrando demolliens tandem .prouinciam Narbonenſem venit, Vbi deuaſtans omnia ſuo imperio Chriſti abolito nomine intendebat eam ſubiugare Chriſtiani verò quia mari & Alpibus cingebantur exterriti derelictis ciuitatibus & oppidis ſuis, miſerabile viſu, ad montana confugiebant & barbarorum manus poſſent effugere, cumque gens barbara longè, latéque ſuæ ſedis crudelitatem extenderet, ita in ſolitudinem redegit pene totam regionem vt in heremi vaſtitatem loca prius deſiderabilia conuerſa viderẽtur, vrbes etiam nobiliſſimas terræ & ſolo coæquans, caſtella depopulans oppida ſubruens, ouiliáque Domini euertens non minimas Chriſtianorum ſtrages dedit. Nam volentes illorum ferocitati reſiſtere Chriſtiani duces extremi armiſque potentes nobiliſſimi viri omnes ſub gladio ſarraceno occubuerunt. Et cum iam nullius pene locus ſupereſſet in terris, nec in mari quem nefandorum hominum rabies non deuaſtaſſet, ſanctam Lerinenſem inſulã inuadere feſtinant, erat enim in eadem Inſula à longis retrò tẽporibus domus Religionis quæ retinens maximum examen monachorum, præter cæteras longé latéq; diffuſas omni ſanctitate, famaq; celeberrima circũquaq; rutilabat, eo quippe tẽpore cœnobio Lerinẽſi præerat vir per cũcta laudabilis ſanctus

S. Porcarius Abbas Lerinenſis.

ſanctus Porcarius Abbas qui ſanctam congregationem illam in diuino opere inſtruebat verbis & informabat exemplis, quæ congregatio in tantum ſub beati viri diſciplinam ſanctitate profecit: vt omnes prouinciæ Galliarum clerici Epiſcopum monachi ſibi poſcerent Abbatem in Inſula Lerinenſi. Igitur cum gens Aggareno furiens omnem depopulaſſet prouinciam, plurimiſque pro Chriſti nomine trucidatis, Angelus domini per dies decem præueniens apparuit in ſomnis ſancto Porcario dicens, *Surge velociter & occulta veneranda reliquias quas in hac ſacra Inſula decreuit dominus per multa tempora obſeruandas. Futurum eſt enim vt hic locus à feris barbaris violetur & ſanguine Monachorum conſecretur, qui ipſum ſanctificarunt ſuis orationibus, vigiliis, abſtinẽtiis, & ſacroſancto ſacrificio ſalutari. Cõforta igitur & cõfirma fratres tuos ne exterriti deficiant à fide & amittant vitam æternam quæ præparata eſt vſque ad mortem legitimè certantibus pro ſui nominis confeſſione.* Angelus apparet S. Porcario.

Euigilans verò beatus Porcarius vidit præclaram, perlucidamque flammam ignis ad cœlum vſque conſcendere, ex quo perpendens veram eſſe quam viderat viſionem gaudio repletus proſternens ſe ante Altare Beati Petri Apoſtoli Lerinenſium incolarum protectoris precibus & lachrymis eius patrocinium implorabat, quatenùs ſuo collegio ſuccurrere dignaretur, & ne ſuo fiduciali patrocinio & promiſſo fraudaretur. Et hoc dicto in terram corruit. Videntes itaque Monachi virum Dei in amaritudine & fletu poſitum proſtratum erigunt, cauſamque tanti doloris ſciſcitantur. Sanctus verò Porcarius miſſa de ſpiritu ſancto deuotiſſimè celebrata conuocatis in capitulo fratribus ait. *Annũcio vobis, amantiſſimi, gaudium ſempiternum, hanc enim Inſulam elegit Deus in peculium ſpeciale quam ſanctificauit & electa propagine propagauit, coluit & protexit & ex vera vitæ ibidem radicata per orbem vberes palmites ampliauit, multiplicatiſq; eius tentoriis, fecit ſuos funiculos præ cæteris monaſticis longiores. Nunc verò tanquam pius Paterfamilias ſuam vineam viſitans, quam mirificè plantauit, Colonos aduocat vt ſtolas ſuas abluant in ſanguine ſuo, præcinctus ad miniſtrandum vt faciat illos diſcumbere ad nuptias agni ſponſi.* Orat S. Porcarius pro ſuo collegio. Annnuciat martyrium fratribus.

His ab prolatis mox nubes lucida aparuit ſuper omnes qui aderant & audierunt de nube ſinguli vocem claram dicentem. *Venite benedicti percipite regnum vobis ab initio præparatum.* Vox de cœlo ſuper monachos.

Aſtantibus itaque fratribus dixit eis beatus Porcarius, *Viri fratres & patres benedicti manſuetus dominus Ieſus Chriſtus qui propter ſuam miſericordiam dignatus eſt pro nobis pati gratis ſuſcipiens ſeruitutem, munditiam & confeſſionem quam ſibi diuturnis temporibus abſtulistis: vt vos triplici munere benedicat immaculatiq; libere ſequamini agnum ſine macula pro noſtris criminibus immolatum ad ſuam immarceſſibilem gloriam per martyrij palmam vos inuitat. Ne paueatis igitur quin potiùs confortentur corda veſtra in domino ad ſuſcipiendum martyrium, vt ad æternam beatitudinem peruenire poſſitis ſine fine manſuri. Poſt dies enim decẽ circundabũt nos inimici fidei Chriſtianæ qui vt auduſtis quamplurimos hinc inde innocentes trucidarunt. Ideò excutite à cordibus veſtris ſordes carnis, vt immaculatos vos offeratis domino Ieſu Chriſto.* Tunc verò ſinguli cœperunt præ gaudio lachrymari feruentiſſimè ad martyrium aſpirantes, quibus dicit ſanctus Porcarius, *occultemus venerabiles reliquias, ne à ſacrilegis contingantur,* quod cũ factum eſſet, iterum dixit eis, *ſunt inter nos vt nõ ignoratis ſexdecim pueri & triginta ſex adoleſcẽtes qui ſi ducti fuerint à prophanis dubito ne blãditiis ſiue terrorbus ſeducantur, quos conſulo mittamus ad Italiã, vt ceſſante hac furẽti calamitate redeant & rædificẽt hoc ſacrũ Monaſterium Lerin. & reuerenter colant occultatas reliquias.* Occultantur reliquiæ. Mittunt ſexdecim iuuenes & 36. adoleſcentes. monachos ad Italiam.

Quod cum ab omnibus approbaretur iterum exhortans dixit eis. *Examinate vos ſedulò & ſi quẽquam ex vobis cognoueri-*

tis formidare martyrium cedat cum pueris ne deficiat in extremis, grandis enim est carnis animæq; distinctio. Cúmque se scrutassent, biduo diligenter reperti sunt quingenti & quinque, qui solido animo ad susciendum Martyrium pro Christi nomine sunt accincti. Qui se crebris orationibus præparantes feruenti animo ad martyrium anhelabant. Dum autem sacramentis Ecclesiasticis se munirent cognouerunt duos ex ipsis iuuenes plurimum formidare, quorum vnus Columbus & alter Eleutherius vocabatur, qui discedentes à cæteris in quodam antro propè littus Insulæ latuerunt. Carpens itaque gens prophana Littora Insulæ Lerinen. frendet & murmurat rugiens contra sanctos. Interim Ecclesiæ destruuntur, cruces confringuntur, altaria & sacra omnia prophanantur improbè rapientes monachos innocentes. Quibus etiam iniecerunt plurima tormenta vt manifestarent quæque absconderant preciosa. Cumque à sanctis nihil præter viles vestes quibus se contexerant reperissent: Disgregarunt à senioribus iuuenes plurima eis promittentes si eorum ritibus consentirent, & si renuerent eos diuersis cruciatibus interficerent. Tunc mœror fuit senioribus & pauor qui piis inuocationibus & suspiriis Domium cui seruiebant precabantur: vt iunioribus constantiæ spiritũ & animi fortitudinem ne deficerent largiri dignaretur: barbari autem in seniores acerbissimis tormẽtis velut rabidi canes debacchãtes adhortabantur iuuenes ne simili pœna occumbere paterentur: sed mundi gloria secum potirentur, quos etiam quorum senioribus cum post blanda & aspera argumenta constantes agnouissent variis suppliciis simul occiderunt. Seruantes autem ex illa sancta caterua sacrilegi hostes quatuor iuuenes robustos corpore & facie venustos ducis eorum nauigio recluserunt, reliquos omnes opprobriis insultantes, plagis afficientes, lanceis pungentes, gladiis laniantes, postremo geminatis vulneribus confoderunt. Columbus verò & Eleutherius qui vt supra diximus in scopulosa cauerna se absconderant videntes per foramen obliquum sociorum animas in aëre sicut stellas fulgentes cum Angelis gloriãtes & se se inuicem prestolantes, dixit Eleutherio Columbus, *nonne vides cum quanta gloria fratres nostri qui modo passi sunt nos expectantes ascendunt ad cœlum? eamus ergo & nos vt cum eisdem laureati conscendamus ad Dominum.* Eleutherio exire reluctante prosiluit ab antro Columbus qui illicò martyrium cateruæ associandus detruncatus est. Cumque trucidasset gens prophana monachos viros innocentes & eorum furor adhuc ferueret ad malum, Ecclesias omniáque sacra ædificia Lerinensis Insulæ funditus euerterunt solóque æquarunt, lapides & columnas sanctuarij miro modo fabricatas comminuentes in ignominiam Christi fidei & catholicæ in mare proiecerũt, qui postquam rabies eorũ delictis omnibus quieuisset nauigantes inde peruenerunt ad locum cui nomen Agathon, vbi captiui quatuor illi monachi obtinuerunt vt naturæ satisfacerent è nauigio in terram descendere, qui nemoris condensi latebras intrantes per vmbrosa conuallia non sine diuino nutu aufugerunt, totáque nocte per secreta nemora ambulantes ad locũ qui Aralucis dicitur peruenerũt. Quo in loco paruum nauigium prope littus maris reperientes & ascendentes sacram Lerinensem Insulam circa auroram intrauerunt. Cernentes autem tantorum patrum venerabilia corpora, tot tantisque vulneribus confossa, & valdè lacerata, qui se narrare valeat, quos gemitus, quas lachrymas, quæ suspiria ab imis visceribus emittebant? Mœrebant enim cordibus, cur vna simul cum illis beatissimis coronari gloria martyrij nõ meruissent,

Caduntur sancti.

Videtur animæ eorum cœlos penetrantes.

Excidium monasterij Lerinensis.

vnde

vnde lugubres voces amaroſq; gemitus alter ad alterum emittere & iterum reuocare non ſinebant. Eleutherius verò percipiens mœrentium voces ab antro proſiliit cognitiſque fratribus iterum lachrymæ, iterũ gemitus, incredibile dictu, ſuper occiſorum monachorum crudelem mortem renouantur, pœnitebat enim ſe ad gloriæ palmam cum illis ſicut potuerat cum columbo non peruenisſe. Sed prouidentia diuina eum ſuperſtitem ſeruari voluit vt eo ſuperſtite & ſciente poſteriſque reuelante celebranda ſemper ſicut dignum eſt paſſio ſanctorum & feſtiua in æuum coleretur. Cum verò lux oriente ſole terris reddita eſſet, ecce bauinarum, id eſt, auium maritimarum innumerabilis multitudo in aëre ſuper Inſulam expanſis alis obumbrãs volitabat, quæ voces quaſi flebiles emittendo in tantorum patrum occiſione perſiſtebat, veluti ſi exequias agere voluiſſent, donec ſanctorum corpora fuere tumulata. Superſtites miſeri monachi vna cum viro Dei Eleutherio poſt lachrymas & gemitus perſoluẽtes exequias modo & honore quo poterant parẽtantes, ſuper tam pio flebiliq́ue exitio fratrum ſuorũ ſacrata eorũ corpora, tumulis in Inſula condiderunt deinde ſacram Inſulam cuſtodẽ venerabilium talẽtorum ſolitariam non ſine lachrymis, vt credi poteſt, relinquentes Italiam ad ſocios requirendos petierunt: vbi Romæ ſummo Pontifici ſignificarunt ſanctorum monachorum necem & cœnobij Lerinenſis ruinam. Paſſi ſunt autem ſancti iſti martyres circa annos Domini triginta ſupra ſeptingentos pridie nonas Auguſti: Euolutis autem poſt hoc exitium aliquibus annorum curriculis & per potẽtiam Francorum expulſis à prouincia barbaris vir Domini Eleutherius euerſum Lerinenſe Monaſteriũ cum cæteris monachis ab Italia venientibus procurarũt reſtaurari & in priſtinum ſtatum redigi. Veneremur ergo & nos hodie dilectiſſimi, hos martyres patres noſtros qui ad hanc gloriã ieiuniis, vigiliis & orationibus ſacrificioq́ue ſalutari ſactã Inſulam extulerunt & ſanctificarunt vt de ea dici poſſit, ô quã glorioſa dicta ſum de te ciuitas Dei & ſanctis operibus ſequendo Dominum celebrem per totum mundum vbi Chriſtiana religio colitur, reddiderunt, celebremus hunc diem puro corde in hymnis & vocibus iucunditatis deprecando Dominum vt ſuffragantibus nobis meritis ipſorum præmia æterna in eorum ſocietate fœliciter conſequamur, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Aues marinæ iuſta perſoluunt.

Epitome certaminis beatorum Martyrum Porcarij Abbatis, & ſociorum Monachorum, enarrans in antiquiſſimo codice cœnobij Lerinenſis reperta, quæ quia perbreuis & elegans vt eſt, hic ſubiicimus.

CVm in partibus Galliarũ exigentibus cauſis diſponeret Dominus affligi genus humanum per ſæuitiam paganorum nefandæ gentis ſarracenorum exercitus, vaginam ſuæ habitationis egrediẽs ac maritima quoque vltra citraq́ue peragrans, peragrando demoliens in prouinciam venit, nominis Chriſtiani impugnandi gratia è ſuo eam dominio ſubiugandi, cuius incolas occulto Deus iudicio eius mucrone tradidit feriendos. Quæ gens longè lateq́ue ſuæ cædis extendens crudelitatem ita in ſolitudinem penè totam regionem redegit, vt in heremi vaſtitatẽ loca prius deſiderabilia conuerſa viderentur. Vrbes enim nobiliſſimas terræ coæquans villaſq́ue depopulans, caſtella ſubruens ouilia Domini euertens non minimas Chriſtianorum ſtrages dedit, vnde inter cætera faſcinora ſua Lerinenſem Inſulam religione pollentem depopulans rebus omnibus inhabitabilem reddidit, ſeruos qui inibi inter re-

liquos vel præ cæteris ſanctitatis & vigiliarum primas tenebant, millies ſeipſos immolantes gladio trucidans ferè quingentos aut eò ampliùs. Fertur enim quod minimè reor prætermittendum, quod antequam claſſis Sarracenorum illo aduentaret Angelus Domini ſancto Porcario Abbati per viſum apparens, euidenter prædixerit tempus & diem & horam, certumque omnibus eminere exitiũ die ab hinc ſeptima illuceſcẽte, qua de re maturato conſilio commonet vt vnum de duobus eligant aut fugæ conſulant aut palmam martyrij incunctanter capiant in eorum arbitrio & poteſtate poſſuiſſe Dominũ hoc donũ tam bonum, tam optimum, tamque pręcipuum, vtrũ velint aut nolint breui ſanguinis commercio immortale acquirere compendium. Voluntas tantum ad hoc prona, verum neceſſitas nulla. Facto itaque manè beatus Porcarius conuocatis fratribus cunctaque viderat quæque audierat refert. Ex quibus quidam pauentes, quidam non credentes, vniuerſi tamen re inopinata ancipiti ſunt turbati periculo, hoc accepto oraculo, alios ad Inſulas tutiores velle ſecedere, alios locum ipſum nolle relinquere. His ita inter ſe variè diſſidentibus expectata dies aduenerat, noctis tantum inter capedine diuiſa, iamque inſtante vigilia matutina clara luce è ſpeculis in longum dirigentes obtutus viderunt hoſtile agmen aduentare, appenſiſque velis æquata fronte in obliquum deductis cornibus totumque allabi claſſibus æquor, ex templo turbati animis diſiectique à propoſito cumque cuperent malè euadere nec pateret vſquam locus effugij: iam enim & hoc per ſpiritum prænoſcens beatus Porcarius naues omnes à portu clam longius abduxerat interdicens nautis ne intra præfinitum ſibi tempus vllo modo redirent. Ergo cum videret Athletas Dei immenſo certaminis pondere fatigari ingemuit tam triſte nefas fortiſſimus heros, dextro ſocios decedere cornu, inuitamque manum quondam ſine cæde perire. Tum vexillum ſanctæ crucis quod in agmine primo dux bonus præferre conſueuerat defixo cuſpide ponens, inſtaurat animos dictis mordacibus. *O inquit fortiſſimi milites, ô inſtructiſſimi diuini prælij bellatores, quo ruitis, cui colla datis?*

Quis furor inſanas, agitat caligine mentes?

ſtate precor, ſtate ne velitis manu ſtiuam tenentes retrò reſpicere. Proh pudor viximus hucuſq; ſegnes, neque noſtra potentia perfert vim ſolitam? quin potiùs omnium delecta iuuentus hortor & moneo reſides attollentes animos ne nos tanquam imparatos præoccupent olim deuoti vltro properantes ſubdamus prætioſiſſimæ paſſioni. Experimento iam cognoſcetis quantus illis ex noſtra conſtantia timor, quanta nobis proueniat gloria. Talia ſenior perorabat nomine quemque vocans ſimulque acrimoniã quam geſtabat corde frontis præferens dignitate. Quibus verbis, incaluit virtus paulatimque timore depulſo maduerunt corda tepentia, repentino ſpiritus ſancti rore perfuſa, ſuda redit facies, veluti ſi videas cœli purpuream clareſcere lucem ſine nube diei. Agmina ſancta ſuper vultum cenſere tonantis gaudentque hilares Chriſtum ſuis victoribus arcem, ætheris ac patrium famulis aperire profundum. Dat ſignum fœlix concordia, damna præcedentia lucris ſuccedentibus recompenſans. Itaque alacres & de victoria iam ſecuri procedunt caſtris portis patẽtibus omnes ornati, omnes albis veſtibus induti tanquã agni immaculati & incontaminati Ieſu Chriſti præcogniti ante conſtitutionem mundi. O quali gaudio tunc ille tripudiauit angelicus cætus tantis beatorum martyrum occurrens agminibus. Nulli dubium omnem cœleſtem Hieruſalem tunc exultaſſe inaffabili lætitia, tum iucũdatam eſſe ineſtimabili charitate: Tuncque cum omni gratulatione obuiam proceſſiſſe eoſque in-

genti lumine circunfulſiſſe & vſque ad thronum olim ſibi etiam ante conſtitutionem mundi paratum cum laudibus & canticis ſpiritalibus perduxiſſe. *Amen.*

Annotatio Vincent. Saler.

Amice lector, videas ſi placet ea quæ ex annalium Baronj libris decerpimus, in ſancto Cæſario Archiepiſcopo Arelatenſi die 27. Auguſti, & quæ ibi dicuntur de tempore martyrij ſancti Porcharij Abbatis & ſociorum Martyrum: tum de direptione & ruina Monaſterij Lerinenſis, quam tunc temporis (videlicet) Cæſarij factam ipſe annaliſta non approbat, non tamen it inficias eueniſſe huiuſmodi exitium cœnobio Lerinenſi, quando cum ſuis paſſus eſt Porcharius, vt habetur ex præfata paſſionis hiſtoria à variis exemplaribus manuſcriptis Lerinenſibus deſumpta. Longè enim poſt Cæſarij tempora, iſti ſancti martyres paſſi dicuntur, ſcilicet circa an. domini ſeptingentos, triginta vel triginta octo. Ipſe verò Cęſarius floruit cir. an. domini 524. & moritur an. domini 554. Ita quòd ab obitu ſancti Cæſarij vſque ad martyriũ ſancti Porcharij interſunt anni circiter centũ ſeptuaginta ſex. Non enim videtur dicendum, ſanctum Porcharium tam longam ſuperuixiſſe ætatem, vnde merito in dubio relinquitur, an duo fuerint Porcharij ambo Abbates Lerinenſes, nẽpè vnus qui S. Cæſarium monaſticis inſtituerit diſciplinis & alter, qui poſt annos centum ſeptuaginta ſex, Martyrium vna cum ſociis in illa officina ſanctorum in perſecutione Sarracenica, paſſus ſit & ſolo æquatum Monaſterium Lerinenſe, eo tempore quo, & vaſtatæ ſunt Galliæ vt apertè deſcribunt Aymonius Monachus ſancti Germani Pratenſis, & Annaliſta Baronius, quorum dicta hic ſubiicimus ad ampliorem rei propoſitæ confirmationem. 730. *vel* 738.

Aymonius lib. 4. de Geſtis Francorum cap. LV. ſub Carolo Martello, de vaſtatione Galliarum per Vuandalos.

EO tempore (ſcilicet circa an. domini 715. 730.) Gens impia Vuandalorum Galliam deuaſtare cœpit: quo tempore deſtructæ ſunt Eccleſiæ, ſubuerſa Monaſteria, captæ vrbes, deſolatæ domus, diruta caſtra, ſtrages hominum innumeræ factæ, & multus vbique humani generis ſanguis effuſus eſt. Cùm itaque grauiſſimæ per totam Galliam perſecutiones detonarent Vuandalis omnia flammis, & ferro proterentibus: ipſi Vuandali peruenientes ad ciuitatem Senonenſem cœperunt eam iaculis, & machinis omni arte infeſtare, quod cernens præſul eiuſdem vrbis Ebbo nomine exiẽs de ciuitate cum ſuis fretus diuina virtute, exterminauit illos ab vrbis obſidione, fugientibúſque illis proſecutus eſt eos vſque dum egrederentur de finibus ſuis.

Et infrà cap. LVII.

DEnuò rebellante gente validiſſima Iſmaëlitarum (quos modo Sarracenos corrupto vocabulo vocant) irrumpentéſque Rhodanum fluuium inſidiantibus infidelibus hominibus, ſub dolo & fraude cum Mauranto quodam & ſociis eius Auenionem vrbem munitiſſimam ac montuoſam, ipſi Sarraceni, collecto hoſtili agmine ingrediuntur, omni regione depopulata. At contra vir egregius Carolus Martellus maxima vi recuperauit, & hoſtes ſubegit, & victor remeauit ad propria. Hæc ille.

HOc item anno (vt habet vetus Chronicon à Piſſoco editum, cui libenter aſſentior) Eudo Aquitaniæ dux in odium Caroli Martelli vocat in Gallias Sarracenos ex Hiſpaniis, leguntur enim hæc ibi: anno ſeptingenteſimo vigeſimo quinto Sarraceni ab Eudone in auxilium ſuum vocati cum Rege ſuo Abdirama, Garunnam, Burdegalámque perueniunt, cunctis locis vaſtatis, & Eccleſiis igne crematis, Baſilicam quoque ſancti Hilarij Pictauis incendunt.) Hæc ibi eadem apud Gregorium Turonenſem in appendice, & alios veteres res Francorum ſcriptis proſecutos, qui addunt: cum Sarraceni irent, vt baſilicam ſancti Martini Turonenſis incenderent, Carolum Martellũ occurriſſe cum exercitu, à quo iidem victi fuerint Sarraceni, exercitúque deleto, Rex eorum Abdimara occiſus fuerit. Verum hæc de victoria à Carolo aduerſus Sarracenos obtenta ſequenti anno contigiſſe, in eodem Chronico ponitur. Paulus [a] Diaconus his addit, necata fuiſſe trecenta quinquaginta millia Sarracenorum à Carolo Francorum vero mille tantum & quingentos eſſe deſideratos. Addítque Eudonem quoque Aquitaniæ ducem qui eos vocauerat, ſuper eorum caſtra irruiſſe, plurimoſque ex eiſdem occidiſſe, ea puto ex cauſa quod contra pacta conuenta illi loca ſancta flammis abſumpſiſſent. Habet eadem de numero occiſorum Anaſtaſius bibliothecarius in Gregorio II. Romano Pontifice immo aliquid amplius, nempe trecenta ſeptuaginta quinque millia Sarracenorum fuiſſe trucidata, idque teſtificatione, vt ait epiſtolæ eiuſdem Eudonis Ducis Aquitaniæ miſſæ ad Gregorium Papam. Habet eadem quoque Marianus Scotus & alij recentiores, qui proſecuti ſunt res Francorum.

a Lib. 6. 14. vet. edit. & in nou. 46. Carolus Martellus Sarracenos vincit.

Et infra idem Annaliſta anno Chriſti 729.

729. HOc eodem anno præceſſiſſe ſigna cœleſtia de imminenti clade Sarracenorum in Gallia teſtatur Beda, qui vidit atque deſcripſit his verbis: [b] anno dominicæ incarnationis ſeptingenteſimo vigeſimo nono, apparuerunt cometæ duo circa ſolem multũ intuentibus terrorem incutientes, vnus quippe ſolem præcedebat mane orientem alter veſpere ſequebatur ſolem occidentem, quaſi orienti ſimul & occidenti diræ cladis præſagi: vel certe vnus diei, alter noctis præcurrebat exortum, vt vtroque tempore mala mortalibus imminere ſignaret. Portabant autem facem ignis contra aquilonem quaſi ad accendendum accliuem, apparebántque menſe Ianuario, & duabus fermè ſeptimanis permanebant, quo tempore grauiſſima Sarracenorum lues Gallias miſera cede vaſtabat, & ipſi non multo poſt in eadem prouincia dignas ſuæ perfidiæ pœnas luebant.] Huc vſque Beda. Qui enim ante annos quatuor à Carolo Martello in Aquitania fuerant dira cede Sarraceni confecti) vt ſuo loco ſuperius dictum eſt) reparantes vires, nouos cogentes exercitus, maiori impetu, ſicut vehementiore furore inuaſere primum Galliam Narbonenſem. Inde in reliquas Galliarum prouincias proceſſuri: potiti ſunt ea munitionibus expugnatis. Quas ſtrages in miſeros Chriſtianos, in ſacra templa direptiones, incendia, & ſacrilegia, in ſacerdotes cædes, in ſacratas Deo virgines ſtupra nefariè perpetrarint, nemo puto mortalium ſcriptione, locutionéve digne ſatis expreſſerit, quæ vt viſum eſt Bedæ, duabus hiſce linguis igneis è cœlo clamantibus prænunciari meruerunt, vide in S. Cæſario de effractione eius ſepulchri anno 731.

b Hiſt. Angl. lib. 5. c. 24.

Et infra

Et infrà idem Baronius anno Chriſti 738.

BEnè quidem ceſſit rebus Hiſpanicis, vt Sarraceni maxime ſuoipſorum damno Gallias bello tentarint, vbi ad internecionem ſæpe deleti à fortiſſimo duce Carolo cognomento Martello, qui hoc ipſo anno eoſdem Sarracenos prouinciam regionem occupantes vincens: in fugam adegit, eamque ſibi vindicans Francorum regni coronæ coniunxit &c. hæc ille.

Ex his igitur adductis, & quæ habentur infrà in S. Cæſario Archiepiſcopo Arelatenſi: 27. Auguſti, ex Baronio de effractione reſtaurationéque ſepulchri eiuſdem per improbos trucéſque Sarracenos, non inconueniens erit affirmare, intra horum temporum ſpatia ſcilicet ab anno domini ſeptingenteſimo vigeſimo nono vel trigeſimo, aut ad ſummum ſeptingenteſimo trigeſimo octauo, victrici martyrij palma ſanctum Porcarium Abbatem Lerinenſem ſocióſque quingentos, donatos fuiſſe, ſolóque æquatum Monaſterium Lerinenſe, vna quando vniuerſa Gallia Narbonēſis nefandæ gentis Iſmaëlitarum flammæ ferróque ſucubuit & furori. Non autem Vuandalicæ gentis, Genſerici Regis temporibus, longè ante præferendum, vt habetur in tertio vitæ libro ſancti Honorati Archiepiſcopi Arelatenſis capitulo 24. & aliquibus actis in M. S. à nonnullis noſtratibus, etſi mendoſis, circunferri ſolitis. Nam vt ratione temporum propoſitum probetur, ipſe Dux Genſericus ſuum extremum clauſit diem in Africa anno domini quadringenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Simplicij Papæ nono, vt refert Baronius Annal. Tomo ſexto, quo potiſſimùm tempore adhuc recenter florebat Lerinenſe Cœnobium ſub regulari diſciplina nouarum plantationum diſcipulorum, ſcilicet Beatiſſimi patris Honorati primi fondatoris nullúmque patriæ tunc prouinciæ auditum fuit euenisſe excidium, & ſi aliquod acciditſet, ſancti Cæſarij Archiepiſcopi Arelatenſis diſcipuli Beati Porcarij, ſcriptoríſque eximij, qui poſtmodum floruit notitiam omninò non potuiſſet effugere: ſicque ad anteriora tempora referenda non eſt, ſicut nec poſtponenda eorum paſſio ad annos ſeptingentos quinquaginta, vel quinquaginta ſex, vt iam dicta acta parum ſibi conſtantia proferunt, quia ex quo per inuicti Caroli Martelli potentiam Sarraceni à Galliarum finibus potiſſimùm Narbonenſis ſunt fugati, non leguntur vltra prouincia Phocenſi eſſe potitos maximè iam ſub ipſius Caroli & coronæ regni Francorum reducta gubernatio, tum ipſorũ martyrij ſincera hiſtoria præfata ex ſelectioribus in M. S. deſumpta paſſos aſſeri, tẽpore quo regnabat inclitus prædictus Princeps Carolus Martellus, qui certè vt habent Chronologi, & Annaliſta [a] vita functus eſt cum iam pacem multis ſudoribus partam, ſtabilem poſteris reliquiſſet, anno redemptionis humanæ ſeptingenteſimo quadrageſimo primo XI. Kal. Nouembris ſepultúſque in Monaſterio Dioniſiano prope Pariſios: quibus propenſis, ſtabilita, manere videtur & firma de ſancti Porcarij Abbatis Lerinenſis & ſociorum Martyrum tempore paſſionis ſententia, infrà ſcilicet annorum intercapedinem 730. & 738. quibus temporibus vt viſum eſt Gallia Narbonenſis patuit ruinæ magnæ: habentur & in iiſdem circunductis actis, alij non minimi errores, ſed qui nullo conamine ex prælibatis refellantur, vti eſt ille quo horum martyrium vt ſuprà iam vidimus longè ante ſub Vuandalorum Duce Genſerico aſſeritur contigiſſe, & geminum inducendo errorem addunt, & poſt mortem Caroli magni quæ indubitanter anno domini, octingenteſimo quarto decimo euenit: cùm itaque ſi duo Principes ſynchronimi minime extiterint, manifeſta arguitur dictorum actorum falſitas, in-

[a] *Baron. Tom. 9. annal.*

729. 730. 738. 476. 750. 756. 741. 814.

tercalantur enim anni 338. inter Gentericum & Carolum Magnum, nullæq; eorum temporibus ruinæ exitialis patriæ Prouinciæ Narbonenſis uenerunt, ſed bene tempore quo præfatus Carolus Martellus Princeps ſagaciſſimus curam regni coronæque Francorum gerebat.

Hymni in laudem S. Porcarij Abbatis & ſociorum martyrium R. Domini maximi à Collomartio monacho Lerinenſi.

COncrepent hymni, rutilans coruſcat
Feſta lux in qua, celebrãtur hãc qui
Inſulam fuſo proprio ſacrarunt
Sanguine teſtes.
Ecce lux in qua iubilare fratres
Condecet feſtum celebratur hinc qui
Martyrum terram proprio dicarunt
Sanguine ſacram.
Iam maris fines popularat omnes
Claſſe tranſuectus numeroſa ab auſtro
Tigrides multa feritate vincens
Barbarus hoſtis.
Vnicus tantum locus à prophano
Enſe reſtabat temerandus iſte
Quinquies centum monachos reſeruans
Lumina mundi.
Ecce cum ſummo volitans Olympo
Porcari ſalue venerande dixit,
Angelus veni tibi de ſupernis
Nuncia portans.
Conuoca cœlum, breuibuſque narra
Martyres Chriſti fieri volentes
Se parent diram tolerare mortem,
Nomine Ieſu.
Læta tum patris legio relatu
Sancta reſpondet genus omne mortis
Præmium Chriſti modo ſit libenter
Ferre paratam.
Inſtar immotæ ſtabiles columnæ
Suſtinent paruo ſpatio futuram
Temporis cladem, fieriq; Chriſti
Hoſtia gaudent.
Inſulam frendens ſubit en tyrannus,
Fit ſonus ſanctam pedibus cruentis
Exiens terram, ratibus prophanat
Impia turba.
Obuiam currunt, genibuſque flexis
In crucis ſignum manibus reductis
Enſis expetant ferientis ictus
Pectore fumo.
Ceu lupus noctis medio latenter
In gregem ſæuit ſubiens ouile:
Sic in hos ſtridet, furit & bacchatur
Barbara pubes.
Huius appendet capiti, per huius
Pectus it ferrum violenter actum,
Sus velut cæno madefacta, ſic hi
Sanguine gaudent.
Corpus in terra iacet inſepultum,
Spiritus cœlum petit, Angelorum,
Per manus, illic ſociandus illis
Sede perenni.
Supplices ergo rogitemus hos, vt
Impetrent caſtis precibus potenter
Carnis & mundi ſuperare, nec non
Dæmonis ictus.
Laudibus patrem celebremus almum
Eius & prolem, paritérque ſanctum
Spiritum qui nos recreans ſuperno,
Munere donet. Amen.

Tranſlatio S. Arnulphi Epiſcopi Metenſis

Aug. 16. HÆc tranſlatio facta fuit à ſancto Goerico ſuo ſucceſſore: videas in die natali ipſius die 18. Iulij, colitur autem hæc tranſlationis ſolemnitas quinto decimo Cal. Sept.

De Ilduino presbytero Lugdunenſi, & poſt monacho Lerinenſis inſulæ, Ado in Chronicis ætate ſexta anno 796.

VIennenſem tunc temporis Eccleſiam vrſus, Ado Lugdunenſem Eccleſiam regebat poſt Adonem nepos eius Ilduinus paululum Lugdunenſem Eccleſiam non Epiſcopus tenuit: & abſcedens Lerinis Inſulæ monaſterio monachalem conuerſationem ſuſcepit, hæc ille.

Annota

Annotatio Vinc. Saler.

Hanc Ilduiui chariſſimi viri idcircò poſt certamen beati Porcarij Abbatis Lerinenſis martyris & ſociorum notam ad ſequelam ponimus, vt ex his intelligas poſt excidium ruinamque præfati monaſterij non diu permiſerit prouincia diuina inhabitalem factam Lerinam permanere, iam hac tempeſtate Ilduiui iterum florebat Cœnobium Lerinenſe vt ex præfatis vides. De egregio verò noſtro Ilduiuo accipe quem nouiter vir doctiſſimus Iacobus Seuercius in ſua hiſtoria Chronologica Antiſtitum Lugdunenſium hac die numero quinquageſimo refert. Ilduinus ex Adone Viennenſi. Eldoinus Cõpegio, Eldonius, Sarrazino, & Heldonius Paradino. De cuius ſede Lugdunẽſi à recentioribus cõfirmata ipſe Ado, vt ſupra per omonimiam ferè locutus videtur, qui textus Adonis reponitur ſub anno ſalutis ſeptingẽſimo nonageſimo ſexto vt potè quod ea ſolari reuolutione floruerit Ilduinus quinquennio antequam Carolus magnus Pipini maior natu eſſet Anguſtus Romanorum Imperator declaratus, de Lerinenſis verò Inſulæ ſitu & regione vide in Eucherio ſexto decimo Nouembris.

Seuert. in Chronol.

VITA SANCTI CAESARII EPISCOPI ARELAtenſis, & Monachi Lerinenſis à Cypriano eius diſcipulo & Meſſiano Presbitero & Stephano Diacono conſcripta duobus libris. Tempus quo floruit patebit infra, moritur autem circa annos domini. 554.

Præfatio Auctoris ad Cæſariam Abbatiſſam, & ſororem Sancti Cæſarij.

VIa reuerenda nobis Virgo Cæſaria cum choro ſodalium monacharum tibi commiſſo petis à nobis, vt vitam & conuerſationem beatæ memoriæ ſancti Cæſarij inſtitutoris veſtri, ab exordio repetentes, litteris comprehendamus: per quam illius vita præmio fruitur, cuius beatitudo ſermone mortalium non poteſt explicari. Etſi autem iam olim, ipſo adhuc in terris degente, toto orbe eius vita honorificè fuit diuulgata, nefas tamen eſſe credimus tam ſancto deſiderio non parere: præſertim eum id monaſterio veſtro, vel eius potiùs, illum abſentem quodammodo poſſit repræſentare, noſque dum de illo loquimur, eum nos propemodum videre gratulemur. Deo igitur nos iuuante aggredimur implere, quod poſtulaſtis: & multa quidem ipſius domini Cæſarij nobis relatione comperta, multa à nobis ipſius viſa nonnulla etiam venerabilium Presbyterorum, & Diaconorum eius diſcipulorum ſermone didicimus, præcipuè verò Meſſiani presbyteri, & Stephani Diaconi, virorum fideliſſimorum, qui ab adoleſcentia illi ſeruierunt. Commemorabimus autem ea duntaxat, quæ minus onerent, & ſint à prolixitate aliena. Sed vnum hoc in præſentis opuſculi deuotione, à lectoribus petimus, vt ſi caſu aliquo ſimplicitas eloquij noſtri ad eruditorum aures, & cenſuram, adducatur, non arguant, quod ſtilus noſtra videtur põpa verborũ, & artis grãmaticæ leges negligere. Nobis enim, actus verba & merita tãti viri, bona fide narrãtibus lux ſufficit operum eius, & ornamenta virtutum. Namq; etiam ipſe dominus Cæſarius, quem habemus in manibus, dicere ſolebat, pleroſq; ruſticitatem ſermonis vitare, ſed à vitæ & morum vitiis non abhorrere. Meretur verò hoc etiã Virginum Chriſti pura ſinceritas, vt nihil fucatũ, nihil mundana arte compoſitum, vel oculis eorum offeratur vel auribus: de fonte ſimplicis veritatis manantia, puriſſimè relationis verba ſuſcipiant. Atque eam ob rem noſter hic

27. Auguſti.

Pleriq; ſermonis ruſticitatem vitant, ſed non vitæ & morum vitia.

ſermo integritatis religione contentus, mundanam faſtidit pompam, reſpuitque cum eius operibus pariter mundanæ gloriæ iactantiam, malens ad piſcatorum ſe accommodare eloquia, quam Rhetorum: Itaque det quiſque operam, vt viuendo imitari velit, quod legendo cupit cognoſcere.

VITÆ HISTORIA.

27. *Auguſti.* SAnctus ac beatiſſimus Cæſarius, Arelatenſis Epiſcopus, territorij Cabilonenſis fertur fuiſſe indigena. Cuius parentes For. egregia æquæ proſapia, quod eſt illuſtre, & præcipuum nobilitatis exemplum, præ cunctis ciuibus ſuis fide, & moribus floruerunt. Cúmque his ſanctus puer ſeptimum, aut eò amplius ętatis ageret annum, ex veſtibus, quas apud ſe habebat, incunctanter pauperibus impertiebatur. Sæpè autem ſeminudus domum reuertens, à parentibus ſeuerè examinabatur, quid ſuis feciſſet veſtibus. Quibus ille hoc ſolum reſpondebat, à prteræeuntibus ipſi fuiſſe ablatas. Igitur ſicut arbuſculæ quædam nobili ſtirpe fructificare citiùs ſolent, quã creſcere, in quibus vtiquè quantò eſt ætas minor, tantò vbertas gratior: ita in illo ſancto viro inter ipſa infantiæ rudimenta lętũ vernantis ſpei germẽ adeò erupit, & priuſquã vnius anni præteriret ſpatium ignorante familia & parentibus, ciuis cupiens regni cœleſtis effici, ſe illius temporis Pontificis ſancti Silueſtri veſtigiis, præmiſſa ſupplicatione proſterneret, petens, vt ablatis ſibi capillis, mutatóque habitu diuino ipſum antiſtes ſeruitio manciparet, nec pateretur vltra ſe à parentibus ad prædium, affectuſque priſtinos reuocari. Agente ergo Pontifice gratias Chriſto, nulla iniecta eſt votis optimis mora: cumque ibi biennio, aut eò amplius ſub hac inchoatione ſeruiſſet, diuinæ gratiæ inſtinctu permotus, deliberat arctiùs ſeſe expediriúſque, conuenienter ſancto Euangelio, diuino tradere cultui, & regni cœleſtis amore, non ſolùm parentibus, ſed etiam patriæ ſe extraneum exhibere.

S. Cæſarius puer dat veſtes ſuas pauperibus.

Fugit parẽtes vt condatur mutato habitu.

Matth. 19. Arrepta itaq; ſalubriter fugiẽdi de ſæculi compedibus libertate Lerinenſe Monaſterium Tyro ſanctus expetiit. Cúmque iter cum vno tantùm famulo ſocio ageret, & corã inquiſitoribus, ab eius matre miſſis, flumẽ tranſiret, viſus ab eis non eſt: diabolus verò in quẽdam miſerum ingreſſus, & eius iter inſequẽs, ſine ceſſatione à tergo illius clamabat: Cæſari, non vadas: Quẽ ille, porrecto ei bibendi poculo benedicto, ſtatim curauit, quod à memorato eius comite referente compertum, eamque conſtitit, illum primam fecit ſe virtutem, ſiue miraculum. Suſceptos igitur à ſancto Porchario Abbate, & à cunctis ſenioribus, cœpit eſſe promptus in vigiliis, in obſeruatione ſollicitus, in obedia feſtinus, in labore deuotus, in humilitate præcipuus, in manſuetudine ſingularis, ita quem inſtituendum ſuſceperant in diſciplinæ regularis initij, perfectum ſe inueniſſe gauderent in totius inſtitutionis augmentis. Itaque poſt breue tempus in congregationis Cellarium eligitur. Cœpit igitur attentè & ſtudioſè illis velle largiri, quibus eſſet neceſſarium, etiamſi abſtinentiæ amore nihil peterent: quibus verò cognouerat neceſſarium non eſſe, nihil dabat, quamuis vellent accipere. Vnde factum eſt, vt quibus inuiſa erat ſancta diſcretio, & moderatio. Abbati ſupplicarent, vt eum à Cellarij functione remoueret. Quod etiam factum eſt. Mox ea cura liberatus vſque adeò ſeſe optata legendi, orandi, vigilandi aſſiduitate macerauit, vt imbecille adoleſcentiæ corpus, quod fouere potiùs, quam conficere, & debilitare oportebat. Immodica afflictione curaret, & frangeret, exigua oleris, ſeu pulticulæ coctione, quam Dominica die parabat, vſque

Fit Monachus Lerinenſis.

Fit Cellarius.

Immodica abſtinentia pene conficit ſe ſe.

que in aliam dominicam contentus. Atque hæc in ipſis monaſticæ vitæ exordiis meritorum eius bona fulſere, quæ deinceps per omnem vitam multiplicibus ſunt aucta virtutibus, corporis enim detriuit robur, vt virtutem ſpiritus ſpei & fidei ſoliditate firmaret,& vt ait Apoſtolus de ſeipſo ſibi triumphans, coronam adipiſci mereretur: interioriq́ue homini exteriorem ſubdens. Præſtantis animi imperiis rebellia corporis incitamenta domaret,ſed interim tamen ſtomacho fatiſcente in quartanam febrem incidit: Cumque ſanctus Abbas eius incommoda valetudine admodum doleret, & inter magiſtrum, & diſcipulum quædam eſſet morti partitio, illo animo, hoc verò corpore laborante: cerneret autem ſanctus pater in cœnobio nullũ ei poſſe remedium adhiberi: vbi etiam ſi medicus adeſſet, tamen feruẽs adoleſcentis ad ſpiritalia exercitia cõſuetudo, nihil ſibi pateretur de abſtinentiæ frẽnis, & vigiliarum rigore laxari, iubet eum immò etiam compellit Arelatem ſe transferre valetudinis curandæ cauſſa. Erat tum in ea vrbe Firminus vir illuſtris,& timens Deum, eiuſque propinqua Gregoria clariſſima materfamilias: quorum ſtudio, cura & benignitate erga clerum, & Monachos, erga ciues,& pauperes, vrbs ille illuſtrior reddebatur. Vteráue enim proprias opes non in mundi huius luxum conferebat, ſed in paradiſum pauperum manibus tranſmittebat: illi verò ſanctum Cæſarium miſericordiæ ſtudio ad ſe receperũt. Erat autem illis admodum familiaris Pomerius quidam profeſſione Rhetor, Afer genere, quem ipſis ſingulariter charum grammaticæ artis doctrina reddebat. Concipiunt igitur animo generoſi homines, vt B. Cæſarius, tãta Dei gratia refertus, & tam inſigni memoria ex Chriſti beneficio inſtructus, ei inſtituendus tradatur vti ſæcularis ſcientiæ diſciplinis monaſtica eius ſimplicitas ornaretur. Sed eruditionis humanæ figmenta non recepit, quem per ſe inſtituendũ diuina ſibi gratia ſeruauerat. Itaque codicem quem ei magiſter ille legendum obtulerat, caſu vigiliis delaſſatus, in lectulo ſub ſcapula reponet: Cumque ita obdormiſſet, mox diuinitùs terribili viſione percellitur videt ſcapulam, & brachium, quo innitebatur codici dracone colligante arrodi. Mox expergefactus, & ipſo viſu territus, terribiliùs ſeſe pro ſuo facto obiurgat, quod lumen ſalutaris regulæ, ſtultæ mundi huius ſapientiæ voluerit copulare. Ociùs igitur illa contemnit, ſciens non deeſſe perfectæ locutionis ornatum, in quibus ſpiritalis intelligentia emineret.

Firminus & Gregoria Arelatenſes mirè benigni in pauperes.

Viſio ſancti Cæſarij.

Poſt aliquot autem dies illi homines illuſtres, quos diximus, ſancto Eonio ciuitatis eius Epiſcopo, indicarunt eſſe quemdam apud ipſos venerabilem Monachum, & omni laude digniſſimum, cuius ipſe perſonam familiari, & priuato colloquio deberet cognoſcere. Iubet igitur eũ ad ſe perduci, ex oblato ſibi accuratè ſuſcitatur, cuius loci ciuis, & quibus ſit parentibus procreatus illo & patriã, & parentes indicãte, ſancta alacritate illi gratulãs ſanctus Epiſcopus, ait: *Meus ciuis es, fili, pariter, & propinquus. Namq́; & parentes tuos ego optime noui, & propter ſanguinis coniunctionem paterno affectu complector.* Cœpit ergo iuuenẽ, non iam vt peregrinũ vel extraneum, ſed attentiori obiectu intimis cordis oculis contemplari: Moxque ab Abbate Porchario illum expetiit, & licet ab inuito, etiã impetrauit, illicò primum Diaconus, deinde præſbyter ordinatur, nec vnquam tamẽ canonicam monachi modulationẽ, nunquam Lerinenſium fratrum inſtituta reliquit. Ordine, & officio clericus, humilitate, charitate, obedientia, cruce monachus permanet in Eccleſiam matutinis, aliiſque conuentibus primus ingreditur, vltimus inde diſcedit. Non

Eonius Epiſcopus Arelatenſis.

Sanctus Cæſarius ordinatur Diaconus & Presbyter.

oculi, non aures, eius animum à cœleſtium bonorum contemplatione vocant, ita vt in eius vultu neſcio quid cœleſte ſemper elucere videretur.

Fit Abbas. Defuncto autem in ſuburbana ciuitatis Inſula Abbate, ab Epiſcopo Eonio eò Cæſarius mittitur, vt Monaſterium Rectore deſtitutum, ipſe in eadem reuerentiæ authoritate ſuccedens, monaſtica diſciplina informaret. Itaque in ſuburbano Monaſterio libens eam complectitur vitæ rationem, quem etiam intra vrbem quotidianis ſemper ſtudiis coluiſſet, & perpetuis optaſſet votis, ipſum verò Monaſterium ita quotidiana inſtantia, & diuinis informauit officiis, vt hodie quę Deo propitio, illic videre licet. Cùm autē in ea Inſula vltrà triennium Abbatis officio fungeretur. Sanctus Eonius Epiſcopus Clerum, & ciues aliquot alloquitur, ipſoſque rerum Dominos per internuntios appellat, vt poſteaquam ipſe Domino volente deceſſerit nullum alium quam Cæſarium, ſibi ſubſtituant, vt Eccleſiaſticum vigorem, quem quærebatur ſe aduerſa impeditum valetudine, in multis eſſe lauatum, per Chriſti ſeruum Cæſarium in ſuum locum, & ſtatum fraternitas reuocatum gratuletur, ſitque ſucceſſoris labor, aliquod deceſſoris emolumentum, & tali poſt ſe relicto Epiſcopo, in ſanctiſſimi viri electione æternæ hæreditatis percipiat incrementum, nec deſit etiam poſt obitum electionis ſocius voto ſuo, qui eſſet eius ſuo decreto auctor. Itaque his omnibus diuina prouidentia fideliter conſtitutis ſecurus de ſucceſſore, Beatus Eonius migrauit ad Dominum.

Beatus Eonius petit ſibi ſubſtitui S. Cæſarium in Epiſcopatu.

Vide honoris contemptum. Cùm autem peruenisſet ad notitiam patris noſtri, de quo agimus, quod eſſet ordinādus Epiſcopus, intra quædam ſepulchra ſeſe abſcondit. Sed latere non potuit, quem detexit non culpa, ſed gratia. Trahitur igitur è quodam ſepulchro viuus quem non mortuum, ſed celatum, vitæ claritas oſtendebat: cogitur Epiſcopatus ſarcinam ſuſcipere, & ille quidem, ſeu manſuetum *Fit Epiſcopus Arelatenſis.* Chriſti iumentum, impoſitum ſibi onus fert temperamento: porrò de cunctorum profectibus, ſolicitus, & prouidus paſtor, more inſtituit, vt quotidie tertiæ, & ſextæ & Nonæ officium in S. Stephani baſilica clerici cum hymnis perſoluerent, vt ſi quis fortè ſęcularium, vel pœnitentium, ſanctum opus exercere cuperet abſque excuſatione aliqua quotidiano poſſet officio intereſſe ipſe verò reiecta omni cura, & ſolicitudine terreſtri, inſtar Apoſtolorum, cultura ſolertiam diſpenſationi diaconorum, & eorum quibus ea demandata eſſent, cum diuini nominis obteſtatione commiſſam voluit, ſeque toto verbo Dei, & lectioni, atque ſacris concionibus addixit. Reuera ſpiritalis Medicus, qui vt vitiorum morbus curaret, quicquid oculis videre potuiſſet, pro audientium ædificatione, quadam à ſimili adhibita conſolatione, proponere nauauerat. Ita ſacrorum voluminū ſeriem citabat, vt cum ſemper noua congereret, nihil omiteret de antiquis: ſimilis tēplo Dei, quod & nouos quotidie hoſpites excipit & fouet veteres: Atque ita ſemper aduentantium augeretur acceſſu, vt nūquam ſuperiorum receſſu minueretur. Adeò, inquam quantumuis multa, ſi res poſceret è diuinis voluminibus exempla, & ſententias adferebat, vt non tam è memoriæ theſauris olim lecta depromere, quam ex libro propoſitio ea recitare videretur, vt poſſet de illo quoque dici, quod in Euangelio Dominus ait de homine proferente de theſauro ſuo noua, & vetera. Aduentantes ad ipſum Epiſcopos, presbyteros, quoſcumque diuini ordinis miniſtros, ciues, & extraneos, poſt ſalutationem & preces, pauliſper de communi vel priuata ſuorum ſalute, & ſtatu interrogare ſolebat: mox ar-

Act. 6.

Vacat Deo & ſacris ad populum cōcionibus.

Matth. 13.

Prudentia & moderatio eius in exhortādo.

mis.

mis ſpiritalibus correptis diſſerebat de vmbris,& vanitate præſentium,deque vitæ cæleſtis ſempiterna beatitudine: atque alias blandis inuitabat ſermonibus,alias acrioribus perterrebat.Has minis,& ſeueritate,illos comitate corrigebat,& à vitiis reuocabat. Alios generali quadam adhortatione prouocans, alios aſperiùs nec ſine diuini nominis obteſtatione caſtigans, & vt ſalutaribus ſeſe conſiliis accommodarent, cum lachrymis ſupplicia minabatur, pro vt ſingulorum,aut virtutes,aut vitia paſcere viderentur,denique in ſuis concionibus ea moderatione vtebatur,vt & bonos inuitaret ad gloriam, & malos à pœnis gehennæ retraheret: atque inſtar periti medici diuerſis vulneribus diuerſas admouebat curationes,non tam ea proferens, quæ ſingulos delectarent, quam quæ remedium adferrent: nec tam attendens, quid vellent morbidi,quam quid eorum ſalus repoſcere videretur. Ipſos quoque ſanctos Epiſcopos,& ceteros Eccleſiarum præfectos grauiter, & acriter admonebat, plebi commiſſæ ſpiritalem alimoniã indeſinenter ſuppeditarent,ita dicens ad ſingulos: obtines, frater in Chriſti nomine primi ordinis in ſpiritali militia locum. Conſidera ea, quæ paſtorem decet, ſolertia diuinitus accepta Talenta, & da operam, vt fœneratori ea duplicata reſtituas. Audi prophetam: *væ mihi quia tacui.* Audi Apoſtolum,non ſine metu dicentem: *væ mihi erit, ſi non Euangelizauero.* Vide,ne,dum tu occupas cathedram,alius excludatur,qui te magis ſit idoneus:dicatúrque illud ex Euangelio etiam de te:Tulerunt clauem ſcientiæ, & nec ipſi intrant,nec alios ſinunt intrare, qui fortaſſis maiori cum fructu cathedram tenuiſſent.

Eſa. 6. *1. Cor. 9.* *Luc 11.*

Habuit peculiare vir ſanctus, deo id in illo agente,vt dum ſuas quibuſque admonitiones proponerent, ſingulis ipſorum vitam omnem ob oculos ſtatuetet:vt qui eum audirent, non ſolùm cordium ſcrutatorem,ſed etiam ſuæ quodammodo conſcientiæ teſtem confiterentur: ſicut autem erat erga ſeſe ſeueriſſimus, ita etiam circa alios corrigendos rigidus videbatur. Voluit verò, atque etiam compulit laicos, & populares homines pſalmos, & hymnos promere, altáque, & modulata voce inſtar Clericorum alios Græcè, alios latinè proſas, & antiphonas decantare, ne illis ſpatium ſuppeteret ad fabulas in Eccleſia effutiendas. Conciones piiſſimas,& ad animos compungendos apriſſimas, tempori, & feſtis diebus congruentes introduxit, & inſtituit.

Non ſunt in Eccleſia effutienda fabulæ

Ægrotis verò mirè conſuluit,ampliſſimis eis aſſignatis ædibus, in quibus finem ſine vllo ſtrepitu diuina officia, quæ in baſilica peragebãtur,auſcultare poſſent,lectos quoque,& lecticas ſumptus,& homines,qui ſeruire,& mederi eis poſſent, illis comparauit,locum,& copiam,ſiquid vellent, ſuggerendi captiuis,& pauperibus non negauit,immo verò miniſtro ſuo ſemper dicere ſolebat: vide,num qui pauperes ſint præ foribus, ne pro noſtra fortaſſis quiete, trepida,& verecunda paupertas,non ſine culpa noſtra expectans,incuria efficiatur, trahénſque prolixa ab imo pectore ſuſpiria, dicebat: Reuera Chriſtus factus eſt Medicus, & garrulus, & ſurdus: & tamen rogat omnes, hortatur, admonet, conteſtatur. Addebat etiam: Noſtris proculdubio cumulantes profectibus in hoc ſæculo pauperes donati ſunt, vt iis Chriſto fideiuſſore commendemus in terris, quæ poſtea nobis reſtituantur in cœlis.

Aegrotorum ſaluti vt conſuluerit.

Humanitas erga pauperes.

Nota quid no bis conferant pauperes.

Accidit autem,vt ſancti viri tranquillum animum poſt aliquot dies liuida Satanæ malignitas infeſtaret:& cui non poſſet vlla corporis obiicere vitia,ei

fœdam proditionis notam inurere conaretur. Nam Licumannus beati viri notarius: homo nequam, & perditus non dubitauit talem se gerere erga virum Apostolicum, qualem olim Iudas aduersus Saluatorem. Armatur improbus ille sæuè delationis veneno: suggerit Alarico Regi, per eos, qui illi erant à secretis, beatissimum Cæsarium, è Galliis genus ducentem, totis in id viribus incumbere, vt ditionem, & vrbem Arelatensem Burgundionibus prodat: cum ille pastor præstantissimus, flexis genibus pacem gentium, vrbium tranquillitatem diebus, ac noctibus à domino precaretur. Quare magis etiam credendum est, diabolo instigante, in sancti viri exilium barbaram ferocitatem incitatam esse. Non enim gratus, aut charus est hosti, qui id orat, quod cum eius factis, & conatibus pugnet. Itaque iis, qui tum aderant instigantibus, nec innocentiæ fides attenditur, nec accusationis veritas inquiritur sed vana, & iniqua delatione dānatus, ab Arelate extractus, cogitur apud Burdegalēses exulare. Sed ne obscura esset in illo gratia Dei, casu accidit, vt nocte quadam ea ciuitas voracibus vastaretur flammis. Tum verò ciues ociùs accurrunt ad hominem Dei, sancte Cæsari, clamitāt, precibus tuis extinguas ignem sæuientem. Audiens id vir Dei, dolore pariter & pietate commotus, venienti flammæ procedit obuiam, humi ad preces prosternitur, mox igneos præmit abigitque globos: concurrunt eò omnes, & diuinæ virtutis consonis vocibus laudes celebrantur, deinceps verò in tanta apud omnes admiratione fuit, vt in ea vrbe non solùm, vt Pontifex, verum etiam instar Apostoli haberetur, & persecutionis author diabolus pudefieret, cernens eum, quem proditionis reum peragere nisus esset, diuini operis miraculis clarere. Id verò ita gestum esse, vt diximus, fideli relatione comperimus. Cùm autem illic degeret, vti semper, & vbique consueuerat, Ecclesiam docuit reddere Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei deo: obedire iuxta Apostolum, Regibus, & potestatibus, quando iuxta præcipiunt: sed in Arriano principe cōtemnere dogmatis prauitatem. Atque ita quemadmodum testatur veritas, non potuit lucerna abscondi supra candelabrum domini posita: sed quocumque, accessit, omnes illuminauit. Postea verò quam beati viri innocentiam comperit nefarius Princeps, orauit, vt ad suam reuerteretur sedem, séque, & ciuibus, & Clero exhiberet: porrò delatorem eius iussit lapidibus opprimi, populo igitur ad lapides concurrente, subito ad aures viri Dei iussio Regis perfertur, properat illicò, & sua interceſſione maluit accusatorem suum seruare agendæ pœnitentiæ quam iuxta animaduersione puniri: vt animam eius per pœnitentiam curaret, quam ipse iniqua delatione diabolo captiuam reddiderat, & hosti domestico clementer ignoscens, antiquum aduersarium in vna re conscientia pura bis vinceret.

Mittitur in exilium.

Suis precibus incendium compescit.

Matth. 22. Rom. 13.

Matt. 5.

Delatorem suum seruat à morte.

Solebat vero sanctus vir id accuratè obseruare, vt nemo ex illis, qui ipsi parebant, siue serui illi essent, siue ingenui, si pro culpa sua flagellandi essent, amplius triginta nouē ictibus ferirentur, si quis verò in graui culpa deprehensus esset, permittebat quidem, vt post dies paucos iterum vapularet, sed paucis, contestabatur Ecclesiæ præfectos, si quis iuberet quempiam diutiùs flagellari, & ea verbera illi mortem afferrent, vt is homicidij reum se sciret, vbi autem percrebuit apud Arelatenses hominem Dei reuerti: iamq; eum vrbi appropinquare, omnes vtriusque sexus, cum crucibus & cereis ei processere obuiam, psallentes, & ingressum eius opperientes. Cum soleat autem Christus seruos suos illustrare virtutibus, & perfidos aperta mirabilium operum luce

Reuertitur ab exilio & honorificè excipitur.

confun

confundere, ad aduentum ſancti viri Dominus terram longiſſima ſiccitate arentem, largiſſimo perfudit imbre, vt cum reuertente gratiſſimo diſpenſatori fructuum quoque vbertas ſequeretur.

Cùm die quodam eſſet ad altare, animaduertit quoſdam lecto Euangelio ex Eccleſia egredi, quod ſancti viri conciones auſcultare initio detrectarent, mox igitur aduolat, appellat his vocibus populum: Quid facitis filij? quid ita foras abſceditis? mala perſuaſione ſubuerti ſtate pro animabus veſtris ad accipienda verba adhortationis noſtræ, eaque auſcultate ſoliciti. Non licebit id vobis iam illo tremendi iudicij die. Moneo & clamo, atque conteſtor. Ne ſitis, obſecro, vel ſurdi, vel profugi. Auditis oris mei buccinam: perinde etſi animas veſtras ſuo mucrone Satan iugularit. Non ego taciturnitatis arguar. Hac de cauſa ſæpiſſimè oſtia lectis Euangeliis occludi iuſſit, donec propitio Deo, ipſi gratularentur ea coërtione ſe profeſſiſſe qui ſolebant eſſe fugitiui.

Populum vt in concione retinuerit.

Conſtituit autem homo Dei, Domino id illi inſpirante, vt non ſolum magna clericorum frequentia, ſed etiam virginum choris, Arelatenſis ornaretur Eccleſia, & ciuitas muniretur, vt ſic plenam ſegetem non deſes, & infructuoſus agricola in cœleſtibus horreis viuens conderet, & defunctus ſui exempli imitatione docere, etiam aliàs id facere, ſed hac in re conatus eius nonnihil retardauit inuidus ſerpens, & hoſtis antiquus. Francis enim & Burgundionibus vrbem obſidentibus, Alarico Rege à fortiſſimo Clodoueo Rege in conflictu peremptо, Theodoricus Italiæ Rex, miſſis ducibus ſuis, in eam prouinciã ingreſſus erat. In hac ergo obſidione, monaſteriũ, quod ſorori eius, & cæteris virginibus conſtruebatur, magna ex parte deſtructum eſt, tabulis & cœnaculis barbarorum ferocitate direptis, & euerſis. Cum autem vir Dei laborem quem ipſe accelerare iuſſiſſet, ſuáque manu, & ſudore promouiſſet, ſubrui videret, gemino quodam dolore conceptus eſt. Tum enim clericus quidam ciuis, & cognatus eius, ſe captum iri metuens iuuenili leuitate permotus, malo dæmone beati viri odio eum incitante periculo ſeſe noctu à muro ſubmiſit, & proxima luce vltrò ſe dedit hoſtibus, vrbem obſidione prementibus. Quod vbi Gotthi, qui erant intra oppidum, compererunt, incurrunt in ſanctum virum: populus & in primis Iudæi impotenter inſultant, motáque ſeditione, vociferantur Antiſtitem vrbis prodendæ cauſa conciuem ſuum ad hoſtes noctu ablegaſſe. Nullus hic fidei, nullus probationi, nullus denique puræ conſcientiæ relinquitur locus, Iudæis præſertim & hæreticis procaciter & ſine intermiſſione clamantibus. Itaque ex Eccleſiæ domo extrahitur Antiſtes, atque in palatio arctiſſimæ cuſtodiæ traditur, vt noctu in Rhodanum demergatur, aut certè in caſtro vgernenſi detineatur, donec exilio mulctatus, prolixiores det pœnas. Domus itaque Eccleſiæ, & cubiculum Antiſtitis ab Arrianorum turbis occupatur: ſed ecce dum Gotthus quidam cæteris contradicentibus, in eius lectulo recumbit, diuinitus percutitur, & altera die excedit à viuis nequiſquam deinceps ſerui Dei locum polluta conſcientia violare auderet.

Clodoueus occidit Alaricum Regem.

S. Cæſarius traditur in cuſtodiam.

Sed cum ex vtraque ripa, Drumonem qui hoſtium obſidione iniectus fuerat, Gotthi Dei nutu erigere non valerent, nocte ſanctum virum in palatium reuocarunt, ſed vſque adeò eius celantes perſonam, vt vtrum adhuc eſſet in viuis, nullus Catholicorum ſcire poſſet. Dum ergo Diabolo exultante, & Iudæis plaudentibus hæc geruntur, Iudæis etiam in noſtros vbique, nulla cuiuſ-

quam habita ratione perfidiæ probra iactantibus nocte quadam vnus ex illis ex eo loco,quem ad agendas in muro excubias ſortibus acceperat, ligatam ſaxo Epiſtolam, tanquam in hoſtes illud vibrans, in caſtra illorum coniicere conatus eſt, in qua nomen ſuum religionémque exprimens, hortabatur, vt noctu eo loco, quo ipſi excubarent, ſcalas admouerent, vrbem ingreſſuri ea conditione, vt pro tanto beneficio id redderent Iudæis, ne quiſquam eorum aut caperetur, aut rerum ſuarum iacturam faceret. Manè verò digreſſis nonnihil à muro hoſtibus quidã è propugnaculo egreſſi, epiſtolam illam conſpiciunt, tollunt ſecum,intra vrbem aſportabant, cunctiſque in foro publicitus oſtendunt. Mox auctor epiſtolæ producitur conuictúſque punitur:ſæua iudæorum immanitas Deo & hominibus inuiſa, tandem euidentiſſimè confunditur. Daniel noſter, id eſt, ſanctus Cæſarius è lacu leonum educitur,Satraparum accuſatio publicatur,completur in eorum auctore illud propheticum lacum aperuit,& effodit eum,& incidit in foueam quam fecit. Porrò Arelatem Gotthis cum innumera captiuorum turba reuertentibus replentur ſacræ baſilicæ, repletur Eccleſiæ domus infidelium multitudine, & cum multa inopia laborarent,quæ ad victum,veſtitúmque pertinerent, affatim eis præbuit vir beatus,donec omnes ab ipſo eſſent redempti eo argento, quod venerabilis Eonius anteceſſor eius Eccleſiæ, menſæ reliquerat, obſeruans illud,quod Dominus in paropſide intinxit panem,non in vaſe argenteo diſcipulíſque præcepit ne poſſiderent aurum, vel argentum. Hoc autem ſanctum opus ita perſecutus eſt,vt etiam ab illis,quæ ad diuini miniſterij diſpenſationem pertinent, non abſtineret, thuribulis, calicibus, pateris pro eorum redemptione datis,excuſſiſque à cancellorum columnis ornamentis argenteis. Dicebat enim, ne homo rationalis Chriſti ſanguine redemptus, amiſſa libertate & dura preſſus ſeruitute, aut Arrianus efficiatur aut Iudæus, aut ex ingenuo ſeruus,aut ex ſeruo liber,Ornauit igitur & defendit, non deformauit Eccleſiam,patere noluit filius viſcera matris,non præcludi: hoc ſæpiſſimè dicens velim reſpondeant mihi plerique Domini ſacerdotes & reliqui è clero qui neſcio quo ſuperfluitatis amore nolunt dare inſenſibile argentum, & aurum,ex Chriſti denariis pro mancipiis Chriſti,velim,inquam,dicant mihi ſi quo caſu ipſi in eam calamitatem inciderent,vellent ne eiuſmodi inſenſibilibus denariis in libertatem vindicari,aut potius ſacrilegis loco haberent, ſi quis eis ex diuinis munuſculis ſubueniret? Equidem non puto id ingratum eſſe Deo,de ſuo miniſterio redemptionem parari:qui ſeipſum pro hominibus redimendis dedit:ſic ille.Nos verò videmus quoſdam laudare in ſancto viro, quod ita fecerit, nec tamen vllo pacto velle imitari: An non in vitro habetur ſanguis Chriſti: An non in ligno ſuſpenſum fuit eius ſacratiſſimum corpus noſtræ ſalutis cauſa:Nos quidem credimus,& confidimus in Domino miſericordia,fide & precib. B.Cæſarij id effectũ eſſe vt ipſius temporib.obſeſſa ſit ab hoſtibus ciuitas Arel.vt tamẽ nec capi potuerit,nec prædæ patere, atq; ſic deinde à Viſigotthis in Oſtrogotthorum ditionem peruenit, hodieque in Chriſti nomine paret clariſſimo Regi Childeberto: vt poſſit de ea quoque dici: Tranſierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum, & non permiſit Deus ſub illo hominem nocere Arelatenſibus ſuis.

Iudæi dum inſultant Chriſtianis pudefiunt.

Pſal.7.

Eccleſiæ opibus & ſacris votis multos captiuos redemit S.Cæſar.

Eius vt creditur meritis conſeruata eſt ciuitas Arelatenſis.

Clodouei filio.

Condit Monaſterium fœminarum.

Inter hæc autem præcipuum illud Monaſterium,quod ſorori ſuæ condere cœperat, inſtar prioris inſtaurauit, & quaſi alter quidem noſtri temporis Noë propter tempeſtates, & procellas in latere Eccleſiæ fœminarum extruxit

cœno

cœnobium, tanquam aream: euocatáque è Maſſilienſi cœnobio venerabili ſorore ſua Cęſaria, quam idcirco eò miſerat, vt diſceret, quod doceret, & priùs eſſet diſcipula quam magiſtra, in præparata domicilia, cum duabus, aut tribus ſodalibus, eam introduxit. Confluxerunt autem ad illam multæ virginum cateruæ, rebus ſuis, & facultatibus, atque ipſis etiam dulciſſimis parentibus renunciantes, & rerum labentium flores tum fallaces, tum caducos reſpuentes. Cæſarij patris, & Cæſariæ matris expetebant gremium vt cum eis accenſis lampadibus, ad cœleſtis regni expectarent ianuam, & in eam ingreſſæ, Chriſti perpetuis mererentur amplexibus inhęrere. Erant autem illo loco adeò incluſæ vt vſque ad ſupremum vitæ diem nulli earum fas eſſet extra Monaſterij oſtium progredi. *Matth. 25.*

Sed hoc quoque nomine in beatum virum inuidiæ facibus inflammatus Satan, denuò in eum accuſatione conflicta id effecit, vt Rauennam vſque ſub cuſtodia pertraheretur vt impleretur etiam in illo, quod habet ſcriptura diuina tanquam aurum in fornace probauit electos dominus, venit ergo in palatium ad Theodoricum Regem, eumque intrepidè ſalutat. Cernens Rex eum nihil formidantem, & aſpectu venerabilem, reuerenter ei adſurgit, eumque depoſitis capitis ornamentis clementer reſalutat. Deinde placidè ſiſcitatur ab eo de labore itineris, de Gotthis ſuis, & Arelatenſibus. Poſtea eggreſſo ſancto Pontifice, Rex ad ſuos ait: Non parcat illis Deus, qui tantæ ſanctitatis, & innocentiæ virum fruſtra compulerunt tam prolixum iter conficere. Quantus enim ille ſit, vel hinc licet animaduerti, quod eum ad ſalutandum me ingrederetur, totus cõtremui, vidique in eo Angelicum vultum, vidi virum Apoſtolicum, prorſuſque nefas puto de tam venerabili viro quicquam durius ſtatuere, aut male de eo ſentire. Deinde beato viro in hoſpitiũ ingreſſo, miſit idé Rex magni pretij diſcũ argenteum, librarũ plus minus ſexaginta, & cum eo ſolidos trecentos, iuſſitque illi ſic dici: Accipe ſancte Epiſcope, rogatque te filius tuus Rex, vt vaſculum iſtud pro munere tua beatitudo dignetur ſuis vſibus pro ipſius memoria reſeruare. At vir ſanctus qui præter cochlearia, nihil vnquam argenti ad ſuum menſæ vſum adhiberi paſſus erat, tertio inde die per miniſtros ſuos diſcũ priùs æſtimatũ iuſſit publicè vendi, eiuſque precio multos redemit captiuos, illicò Regis ſatellites ad eum referunt ſe vidiſſe, regium munus palam proſtrare eoque deſtracto ſanctum Epiſcopum multos è captiuis liberaſſe. Tam enim ad eius hoſpitium ingens confluebat pauperum multitudo, vt præ miſerorum ſuas ei calamitates exponentium denſitate vix ad ſalutãdum eum patebat acceſſus. Vidimus verò etiam per plateas miſerorum immenſos greges curſitare, euntium ad virum Dei atque reuertentium.

Ad Theodoricum Regem.

Sap. 3.

Theod. reg. erga Deum reuerentiam.

Multos captiuos redimit.

Benignitas eius erga pauperes.

Plurimi eum facit Theodoricus Rex, & eius proceres.

Poſtquam autem rem ab eo geſtam comperit Theodoricus Rex, tanta eum laude, & admiratione proſecutus eſt, vt in eius palatio ſeruientes ſenatores ac proceres, certatim offerent beato viro munera, quæ eius manibus diſpenſarentur, magno Dei beneficio id ſibi præſtitum affirmantes, quod talem Antiſtem digni fuiſſent conſpicere, qui ipſorum temporibus dictis, & factis germanum ſe Apoſtolorum ſucceſſorem & verè Apoſtolicum declararet. Et quia nihil fama velocius eſt, cum in eiuſmodi ſanctiſſimo opere frequens eſſet vir ſanctus, Romæ celebris eius extitit opinio: tantóque eius viſendi deſiderio arſere omnes. Pontifex, Clerus, Senatus, proceres, & populus, & prius eum iam animo complecterentur, quam oculis conſpe-

Duriam. xiſſent. Interea captiuos omnes vltra Durentiam * maximéque Arauſicenſes, qui omnes capti erant, quorum etiam pleroſque Arelate liberauerat in Italia viuentes vinctos, vt potuit redemit: & vt pleniori gauderent libertate, exhauſtos, curauit iumentis, & plauſtris impoſitos non ſine ſuorum ſolatio ad propria reduci.

Inuentus.

Erat tum Rauennæ vidua quædam, quę filium habuit prefecto miniſtrantem & ſuis ſtipendiis ipſius inopiam ſuſtentantem. Is ſubitò correptus morbo, iacebat exanimis. Cúmque nulla ſpes ab humana cura, vel affulgeret arte, mater eius, illo relicto, properat ad curiam Dei, coram illo humi proſternitur, manant ab oculis lachrymarum imbres, dat voces lugubres, & ſola in ea vigente fide, complexa ſancti Epiſcopi genua, exclamat, Credo diuina benignitate huc te adductum, ſancte Pater, vt filium reddas matri. Recuſat pauliſper vir pius: ſed tamẽ durus exiſtimãs talibus lachrymis non moueri, ſolita miſeratione permotus, vult quidem debitum charitatis affectum afflictæ mulieri impendere, ſed ita tamen in Dei nomine exercere virtutem, vt prorſus effugiat vanitatem. Itaque ad eius tugurium occultè accedit, atque illic fuſa prece vbi ſuo more proſtratus, diuinam virtutem ſuæ vocationi per ſpiritum ſanctum ſenſit adeſſe, abſcedit: relictóque illic Meſſiano, tunc eius notario, nunc venerabili preſbytero, id dat negotij, vt cum adoleſcens ad ſe redierit, quamprimum id ipſi renunciet. Meſſiano igitur ad adoleſcentis lectulum excubante, intra vnius horæ ſpatium ille à mortis tenebris ad lucem reuocatur móxque oculorum explicatis orbibus, matrem ita compellat: Curre mater ad ſeruum Dei, cuius orationibus & tibi, & vitæ ſum redditus: eiúque gratias age, quod metitis & virtutibus eius Deus affectum largitus eſt. Abit mater celerrimè, gratias agit non tam verbis, quàm lachrymis, & vocibus, ab animi exultatione expreſſis: ſimúlque orat vt quem Deus ipſius precibus reuocauit ad vitam, in Gallias proficiſcens, non ſinat à ſuo diſcedere famulatu. At vir beatus altiori ingenio reſpondit, eam illi potius debere gratias agere cuius virtus, & clementia mœſtis, & calamitoſis addeſſe conſueuit. Hoc tam illuſtre miraculum non modò illam ciuitatem, ſed prouinciam omnem fidelium deuota relatione perſuagatum eſt.

S. in optandis miraculis ſentiunt ſibi diuinam adeſſe virtutem.

Excitat mortuum S. Cæſarius.

Vlpidius Diaconus, & Medicus, Regiæ poteſtati ſedulis officiis cumprimis familiaris, & intimus, diabolica infeſtatione non ſolum diuerſis vexabatur inſidiis, ſed ſaxorum quoque imbre, crebro in ſuis ædibus appetitus eſt. Fac igitur ſanctum Cæſarium, vt ſuis precibus eas mali dæmonis iniurias à ſe auertat. Venit ad eius domum vir beatus, eamque ſanctificaturus, benedicta aqua conſpergit: moxque adeò omnis illa vexatio profligara eſt, vt deinceps nihil eiuſmodi acciderit.

Aqua benedicta abigit dæmonem.

Poſt hæc Romam veniens, beato Simmacho Pontifici ac deinde Senatoribus exhibetur. Agunt omnes gratias Deo, vt Regi quod licuerit ipſis corporis oculis illum intueri, quem iamdudum animi obtutibus conſpexiſſent: virumque Apoſtolicum non iam de fama, ſed præſentia comprobantes, certatim diligere, vt venerari ſtudent. Atque ipſe etiam Pontifex Simmachus præclara eius meritorum dignitate permotus, non ſolum eum veriſſimè metropolitani honore præditum voluit, ſed etiam ſpeciali quodã priuilegio pallij vſum ei permiſit, & diaconos eius perinde, vt Romanæ Eccleſiæ diaconos, dalmaticis vti voluit. His ita geſtis ſanctus vir Arelatem re-

Venit ad Simmachũ Papã.

Vſus pallij antiquiſſimus

uerſus.

uerſus,excipitur eum pſalmodiis,& canticis,& qui in Italiam exalatum ierat confecta captiuorum redemptione, octo ſolidorum millia ab Italia ſecum reportauit. Qua autem die Arelatem ingreſſus eſt, daturus benedictionem, ſub veſperam in Eccleſiam ſe recepit.Ibi tum fœmina quædam tremore correpta, ſpumans, eiulans, & clamitans, cunctis in Eccleſia obſtupeſcentibus, proripit ſeſe:moxque apprehenſa, ad aram beato antiſtiti offertur:orant pro ea omnes, vt morbo pulſo, reddatur incolumis. Tum ſuo more ſanctus vir pro eius ſalute deprecaturus, humile abiecit:deinde capiti eius imponit manum,ſenſus omnes,& vultum ſacro oleo perũgit,fugit morbus,nec auſus eſt in Chriſti nomine abſcedere iuſſus denuo moleſtus eſſe mulieri inter alia vel maximè ei ſtudio, & curæ fuit redemptio, captiuorum cui ſanè tã præclaram, & illuſtrem nauauit operam, vt nullius id poſſit oratione explicari. Cùm enim quodam tempore deeſſet ſanctis manibus aurum, & argentum, rogareturq; ſtipem à paupere quid tibi vis, inquit, faciam miſelle. Equidem quod habeo, hoc tibi do, ſicque ingreſſus in cubiculum ſuum,caſulam, qua in proceſſionibus vtebatur, & albam Paſchalem inde profert, datus egeno, iubetque vt vendat vni ex clero, & earum precio redimat captiuum ſuum. Nec illi ſoli redempti ſunt,qui ab illo id expetierunt:ſed ipſemet,Carcaſſonã proficiſcẽs captiuis liberauit:nec raro per loca diuerſa Abbates, Diaconos & clericos miſit, qui miſeros è captiuitate extraherẽt.Tot autem in illo vno diuinæ gratiæ,virtutes emicuere,quot vix per multis Dei ſeruis conſpiciantur: & tamen adeò ille vnam aliquam virtutem excolere ſemper ſtuduit, ac ſi illa ſola præditus eſſet,& tãdiu pręcedens virtus in eo formoſiſſima,& gratiſſima videbatur, donec à ſequentibus vinceretur.Quis eius patientiam, quis puritatem,quis charitatem,feruorem,ſpiritus diſcretionem,ſiue moderationem, benignitatem,cœlum ſanctum, iugem die ac nocte in lege Domini meditationem enarrabit. Fuit ille egregius aſſertor fidei,forma Sacerdotum, Eccleſiarum decus, gratiæ prædicator, iurgiorum profligator, charitatis ſeminarium, diſciplinæ norma, morum caſtigator,& cenſor, conſilij libramentum, defenſor pupillorum,captiuorum redemptio. Nunquam ab ore illius obtrectatio,nunquam mendacium,nunquam maledictum in quemcunque hominem proceſſit, nec modo nemini ipſe detraxit:ſed nec detractionem patienter tulit. Siquis ex eius familia ſubitò iuraſſet, aut forſan cuiquam malè dixiſſet, pro ratione perſonæ non permiſit inultum abire. Sic ipſe fortaſſis in aliquem commotus eſſet hæc eius pro maledicto erat benedictio: obliteret Deus peccatum tuum, aboleat Deus peccata tua:caſtiget Dominus culpam ne in poſterum vltio te maneat,hic Dominus corrigat errorem tuum.

Sanat fœminam miſerã.

Magnum ſtudiũ erga captiuos redimẽdos.

Catalogus virtutũ eius.

Deteſtatur omne mendaciũ & detractiones.

Eius hominem interiorem prodebat exterior,nam vultu ſemper erat placido,& Angelico,ita vt conuenienter diuinæ ſcripturæ, corde luctante, vultus floreret: vt autem nunquam in viſu plus æquo remiſſior ita nunquam mœrore nimio appreſſus fuit, niſi fortè aliena peccata lugeret. Nunquam aliquem odio habuit, ne pro amicis duntaxat, ſed etiam pro inimicis toto pectoris ſtudio precabatur.Nec docuit verbis quam factis & exemplis non præſtaret. Nullam diei horam abſque diuinorum eloquiorum meditatione abire paſſus eſt,immo ne dormiens quidem ſæpè enim,& dormiens meditari viſus eſt. Cúmque à pſalmorum meditatione,aut prædicatione ceſſare putaretur,lector,aut notarius coram illo legere non ceſſabat, ita vt poſſet illud ex pſalmo veriſſimè dicere : *Meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.* Cùm aliquando circa Alpes iter ageret vir venerabilis ſanctus Eucherius Lugdu-

Prouerb.27.

Pſal. 18.

Eucherius Lugdun. Epiſcopus.

nensis Episcopus cum illo erat. Accedit cum vt in media via infœlix,& morbida mulier eis occurreret,manibus,& pedibus contractis per terram reptãs: Quam cum esset intuitus Beatus Cæsarius,interrogauit sanctum Eucherium quid hoc esset quod illa per terram ita se traheret. Eucherius interrogat fœminam,illa respondet se multis annis membris omnibus fuisse contractam. Beatus Cæsarius dicit sancto Eucherio:descende, & consigna eam illo quasi trepidante, & excusante sese, Cæsarius instat, & vrget. Tandem Eucherius descendit,& consignat eam,aitque:Ecce feci, quod iussisti:dicit & Cæsarius: extensa manu apprehende manum illius & erige eam:Ille respondet: Quicquid aliud iusseris non recusabit Eucherius tuus: istud, vt faciam adhuc non potero:Tuum hoc est facere,cui præstitit Deus gratiam, & animas & corpora languentium curandi.

Sancti Eucherij humilitas & singularis modestia.

Cæsarius ait:tu interim facito quod dico,illo planè renitente,& cum multa modestia,& lachrymis sese excusante, denique facere detractãte Cæsarius dicit: Tunc obedientiæ causa in ignem ingressurus es, qui nec misericordia adduci potes,vt facias quod charitas iubet? Mitte in nomine Domini manũ tuam,& erige eam. Tum ille obediens porrigit fœminæ manum, & subleuat eam. Illa verò mox integrè sanata abiit ad hospitiolum suum.

Mulier contracta sanatur.

In agro sububano Monasterij Beati Cæsarij frequentes erat apri. Itaque comites, & alij viri militares ex vrbe egressi non sinebant homines in suis domibus habitare,& laborare,sed miserè eos mactabant, quod apros auerterent,& absternerent. Illi verò tandem non ferentes iniurias, & vexationes illas veniunt ad Beatum Cæsarium, dicuntque fac nobis quicquid tibi iussum est. Nos enim neque seruire tibi,neque durare hic possumus. Tum ille solicitè perquirit, quas habeant querelas, respondent illi propter apros veniunt comites,& gotthi,& diuersi venatores,nosque interficiunt: Mox vir Dei sublatis in cœlum manibus & oculis, alta voce dicit: *Domine Iesu Christe nunquam deinceps pateat illis belluis accessus ad hunc locum.* Ab ea hora vsque in præsentem diem nunquam illic apri, vt ante consueuerant,pascuntur, nec quicquam conspicitur quod venatores infectentur. Meritò sanè illi belluæ paruerunt, qui vitia omnia profligauerat, nec difficile illi fuit impetrare à Deo, qui eius præcepta nunquam violauerat.

Nota vim precum eius.

Partherius patritius, qui cæteris seruis præfectus, apud Dominum suum præcipuum gratiæ locum obtinebat, nequissimi spiritus vexatione sæpius in terram sensibus destitutus corruebat. Cumque is morbus animi potius quam corporis esse videretur, ex maligni dæmonis infestatione profectus:oleo beatissimi viri benedictione sacrato perunctus est. Ita omnis illa satanæ tẽtatio compressa est, vt quem cessante Medici opera,Christus per seruum suum reddiderat sanitati eum Dominus eius in terroris exemplum, domui tuæ præponeret.

Oleo sacrato curat hominem.

Non est silentio premendum etiam illud factum memorabile quod plus admirationis & formidinis habet. Cum vir sanctus dioceſim suam circumiret,in villa,quæ Lannico dicitur,ab eius loci Dominis exceptus est. Postquã autem discessit. Anatolius Medicus,homo pestifer in illum lectum quo vsus fuerat sanctus Episcopus scortum sibi voluit adduci. Sed confestim ab incentore diabolo publica vexatione correptus, coram aliis in terram elisus est: dumque palàm conficeretur temeritatis suæ se dare poenas, & viri Dei virtutem,& suum facinus prodidit.

Poena hominis petulãtis.

Multa quidem per intercessionem serui sui Dominum miracula feciſſe ſcimus,

mus,ſed ea omnia commemorare longum eſt,vnus & nobis, qui hæc ſcripſimus,benedictum ab eo oleum petiit,ampullam plenam accepit, diligenter ſecum aſportauit domum,& haud ſecus atque præclaras reliquias aſſeruauit. Non diu poſt tertianæ febris ardoribus affligtus,ampullam illam cum multa veneratione,magni præſidis loco, ad caput ſuum iuſſit ſuſpendi. Erat autem mundiſſimo inuoluta linteo, ſed vt arbitror, famulorum negligentia fracta eſt,interim nihilominus oleo adeò intra illam ſeſe continente,vt ne in ipſum quidem linteum quicquam inde diſtillaret. Vbi animaduerſum eſt fractam eſſe ſumma celeritate in alium vaſculũ oleum transfuſum eſt:mox ampullula illa diſſiliit:ab eo autem qui hæc veraciſſimè commemorat, domino adiuuante febris quam primum abſceſſit. *Inſigne miraculum.*

In diſſerendis ſcripturis diuinis,& obſcutitatibus elucidãdis quanto in illo gratia enitũerit,quis explicet?erat illi ſummæ voluptati,ſi quis eum inuitaret ad obſcura loca interpetranda:ſed etiam ipſe ſæpiſſime inuitabat nos, dicens nobis:ſcio vos non intelligere omnia.Cur igitur non interrogatis, vt poſſitis cognoſcere? Non ſemper vaccæ ad vitulos,ſed plerunq; vituli ad vaccas properant,vt de maternis vberibus poſsint famem explere ſuam. Quod quidem etiam vos omnino facere debetis,vt ſciſcitando etiam nos exerceatis,dum ea ratione cõpellimur perquerere vobis ſpiritualia milla promamus.Cernere in beato viro licebat virtutes omnes virginitatem cum ſinceritate coniunctam, modeſtiam cum verecundia,prudentiam cum ſimplicitate, ſeueritatem cum manſuetudine, eruditionem ſiue ſcientiam cum humilitate: denique vitam immaculatam,vitam nulli reprehenſioni obnoxiã,vitam ſui ſemper ſimilem. Væ mihi miſero Cypriano,qui ad dicendũ tam tepidus fui,vt modo,& agnoſcam,&doleã,me de tanti fontis vbertate non tantum hauſſiſſe quantum mea poſtulabat auiditas. Siquis vero charitatis eius eximiæ, qua mortales omnes complectebatur,ardorem imitari queat?Erat illi hoc vel maxime in ore,& in pectere,vt inimicos diligeremus, quo etiã nos tum ſermonibus ſuauiſsimis, tum exẽplis ſuis prouocabat,denique biennio,antequã è vita excederet, merces pro rectè factis eius in cœlis repoſita,in Spiritu ei oſtenſa eſt, dictúmque eſt illi: *lætare in domino:Ecce enim quæ tibi parata ſint pro labore tuo.* Multa eius adhuc ſuperſunt,& præclara,quæ prolixitatis declinandi cauſſa omittimus. *Hic author prodit nomen ſuum.*

PIO LECTORI

VINC. SALER. S.

HVcuſque doctiſſimus frater Laurentius Surius vir vndique laudandus & vt religione Chriſtiana benè meritus tomo quarto vitarũ ſanctorum hanc S.Cæſarij Archiepiſcopi Arelatenſis hiſtoriã tradit. Iſta autem quæ hic ſequuntur partim euitandi prolixitatis faſtidium cauſa (Ipſo teſte) omiſit,tum quia in exemplaribus vſus eſt non extabant, vt apertè ipſemet fatetur his verbis. Hoc loco deſunt nonnulla in duobus manuſcriptis codicibus quæ ſola habuimus. *Nos verò qui & pleniorem hiſtoriæ ſeriem ſummè cupimus & codicem manuſcriptũ nacti ſumus vberiorẽ ea hic libenter apponimus:ſunt enim digna aterna hominũ memoria& ad eximij præſulis Cæſarij præsbyteris& Diaconibus exarata.Benè vale amice lector.*

IN ipſo namque (nempè ſancto Cæſario) reſplenduerunt ſingulæ quæque virtutes, virginitas cum ſinceritate, modeſtia cum verecundia, ſapientia cum ſimplicitate, ſeueritas cum manſuetudine, doctrina cum

humilitate, vita denique immaculata, irreprehensibilis, vita sibimet semper æqualis, charitatis autem eius ardorem qua omnes homines dilexit quis poterit imitari, ille hoc maximè & corde & ore gestabat, & vt inimicos diligere deberemus hortatu blandissimo, sermone & exemplo laudabiliter instruebat. Vix aliquis illo affectu pro charis, quo ille pro inimicis orabat: & licet non essent causæ quibus illi quisquam inimicus existeret nisi fortè pro inuidia aut disciplina aliqui æmuli esse viderentur. Ille tamen eos non solum paterno, sed etiam materno diligebat affectu hoc sæpius nobis insinuans quia cum dilectio vsque ad inimicos extenditur, fieri non potest vt proximus non ametur. Docuit præterea memoriter quandiu potuit altáque voce semper in Ecclesia prædicauit, in quo opere tam pia atque salubris eius prouisio fuit, vt cum ipse pro infirmitate iam non posset ad ipsum officiũ peragendũ accedere præsbyteros & Diaconos imbueret atque statueret in Ecclesia prædicare quo facilius nullus Episcoporum se ab hac necessaria cunctis exhortatione cuiuscunque impossibilitatis excusatione suspenderet, hæc dicens, si verba domini & prophetarum siue Apostolorum à præsbiteris & Diaconis recitantur Ambrosij Augustini seu paruitatis meæ aut quorumcunque doctorum catholicorum à Presbyteris & Diaconis, quare non recitentur? non est seruus maior domino suo, quibus data est authoritas Euangelium legendi, credo & licitum esse homilias seruorum Dei seu expositiones canonicarum scripturarum in Ecclesia recitare. Ego me exuo hoc instituendo sancti sacerdotes qui hoc implere contempserint causas se inde in die iudicij nouerint esse dicturos, non quidem credo quod quisquam tam obduratum sensum habeat, vt cui Deus dixit. *Clama ne cesses*, nec ipse clamet nec alios clamare permittat. Timeat illud væ tacentibus quoniam loquaces muti sunt: & illud Apostoli: *canes multi non valentes latrare.* Etenim quantæ oues tacente sacerdote oberrauerint de tantorum animabus redditurus est rationem prædicationes quoque congruas festiuitatibus & locis. Sed & contra iracundiam atque superbiam contra sacrilegos & Aruspices, contráque calendarum paganissimos ritus & contra Augures lignicolas, fonticolas, diuersorúmque errorum vitia fecit, easque, ita parauit, vt si quis Auenionsium peteret non solùm non abnuerit impartiri sed & si minimè suggesserit, vt deberet accipere offerret ei tamen & impertiret ipséque legeret. Longè verò positis in Francia, in Galliis atque in Italia, in Hispania diuersisque prouinciis constitutis transmisit per sacerdotes: Quid in Ecclesiis suis prædicari facerent vt proiectis rebus friuolis & caducis iuxta Apostolum bonorum operum fierent sectatores. Bonus ergo Christi odor per ipsum longè latéque diffusus est, flagrauit vbique profectibus quò non est conspectibus præsentatus, tetigit pectora quorum membra non contigit. Adiecit etiam hoc vt nunquam in Ecclesia, sua diaconem ordinaret ante trigesimum ætatis eius annum. Verum etiam hoc addidit vt nec in qualibet maiore ætate vnquam ordinaretur, nisi quatuor vicibus in ordine libros veteris testamenti legerit & quatuor noui sanctæ conscientiæ suæ testis sum ego peccator Cyprianus, quia quicquid aut aliis præcepit aut ipse fecit omnia propter dominum semper impleuit: quicquid autem prohibuit aut ipse vitauit, omnia in zelo Dei nihil carnaliter aut egit aut sapuit: Et quia nunquam otiosus ab operæ Dei esse voluit disposuit fabricare triplicem in vna conclusione basilicam, cuius membrum medium in honorem sanctæ Mariæ virginis cultu eminentiori confluxit, ex vno latere domini Ioannis ex alio S. Martini subiecit. Et vt aufferret sacris virginibus

Commendat prædicationẽ verbi Dei.

Prohibet ordinari Diaconem ante 30. annum.

Aedificat tripartitam Ecclesiam cum sepulturis pro monialibus.

quas

quas congregauerat curam neceſſariæ ſepulturæ, mobiles arcas corporibus humandis aptiſſimas de ſaxis ingentibus nouiter fecit incidi, quas per omne pauimentum baſilicæ conſtipatas ſterni fecit ordine, vt quæcunque congregationis illius de hac luce migraſſet, locum ſepulturæ paratiſſimum & ſanctiſsimum reperiret. Non multùm igitur poſt ipſum monaſterij matrem germanam ſuam Cæſariam ſanctam ad præmia Chriſti migrantem inter has quas præmiſerat inibi ad medium throni iuxta eam quam ſibi parauerat condiderunt ſepulturam, ſuccedenti eidem quæ nunc ſupereſt Cæſariæ matri. Cuius opus cum ſodalibus tam præcipuum viget & inter pſalmos atque ieiunia, vigilias quoque & lectiones libros diuinos ſcripſiſſent virgines Chriſti ipſam matrem magiſtram habentes. Inſiſtebat itaque vt ſolitus erat orationi, lectioni & eleemoſinis beatus homo prædicationibus inceſſanter omni dominica, omnibúſq; diebus feſtis, frequẽter etiam matutinis ad lucernariũ propter aduenientes, homeliæ recitabuntur vt nullus eſſet qui ſe de ignorantia excuſaret, obedientes inuitabat, ſolicitos inſtruebat, renitentes verò acriter conteſtabatur, quia ſicut fidelibus in die iudicij digna eſſet retributio conferenda, ita & hos dignè indignationis vltio ſequeretur. Statuit etiam regulariter vt nubentes ob reuerentiam benedictionis ante triduum coniunctionis eorum eis in baſilica benedictio daretur tanta denique bona in ſe largiente diuina gratia habuit vt de audientium profectibus & de diſcipulorum ſequacitate, & de virginum conſecratione, vt non vno tantum ſit meritò coronatus: ſed inter tantas ac multiplices coronas decorus cantibus meritis ſuis cingetur, vt totus in corona gloriæ demutetur: multi quidem æmuli ſurrexerunt qui eius reſiſterent doctrinæ de gratia prædicandi: ſed ô fœlicitas æmulanda, etenim, ſuſurris & mala interpretatione quorundam oboritur in Galliarum partibus contra prædicationem Dei hominis fruſtra ſiniſtra ſuſpicio. Ob hoc antiſtites Chriſti vltra Iſaram conſiſtentes charitatis amore collecti in Valentina ciuitate conueniunt, vbi etiam beatus Cæſarius infirmitatis cauſa ſolicitans, ſicut diſpoſuerat properare non potuit: Miſit tamen præſtantiſſimos viros de Epiſcopis cum presbyteris & diaconis, inter quos etiam Cyprianus Tholonenſis Epiſcopus Antiſtes magnus & clarus enituit, omnia quæ dicebat de diuinis vtique ſcripturis firmans, & de antiquiſſimis patrum inſtitutionibus probans, nihil per ſe in diuinis profectibus quemquam arripere poſſe, niſi fuerit primitus Dei gratia præueniente vocatus. Sed dum ſuam iuſtitiam quærebant ſtatuere iuſtitiæ non erant ſubiecti, non reminiſcentes dominum dixiſſe, *Sine me nihil poteſtis facere*, & *Ego vos elegi, non vos me*, & *Nemo habet quicquam niſi datum illi fuerit de ſurſum*, & Apoſtolum, *Gratia Dei ſum id quod ſum*, Et alium, *Omne datum optimum de ſurſum eſt*: & Prophetam, *Gratiam & gloriam dabit Dominus*. Et quod tunc verè liberum homo reſumat arbitrium, Cum fuerit Chriſti liberatione redemptus ſub qua etiam abſolutione valeat conſequi perfectionis effectum, quorum intenſionibus vir Dei Cęſarius dedit veram & euidentem ex traditione Apoſtolica rationem. Nam beatæ memoriæ Bonifacius Romanæ Eccleſiæ Papa eandem colluctatione comperta calcata intenſione iurgantium proſecutionem ſancti Cæſarij Apoſtolica authoritate firmauit donante Chriſto paulatim Eccleſiarum Antiſtites præceperunt, quod optauerat diabolus repentina animoſitate ceſſare. Hoc itaque iure definito pręſtolãtibus fratribus ſummus Pontifex quibuſcunque prædicabat dicens: *Si amas Dei verbum impectoratum vtique retines quod inieci, amore namque diuino congruebat decalogi ſumma perfe-*

Synodus congregata Valentiæ.

Summus Pontifex concionatur.

ctio,vt in te ſibi charitas Chriſti deuinxerit. Reddas etiã ipſe cũ homine participata largitate commune: ſed ne parentum, amicorum, ſiue clientium, de hoc alloquio noſtro tantummodo credas animas eſſe paſcendas. Teſtor te coram Deo eiuſq; Angelis ſanctis, reus eris ſalute mancipiorum ſuorum quorumlibet infirmorum, ſi non æque illis vt amicis, vel parentibus cum reuerſus fueris quod prædicauimus inieceris. Conditionẽ namque tibi corpoream in præſenti ſubditum noueris eſſe mancipium non perennitatis vinculo mancipatum. Iterum quod ad eos quos fuerat allocutus dicebat. *Quid diximus, fratres? quid diſſeruimus? filioli. Quæſo vos, qui fuerunt noſtri hactenus in collatione ſermones? Si quid diligitis, retinetis, ſi retinetis, procul dubio noſtra dicta cordibus concluſiſtis. Taliter prouocando etiam inuitis ſtudium retinendi extorquebat.* Ad prandium verò & ad cœnam menſæ ſuæ ſine ceſſatione quotidie legebatur vt vterque interior, exterioráque homo ſatiatus refectione duplici lætaretur. In hac ergo arcta conſtrictáque concluſione audientes cum ſudore fateor & verecundia grandi multi ante eum mox obliuioſi ſunt agniti. Dum pauci quod peius eſt commiſſam narratiunculam potuerant ſaltuoſis compendiis replicare. In domo vero quidem Eccleſiæ ſuæ ſicut illo præſente, ita abſente conuiuium ſemper præparatum eſt clericis ſiue quibuſcumque aduenientibus nullus illo ſuperſtite tanquam ad extraneam ciuitatem, ſed tanquam ad propriam domum Arelatæ venit. Cum grandi zelo & feruore ſpiritus ſolicitudinem gerens de Eccleſiis, de monaſteriis, de peregrinis, de viduis, de infirmantibus, de quorum cauſis ne aliquis contra veſtigia opprimeretur precabatur vniuerſos viros occurrentes ſibi tantæ charitatis affectu excepit, cum tam ſancto & dulci alloquio affatus eſt, vt partem ſe æternæ benedictionis percipere crederet quicumque eius expetiit præſentiam. Mulieres tamen intra domum Eccleſiæ non ad ſalutandum, non qualibet cauſa nec religioſæ nec propinquæ ancillæ nulla omninò fœminarum introeundi habuit licentiam. Et verè ſancta, cauta & perfecta conſuetudo vt abſcidatur omnis occaſio maligna, ſiue ſiniſtra ſuſpicio. Et quia de innumerabilibus eius bonis hæc pauca præſumpſimus attingere, ſufficiant manifeſta etiam ſi celamus occulta. Rogamus vos tamen ſancti fratres Meſſiane Presbyter & Stephane diacone quibus de illo multa comperta ſunt pro eo quod ab adoleſcentia in obſequio ipſius fuiſtis, vt huic opuſculo veſtram quoque collationem iungatis. Explicit liber primus.

Lectio ſemper ad menſam eius.

Omnes abigit à ſe mulieres.

Incipit liber ſecundus vitæ ſancti Cæſarij Epiſcopi Arelatenſis.

MEſſianus presbyter & Stephanus Diaconus dixerunt, de ſancti beatiſſimíque patris & ſacerdotis ac magiſtri noſtri domini ſcilicet Cæſarij conuerſatione atque virtutibus, denique illa dicturi ſumus, quæ vel ſimul vel ſigillatim de eo cognouimus, vel cum ſanctiſſimis Coepiſcopis eius, id eſt Domino Cypriano, & Domino Firmino atque ſancto Viuentio pariter vidimus, quia quæ de ipſo ſuperius ſcripta ſunt ab initio referentes vſque ad finem articuli concluſerunt & nobis permittere ac iubere dignati ſunt, vt vnuſquiſque noſtrum, quæ ſibi de geſtis eius eſſent benè cognita, fideliter enarraret. Non indigemus, vel ſi nobis ſuppeteret eloquentia ſæcularis quæ omnem facundiæ mundanæ tranſcendit ornatum ſanctarum veritas actionum. Ad quam pleniſſimè demonſtrandam illa nobis puritas, ſimplicitáſque ſufficiat, quam ipſe quoque beatiſſimus pater miracula quoque à nobis ſunt referenda perfecit. Maximè cùm frequenter hoc & ipſe Dominus communi ſuo habuerit in ſermone quicquid eruditè dicitur intelligentiam dotis tantummodo miniſtraret, quod verò ſimpliciter & doctos ſimul & ſimplices

Pulchra ſententia ſancti Cæſarij.

competen

competenter inſtrueret. Ergo ea quæ veraciter ab eo facta dictáve cognouimus aggrediemur Deo propitio verbis infucatis & integris pro parte qua poſſumus fidelibus auditoribus intimare,vt ex ipſis & infirmis compunctio, & perfectis gaudium, & ad perfectionem tendẽtibus miniſtretur exemplum. Incipiemus igitur quemadmodum recidamus breuiter opera eius ſancta Deo iuuante retexere.Petri diaconi huius Eccleſiæ filia, in qua omnis vtilitas domus ipſius conſiſtere videbatur, langore graui fatigante triduo iam muta iacebat.Pro qua re quondam die pedibus ſe beatiſſimi viri proſtrauit, dicens: *Miſere ſerue Chriſti ſenectuti meæ : venit hora, pro filia mea, quia confido tibi à Domino nihil eſſe negandum, pone manum ſuper eam, & ſalua erit : Iam enim per triduum muta oculis clauſis iacet, horiſque & momentis ſingulis exitum eius expecto.* Quo audito motus & compulſus lachrymis eius ad domum ipſius perrexit:vbi cum ingreſſus fuiſſet & omnes in ipſa domo cum patre fortiter flentes videret in oratione proſtratos, vbi velut alter Eliſæus ad caput eius inter anguſtias archæ & lecti ſe attraxit. Poſt orationem quam cum lachrymis fudit ſtatim reuerti ad domum Eccleſiæ cœpit: Erat enim conſuetudinis eius, vt cum Spiritu ſancto ſibi inſinuante preces ſuas exaudiri pro infirmis agnoſceret, ſtatim cum celeritate exinde diſcederet, ne ſi illo præſente fieret, quod ipſe à Domino impetraſſet aliqua arrogantiæ naſceretur occaſio, quia & reuera frequenter & dulciter quaſi in figura vt nemo intelligeret dicebat. *Cui animarum cura credita eſt fortiter debet timere curam corporum exercere.* Denique ſimplicibus magis quam doctis iſtud gratia diuina conceſſit. Vtinam in his quæ nobis miſericors dominus dedit diſcretionem nobis ſibi placitam cõcedat: Iſtud tamen à nobis indignis minimè eſt præſumendum.Diſcedẽte ergo eo cœpit iterum atque iterum clamare pater,poſteuntem : *noui quia ſi dominum tuum precaris redditur mihi filia mea.* Tunc ille vnum de cubiculariis ſuis reliquit, dicens.*Vade obſerua ibi,& poſt paulum veni & dic mihi quid agit puella.*Nec dum hora completa eſt & ecce illum nunciare: *Domine,inquit,reuerſa eſt ad ſe puella,ſupra quam oraſti,quæ hoc dicit, dominus Epiſcopus hic fuit cuius orationibus reddita ſum & ſana facta.* Pro qua re venit pater gratias agens & ſibi iam per orationes Epiſcopi reuocatum à morte filiam proteſtatus. Nam domino hodie denique annuente viuens huius rei ipſa per ſe teſtis exiſtit.Sed licet vt mos ſeruorum Dei eſt,ſemper virtutes faciendas excuſent.Is præcipuè ſeruus Chriſti,& quando ad præſens ſibi præſtari inſinuante domino confidebat, nec tunc temerè arripere,ſed cautè ſubterfugere volebat. Verùm ſiue ſtetiſſet ſiue fugiſſet nunquam poſtulanti defuit Deus quem ille in corde ſuo non ſolum in oratione & in obſecratione, ſed etiam in conuiuio in itinere,in collocutione,in conceſſu,in proſperis, in aduerſis etiam in ſomno ſecum ſemper habuit, denique nos ipſi vel conſeruaui noſtri qui in cella ipſius manſerunt, ſciunt quæ diximus, illum inter pauſas ſomni quas iam ætas non ſolum exigebat, ſed etiam pro infirmitate aliquotiens premebat,ſpiritu ſemper vigilante dicerer, tanquam admonens, qui pſalmum diceret *age*, nulli dubium eſt quod aut ſpiritualiter cum ſanctis pſallebat,aut certè illud impleuerit propheticam, *Ego dormio & cor meum vigilat*,frequenter etiã in ſopore poſitus de futuro iudicio vel de æterno præmio prædicabat.Interea non eſt meorum meritorum vt indignus preclara de famulo Dei referam, cùm igitur in cella ipſius Diaconus in ſeruitio illius ad iudicium delectus eſſem curam me inter reliqua etiam de nocturnis horis iuſſerat habere. Itaq; cùm de cella inferiore vbi manebam foras egreſ-

Aurea ſententia.

S.Cæſarius ſanat ægrotam.

S.Cæſarius ſemper cum Deo.

In ſopore ſuo pſallebat.

Curã pulſandi matutinũ iniungit Meſſiano.

ſus fuiſſem, quia omnibus rebus ſanctus vir ſemper modũ voluit cuſtodire, præcipuè ad nocturnos vigilantiſſimè obſeruabat vt abſque eo quod ſibi peculiariter Deo ſolo teſte dicebat, nullus ſuorum qui ſecum manerent excitaretur ante horam legitimam, tunc per ſomnolenſta clamabat voce, *duo ſunt, nihil eſſe medium.* Duo ſunt aut in cœlum aſcenditur, aut in infernum deſcen-

Duo ſunt aut infernus aut cœlum,

ditur. De foris cella ego reuertens ille vigilabat, ait ad me, *quid iam, inquit, hora eſt ad nocturnos, ego dixi, non eſt hora, adhuc tempus eſt. Et ille verè hora eſt, & reuera ſic erat, tunc impleuimus nocturnos, & dixit mihi: Cuidam per ſomnium cum grandi intenſione clamabam, duo ſunt, duo ſunt, non eſt quicquid medium aut in infernum aut in cœlum itur. Ego reſpondi conſuetudinem tuam facis inceſſanter clamare.* Tunc ego peccator arbitratus ſum quod ſemper ille de Deo & cum Deo loquebatur: hic enim vt ſuprà dictum eſt ſic omnium virtutum amator fuit vt nullum bonum fuerit quod vel per ſe non cum alacritate exercuerit, vel cum feruore ſpiritus alios haberet & voluerit & docuerit. Inter omnia igitur bona, quæ generaliter & vt fierent docebat & mala quæ nulla omninò fieri pronunciabat præcipuè quod benigna & ſincera conſcientia veſtra nouit, infidelitatis, mendacij, ſuperbiæ, luxuriæ vitia eſt ebrietatis impatiẽtiſſimè om-

Odit vitia & orat pro peccatoribus.

nimò abhorrebat. Ieſu bone! quibus gemitibus, quibúſve ſuſpiriis, quo fletu pro peccatoribus ſupplicabat, vt iã videres hominem Dei tanquã in præſenti conſpicere, miſerum peccatorem ad gehennæ ſupplicia deſtinari. Denique ſecundum Apoſtolum nunquam ſibi ſoli vixit, nunquam pro ſe ſolo orauit.

Paſcit pauperes captiuos.

Quodam igitur tempore cum velut ad cumulum meritorum ſuorum vndique captiui Arelato redimendi non fruſtra exhiberentur, magna multitudo redemptorum ingenuorum & multorum nobilium venit, quia ab ipſo viro ſancto quotidie paſcebantur. Tunc acceſſit ordinatos domus ipſius & cœpit ipſum conteſtari & dicere. Captiui iſti vadant domine per plateas & petãt vnde comedant quia ſi hodie conſuetudinariè ab Eccleſia paſti fuerint, craſtino ad menſam tuã vnde panes fiant non habebis. Tunc ille fiducialiter cellam ingrediens ad orationis conſuetudinaria ſubſidia confugiens, vbi nunquam teſtem hominem habere voluit, expetiit à domino ſubſtantiam miſeris dari. Nam ſi quis fortè vbi ille ſolo ſtratus orabat caſu ſuperueniſſet fortiter abhorrebat. Itaq; tã profusè fleuit & vt ſtatim impetraret quod poſtulauerat. Tunc ergo inde exiens cum alacritate & fiducia quodammodo infidelitatem ordinatoris obiurgans, Meſſiano presbitero tum temporis Notario dixit. Vade inquit, ad horreum & ita verre vt nec vnum granũ ſi fieri poteſt hic remaneat & fiant panes ſecundum conſuetudinem, & omnes ſimul manducemus & ſi craſtino panis defuerit omnes ieiunemus dummodo hodie bene nati homines ſeu reliqui captiui nobis edentibus & bibentibus non eant per plateas mendicare. Vocans tamen vnum è nobis in aure & dixit, cras dabit Deus, quia qui dat pauperibus nunquã egebit. Etenim ipſis captiuis adhuc nõ licebat ad propria remeare, quid multa? Impletur quod iuſſit, murmuratur ab omnibus Eccleſiæ conuiuãtibus vnde eſſent alia die comeſturi. Sed qui Eliæ prouiderat mulierem viduam ad quam veniendo pauxillum ſuſtentaretur, & iſti proculdubio cum oraret ſine ambiguitate inſinuauerat, omnia captiuis

Pro panibus captiuis erogatis tres naues tritico onuſtas recepit.

& peregrinis erogando, nihilq; omninò ſibi reſeruãdo, vt ſemper vberius ditaretur. Denique alia die, quam pallentes luceſcere metuebant hi, qui ope Eccleſię ſuſtentabantur, & cũ minimis ſuſpiriis expectarent quid ageretur Gundobaldus & Sigiſmundus Rex Burgundionum ſcientes quam alacer ſeruus Dei ad opera miſericordiæ feſtinaret, antequam ipſa lux diei clareſceret tres

naues

naues quas Latenas vocant maiores plenas tritico direxerunt. Et omnes qui pridie incredulitatem famis periculum metuebant, videntes quod dominus ſeruo ſuo nunquam deeſſet, gratias cum gaudio Deo in neceſſitate ſubueniẽti maximas referebant. Quodam igitur tempore patritius liberius inſidiantibus Gotthis, quos viſigotthos dicũt, lanceæ vulnere in ventre vſque ad vitalia perfoſſus eſt, & quia trãs Durenciam periculum ipſum geſtum fuerat, turbatis omnibus concurrentibuſque poſt ipſum percuſſorem, ille ſolus remanſit periculo vulneris ipſius perterritus & ſpe ſuæ vitæ deſperatus quantum poteſt homo, donec fiat exanguis propè non minus quingentos aut eo amplius paſſus in aliam ripam propriis pedibus transfugit. Sed cum ad locum Arnaginem vbi homines ipſius vici occurrere potuerunt, peruenit, omninò ſine vlla ſpe vel reſpiratione animæ cadens iacuit. Hæc enim omnis pene ciuitas nouit, tamen quæ diximus magnificentiſſimo viro ipſo referente cum lachrymis & grandi admiratione virtutes viri ſancti cognouimus. Tunc (inquit) vir ille referebat nobis, nihil niſi in ſupremum meum halitum aliud in memoriam venerat, niſi cum lachrymis proclamarem: omnia remedia ceſſauerunt, dominum meum Cæſarium rogate, vt mihi ſubueniat, quod nos ex eius, qui miſſus fuerat velocitate verum eſſe cognouimus: nam dum in agro ſancti Monaſterij ſui aliquantulum & quieſcere & ordinare aliqua voluiſſet ibidem cœperat paulum remorari, & ecce ſubitò qui miſſus fuerat anhelans venit ſuppliciter depoſcens, citò propera, inquit domine, filius tuus, vt ante obitum ſuum illum videas, rogat: & cum nullum ſine medicamento pœnitentiæ vir Dei de hoc mundo voluiſſet recedere, illum præcipuè ſine hoc remedio nolebat abire: ſtatim enim ad vicum Arnaginenſem peruenimus. Ergo ſicut ſupra dixi, ea, quæ vir ipſe mihi ex plurimis retulit, indicabo. Nam cum exanimis iaceret vt non ſolùm omnes reliquos ſuos, ſed etiam ne coniugem vel filiam vnicam agnoſceret, tunc ipſe cùm ſacramento dicebat, ſibi fuiſſe viſum humanam vocem audiſſe quæ illi in aëra lentè loquens dixerit. Ecce, ſanctus Epiſcopus venit: ſtatim ad ipſam vocem oculos aperuit, & ipſum famulum Chriſti venientem cognouit: ſed vbi ad me acceſſit manus illius quantum neceſſe erat mihi, qui ſpem vitæ amiſeram, oſculari fortiter inſtitui. Tunc ego vt credidi Deo mihi peccatori inſpirante birrum ipſius Domini mei apprehẽdi & vulneri meo impoſui: ſed cum ibidem paululum partem ipſius veſtimẽti tenuiſſem in eadem hora ſanguis, qui penitùs non deſiſtebat fluere ita deinceps ceſſauit vt non ſolùm ſanitas, ſed etiam virtus maxima mihi redderetur, & ſi permiſſus fuiſſet equo inſiſtens ad ciuitatem nitebar properare, quod etiam apud nos qui præſentes fuimus veriſſimum eſſe conſtat. Igitur illuſtriſſima fœminarum Agreſſia matrona eiuſdem viri cùm mulieris illius, quæ extremam fimbriam veſtimenti Domini tetigit, infirmitate laboraret, non diſſimilis fide & deuotione liberata eſt, cùm ad occurſum eius veniſſem illa familiariter dignabatur meam paruitatem infirmitatem ſuam cum verecundia matronali prodens, cœpit ſub obteſtatione Domini multis precibus expoſcere à me vt vnum pannum de teſſellis illius, quem nudo corpore habuiſſet, ſibi ferrem. Cumque ego in cella beati viri eſſem, & facilè potuiſſem facere quod ſperabat, timere tamen cœpit, ne vnde illa ſibi remediũ petebat, ego peccatum ex furto incurrerem. Tunc cubiculario, ad quem veſtimenta ſancta pertinebant, id indicauit: quod aliquis pro fide teſſellum ſibi deportari poſtulaſſet, quare vnum vetuſtum mihi dare, non diſtulit. Domine Ieſu Chriſte qui glorioſus es in ſanctis tuis

Sanat leprã. liter vulnera tum.

Sanat fluxũ ſanguinis in muliere.

& quis tibi ſimilis,tu promiſiſti quod ſignis in te crederet opera,quæ facis,& ipſe faceret. Nam cum apud me iam ſeruaretur pannus ille deportandus,cùm eſſet ſerò,ea conſuetudo erat ei vt antequam quieſceret,teſſelli adhiberentur calefacti ad ignem & aliis detractis apponerentur. Exhibiti ſunt,prout opus æſtimauit,qui ſeruiebat. Cui ille, non iſtos, inquit, illum talem atque talem volo,exhibiti ſunt alij veteres.Non eſt hic, inquit, quem quæro. Exquirens, quod non conſueuerat:vt innoteſceret quod ſpiritu præuidebat:tum nutibus ego & ille, qui mihi dederat cœpimus recognoſcere, quod ſeruum Dei furtum noſtrum non potuiſſet latere, vt perſpicuum & euidens eſſet, quod famulus tuus, Domine, nobis indignis de donis illis, quæ ipſi tribueras, potuiſſet dicere,tetigit me aliquis.Tunc ego velut pro illa,quam tu Domine Ieſu per orationem ſerui tui ſanaſti,ego timens & tremens, quod factum fuerat,cœpi ſeruo tuo fateri, dicens. Indulge Domine, egomet pannum quem quæris,habeo:filia tua (vſque hic me loqui permiſit) ille autem cum ſibillo ſilentij,tace,inquit.Et vt erat pius apprehendit etiam alium teſſellum, & dedit mihi dicens, vade, porta ambos ad baſilicam Domini Stephani & mitte illos ſub altare, & ibi maneant & vnum horum porta mane ad eam quæ te rogauit,aliumque mihi reuoca. Sicut mihi iuſſit,feci,& tamen deinceps nullum vnquam à me requiſiuit,eumque illa fœmina exactrix eſſe nõ deſiſteret, vt quod petierat deportarem videnſque me eminus veniẽtem porrectis procul manibus antequam darem,iamque raptura,quod exhibebam impetu obniat,vt mihi & priuſquam de ſub caſula velarem pannum, quem fidei alacritate popoſcerat, rapere ſatagebat. Ego verò præferens dedi ei,illaque ſuper veſtimenta ſua circa ſe poſuit:priùs tamen oculis admouit, & cum deuotione deoſculans vt dignum erat honorabat. Nec mora ſtatim affuit Domino tribuente fidelis petitionis ſuæ effectus, & iam veſtimenta ſerui Dei habuerunt,quod & poſt tranſitum eius habere noſcuntur. Denique vt ſolebat ipſa fateri cum ipſum pannum ad pectus ſuum poſuiſſet,ſtatim velut ij qui ſolent aqua frigida reſpergi, ita omnia membra vel venæ eius etiam paruo dolore in obrepilationem ſuſpenſa ſunt,vt corpus eius aliquantum horrore ſimul & tremore quateretur.Sed illicò Dei miſericordia affuit & fluxus qui erat, diſceſſit. Et nunquam amplius ad illam rediit:impletumque eſt in ea. *Vade filia, ſecũdum fidem tuam fiat tibi.* Factum eſt vt quidam tempore quatuor aut quinque Epiſcopi ad occurſum eius veniſſent:eum quibus ad lucernarium in baſilica ſancti Stephani deſcenderit. Cumque expleto lucernario benedictionem populo dediſſet,egrediẽtibus illis mulier quædam in ſalutatorio occurrit quæ tam horribilem infirmitatem incurrerat,& die nocteque inceſſanter manus eius ita inter ſe colliderentur quaſi aliquid voluentes quæ lachrymabiliter clamauit. *Domine Cæſari miſerere infœlici: ora pro me,vt mihi manus mea reddãtur,* illius vt erat conſuetudo,in oratione cũ aliis Epiſcopis proſternitur cũq; vterque ſurrexiſſet,inclinato capite vni de ſanctis Epiſcopis dixit.Rogo frater ſigna manus mulieris huius qui obedientiſſimè paruit, ſed nihilominus præfatæ manus mulieris ſolito voluebantur, illa vehementius clamans dixit Domine Cæſari, ad te clamo, te rogo,tu ſigna: iterum in orationẽ procumbit erigenſque ſe crucem ſuper manus infirmas fecit, quæ ſtatim ſteterunt.Mulier verò gratias agens ſana rediit: nam cum ad benedicendũ oleum annis ſingulis competẽtibus diebus in baptiſterio veniſſet & ingrediens cocinnulam ad conſignandos infantes ſederet paruuli illic pueri vel puellæ à parentibus miſſi certatim currebant exhibentes vaſcula cum aqua, alij cum oleo,

Sanatur mulier eius amictu.

Sanat tremulã mulierem.

oleo, vt eis benediceret, eumque ij qui deferebant contra ſe Vrceolos & ampullas pro multitudine populi comploderent, ſonus audiebatur percutientium & videbatur: & tamen vitrum in quo benedictio ſerui Chriſti effuſa fuerat nullum fractum eſt. Quodam tempore dum Dioceſes viſitatet, ad caſtellum quod *Luco* dicitur venimus, erat ibi matrona quędam Eutyria nomine quæ ancillam ſuam offerens ante pedes eius proſtrauit, pro qua & domino ſupplicaret, orabat, ille autem, vt erat vir deo plenus, & in omnibus humilimus quid infirmitatis haberet, interrogauit. Dixerunt, dæmonium quod Ruſticidianam vocant, quæ ſic affligitur, vt penè omnibus noctibus aſſiduè cædatur, & ſæpè in Eccleſiam ducitur inter duos viros vt maneat & ſic à flagris diabolicis occultè atteritur, vt vox continua eius rogans audiatur, & eis qui ſibi adhærent reſpondere penitùs non poſſit. Tunc omnibus qui ſeruo Chriſti aderant, poſcentibus vt rei veritas appareret, videre petierunt: permittente igitur ipſo domino ſanctus Lucius præsbiter & Didimus Diaconus qui eo tempore cum ipſo per parrochias ambulabant: ad eam ſecretius videndam properarent, in quorum etiam & ego obſequio perrexi. Si mihi fideles credunt coram Deo dico oculis meis vidi plagas quas ante aliquot dies in dorſo & in ſcapulis acceperat, ad ſanitatem venire. Pridianas autem & ipſa nocte impreſſas accedentes inter illas intextas. Tunc iterum exhibita ante illum ita toruis luminibus oculorum confuſa eſt auerſa ab eo facie apparuit, vt omnibus innoteſceret, in faciem ſerui Dei minimè eam poſſe reſpicere. Sed ille capiti eius manum imponens benedixit ei, deinde oleo benedicto nocturnis horis perungi iuſſit, ſtatimque ita ſanata eſt, vt inde tentatio dæmonis ad illam non reuerteretur. Alio vero tępore cum in Diocœſi veniſſemus, infans annorum circiter octo clericali habitu ad altare venit, vbi poſt prædicationem, quam non ſolùm in ciuitate, ſed etiam in omnibus parrochiis cum potuit per ſe memoriter facere minimè diſtulit. Cùm de cancello ad altare reuocaſſet miſſam iam cœperat celebrare: infans verò ipſe grauiter à ſpiritu nequiſſimo cœpit vexari. Nam tremore & ſpumis horribiliter quatiebatur. Tunc nos omnes terror non modicus inuaſit, ille verò oculos in cœlum eleuans preces ad dominum pro curatione eius direxit, & cœpit iterum omiſſo illo ad miſſas faciendas ſe conuertere. Tunc quidam præsbiter Cathonocenſis Eccleſiæ Vrſus nomine, infantulum ipſum ante pedes eius proiecit quod ille egreſſus ſuſpiciens ait, parcat tibi deus Benedicte iſtud aliorum opus eſt, non meum. Et licet propter humanam arrogantiam denegaret: non tamen ſeruo ſuo defuit virtus diuina: ſtatim autem vt ante pedes eius puer proiectus eſt, ſanè ſurrexit nec vnquam ad eum ſpiritus nequitiæ rediit, quem etiam ſubdiaconum in ipſa Eccleſia vidi: nam cum ad Citariſtanam parrochiam veniſſet viſitandam cuiuſdam Nouati nominis filia tam nefandum & noui generis dæmonium videbatur incurriſſe: vt ſi quando pedem extra oſtium domus ſuæ miſiſſet ſtatim multitudo coruorum in faciem ipſius lacerantes irruebant & illa tremore quaſſata vel cum ſpumis volutante omne illius nudum quod reperiſſent corpus, hoc eſt faciem, ceruicē vel quicquid aliud inueniſſent deturparent, quæ dum ſancto viro exhibita eſt vſque ad baſilicam quam ingreſſa eſt, vbi vir Dei erat ſuperueniētes coruos nos vidimus eminus volitantes circa eam. Nec tamen auſi iam importuni irruere: nam cum ante ipſum veniſſet videns faciem ipſius deformiter laceratam nobis ſecretius dixit. Nunquam iſto genere diabolum inſidiatum alicui vel legi vel vidi. Tunc ante ſanctum altare ſuper caput eius manus imponēs oleum benedixit eiuſq;

Oleo benedicto curat energumenam.

Sanat puerū dæmoniacum

Fugat dæmonem malignum.

oculos& aures inunxit,quo facto cunctis videntibus per plateam ad domum ſuam reuerſa eſt ſana.Per biduum quo ibi fuimus ad Eccleſiam proceſſit, incurſúſque ille malus deinceps nunquam ad eam rediit.Deuoluto itaque tempore venit ad agrum Eccleſiæ noſtræ vbi Diocœſes ſunt qui Succentriones vocantur : balnearia ibidem grandibus faſtigiis conſtructa ſunt, vbi ſingulis momentis ſi quis caſu tranſiret ſtatim nomine proprio cum clamore vocabatur,& illicò ſibi ingentia ſaxa ante pedes aut poſt ſe cadẽtia cum metu aſpiciebat,cauentibus vniuerſis ne illac vnquam præterirent : vnde etiam monebantur omnes neſcientes ne in illud periculum inciderent : inde prætergredi non debere. Cùm ecce vir Dei Cæſarius per eadẽ loca ad aliam pergeret Eccleſiam clericus cui cura erat baculum illius portare (quod notariorum officium erat)oblitus eſt,in quo miniſterio inutilis ego ſeruiebam,dumque incolæ loci illius cum eum inueniſſent gaudentes dicebant,ſibi à domino præſtitam vt aliquid illius reperiſſent mirantes & agunt Deo gratias, Virgamque ipſam de pariete illo ſuſpendunt deferẽtes ad locum vbi dæmonum incurſus audiebantur.Statímque fugatæ ſunt inſidiæ diaboli, & vltrà nulli in loco illo nocere aduerſarius ipſe præſumpſit. Accidit etiam quodam tempore vt vnus ex Gallis *Benenatus* nomine non opere, veniret quique ſe deplorabat cum nepotellis ſuis captiuum eſſe. Hic habebat puellam paruulam quam virili habitu induens ad ipſum demonſtrans dicebat. Hic nepos meus eſt, & mecum cum ſorore ſua quæ poſt nos huc properat captiui detinentur. Tunc vir Dei dolẽs de captiuitate eorum pro affectu, quem ei dominus ab infantia inſpirauerat illum qui puellam ipſam exhibuerat & ipſam,velut puerum credens,vtrumque blandè reſalutans obſculatur. Igitur accepta vterque redemptione vnde ibi applicuerãt reuertuntur, poſt biduum iterum puellam ipſam in habitu proprio vt amplius ſolido acciperet,reuocat. Hæc verò agebantur per ſuggeſtionẽ ſancti viri Iacobi præsbyteri,qui ſancta ſimplicitate ſua omnia illum in veritate quæri inſinuabat, túncque idem huius Benenatus puellæ redemptionem iterum accepit, nam quorum tunc ſolicitudinis fuit cognouerunt,quod ipſam poſtea exhibuerat, quam prius virili habitu demonſtrauerat quod cum indignatione ſancta Dei non ſolus, ego, ſed etiam ſupradictus præsbyter ſimul & cum verecundia ſuggerebat. Tunc ille vt erat circa peregrinos ſemper mitiſſimus & benignus Pręsbitero dixit,noli tu frater iraſci, tu bene feciſti peregrinum commendare, pro bona voluntate tua reddet tibi Deus mercedem,& tibi Miſello parcat Deus peccatum hoc, qui me fecit puellam deoſculari, & hoc præmium puella ipſa recipiat vt quia etſi indignũ ſacerdotẽ oſculari præſumpſit talem ſanctimonialem faciat vt alium virum nunquã oſculetur,ſed quia futurorum arbiter Deus ſciuit illam ſine dubio in virginitate perdurare nõ poſſe, ne ſerui Dei oratio irrita fieret alia die de hoc mundo diſceſſit. Hæ Arelatæ in baſilica Apoſtolorum vbi ipſe meatum habuerat celebre acta noſcuntur.Alio quoque tempore matrona quędam in vrbe maſſilienſi caſu pedem ſibi luxauit ita vt per tempora multa pedem ipſum in terra ponere non poſſet,ſed manibus ſuſtenta ſeruorum ſuorum vix ad Eccleſiam duci poterat validiſſimũ ſuſtinens dolorem, ſed quia multæ ſunt miſerationes domini, cum voluit cauſas effecit, vt vir Dei ad ciuitatem illam ambularet, audito mulier aduentu ipſius fecit ſe ad eum ſalutandum adduci, quæ accepta ab eo oratione & benedictione nihil illi de cauſa ſua pręſumpſit ſuggerere, ſed regreſſa ab eo ad cellam ipſius appropinquare ſe permitti rogauit,quæ de ſuperſellio quo cella tegebatur locũ,debilitatẽ fideliter tangẽs ſtatim

Baculo ſuo fugantur ſpiritus maligni.

Benè precatur illudenti ſe.

Venit Maſſiliam & ſanat mulierem.

ſtatim priſtinã ſanitatẽ recipiẽs tanquã nihil mali fuiſſet perpeſſa pedibus ſuis nullo ſuſtentante incolumis reuerſa eſt, domino vſque in præſens gratias agens. Quodam igitur die, quod multi nouerunt, hac in ciuitate cuiuſdam Ioannis domus ſuccendi cœpit, vicina monaſterio, appropinquare igitur ignis cœpit ita vt nulli dubium eſſet, omnia ibidem concremanda. Turbatæ igitur ancillæ Dei, quibus foras exire non licebat, libros & res, cellas & ſeipſas per ciſternas iactabant. Vbi Deo diſpenſante aqua deerat, ne illas deſperatio conturbaret, currentes præpoſiti monaſterij nunciarunt patri ipſarum quod iam ignis propè eſſet cellæ ſuæ, ille feſtinanter egreſſus media nocte per murum ad locum veniens vbi flamma vehementius incumbebat, oratione proſternens, ſe ipſiſque mandans & de muro clamans, non timeatis benedictæ: mox flamma ſæuiens virtutis ſuæ amiſit incendium. Nec hoc ſilebo quod etiam quodam tempore in Alpinis locis factum celeberrimum prædicatur, dum cuiuſdam fines nobiliſſimi viri tempeſtas aſſidua pernicioſa infuſione contereret cunctoſque fructus loci illius vis grandinis deuoraret, ita vt annis ſingulis nulla ibidem ſpes ſubſidij remaneret, euenit iterum vt baculus eius caſu ibidem remaneret, de quo poſſeſſor ipſe crucem fieri iuſſit quem eminentiori loco fide armatus infixit vt venienti lapidi contrairet & virga diſcipulo & crux magiſtri tantam ibi Deus ob honorem ſerui ſui dignatus eſt operari virtutem, vt ibi poſtmodum maximam vbertatem daret, vnde repulerat tempeſtatem. Item quadam die domum Vincentij cuiuſdam comprehendit, cuius ſolarium ex ligno factum flamma cedebat. Ille videns ſe nihil valere poſſe, quanta potuit velocitate ad beatum Cæſarium perrexit & genibus eius prouolutus rogat, vt oraret, qui annuens ei, egreſſuſque foras crucem contra flammam fecit, quæ ex continuo regrediens ita ſopita eſt, vt nec ſignum apparuiſſet in ſolarij tabulis. Retulit etiam nobis quidam præſbiter quod ante aliquos annos, dum adhuc Laicus eſſet filia ſua à dæmonio vexabatur, qui mœrens & lugens, vni ex amicis ſuis dixit: quid faciam infœlix, quod filia mea à dæmonio vexatur. Melius mihi fuerat, non nata aut mortua fuiſſet. Cui ille reſpondit, noli flere, ſed vade, adduc eam ad Dominum Cæſarium & offer eam illi ſecretè, & curabit eam. Ille verò nihil dubitans venit Arelatum & vadens occurrit, & proſtrauit ſe ad pedes eius cum lachrymis dicens, domine miſerere mihi miſero cura filiam meam, qui ſollicitè interrogans quid haberet, reſpondit. Dæmonium dixit ei tace, & reuertere in domum tuam manè cum matutinæ dicentur reuertere & adduc tecum puellam ipſam & matrem eius, & obſerua dictis matutinis in atrio ſancti Stephani, & cum ſecretum videris veni ad cellam & appella: ille verò fecit ſicut iuſſerat. Ipſe autem ſecretè egrediens & genua in terram figens cum patre & matre puellæ orauit, erigénſque ſe ſignauit eam & dimiſit ſanam. Iterum ambulans per plateam ciuitatis vidit contra in foro hominem, qui à dæmonio agebatur, in quem cum attendiſſet, habens manum ſub caſula vt à ſuis non videretur, crucem contra eum fecit, qui ſtatim à tentatione inimici abſolutus eſt. Nam illud quam ſanctum & dulce erat, cum per diem inceſſãbiliter opportunè, importune volentibus nolentibúſque verbum Dei ingereret, cùm iam ſerò quieſcere veniſſet vt vel vnius horæ momento de ſcripturis & de inſtructione ſancta non vacaret, aiebat ad nos, Dicite mihi quid cœnauimus hodie qualia fercula habuimus? Nos tamen tacentes ſuſpirabamus, quia illuc intellectus noſter ducebatur, quò ille ſolitus erat nos prouocare quod de cibo ſpirituali loqui volebat, & ideò nos interrogaret, dicebat iterum ſcio quod

Ab incendio liberat Cœnobium monialium.

Baculo ſuo fugat tempeſtates.

Iterum ſanat dæmoniacam & multos alios

Caſula eſt habitus monachalis qui dicitur cucullæ ſiue ſcapulare ſeu flocus.

ſi ſollicitus fuero quid cœnauerimus etiam & quod prandiſtis retinetis. Si autem interrogauerimus quid,ad menſam lectum ſit,non recordamur, vnde datis intelligi, quia illud nobis quod retinemus, dulciter ſapuit: illud verò quod non retinemus non ſolum ſaporem cordi noſtro nullum præſtitit, ſed etiam forſan fecit, & ingemiſcens dicebat, ô infœlix obliuio bonorum, quia nihil infœlicius,& inſipiens ab initio.quod lectum fuerat, vel expoſitum repetebat,nobiſq;miſellis voce prophetica cum gemitu dicebat,colligite colligite triticũ Domini,quia verè dico vobis,non diu erit vt colligatis videte quę dico,colligite,quia quæſituri eſtis,iſtud tempus.Verè verè quæſituri eſtis dies iſtos & valdè deſideraturi,quod etſi tunc abuſiuè deſiderium noſtrum ſuſcipiebat,iam tamen nunc veniſſe probamus,quod dixit. Illud propheticum in nobis completum eſt:*Mittam vobis famem in terram.*Famem inquit, non panis & aquæ,ſed audiendi verbum Dei,licet prædicationes,quas inſtituit recitentur, tamen ceſſauit illa ineffabilis vox, quæ implebat illud propheticum. *Clama ne ceſſes:*Hoc ſæpius dicens,palutus cuiuſcunque cùm verbum Dei faſtidit anima eius febricitat,cum ad ſanitatem venerit tunc eſurit,& ſitit,quod dum infirmatur repudiat & negligit.Nam illud dulciſſimum & ſanctiſſimum recticinium quis verbis vnquam valebit explicare: ſed dicebat nobis ſeruus Chriſti.Cœnam expediuimus vt potuimus,ab aſtantibus verò vel à cubiculariis ſuggerebatur propter laſſitudinem ſuam quia reſpirare vix fatigatus valebat vt quieſceret ille reſpondebat bene dicitis: ſed ſpectate modicum, tunc cubicularij inquiunt.Domine quid tu dicis?quibus ille,expectate,inquit ad menſam multum dicendo laſſaſtis & huc vſque non tacuiſtis, iam paululum reficite,& adiecit, bene dicitis, ſed quia cœnam expediuimus nullum reticinium facturi ſumus incognitorum conſcius nouit,quod dico, quia ſpiritus ſanctus cum cœpiſſet per ipſum eructari omnium vitia ita replicabat,vt omnes nos agnoſceremus & flagellis ſuæ eruditionis cædebat, & medicamentis diuinis leniens ad ſanitatem ſine vlla mora reuocabat tanquam ſpiritualis & ſanctus Organarius corda tangebat ſingulorum, ita vt exeuntes ab ipſo nobiſmet ipſis de hoc quod dictum fuerat aliquantulum reſonaremus, dicentes, vnuſquiſque ex nobis: Domine gratias tibi, quia iam nunc taceo malefactum, nec fuerit animus meus contra vllum fratrem meum, quia vtique vera ſunt quæ ſeruus tuus prædicat, malo iniuriam pati quam in die iudicij mihi iſte ſanctus in teſtimonio exhibeatur. Ille alius de ſuperbia eadem dicebat,alius de inuidia,aliuſque de quolibet vitio laborauerat, ſimiliter dicebamus, omneſque ſani animo & releuati ad cubilia noſtra, Domino gratias agentes reuertebamur. Nam qualem vultum, Deus bone, pſalmator ſancte,qualem faciem,qualem perſonam,quis poteſt vnquam exponere?Nos verò deſideramus in te ſancte pater,doctrinam,formam,vultum, perſonam, ſcientiam,dulcedinem,quæ ſpecialiter à domino inter cæteros homines habuiſti, quam ſancta fuit vita tua,quam purus & dulcis affectus,Domine Ieſu, quãta & qualia:Quis poteſt vel excogitare non dicam verbis exponere:nam cum ad benedicendos fontes procederet ſi ij qui viderunt ea quæ de eo audiunt teſtes ipſi idonei ſunt,quia ſibi credunt. Quis enim vnquam terrenum hominem eſſe in illa proceſſione credidit. Domine Deus cœli fiducialiter & veraciter dico, quia per iſtos quadraginta annos, quibus adminiſtrauit, quicumque eum viderunt die illa procedentem tanquam ſi nunquam ante vidiſſent, ſic ſemper in oculis omnium nouus

Poſt cibum repetebat quæ lectæ erant in menſa.

Memoranda ſententia.

S.Cæſarius multas compoſuit homilias.

Virtutes S.Cæſarij.

Quadraginta annos rexit Epiſcopatum.

apparuit

apparuit,reſplẽdebat cũ anima vultus,quia& reuera vita eius profectibus cõtinuis ſuccreſcebat vt ſemper ſeipſo fieret melior, vt non immeritò extrinſecus appareret quod intrinſecus gerebatur.Huic verò viſitationes non ſolum quorumque ſanctorum multotiens oſtenſæ verum etiam,quod eſt ſuper omnia, dominus Ieſus cum diſcipulis ſuis ſe in viſione ei reuelauit, quod non paſſim ille iactauit aut ſpiritu exaltatus eſt: ſed vni tantùm ſatis fideli perſonæ hoc confeſſus eſt, quæ coram Deo factum aſſerit. Verum etiam & ante biennium tranſitus ſui cuncta præparatio,quam percepturus erat pro omnibus operibus ſuis in cœlis in ſpiritu oſtenſa eſt,& dictum eſt ei, *lætare in domino, quia quæ præcipies ecce pro ſeruitio tuo:* Et quia adhuc multa ſunt, ſatis & magna,quæ propter prolixitatem præterimus:plerique,& ij qui nobiſcum illa nouerunt, dolebunt nos proculdubio prætermiſiſſe plurima quæ vtique nobiſcum ſciunt, quos vt ignoſcant rogo, quia indecorum eſt, & onoroſum aut barbarum eruditis auribus diutiùs loqui præſumere:aut mutum cum loqui non poſſit,velle amplius muſitare. Det Deus vt prius finem habeamus quam de amore,de nutrimentis, de charitate, de prædicatione, de omnino ſancta einis recordatione Domini noſtri ſanctiq́ue patris noſtri Cæſarij finẽ in animis noſtris faciamus. Tamen quæ etiam antequam iſta ſcribentur poſt tranſitum ipſius de reliquiis eius acta ſunt pauca referam.Cartarius publicus nomine Deſiderius cum multo tempore quartanis febribus fortiter ita vrgeretur,vt etiam prẽualida iuuentute careret aquam vnde corpus illud ſanctum lotum eſt paululum hauſit, atque ſtatim ita ſanatus eſt non ſolum febris ipſa iuuenem non repeteret, ſed etiam virtus & robur priſtinum in ipſo(domino annuente) rediret. Filius verò illuſtris viri Salui cum tertianis febribus ſatis grauiter vrgeretur, & eſt ſtudium talis viri crebris potionibus huic infirmitati competentibus illum ſtuderet mederi nihil prorſus iuuari potuit. Tunc & Chriſtianus, curre (inquit fili) & quære vt aquam vnde dominus Epiſcopus lotus eſt, aut certè de veſtimento ſuo reliquias laua, & bibe, & dominus dabit ſanitatem.Statim vt factum eſt, omnis febris & quicquid incommodum fuit ab eo diſceſſit.Filius etiam illuſtris viri quondam Martiniani grauiter febribus incommodis ſic angebatur vt etiam à Medicis deſperaretur,ille verò Deus promptius quibus vult mederi inſpirat, fide & alacritate cœpit petere, vt aliquid quod de veſtibus famuli domini erat,ipſi lauatum bibendum daretur.Tunc ad me vel ad reliquos abſentes,qui inde ſibi aliquid reſeruarant curritur apud quempiam quæſitum inuentam datúmque eſt de veſtimento quod exhibitum eſt,aquam ipſam ſumpſit, ſanuſque affectus eſt, huiuſq; miraculi teſtis per ſeipſum exiſtit. Alius verò eunte me per plateam Francus quidam iam totus frigore quartanæ febris incurrunt atq, tremebũdus ante ambulabat.Et cumvelociter ire diſponerem, quo cœperam,poſt me cœpit clamare,Benedicite,ſi habes,da mihi de pãnis S.Cęſarij propter frigora,quia multis iuuant,volo bibere.Ego qui velociter properare volebam quo cœperam,dixi,ſine,ſpecta, craſtino dabo tibi,quod quæris,ille ait.Ego hodie febrim patior & iam totus tremo,quando te expectare debeo? tunc ego non otiosè mihi illum in platea totiens ante poſitum cogitans dixi ad eum veni iuuenis.Ego tibi do,quod quæris,ſtatim regreſſi ſumus & cũ in cellam meam ingreſſi manus vterq; lauaſſemus protuli linteum ex quo ſanctum corpus dulcis domni terſum fuerat. Tuli ego paruulam partem vt darem ei, & ille Francus cum grandi furore ait ad me.Tolle homo quid mentiris? Ego audiui quod ille benedictus non linteum,ſed pannos in vſum habuerit quod ego

Inviſione videt præmia futura.

Miracula poſt mortem.

Aqua qua lotum eſt ſacrũ eius corpus ſanantur ægri.

S.Cæſarius nunquã vſus lineis.

lauari volo & de aqua de ſidero bibere. Tunc ego cum lachrymis dixi, bene dicis, verum audiſti. Sed hoc linteo corpus ipſius ſanctum quando tranſiuit deterſum eſt. Et ille. Ergo (inquit) das ſi ſanus ſim, accepto itaque ſtatim in eadem hora à domino ſanitatem ſenſit. Sed quia beneficia orationum ſeruiſ domini quæ corporibus & animabus Chriſtus per illum præſtitit omnino nulla valet lingua vt dignum eſt expedire. Licet ruſticitas meæ eloquentiæ quaſi fatua reſonet, quia nec peritus ſermone exiſto, tamen cum ſapientibus ſermo eſt, pauca & vera teſtimonia magna ſunt rerum emolumenta, ſenſus ſuos pro teſtimonio habent, qui fideli mente vera dicta ſuſcipiunt: illud tamen non prætereant quod nuper in cella ipſius ceſſit vbi corpuſculum quieuit, ex qua ad ſuperna migrauit, dicentibus ſanctis fratribus inibi præſtantibus capitulum ipſis præſentibus vnus de cubiculariis quos in obſequio habuerat dū Cicindilem concinnaret de manibus ſuper lapides lapſa eſt, quæ nec verſa eſt nec fracta nec extincta. Dum ergo hic velut ex officio, vt legimus eximium ſummúmque verbi opus oportunè importunè agit Dúmque ſacrum implet officium, adeſt Dei nutu, non tradente ipſo, vt criminabantur Arriani: ſed tamen iugiter exorant pro omnibus cum tranquillitate & quiete in Arelatenſium ciuitate glorioſiſſimi Childeberti catholicum in Chriſti nomine regnum cum virtute manſuetum, cum ſeueritate commune, cum humilitate conſpicuū ſacerdotes domini non terrore concutiens, ſed veneratione conſtringēs. In Galliis eminentius omnib⁹ in Eccleſiis cunctis æquale priuilegium celſitudini ciuitate humanitus recognoſcens, De hoc ergo homo Dei refectus pariter & lætus diſpexit Arriomācidas minas & crebras accuſationes, falſiloquia, ſimulationes confictas. Inde ergo & lætatus eſt, appoſitúſq; ad patres ſuos in ſenectute bona in Chriſti nomine plenus dierū. Cúm ergo eum ſemianimen ipſum redderet conſpectibus noſtris infirmitas. Et inter hæc ſeptuageſimū tertium gereret totius vitę tramitis annū è quibus quadrageſimū in pontificatu verteret circulus girū, animaduerteret per ſpiritum imminere ſibi tranſitus diem & inter non modicos quos patiebatur dolores ſciſcitatus eſt, quam proximo eſſet beatiſſimi Auguſt. depoſitionis dies, & cum imminere commemorationem eius didiciſſet, confido (ait) in domino, quod meum tranſitum non longè diuiſurus eſt ab ipſius patris Auguſtini natali, quia vt ipſi ſcitis quātum dilexi eius catholiciſſimum ſenſum tantum me etſi diſcrepantem meritis minimè tamen reor diſtantia longiore depoſitionis meæ diem ab eius obitus tempore ſequeſtrari. Interea creſcit aditúſque exitus Iſraël de terra Ægypti, id eſt animæ ſanctæ de hoc mundo corporalis vitæ migratio. Iubet ergo ſe in Monaſterio Virginum quod ipſe fundauerat cella famulantum manu geſtari quaſi conſolaturus anxias, quibus ſuſpitio tranſitus ſui abſtulerat ſomnum & cibum oblinio. Pſalmorum quoque ſono lachrymis intercluſo mugitum pro cantico & gemitum pro alleluya reddebant. Conſolatis igitur compellatiſque filiabus non alacritatem contulit, ſed mœrorem accumulauit. Etenim in promptu erat agnoſcere iam migraturum pium patrem. Alloquitur itaque primam quaſi more & dulcedine ſuæ ducentarum puellarum venerabilem Cæſariam matrem & conſolatur, atque ad palmam tendere ſuperne vocationis hortatur & vt teneant regulam, quam ipſe ante aliquot annos inſtituerat, monet ſeque etiam taliter eaſdem teſtamento ſuo, ſuccedentibus etiam ſibi Epiſcopis & reliquo præfecturæ clero vel comitibus ſeu ciuibus per epiſtolas

S. Cæſarius moritur anno 73. ætatis ſuæ.

Prauidit obitum ſuum.

Ante obitum viſitat moniales.

ſuas

ſuas commendat, quatenus minimè ferrent in poſterum futurum laborem. Erant conſtitutionis Monaſterij ipſius eo tempore anni pleni triginta. Dat ergo eis orationem & benedictionem vale vltimum dicens, illis valdè gementibus, ad Eccleſiam reuertitur, tertianaque die poſt ſancti Geneſij feſtũ id eſt, ſexto calendarum ſeptembrium ante diem, depoſitionis ſancti Auguſtini & poſt diem dedicationis Monaſterij ſui cum iam vale dixiſſet pridie cunctis, imminente hora prima inter manus qui aderant pontificum, & preſbyterorum ac Diaconorum beatam animam lætus emiſit ad Chriſtum, ſancti etiam corporis veſtimenta ita à diuerſis lamentantibus vel fidelibus populis pia violẽtia deripiebantur, vt aſſiſtentibus nobis presbyteris miniſtriſque vix potuerit vel à ſuſcipiendorum reliquorum patiẽtia reuocari. De quibus iugiter Deo præſtante ſicut ſuperiùs dixi, infirmorum curationes creberrimè celebrantur, admirabile quidem gaudium fuit in cœlis, in terris verò intolerabilem luctum reliquit quem luctum non ſolum boni, ſed & ſigni mali aderant ſimul participati ſunt. Nam ſi quis in exequiis illis cum ſuis vel extraneis propter lachrimas pſalmum cecinit, ammixti in turbam mali ve iuſti & iniuſti, Chriſtiani & Iudæi antecedentes cum ſequentibus voces dabãt. Væ, væ, & quotidie ampliúſve quia non fuit dignus mundus talem habere pręconem & interceſſorem. Sepultus eſt itaque in baſilica ſanctæ Mariæ ſemper virginis quam ipſe condiderat, vbi ſacra virginum corpora de Monaſterio ſuo conduntur. Nos quoque fideli deuotione & ſedulitate debita veneremur in terris, cuius animam confidimus, gaudemus & gloriamur quod præfulgeat in cœlis. Ad laudem & honorem Ieſu Chriſti Domini noſtri qui cum æterno patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat Deus per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

In manus Põtificũ reddit ſpiritum S. Cæſarius.

Sepelitur in Eccleſia S. Mariæ à ſe ædificata.

Explicit vita Beati Cæſarij Arelatenſis Archiepiſcopi & monachi Lerinenſis prima pars edita à Cypriano eius diſcipulo, ſecunda vero à Meſſiano presbitero & Stephano Diacono.

Gennadius de Illuſt. Eccl. ſcript. cap. 86.

CÆſarius Arelatẽſis vrbis Epiſcopus, vir ſanctitate & virtute celeber ſcripſit egregia, & grata valdè & monachis neceſſaria opuſcula: de gratia quoque & libro arbitrio edidit teſtimonia, diuinarũ ſcripturarum, & ſanctorum patrũ iudiciis munita, vbi docet nihil hominẽ de proprio aliquid agere boni poſſe, niſi eum diuina gratia præuenerit: quod opus etiam Papa Fœlix per ſuam epiſtolam roborauit, & in latius promulgauit: floruit hic eo tempore quo & Fauſtus, Anaſtaſio rempublicam gubernante.

Annotatio Petri Suffridi in Gennadium quam tamen Baronius tanquam à verò alienas confutat in notis Martyrologij Romani.

HIc ſcriptor in vulgatis vt & in quibuſdam M.S. Cod. non habetur quẽ & medicamenti gratia Gennadio inſartum eſſe ſupra dictum eſt in cenſura: certo autem certius eſt hunc ſcriptorem ad cathalogum Gennadij non pertinere, cum eum conſtet à ſtipulante etiam Trithemio, præſediſſe in Synodo Arelatenſi, floruiſſe etiam potiſſimum circa anno Domini. 670. Cum Gennadius non peruenerit vltra annum 490. ex quo etiam falſum eſſe deprehenditur quod in textu dicitur eum eodem tempore floruiſſe quo Fauſtus: nec obſtat quod eum referat Honorius, nam & Honorij ætate codices deprauati erant.

Honorius Auguſtudonenſ. de Illuſt. Eccleſ. ſcript.

CAeſarius Arelatenſis vrbis Epiſcopus, vir ſanctitate & virtutibus celebris ſcripſit egregia & grata & monachis valdè neceſſaria opuſcula: de gratia quoque & libero arbitrio. Floruit ſub Anaſtaſio.

Sigibertus Gemblacen. de Illuſt. Eccl. ſcript.

CÆſarius Abbas Lerinenſis ſcripſit & declamauit homilias vitæ monachorum congruentes.

Trithemius de ſcript. Eccleſiaſt.

CÆſarius ex monacho Lerinenſis Cœnobij, Epiſcopus Arelatenſis, vir in diuinis ſcripturis, valde eruditus, ingenio placidus, eloquio dulcis, & ornatus, & mira ſententiarum breuitate decorus, vita & conuerſatione ſanctiſſimus, quipe qui ab adoleſcentia ſua monaſticis diſciplinis inſtitutus. Abbas Lerinenſis multo tempore fuit, ſcripſit non ſpernendæ lectionis quędam præclara opuſcula, quæ Monaſteriis & religioſis Deoque dicatis perſonis valde neceſſaria & vtilia ſunt. De quibus extant. De gratia & libero arbitrio, liber primus. Sermonũ ad monachos, liber primus. Decretũ triũ Conciliorum Arelatenſium, liber tertius. De cæteris nihil reperi. In tertio ſermone, qui eſt de pugna monachi contra vitia, & ſe & eos quibus loquitur profeſſores & monachos ordinis & regulæ ſanctiſſimi patris noſtri Benedicti confitetur. Claruit temporibus Conſtantini Imperatoris filij Heraclij & filiorum eius. Anno Domini 670. ſub quibus Synodo Arelatenſi gloriæ præcedit.

Idem Trithemius lib. 2. de viris Illuſt. Ordinis ſancti Benedicti, cap. 16.

CAeſarius monachus & Abbas Lerinenſis cœnobij & poſtea Epiſcopus Arelatẽſis, vir doctus & ſanctus & egregius prædicator, ingenio promptus, eloquio ſuauis & dulcis, & pulchra varietate diſtinctus, ad perſuadendum ſatis idoneus: ſcripſit ad inſtitutionem monachorum palęſtras vtileſque ſermones de quibus nos viginti & duos duntaxat legimus. In quorum tertio ſe Beati patris noſtri Benedicti imitatorem profitetur & diſcipulum, dicens. Hæc itaque fratres chariſſimi cogitantes, & in hoc agone deſudantes glorioſi & præclari patris noſtri Benedicti nos diſcipulos nouerimus eſſe & filios. Cætera quæ ſcripſit non vidi. Claruit anno Domini ſexcenteſimo nonageſimo.

Idem Trithemius lib. 3. cap. 84.

CAeſarius monachus Lerinenſis cœnobij, Arelatenſis (vt ferunt) poſtea Epiſcopus, vir ſanctus & Deo dilectus qui multis claruit virtutibus, monachorum ſtudiis apprimè eruditus, pulchros ad vtilitatem eorum cõſcripſit ſermones, quemadmodum in ſecundo ſibi expreſſimus. De tempore quo claruit diuerſa opinio eſt, quia chronographi ſibi mutuo non conſentiunt, aliqui enim dicunt, quod tempore ſancti Benedicti, alij quod anno Domini 610. quod autem noſtri ordinis fuerit, ipſe in tertio ſermone ad monachos fatetur, vt ſupra diximus. Vincentius autem dicit quod claruit anno Domini ſeptingenteſimo, & hoc mihi verius eſſe videtur.

Annotatio Vinc. Saler.

QVomodo autem hæc quæ ſupra à Trithemio aliiſve dicantur de diſcipulatu, & tempore S. Cæſarij ſubſiſtant vide annotationes Barronij in mar-

Martyrologio Romano die 27. Auguſti, & ea quæ hic infra habes ex annalibus, quibus addimus ad illud allegatum ex tertio ſermone ſancti Cæſarij, videlicet: Hæc itaque fratres chariſſimi cogitantes, & in hoc agone deſudantes glorioſi & præclari patris noſtri Benedicti diſcipulos nos nouerimus eſſe & filios, quod in ſermonibus ſeu homiliis diui Cæſarij, iam abhinc centum annis, magna cura & diligentia tipis mandatis, neque in nouè editis, neq; quod maius eſt in antiquiſſimis manuſcriptis bibliothecæ ſacri Monaſterij Lerinenſis nil tale reperitur, nempè quod dicat ſe diſcipulum Diui Benedicti, ſed bene ſimpliciter ait, *Glorioſi & præclari patris noſtri diſcipulos nos meminerimus eſſe*, & *filios*, nihil aliud addendo de patre noſtro ſanctiſſimo Honorato Patre & fundatore & inſtitutore illius ſacri Monaſterij Lerinenſis, in quo ipſe Cæſarius alitus, inſtructus, & educatus fuit Monaſticis diſciplinis, ante tempora Diui Benedicti: vnde merito hæc damnantur à præfato annaliſta & aliis tanquam veritati aduerſantia.

Vincentius Beluacenſis ſpecul. hiſtor. lib. 23. cap. 41.

CÆſarius Arelatenſis, quem ex ſuprà dictis (ſcilicet dum agit de ſancto Aegidio) hoc tempore fuiſſe perſpicuum eſt, decem homilias morales, & vtiles ad Monachos edidiſſe reperitur, de quibus ſententias notabiles alibi excepi.

Petrus in Cathalogo lib. 7. cap. 125.

CAeſarius Epiſcopus Arelatenſis floruit tempore Anaſtaſij imperatoris ſecundi, qui ſanctæ & continentiſſimæ vitæ vir beatus homilias plurimas morales & vtiles ad monachos edidiſſe reperitur, & poſt felicem Eccleſiæ ſuæ gubernationem ſanctitate & doctrina inſignis, migrauit ad Chriſtum ſexto cal. ſeptembris.

Carolus Sigonius Mutinenſis, hiſtoriarum de occidentali imperio libris.

SVb hoc tempus (annum ſcilicet quingenteſimum quartum) in Gallia Licumannus Cæſarij Epiſcopi Arelatenſis notarius, Cæſarium ad Alaricum Regem vrbis dominum detulit, id moliri, vt vrbem Burgundionibus proderet quod etſi à vero prorſus abhorruit, tamen in dicta cauſa à Rege damnatus Burdegalam eſt delegatus. Ibi cum nocte quadam ingens fortè conflatum incendium eſſet, præclarum ſanctitatis ſuæ ſpecimen dedit, quod precibus ciuium fatigatus, ignem tum cum maximè ſæuiebat precatione ad Deum facta reſtinxit: ex quo ingentibus ab omnibus cumulatus eſt laudibus. Cùm autem interim ciues admoneret, vt poteſtati Regis obedirent, perfidiam verò cauerent, quod erat Arrianus inſiſteret, Alaricus ſancti ſacerdotis innocentia cognita eum domum reuocauit. Reditus eius ab vniuerſa ciuitate totóque clero cum crucibus, & cereis obuiam effuſo concelebratus, illud præterea boni ciuibus attulit, quod terram diutina ſiccitate arentem, excuſſus ſub ingreſſum eius cœlo imber largiſſimus irrigauit. 504. *S. Cæſarius accuſatur à ſuo notario.*

Et infrà ſub annum quingenteſimum octauum.

IN ea obſidione propinquus Cæſarij Epiſcopi vrbi & ſibi timens noctis ſilentio, rectè ſe de muris demiſit, atque ad hoſtes transfugit, qua re cognita, populus & Iudæi, conſilio id Cæſarij factum inſimularunt, quod vrbem hoſtibus prodere ſtatuiſſet, atque exceptum in cuſtodiam tradiderunt inque 508.

eius contumeliam Episcopum immissa Arrianorum turba fœdarunt. Sequēti nocte Iudęus quidam Epistolam saxo alligatam in castra hostium iecit, monens vt vrbem ab ea parte inuaderent, in qua ipsi excubias agerent: nam sine controuersia potituros, proinde Iudæorum populo parcerent: manè verò digressis fortè à muro hostibus, ciuis quidam egressus, Epistolam deprehendit, eamque in vrbem delatam in concione recitauit. Ita Iudæo eius scriptore correpto, Cæsarius probata innocentia sua, è custodia mittitur: reuersi inde in vrbem Gothi Francos quos cœperant, in Episcopum coniecerunt, quibus inopia laborantibus Cæsarius victum subministrauit, ornamentis etiam Ecclesiæ in id pietatis genus exhaustis, ne illi Iudæis aut Arrianis se addicere cogerentur.

Et infrà sub annum quingentesimum decimum Boetio Philosopho consule.

510 PEr eosdem dies Cæsarius Episcopus Arelatensis, apud Theodoricum Italiæ Regem, accusatus quod Monasterium à se sorori & sacris aliis virginibus conditum, ac deinde in obsidione vrbis euersorum instaurare cœpisset, Rauennam sub custodia missus est. Cùm autem ad Regem in palatium accessisset interrito illum animo salutauit, cui Theodoricus venerabundus aperto capite assurrexit: ac de labore itineris, de Gothis, & Arelatensibus percunctatus est, dimisso inde illo, conuersus ad suos dixit, malum eis qui tam sancto viro, hanc itineris molestiam præbuerunt. Nam quantus hic sit, ex eo conieci, quod ad primum eius ingressum prope totus cohorrui & Angelicum in eo vultum notaui. Quamobrem nefas esse arbitror, durius aliquid in tam venerabilem virum consulere, misitque ad eum in hospitium loco muneris discum argenteum magni pretij. Cæsarius autem eo vendito, & redacta pecunia, captiuos omnes Gallicos superiore bello factos redemit: erant autem ferè ex his qui vltra Durentiam incolebant, atque Arausicenses quos liberare omnes Arelate nequiuerat. Cæterùm cum tanta ad eum pauperum confluueret multitudo, vt vix pateret accessus, senatores ac nobiles, certatim ad eum dispensandas pecunias contulerunt. Eò factum est vt Symmachus Pontifex, ac clerus Romanus vniuersus miro tanti visendi Antistitis flagrare desiderio cœperit. Itaque Romam accitum benignè cuncti exceperunt, gratias Deo agentes quod sanctum virum suis demùm oculis subiecisset, de quo sæpissimè ante auribus accepissent: præcipuè verò Symmachus, qui eum non solùm, metrapolitani honore, sed etiam pallij dignitate [a] ornauit. Itaque Arelate regressus, qui in exilium in Italiam venerat captiuos redemptos reduxit, & dignitate auctus, octo solidorum millia reportauit, quibus Carcassonem profectus, reliquum captiuorum recepit.

[a] *Vide hic intra excerpta ab annalista de hac materia.*

Annalista Tomo 6. Anno Christi 490. Fœlicis Papæ VIII. Zenonis Imperatoris & Odoacri Regis temp. De Sancto Cæsario Archiepiscopo Arelatensi.

QVo etiã tẽpore occidẽte S. Cęsarius Arelatẽsis Episcopus doctrina celebris sanctitate cõspicuus, ad Felicẽ Romanũ Pontificẽ de gratia & libero arbitrio librum scripsit, quem agnitum ipse fœlix non solum probauit, sed & scripta de eo epistola confirmauit, vulgandúmque vbique curauit: non extat ille quidem, sed quantus fuerit ex Romani Pontificis addita illi epistola (quod de aliis hactenus non meminimus factum possumus opinari, de eo enim

enim apud Gennadium hæc leguntur : [a] Cæſarius Arelatenſis vrbis Epiſcopus, vir ſanctitate, & virtute celeber, ſcripſit egregia & grata valde & monachis neceſſaria opuſcula. De gratia quoque & libero arbitrio edidit Teſtimonia diuinarum ſcripturarum & ſanctorum patrum iudiciis munita, vbi docet, nihil hominem de proprio agere aliquid boni poſſe, niſi eum diuina gratia præuenerit, quod opus etiam Papa Felix per ſuam Epiſtolam roborauit, & in latius promulgauit. *Gennad. de ſcriptis Eccl.*

De ſancto Cæſario anno Chriſti 506. quingenteſimo ſexto, Symmachi Papæ VIII. Anaſtaſij Imperatoris & Theodorici Regis temporibus, ſequitur idem Baronius.

HOc ipſo anno celebratum eſt concilium Agathæ ciuitatis in Gallia Narbonenſi, ſub Alarico Vuiſigotthorum rege, anno regni eius vigeſimo ſecundo, quinto Calend. Septembris, cui præfuit S. Cæſarius Epiſcopus Arelatenſis, vt eiuſdem Concilij acta teſtantur in quibus licet primo loco nominatus Cæſarius, cuiuſnam ciuitatis Epiſcopus fuerit non exprimatur prærogatiua tamen primatus, quem in ſubſcribendo ſibi vendicat, nullum alium præter Arelatenſem licet exiſtimare Pontificem quod quidem abſque ambiguitate teſtati ſunt patres qui interfuerunt Meldenſi concilio. [b] Synodo huic venerandiſſimi Antiſtites numero triginta quinque interfuerunt, iidémque gloria confeſſionis illuſtres, inter quos enituerunt aliquot ſanctitate celebres in Eccleſiaſticis tabulis perpetua memoria conſecrati, vt ſanctus Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus ſanctus Firminus Metenſis Epiſcopus, quem natalitio die colit Eccleſia [c] quintodecimo Calendas Septembris, ſanctus Euintianus Epiſcopus Rutenorum itidem ſacris monumentis adſcriptus [d], A quibus ſanciti ſunt Canones, vel reſtituti iam antiquati numero ſeptuaginta & vnus quibus pene collapſam Eccleſiaſticam diſciplinam in vigorem priſtinum illis in partibus reſtituere conati ſunt. Porrò ex adhibitis remediis quibuſnam morbis illæ laborarent Eccleſiæ poteſt intelligi: Et ne euagemur per ſingulas ibi à Patribus editas ſanctiones hoc ipſum, Canon quadrageſimus ſextus oſtendit, quo iſta decreta fuere. Miſſas die dominica ſæcularibus tenere*, ſpeciali ordinatione præcipimus : ita vt ante bene dictionem ſacerdotis egredi populus non præſumat. Qui ſi fecerint ab Epiſcopo publicè confundãtur. At cur huic præſidens ſynodo Cęſarius ſtabiliendum propoſuit, audi ex Cypriano res ab eo geſtas omni fide proſecuto: cum inquit die quadam eſſet ad altare, animaduertit quoſdam lecto Euangelio ex Eccleſia egredi, quod ſancti viri conciones auſcultare initio detrectarent. Mox igitur aduolat: appellat his vocibus populum: Quid facitis filij? Quid ita foras abſceditis, mala perſuaſione ſubuerſi? State pro animabus veſtris ad accipienda verba adhortationis noſtræ, eáque auſcultate ſoliciti: Non licebit id vobis in illo tremendo iudicij die, moneo, clamo, atque conteſtor. Ne ſitis obſecro, vel ſurdi, vel perfugi auditis oris mei buccinam perinde ac ſi animas veſtras ſuo mucrone Satan iugularit. Non ego taciturnitatis arguar. Hac de cauſa ſæpiſſimè oſtia lectis Euangeliis, occludi iuſſit, donec propitio Deo ipſi gratularentur, ea coertione ſe præfeciſſe qui ſolebant eſſe fugitiui. Hæc ipſe. Extat etiam eo argumento ipſa eiuſdem ſancti Cæſarij dicta ad populum homilia, cuius eſt titulus huiuſmodi : Admonitio per quam ſuadetur, vt omnis populus donec myſteria celebrantur in Eccleſia fideliter expectet. Eſtque eius exordium : [e] *Rogo vos, fratres chariſſimi & paterna pietate commoneo, vt quoties aut die dominico aut aliis*

Concil. Agathenſe.

[b] *Conc. Meld. cap. 73.*

[c] *Mart. Rom. die 17. Aug.*

[d] *Mart. Rom. die 14. Iunij.*

**Audire.*

Cæſarius reuocat receden tes ab Eccleſia.

[e] *Cæſar. hom. 12.*

maioribus festiuitatibus Missæ fiunt, nullus de Ecclesia discedat: donec diuina mysteria expleantur, &c. Hæc nos occasione recitati canonis Concilij Agathensis Cæsarij rogatione in primis editi non oportuit prætermisisse. Habenti eiusdem sanctissimi viri, post aliorum eius scriptorum naufragia ad populum aliæ dictæ homiliæ omnes numero quadraginta, & quidem aureæ, quibus antiquæ Ecclesiæ Gallicanæ doctrina cum sacris traditionibus ac ritibus quam fidelissimè referatur, vt inter alia de pœnis [a] purgatorij post animarum migrationem, & suffragiis pro eisdem subleuandis, atque aliis id genus à maioribus absque ambiguitate acceptis, creditis & populo insinuatis Catholicis dogmatibus inuiolabili obseruatione custodiendis.

a *Cæsar. hom. 8.*

Ex Cæsarij sententia statuti Canones

Porrò quod ad idem Agathense concilium de quo est nobis tractatio, pertinet: quis non videat ab eodem sancto Cæsario statuenda fuisse proposita, quæ ipse populum facere publicis concionibus persuaserat: nam (si licet in his immorari) eiusdem Concilij canon duodecimus ita se habet: Placet etiam vt omnes Ecclesiæ filij (exceptis diebus Dominicis) in quadragesima etiam die sabbato, sacerdotali admonitione, & distinctiori comminatione ieiunent. Hæc item, proposita à Cesario fuisse, qui & de his Arelatensem populum docuerat, satis intelligi potest, cum ea de re præclaram habuerit homiliam, qua ipso ingressu verbis istis suos fideles interpellat: *Rogo vos, fratres Charissimi vt in isto legitimo, ac sacratissimo quadragesimæ tempore, exceptis dominicis diebus nullus prandere præsumat, nisi forte ille quem ieiunare infirmitas non permittit. quia aliis diebus ieiunare, aut remedium aut præmium est: in quadragesima non ieiunare, peccatum est.* Quibus planè rectè cuique intuenti apparet & Cæsarium primum auctorem in Agathensi Concilio sanciendorum Canonum illorum fuisse, & vt puto, scriptorem: peculiares enim Cæsarij voces, quæ in illis reperiuntur canonibus id existimare suadent, vt altarium, & his similia. Ex quibus planè intelligas, non solum Cæsarium auctorem fuisse Patribus ea decernendi, sed ex iisdem discas citatas Homilias vere germanas esse Cæsarij, quæ adeò Concilio Agathensi, cui idem Cæsarius præfuit concinnè respondeant hactenus de Concilio Agathensi.

De quadragesimali obseruatione.

Cæsarius hom. 2.

Sub anno sequenti videlicet 507. hæc sequitur Baronius regnantibus, qui superiori anno, Tomo sexto.

AT quonam modo acciderit, vt qui externos longéque positos sanctos Episcopos coluit Alaricus Rex Gotthorum, eos verò quos domi haberet magni nominis æquè sanctos, vt Cæsarium Arelatensem, & Quintianum Rutenorum Episcopos fuerit insecutus iam dicendum: atque de sancto Cæsario quæ ab huius temporis fidelissimo auctore Cypriano scriptis sunt prodita ad eius sororem Cęsariam nominatam verbis ipsius hic describamus. Accidit autem inquit vt sancti viri tranquillum animum post aliquot dies liuida Satanæ malitia infestaret: & cui non posset vlla corporis obiicere vitia, ei fœdam proditionis notam inurere conaretur. Nam Licumanus beati viri Notarius homo nequam & perditus, non dubitauit talem se gerere aduersus virum Apostolicum, qualem olim Iudas aduersus Saluatorem. Armatur improbus ille fœuæ delationis veneno: suggerit Alarico Regi, per eos qui illi erant à secretis Beatissimum Cæsarium è Galliis genus ducentem totis in id viribus incumbere, vt ditionem faciat, & vrbem Arelatensem Burgundionibus prodat: cum ille pastor præstantissimus flexis genibus, pacem gentium, vrbium tranquillitatem diebus ac noctibus à Domino

Alaricus exulare cogit S. Cæsarium.

precare

precaretur. Quare magis credendum eſt diabolo inſtigante, in ſancti viri exilium barbarã ferocitatem incitatam eſſe: non enim gratus aut carus eſt hoſti, qui id orat, quod cum eius factis, & ornatibus pugnet. Iraq; iis qui tum aderant inſtigantibus, nec innocentiæ fides attenditur, nec accuſationis veritas inquiritur, ſed vana, & iniqua delatione damnatur ab Arelate extractus cogitur apud Burdegalenſes exulare. Quod autem exul miraculum ingens ediderit, audi.

Sed ne obſcura eſſet in illo gratia Dei, caſu accidit, vt nocte quadã ea ciuitas voracibus vaſtaretur flãmis, tũ verò ciues ocyus occurrunt ad hominẽ Dei: S. Cęſari, clamant, precibus tuis extinguas ignem ſæuientẽ. Audiens id vir Dei dolore pariter & pietate cõmmotus, venienti flãmę præcedit obuiam, humique ad preces proſternitur: mox igneos premit abigitq; globos. Concurrunt eò omnes, & diuinę virtutis conſonis vocibus laudes celebrãt. Deinceps verò tãta apud omnes admiratione fuit, vt in ea vrbe non ſolũ vt Pontifex, verum etiam inſtar Apoſtoli haberetur, & perſecutionis auctor diabolus pudefieret, cernẽs eum quẽ proditionis reũ peragere niſus eſſet, diuini operis miraculis clarere. Id vero ita geſtũ eſſe, vt diximus, fideli relatione cõperimus, ſed quomodo ab exilio liberatur, accuſatorum damnatur, pergit idem auctor, hæc ſubdens.

Cæſarius miraculis claret

Cùm autem illic degeret, vti ſemper & vbiq; conſueuerat, Eccleſiã docuit reddere Cæſari[a] quæ ſunt Cæſaris, & quæ Dei Deo: obedire iuxta Apoſtolũ[b] Regibus & poteſtatibus, quãdo iuſta præcipiũt, ſed in Arriano Principe contemnere dogmatis prauitatem: atq; ita (quemadmodum teſtatur veritas,[c]) nõ potuit lucerna abſcondi ſupra candelabrũ domini poſita, ſed quocumq; acceſſit, omnes illuminauit. Poſteà verò quam beati viri innocentiam cõperit nefarius Princeps, orauit vt ad ſuam reuerteretur ſedem, ſeque & ciuibus & clero exhiberet. Porrò delatorem eius iuſſit lapidibus opprimi. Populo igitur ad lapides concurrẽte, ſubitò ad aures viri Dei iuſſio regis perfertur. Properat illicò & ſua interceſſione maluit accuſatorẽ ſuum ſeruare pro agenda pœnitentia, quam iuſta animaduerſione puniri: vt animã eius per pœnitentiam curaret, quam ipſe iniqua delatione diabolo captiuam reddiderat: & hoſti domeſtico clementer ignoſcens antiquum in vna re conſcientia puta bis vinceret. Solebat verò ſanctus vir accuratè obſeruare, vt nemo ex illis qui ipſi parebant, ſiue ſerui illi eſſent, ſine ingenui, ſi pro culpa ſua flagellandi eſſent amplius triginta nouem ictibus ferirentur. Si quis verò in graui culpa deprehenſus eſſet permittebat quidem vt poſt dies paucos iterum vapularet, ſed paucis: conſtetabaturque Eccleſiæ Præfectos, ſi quis iuberet quempiam diutius flagellari, & ea verba illi mortem afferrent, vt is homicidij reum ſe ſciret. Ius quidẽ virgarum fuiſſe penes Epiſcopos, vt delinquentes illis ſubiicerent, ſatis hoc exemplo intelligere poteſt. Sed pergit, vbi autem percrebuit apud Arelatenſes hominem Dei reuerti, iamque eum vrbi appropinquare: omnes vtriuſque ſexus cum crucibus, & cereis ei proceſſere obuiam pſallentes, & ingreſſum eius opperientes. Cùm ſoleat autem Chriſtus ſeruos ſuos illuſtrare virtutibus, & perfidos mirabilium operum luce confundere: ad aduentum ſancti viri dominus terram longiſſima ſiccitate arentem perfudit imbre, vt cum reuertente gratioſiſſimo diſpenſatore fructuum quoque vbertas ſequeretur. Hucuſque de exilio, & reditu Cæſarij Cyprianus Epiſcopus: quibus & expreſſam litteris vides religioſam pompam antiquitus obſeruari

Cæſarius ab exilio liberatur.

De reditu S. Cæſarij Arelatem.

a *Matth.* 22.
b *Rom* 13.
c *Matth.* 5.

ſolitam,in hodiernum vſque retentam,crucibus fulgentem, atq; cereis emicantem,cum præuio clero,populo ſubſequente proceditur.

Infra verò anno ſcilicet Chriſti 508.Symmachi Papæ X.Imperante,& regnante qui ſequitur Baronius de vita S. Cæſarij Epiſcopi Arelatenſis.

His autem ad labefactatam hiſtoriæ veritatem vindicandam in medium adductis,qualia quantaq; in Arelatenſi obſidione pati contigerit,S.Cęſariũ huius vrbi Epiſcopũ enarrare aggrediamur : præſertim verò dignã perpetuis monumẽtis in sũmis periculis oſtensã ſępè viri conſtantiã.Qui igitur ſpectator rerum interfuit Cyprianus iſta omni fide ſignata poſteris legenda tradidit:Francis(inquit)& Burgundionibus vrbem Arelatenſem obſidentibus, Alarico Rege à fortiſſimo Clodouæo Rege in conflictu perempto: Theodoricus Italiæ Rex, miſſis ducibus ſuis in eam prouinciam ingreſſus erat in hac ergo obſidione, Monaſterium quod ſorori eius ſanctæ Cæſariæ & cæteris virginibus conſtruebatur, magna ex parte deſtructum eſt, tabulis & cœnaculis barbarorum ferocitate direptis & euerſis. Cùm autem vir Dei laborem, quem ipſe accelerari iuſſiſſet ſuáque manu & ſudore promouiſſet,ſubrui videret, gemino quodam dolore correptus eſt, &c. Et poſt multa è vitæ hiſtoria enarrata Baronius idem ſubiungit. Hactenùs comes itineris Cyprianus. Dicit verò ipſum propenſiori cura erga captiuorum redemptionem,ad eos perquirendos & redimendos, clericos atque etiam Abbates ad diuerſa loca miſiſſe.Certè quidem contuliſſe eidem ad hoc opus pecuniam ipſum Romanum Pontificem, cum Cæſarius eſſet Romæ,poſſumus intelligere ex eo, quod ſcimus, teſte Anaſtaſio [a] bibliothecani in his potiſſimùm Symmachi nituiſſe ſtudium,de quo ait:Hic captiuos per Liguriam & Mediolanum & per diuerſas prouincias pecuniis redemit & dona multiplicauit,& dimiſit.

a *Anaſt.in Symmacho.*

Ne putes autem auctorem qui iſta conſcripſit de Sancto Cæſario Cyprianum amore magiſtri amplificatione vſum, veritatiſque terminum ſupergreſſum: alium de his teſtem accipe, ſuorum quoque temporum ſcriptorem eximium, Ennodium dico Diaconum cuius extant litteræ ad ipſum ſanctum Cæſarium datæ, cum quæ erga eum Rex Theodoricus exhibuiſſet officia, idem Cæſarius antea litteris ſignificaſſet. Epiſtola autem Ennodij ad Cæſarium ita reddita ſe habet.

Epiſt. Ennodij ad S. Cæſar.

Epiſtola magni ac ſanctiſſimi Ennodij Epiſcopi Ticinenſis ad ſanctum Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum de legatione qua functus eſt ad Regem Gothorum eximias Cæſarij virtutes commendans.

QVod ſpe cœperam litteris indicaſtis.Nam venerandi promulgatione colloquij, quid cœleſtis Imperator dominum Regem circa vos facere compuliſſet, agnoui. Ergo cui poſtquam meritum veſtrum patuit, nequaquam ſe fœlicitas actionis abſcondit, quis hominum nobiliſſimo in Chriſti ſeruitute Pontifici, terrenas dominationes neſciat eſſe ſubiectas, & minacem Regis potentiam innocentiæ obiectione ſuperari ? Quando Principalis purpura, aut cilicia deſpexit, aut pallium ? quando libertas illa potiſſima credidit ſibi ante Chriſtianam humilitatem licere,quod voluit,aut quando ei licuit velle quod lederet, & quod ſi inter hæc canæ ætatis exempla recolantur, & ſæuitiam circa cultores Dei Tyrannicam reducas in mediũ

ſcimus.

ſcimus quia ab illis noſtri dogmatis ſectatores ne vnquam morerẽtur, occiſi ſunt. Tunc militibus ſuis vitam & æternitatem, obſequente gladio, perpetuus ille dux contulit: illi inimicorum ſuorum miniſterio perdiderunt originariam vilitatẽ. Te, mi Domine, in orbe iam Chriſtiano diuina lex peperit, & Apoſtolici vberis lacte nutriuit. Tu cęteros velut ſolis magnitudo aſtris minoribus comparata transgrederis. Te qui interioris hominis oculis inſpexit, inſtructus eſt, nam cum facie ipſa foueas puritatem delinquentes feriato ore caſtigas. Boni de conuerſatione tua quocumque proceſſeris imitanda inueniunt, malis fugienda demonſtras. Beatus tu cui à Deo tributum eſt vt & monitis doceas, & exemplis, qui ad pij itineris directum ſemper exiſtens preuius inuitaſti. Quis non optet te loquente, vt ſciat plura non legere, tu dum libris genium * relatione concilias, & magiſtros informas, tibi debet quicunque ille ſcriptorum maximus, quod cum dote elocutionis amplificas [a] in te lux conuenit ſermonis, & operis, vnde hæc prærogatiua tranſalpinis? vnde parentibus meis inauſpicata ſublimitas? vt talem virum miſerint? Sed cur inter terrena quæritur res cœleſtis? Potuit ergo ante te quodlibet palatij ſupercilium non iacere? Potuit tibi capita ſubtrahere, quem mitiorem ouibus faciãt errata pugnacem? latiùs me & meritum veſtrum vocat, & diligentia. Sed loquacitatem meam lex exemplaris includit quod ſupereſt benignæ ſeruitutis meæ munera accipite, & me Deo noſtro orationum ſuffragiis intimate, frequenter de his quæ vobiſcum aguntur vel acta ſunt informantes, deprecor etiam vt quid apud vos promeruit ruſtici ſupplicatio qui (quantum audio) fornicationes ſuas nomine veſtit vxorum, & vocabulo legis putat excuſari poſſe reum criminis, mihi manifeſtes miniſterio litterarum.) Hactenus Ennodius ad ſanctum Cæſarium.

* *Gentium.*

[a] *Sanctũ Auguſtinũ videcet, quem aduerſus Fauſtũ eum impugnãtem defendit.*

De ſancta Cæſaria ſorore ſancti Cæſarij Epiſcopi.

SEd minimè prætereundum fuiſſe S. Cæſario ſororem haud imparis ſanctitatis, ſicut eiuſdem nominis, Cæſariam nominatam, quã Deo dicatam ſanctam virginem in Maſſilienſi Monaſterio excoli voluit monaſticis inſtitutis, eamque poſtea Arelatenſi à ſe conſtructo præfecit Monaſterio virginũ, vbi admiranda claruit ſanctitate. Narrat hæc Cyprianus in vita quam ſcripſit ſancti Cæſarij: ſed & Cæſariæ meminit Venantius Fortunatus [b] cum canit præconia virginum his verſibus.

[b] *Venant. li. 8. carm. de virgi.*

Has inter comites coniuncta Cæſaria fulget
Temporibus noſtris Arelatenſe decus.
Cæſarij monitis luci ſociata perenni,
Si non Martyrij, virginitatis ope.

Et inferius.

Dulce Deus, vbi ſit veneranda Cæſaria præſens.
Præſule Cæſario non caritura tuo.

Scripſiſſe illi quidem regulas Monaſticas obſeruandas ipſum ſanctum Cęſarium, idem Fortunatus ſæpè declarat dum de eiuſdem Cæſarij regula meminit, vt cum ait de ſancta Radegunde eandem vitam Monaſticam profitente. [c]

Regula Cæſarij linea nota tibi eſt.

Et alibi.

[c] *Fortunati li. 8. carm. de nomine ſuo & lib. 5.*

Concipiente fidem Chriſti Radegundis amore,
Cæſarij lambit regula quicquid habet.

Et ad Martinum Galliæ Epiſcopum.

Atque adſcita ſibi ſeruetur in vrbe Geneſij
Regula Cæſarij præſulis alma pij,
Qui fuit antiſtes Arelas de ſorte Lerini.)

Honorati & S. regula S. Cæſarij deriuata in illam S. Benedicti in Monaſterio Lerinenſi.

Cùm verò adeò frequens mentio ſit de Cæſarij regulis editis de vita Monaſtica, nec extent. Ille quidem: putamus eas in ſancti Benedicti Monaſtica inſtituta receptas, non autem perijſſe ſicut enim ipſum Lerinenſe cœnobium ceſſit vſui monachorum S. Benedicti, ita & ipſas Cæſarij conſtitutiones monaſticæ vitæ vt riuum in flumen deriuatas eſſe in Regulos ſancti Benedicti mihi facile perſuadeo. His verò de ſancto Cæſario enarratis, veluti corollarium apponamus veneratione dignum antiquitatis monumentum, ab ipſa (vt in fine dicemus) Eccleſia Arelatenſi petitum, nempè teſtamentum per Epiſtolam ab eo cõſcriptum: quod tamen nonnihil mendoſum, exeſum puluere veſtutas tandem exhibuit. Sic enim ſe habet: Pax Eccleſiæ Arelatenſi. Cæſarius Epiſcopus Presbyteris & Diaconibus ſanctæ ac venerabili Cæſariæ Abbatiſſę, quam Dominus per meam paruitatem in Monaſterio noſtro præpoſuit, ac vniuerſæ congregationi, quam ibi Dominus ſua gratia collocauerit, in Domino æternam ſalutem. Cùm Eccleſiaſtica pietas confuetudinis ſuæ rem faciat, ordinabiliter ſcilicet, quo peregrinis & deſtitutis opem largitionis impendat: quanto magis cum opportunitas, aut neceſſitas fuerit, vt ſanctis quibuſque & Deum timentibus aliqua largiatur, amplius debet pia miſericordiæ ſuæ viſcera dilatare? Et ideò iuxta hanc Epiſtolam quam manus noſtræ ſubſcriptione roborauimus, cuique diem & Conſulem ſubtus adiecimus, Deo diſpenſante hoc teſtamentum meum condidi, vel manu propria ſubſcripſi, atque iure prætorio, vel iure ciuili, & ad vicem illorum codicillo firmaui. Ego Cęſarius peccator dum debitum humanæ carnis reddidero, cunctum Monaſterium Arelatenſe S. Ioannis quod ego condidi ſub poteſtate Arelatenſis Pontificis canonicè ſit, hæredemque meum eſſe volo ac iubeo. Cæteri cæterique exhæredes ſint. Totũ quod cuique aut per hoc teſtamentum meum dedero, legauero daríue iuſſero, vt detur fiat. Cæterum autem Arelatenſem Epiſcopum cohęredem meo Monaſterio relinquo: quoſque liberos, quaſque liberas eſſe iuſſero, liberi liberæque ſint omnes. Ego tamen cùm nihil de parentum bonis habuerim, hoc teſtamentum meum preſumere eruditi. Illa tamen me ſententia compulit, vt pleroſque * ſaluatoris formidanda, qua iniqui aduituri ſunt dicentem, ite in ignem æternum, pietatis affectu aliquid Eccleſiæ meæ contuliſſe. Et ne fortè poſt obitum meum aliqui de parentibus meis exceptis ijs rebus, quas illis pro elogiis donare, inquietare præſumant, cui præſum Eccleſiam: ideò hanc volũtatem meam tractare amplius deſideraui, qua de parentibus meis, ne apud ipſum Monaſterium præfatum, vel Pontificem Arelatenſis Eccleſiæ, præter id quod illis dedero ac dederim, præſumant requirere. Sancto & Domino meo Archiepiſcopo qui mihi indigno dignè ſucceſſerit, licet omnia in ſua poteſtate ſint, tamẽ ſi lubet, & dignũ ducit, indumenta Paſchalia, quæ mihi data ſunt, omnia illi ſeruiant, ſimul cũ caſula villoſa & tunica, vel galnape, quod melius dimiſero. Reliqua verò veſtimenta mea, excepto birro amiculari, mei tam clerici, quam laici, cum gratia vel ordinatione Domini Archiepiſcopi, ſibi ipſo iubente imò donante, diuidant,

S. Cæſarij teſtamentũ per Epiſtolam.

**Scu pleraſq;*

uidant,Ea verò quæ Monaſterio ante per donationem contuli,nunc affirmo: & ſi cui aliquid per Epiſtolam,aut per pitacium , aut verbo , pietatis intuitu, contuli,valere volo.Hoc etiam aſſuetè precor,quatenùs cellam, quam bonæ memoriæ Auguſtus ſubdiaconus in atrio ſancti Stephani euntibus parte dextra habuit,prouiſioribus Monaſterij , propter cuſtodiam illorum firmam D. Archiepiſcopus, perpetuo dignetur iure concedere : ita vt eam ſibi ſuccedendam Monaſterij prouiſores habeant. Et hoc ſpecialiter volo, & ita domine Archiepiſcopis,precor,ſiue prouiſorē ad Monaſterium, ſiue præsbyterum ad Baſilicam S. Mariæ nullum alium habeat congregatio ſancta , niſi quem ipſa elegerit , vel ordinari petierit. Et licet de tua D. Archiepiſcope , pietate præſumam,tamen ne contra Monaſterium noſtrum aliquorum ſuggeſtiones importunas habearis,adiuro vos per patrem,& filium , & ſpiritum,ſanctum, & per tremendum diem iudicij , ne vnquam apud vos prævaleat hoſtis antiquus,aut ancilas veſtras contriſtari acquieſcatis, aut aliquid illis auferri de iis quę poſſident, eis quę cōtulimus permittatis:quia Deo propitio non ſine diſcretione vel iuſtitia quibuſcúmque ſęcularibus iure directo res Eccleſię vendidimus,niſi hoc tantum,quod Eccleſiæ minus vtile,& infructuoſum eſt. Et quod animabus ſanctis,& deo vacantibus cum ſanctorum fratrum conſenſu, vel ſubſcriptione tribuimus perpetuo illis iure permaneat. Vos verò dominæ filiole,per ſanctam Trinitatē inſeparabilem,&per domini noſtri Ieſu Chriſti aduentum adiuro,vt Pontificem qui mihi indigno,ordinante deo,ſucceſſerit dignè,omni affectu vt dominum rogetis,ac pura mente diligatis, ne eum per veſtram contriſtemini inobedientiā. Confidimus enim de Dei miſericordia, quod ita omnibus ſacerdotibus quibus religionis collatio eſt , caſtum amorem impendat,vt nihil vobis , quod ad ſuſtentandum corpuſculum opus eſt, deeſſe permittant.Te iterum atque iterum Pontifex optime rogo gratia diuina præfati Monaſterij , vt curam maximam habeas , & famam illarum cum cum grandi pietate ſatagas prouideri : quod ſi alicuius perſona iniuſtum tibi dederit concilium cum auctoritate reſpondendum deprecor : quia hoc quod Epiſcopi agitur verbo non ſolùm auferri non debet, verùm etiam nec omninò poteſt.Tum præcipuè quia & hoc ipſa Sancti Papæ Vrbicani ſuaſit auctoritas,vt hoc de ſancto & domino meo Pontifice credam. Nunquam enim apud te prævalebit tam iniqua ſuggeſtio , vt contra iuſtam voluntatem qualiſcumque Antiſtitis pro meo ſtudio ſubſtantia ad te multum profecerit , & prope duplicata ſit. Additur ad hoc , quod Deus miſericors per paruitatem meam,etiam immunitatē meam , etiam immunitatem tributorum tam iuxta vrbem & infra,quam etiam in ſuburbanis,& villis ex maxima parte conceſſerit.Agellum igitur Auchariānum , vnde paruam particulam Monaſterio dedimus,multa ſeruamus:nam plus minus centum aripennes vineę& trecentorum modiorum campos reſeruauimus , ita quod ſupradictum monaſterium, tantum modiatas de terra,quam ego plantaui,habeat modiatas quadraginta, & de vetere vinea vix triginta aripennes contulimus : Agellum Gallicumanum Mercloanum,vel Agellum Gemellos cum ſtagnis& paludibus cum omni iure & termino ſuo, & paſcuum in campo lapideo vel ſi qua alia ſunt , vel campum in Triſinitio ſuper viam inuitam,vel reliqua quæcūque ſunt , Agellum ornedum & agellum Martinatis,& agellum Siluanum in quo eſt ſita Eccleſia Sanctæ Mariæ de Ratis , & agellum Maſſiamanum cum omnibus ſibi pertinentibus , paſcuis paludibus , cum omni iure & termino ſuo ſanctæ tuæ Eccleſiæ reſeruauimus in ſtipendiis earum. Vnde te ſancte pontifex , adiuro,

vt ſi Deus omnipotens per manus ſe timentium ſanctæ matri Eccleſiæ Monaſterio ſanctarum Virginum aliquod maius bonum dederit,tua ſancta dilectio vnum ab altero non diſiungat. Si verò(quod Deus non patiatur, congregatio ibi aut congregata non fuerit,aut fortè poſtea(quod abſit)cum congregata fuerit,eſſe deſierit,ad matrem Eccleſiam reuertantur. Hæ quidem ego vt timori meo ſatisfacerem,ſcripſi:Nam abſit vt de tua,piiſſime Pontifex,inſciẽtia inculperis:quia(vt ſupra iam dixi)pietas diuina conceſſit,vt per meam humilitatem immunitas Eccleſiæ in tot capitibus daretur.Quod monaſterio cum fratrum conſenſu dedimus per hanc voluntatem meam confirmo. Ancillæ noſtræ Cæſariæ Abbatiſſæ quem ipſa fecit mantum maiorem,quem de cannabe fecit,dari volo. Domino meo Leoni præsbytero manutergium dari volo,domino meo Cypriano Epiſcopo, mantum, & cinctorum * meliorem dari volo.Quicquid ſeruo meo Briciano contuli nunc per hoc teſtamentum meum confirmo Agritia puella mea propria libentiſſimè Monaſterio ſanctæ Cæſariæ abbatiſſæ ſeruiat:& verè Gratiolas, quas illis vel parẽtibus eorũ dedi,confirmo.Omnes cubicularios meos tibi domine Epiſcope coram deo, & Angelis eius commendo.] Hactenus quæ reperiuntur teſtamenti ſancti Cæſarij,quod etſi non in aliis,in die ſaltem, & Conſule, & ipſius Cæſarij atque teſtium ſuſcriptione eſſe decurtatum haud dubium eſſe poteſt: cuius exemplar petitum ex Archiuo Eccleſiæ Arelatenſis,exſcriptum per Claudium ſaxi Notarium,accepimus ab Archidiacono Arelatẽſis Eccleſiæ Franciſco Clareto Romæ cum eſſet, à quo etiam nos accepturos complures eiuſdem ſancti Cæſarij Epiſtolas quę in eodem Archiuo aſſeruari dicũtur,ſpem magnã concepimus:quod ſi voti compotes facti terimus,eas quæ hiſtorię rerũ geſtarum in ſeruire noſcẽtur,ſecunda editio exhibebit.Quod autem ad idem teſtamentum ſpectat,audiſti Monaſterium monialiũ cui præerat ſancta eius ſoror Cęſaria,illud ipſum munitum voluiſſe Cęſarium auctoritate Romani Pontificis non aliud quidem illis verbis ſignificauit,vbi ait,*Et hoc ipſa ſancti Papæ Vrbicani firmauit auctoritas.* Scias verò ad imitationem ſancti Cæſarij qui Arelate erexit Monaſterium monialium, paulò poſt Childebertum Francorum Regem quartum filium Clodouei ibidem Arelate ſtruxiſſe Monaſterium monachorum,quod abſolutum à Vigilio Papa voluit Apoſtolica auctoritate firmari,extat de his Epiſtola ſancti Gregorij Papæ ad Virgilium Arelatenſem Epiſcopum[a]. Sed de huiuſmodi peti ſolitis,& concedi ab Apoſtolica ſede priuilegiis alias dicendum erit: Nunc in Cæſario verſetur oratio, quoto autem ſuæ ſedis anno diem obierit, quod æque fine careant quæ à Cypriano Epiſcopo eius diſcipulo ſunt ſcripta,haud cõſequi licuit.Scripſit verò eius vitã idẽ Auctor rogatus ab illius ſorore ſancta Cæſaria,ad quam extat inſcripta prefatio.

Ad poſtremùm verò duo quæ inualuerũt de eodem ſancto Cæſario mendacia cauenda memineris:quorum alterum ſuperius deteximus atque confutauimus,dum non ad hæc tẽpora Symmachi, ſed floruiſſe anno ſexcẽteſimo ſeptuageſimo,complures toto cœlo errãtes dixere, in quem errorem Gennadij ſcholiaſtes Suffridus, Trithemium incautè ſequens impegit, dum nequaquam de eo eſſe ſcriptum à Gennadio, ſed ad Gennadium eam narrationem de ipſo ſuppoſitam exiſtimauit:Alterum verò illud eſt, quod æquè mendaciter aſſeratur,Cæſarius vltimus Epiſcopus, primus verò Archiepiſcopus Arelatenſis, quod ſcilicet Eccleſia Arelatenſis non niſi ſub Cæſario à Romano Pontifice fuerit Archiepiſcopatus munere inſignita: cùm tamen quæ dicta ſunt ſæpè ſuperius,id præter veritatem aſſeri,manifeſtent. Nonne Archiepiſcopalis

* *Cinctorium melius.*

a *Gregor. lib. 7. Epiſt. 115.*

Error explo-ditur de tempore Cæſarij.

Sedes Arelatenſis Archiepiſcopalis.

ſcopalis erat ſedes, quæ ſub ſe habuit ſedes Epiſcopales? nonne dictum eſt ſuo loco ſuperius, Saturninum Arelatenſem Epiſcopum collegiſſe concilium ſubiectorum ſibi Epiſcoporum? Nonne cum de dioceſeos viribus altercatum eſſet inter duas ſedes Archiepiſcopales Viennenſem & Arelatenſem in concilio Taurinenſi decretum fuit, vt fuit quiſque ipſorum Archiepiſcoporum vicinioribus præeſſet Epiſcopis? ſunt & aliæ de his certæ probationes; ſed in adeò claris minimè immorandum, fefellit puto ſimplices, quod qui preceſſerunt Cæſarium Antiſtites Arelatenſes non Archiepiſcopi nominati reperiuntur, ſed Epiſcopi: verum ſciant veterem nomenclaturam, qua etiam patriarcharum ſedium, immò & ipſius Romanæ Eccleſiæ Præſules æquè dici ſolebant Epiſcopi. At de Cæſario ſatis quem inter cœlites receptum celebrat colitque Eccleſia Catholica anniuerſaria repetita memoria die vigeſima ſeptima menſis Auguſti.

Idem Annaliſta ex his quæ à Sexto reducta ſunt ad ſeptimum Tomum anno Chriſti 524.

SVb huius anni conſulibus ſcilicet Iuſtini & Opilonis celebratum legitur Arelatenſe concilium, quod tertium ordine poſitum eſt in plura de Eccleſiaſtica ſeruanda diſciplina in ordinandis Eccleſiæ miniſtris: ſed & alia pleraque ab eodem concilio ſancita apud diuerſos authores leguntur, quæ in vnum collecta conſulere poteris. Agemus nos de eo qui huic præfuit concilio, vtpote viro qui eximia claritudine, tum ex doctrina, tum ex vitæ ſanctitate comparata, Gallus hoc tempore illuſtrauit breui narratione in primis ſunt nobis eius percurrenda primordia atque vitæ progreſſus, vſque ad præſentis temporis ſtatum: Eo enim ſplendoris ſanctitatis effulſit, vt nobiliſſimæ totius Galliarum Eccleſiæ eligi mereretur Metropolitanus Antiſtes, hoc potiſſimum tempore quo eas regiones occupantibus barbaris, iiſdéq; vel gentilibus, vel Arrianis, magno opus eſſet inter tot ingruentes vndique fluctus nauis gubernatore. Scriptæ ſunt res geſtæ ſancti Cæſarij ab eius diſcipulo Cypriano ad ſanctam Cæſariam illius ſororem, id ipſa ab eo efflagitante: extant [a] ipſa quidem Dei benignitate, inter tot Galliarum buſta ſeruatę, placuit, inquam diuinæ prouidentiæ, vt afflictæ proſtratæque vndique Gallicanæ Eccleſiæ, hoc perditiſſimo tempore tam docto, tamque ſancto illuſtrarentur Epiſcopo cuius ſanctitas ipſi inhærens ab incunabulis, ſeptennio ætatis fructus procaces emiſerit, & in dies magis magiſque fœcunda annorum augmento conſurgeret: cum primò erogatis quæ ſibi licuit in pauperes bonis, clariſſimorum parentum, domo ſpreta ad ſanctum Sylueſtrum meritis inſignem Cabillonenſem Epiſcopum conuolans, ab eo ex ſacro præſcripto ritu, in clericum voluit attonderi, atque clericali inſtitui diſciplina, tanto dignus Antiſtite educatore atque doctore, qui mira ſanctitate reſplendens, in Cæſarium quem dilexit vt filium, tranſmiſit opulentam virtutum hæreditatem. Eſt celebris eiuſdem Sylueſtri memoria ſacris tabulis annotata in Eccleſia ſemper vigens annis ſingulis rediuiua, nóſque in notis de eo pluribus egimus. At Cæſarius vbi flores eius ſanctitatis tanquam apis auidè ſuxit, ad Lerinenſe ſecretiùs aluearium conuolauit, ibique (vt idem auctor habet) ſub Porcario Abbate diu monaſticam conuerſationem ſumma excoluit obſeruantia: licet præ immenſo animi ardore ipſe ſibi ſemper ſegnior videretur: vt apparet ex eiùs homilia quam poſtea habuit in eodem monaſterio, vbi primum iſta inter alia in-

[a] *Apud Sur. die 27. Aug.*

Cæſarij tyrocinium.

Marty. Rom. & alia die 20. Nouemb.

Cæſarius monachus Lerinenſis.

Hom.20. terſeruit de florentiſſimo ſtatu huius temporis eiuſdem Cænobij Lerinenſis. Benedicimus Dominum noſtrum, qui ſanctam inſtitutionem & admirabilem conſuetudinem loci huius iugiter creſcere & in maiori dignatur gloriæ cumulo ſublimare:O fœlix & beata habitatio inſulæ huius, vbi tam ſanctis quotidie & tam ſpiritualibus lucris,gloria Domini augetur, & tantis damnis diaboli nequitia minoratur. Beata inquam & fœlix Inſula Lerinenſis quæ cum paruula & plana eſſe videatur innumerabiles tamen montes ad cœlum miſiſſe cognoſcitur. Hæc dicens Cæſarius, alludere ad ea videtur quæ ſuperius recitauimus ex carmine Euchariſtico quod ad Fauſtum ſcripſit haud pridem Sidonius Apollinaris, vbi ait, quantos illa Inſula plana, miſerit ad cœlum montes,&c.Per montes ſanctos intelligens, cùm ipſa Inſula vndique planitie lata,gaudens montibus careat.Hinc & Cæſarius iſta ſubdit : Hæc eſt quæ eximios nutrit monachos,& præſtantiſſimos per omnes prouincias erogat ſacerdotes. Vix enim reperiri erat, qui his temporibus aſſumptus in regionibus illis,ad regimen Eccleſiarum,non delectus eſſet ex nobiliſſimo, & regularis inſtitutionis obſeruandiſſimo cænobio Lerinenſi:ac ſic (ſubdit ipſe) quos accipit filios reddit patres: & quos nutrit paruulos, reddit magnos, quos velut tyrannos excipit, reges facit:nam omnes quoſcunque fœlix & beata habitatio iſta ſuſceperit charitatis pennis ad excelſa virtutum culmina Chriſto ſublimare conſueuerit, quæ res cum penè in cunctis habitatoribus fuerit fœliciter cõſummata,tamen reſiſtentibus meritis meis,in me non probatur impleta.Cùm enim paruitatem meam hæc ſancta Inſula velut præclara mater & vnica ſingularis omnium bonorum nutrix brachiis quondam pietatis exceperit:& non paruo ſpatio educare & enutrire contenderit : licet reliquos ad virtutum culmina erexerit, à me tamen quia cordis duritia contradicit,omnes negligentias auferre non potuit.Et ideò cum omni humilitate ſupplico, & tota cordis conſtrictione depoſco, vt quod negatur meritis meis veſtris orationibus ſuppleatur, &c.] Mira res vt ſub tot barbararum gentium frequenter factis in Gallias graſſationibus à Sueuis,Vuandalis,Alanis,Gotthis,Burgundionibus,Hunnis & Francis, nihil ad hæc tempora paſſum fuerit detrimenti, idem monaſterium Inſulæ Lerinenſis, factum ipſis etiam barbaris atque Arrianis venerandum:vnde quod valde erubeſcant habent noſtri ſæculi nouatores qui in Galliis pluſquam ſexcenta monaſteria combuſſerunt,vt taceam de cineribus innumerabilium Eccleſiarum, quanta inſuper hoc tempore eſſet gloria eiuſdem cænobij Lerinenſis,præter illa quæ ſuperius dicta ſunt,ipſum rurſum audi Cæſarium ad monachos concionantem: Abripiente(inquit)vſque ad occidentem,& omnibus pene locis in quibus Chriſtiana religio colitur, religioſiſſima veſtra conuerſatio ad Chriſti gloriam prædicatur iure à vobis exigitur,vt quod de vobis creditur,hoc probetur.Agite ergo Deo auxiliante quod ſemper egiſtis &c. Sed quod ſub Fauſti nomine peruulgata legitur fabula de eodem Lerinenſi Cænobio exciſo à Sarracenis ſub Porcario Abbate inſtitutore ſancti Cæſarij eam ſic obiter refellere ex inſtituto onus incumbit.Primum verò ſcias non eſſe Fauſti ſcriptionem illam,ſed appendicem ad Fauſti inſtructionem ad monachos vt apparet ex ea nuper edita diligentia viri doctiſſimi Genebrardi, nunc Aquenſis Epiſcopus poſt funebrem orationem ſancti Hilarij Epiſcopi Arelatenſis, & alia illi coniuncta, vbi poſt abſolutam Fauſti illam tractationem, ſubiicitur narratio de excidio Monaſterij Lerinenſis, qua dicitur idem Monaſterium

Reuerentia barbarorum erga monaſterium Lerinenſe.

Homil.20.

à Sarra

De clade Monaſterij Lerinenſis.

à ſarracenis diruptum, & ſanctum Porcarium Abbatem, cum ſuis eſſe necatum. At quantæ fidei ſcriptum illud auctoris incerti? & vbi nam gentium Sarracenorum incurſio his temporibus in occiduis oris innotuit! qui vix poſt trecentos annos auditi ſunt mare mediterraneum infeſtaſſe? ſed haud maioris nobis fidei quæ habentur in ſpuria vita ſancti Honorati, vbi hæc facta dicuntur per Genſericum Vuandalorum in Africa Regem. Cum & additur idem Monaſterium per Genſericum ſub Abbate Porcario diruptum, numquam vſque ad Pipini Francorum Regis tempora eſſe reſtitutum. Si hæc vera ſunt, quomodo poſt Genſericum iam defunctum adeò celebratur gloria eiuſdem Monaſterij Lerinenſis, vt audiuimus à Cæſario? Quomodo de tanti Cœnobij clade nulla penitus habetur mentio in actis ipſius ſancti Cæſarij, quæ ſunt ſcripta (vt diximus) ab huius tẽporis ſcriptore Cypriano? vel quonam pacto dici poteſt, vſque ad Pipini tempora eius deſolationem perduraſſe, ſi ſanctus Gregorius Papa eiuſdem meminit [a] Monaſterij, ſub Bono (ſiue vt aliqui ſcribunt) Coneno ſiue Cudo Abbate (ad quem ſcribit) exiſtentis? Hic igitur cum nec ſub Sarracenis, nec ſub Genſerico ea accidiſſe funere Monaſterio Lerinenſi ſub Abbate Porcario dici poſſint: neceſſe eſt affirmare, vel Porcarium, quem cum ſuis Martyrem dicimus, qui & Cæſarium à pueritia educauit longiſſimam vixiſſe ætatem, & ea quæ narrant, non à Genſerico neque à Sarracenis, ſed ab aliis paſſos eſſe ſucceſſoribus Genſerici, vel alterum dicere, eiuſdem nominis poſt hæc in eadem Inſula ſub Sarracenis Porcarium floruiſſe, cuius Eccleſia ipſa cum ſuis celebrat martyrium pridie Idus Auguſti. Sed ad Cæſarium redeamus, quem dicimus in eadem Inſula in exercitatione Monaſtica ſub eodem Abbate vixiſſe, quo iubente Arelatem poſtea ſe contulit, ibique excultus eſt Rhetoricis Facultatibus ſub Pomerio Afra inſigni eius temporis rhetore: hic ille namque Pomerius quem natione maurum fuiſſe tradit Gennadius [b] eumque ordinatum in Gallia præsbiterum: quem alij Iulianum nominatum dixere: quam autem decepti ſint qui Iulianum Pomerium putauere fuiſſe Epiſcopum Toletanum, tu conſule notationes noſtras in Romanorum Martyrologium. [c] Porrò huius Pomerij quo vſus eſt preceptore Cæſarius lucubrationes Gennadius recenſet, quem poſt Gelaſij obitum ſub Anaſtaſio Imperatore adhuc fuiſſe ſuperſtitem docet Cæſarius autem egregiè doctrinis ſacris potiſſimum inſtitutus, dignus iudicatus & qui poſt Conium à populo & clero expeteretur in Epiſcopum Arelatenſem: cui nec profuere latebræ ſepulchrales quin inde traheretur ad regimen Epiſcopatus inuitus. Sed non prætermittimus dicere (quod & magnopere admiratus ſum) Tritemium ſiue alios ad poſteriora tempora eundem Cæſarium retuliſſe, ſub profeſſoribus regulæ ſancti Benedicti, quem conſtat ante ſancti Benedicti Monachatum his ipſis vixiſſe temporibus, interfuiſſéque pluribus conciliis, his item temporibus celebratis. Porrò idipſum eius vitæ acta perſpicuè docent: Nam vixiſſe tunc dicunt, cum Alaricus regnaret in Gallia Narbonenſi, & Theodoricus Rex potitus eſſet Italiam: ſed & cum tradat eius vitæ auctor vſum ipſum eſſe præceptore Pomerio Afro atque probaſſe Felicem Papam vulgaſſéque eiuſdem Cæſarij ſcripta, nulla penitùs de his vel leuiter dubitandi occaſio potuit eſſe relicta: Cùm alioqui, & eius homiliæ ad ipſum facilè rectè

Tempora Porcarij Abbatis.

a *Gregor. lib. 9. epiſt. 8.*

Pomerius rhetor magiſter S. Cæſarij.

b *Gennad. de ſcript. Eccleſ. cap. 48.*

c *Martir. Roman. die 8. mart.*

Cæſarius quo tempore vixit

intuenti demonſtrent. Porrò (quod dolendum eſt) ſanctiſſimi ac doctiſſimi viri exciderunt nobiliſſima monumenta vixque reliquæ ſunt quadraginta ſex humiliæ diuerſis temporibus dictæ , ad quos prouoco Gallos illos , qui turpiter à fide refugæ ad Hereticos transfugæ defecere : Videant quæ de Catholicis dogmatibus quæ ipſi inſectantur , ſenſerit tantus doctor , miraculiſque conſignata reliquerit : hoc potiſſimùm ſæculo, quo Franci in Galliis regnantes eandem fidem catholicam in qua & baptizati ſunt acceperunt. Vt planè ſi quis eiuſdem Cæſarij legerit homilias ex illis facilè intueatur , illorum qui à Catholica veritate deſci-
Galat.3. uerunt amentiam cogaturque præ ſtupore exclamare cum Paulo , *O inſenſati Gallate, quis vos faſcinauit non obedire veritati?* multo magis verò, ſi peruiderit quæ alij nobiles huius temporis ſcriptores Eccleſiaſtici , itidem Galli gentiles ſui , nempè Proſper Aquitanus , Hilarius Arelatenſis , Saluianus Maſſilienſis , Eucherius Lugdunenſis , Claudianus Mamercus Viennenſis , Alcimus Auitus , itidem Viennenſis , Sydonius Apollinaris Aruernus , & alij ſuis ſcriptis , vitæque ſanctitate atque miraculorum virtute egregiè reliquere teſtata , in omnibus conſentientia illis quæ Hilarius Pictauenſis , Ireneus Lugdunenſis , atque Dioniſius Pariſienſis omnes ſanctiſſimi Epiſcopi olim iiſdem tradiderunt, & nuperrimè Cæſarius docuit. At de Cæſario modo hactenùs.

Demum idem Annaliſta Baronius in appendice ad ſeptimum Tom. an. Chriſti. 529. fœlicis Papæ I V. Iuſtiniani Imperat. I I I. Athalarici Regis I V. hæc addit corrigenda de tempore Sancti *Cæſarij Epiſcopi Arelatenſis.*

BAſilij iunioris conſulatu abſque collega præſens annus domini quingenteſimus , vnde trigeſimus adnotatur in faſtis Panuini pro arbitrio mutantis vel adentis nomina conſulum. Cæterum Caſſiodorus Decium tantum habet accidentalem conſulem ponens , & Marcellinus orientalem , Iuſtinianum ſolum habet , ſanè quidem hunc illum eſſe conſulatum Decij iunioris quem habent acta conſiliorum Arauſicani , Epaunenſis , & Carpentoralenſis , plura ſunt quæ demonſtrent , quorum ignorantia factum eſt , vt conciliorum collector malè retulerit ea concilia ad
443 tempora Leonis Romani Pontificis , ſicut & Panuinus , qui ante annos fermè centum nempè quadringenteſimo quadrageſimo tertio Chriſti anno eadem concilia poſuere. Nec nos errorem vitare potuimus , licet lon-
463 gè poſtea , nimirum ad quadringenteſimum ſexageſimum tertium annum eadem Concilia retulerimus , quod hic licet ſerò corrigimus. Vt igitur hic imprimis collocandum eſſe dicamus concilium Arauſicanum poſterius (vt ante meminimus) admonent tempora Cæſarij Epiſcopi Arelatenſis , qui eidem concilio præfuiſſe legitur. Porrò eum hoc , & non alio vixiſſe tempore , atque ei Eccleſiæ præfuiſſe , docent complures ad eunt à
Obitus S. Cæſarij. diuerſis ſcriptæ epiſtolæ , & ſuis in locis in annalibus recitatæ, quem & peruenisse vſque ad annum Chriſti quingenteſimum quinquageſimum quar-
554 tum , dicetur inferius. Inſuper tempus ipſum patricij præfecti Galliarum, qui huic concilio ſubſcripſiſſe reperitur , vt error cognoſcatur, & corrigatur admonet, & infra poſt pauca. At quod ad ipſum Arauſicanum concilium ſpectat, eius celebrandi auctor fuiſſe videtur Fœlix Romanus Pontifex , qui his temporibus

temporibus Romanæ præſidebat Eccleſiæ, per motus ipſe ex ſcriptis eiuſdem ſancti Cęſarij Epiſcopi Arelatenſis, quæ his diebus miſerat ad eundem Felicem Papam, de quibus Gennadius verbis iſtis, [a] De gratia quoque & libero arbitrio edidit teſtimonia diuinarum ſcripturarum & ſanctorum patrum iudiciis munita, vbi docet, nihil hominem de proprio aliquid agere boni poſſe, niſi cum diuina gratia præuenerit, quod opus etiam Papa Felix per ſuam Epiſtolam roborauit & in latiùs promulgauit.) Hæc Gennadius. Scholiaſtes autem alucinatus ſecutus Trithemium errat vehementer putans Cæſarium vixiſſe circa annum Domini ſexcenteſimum ſeptuageſimũ, cum autem Gennadius ait: quod opus etiam Papa Felix per ſuam epiſtolam roborauit, & in latiùs promulgauit:) alludere planè videtur ad capita illa, quæ à Romano Põtifice eſſe in Gallias miſſa ad Epiſcopos, teſtantur patres ipſo exordio Actorum eiuſdem concilij Arauſicani, his verbis: ſecundum auctoritatem & admonitionem ſedis Apoſtolicæ, iuſtum & rationabile viſum eſt, vt pauca capitula ab Apoſtolica nobis ſede tranſmiſſa, &c.) Hæc autem cum adeò euidentia pateant, vnde emanauit occaſio, vt ad Leonis Papæ tempora idem Arauſicanum concilium à collectore relatum fuerit, & ab aliis creditum? in primis (quod dictum eſt) id inde prouenit, quod ijſdem Cæſarij tempore haud adeò explorata fuere, quem ex Ennodij ad eum datis Epiſtolis, & Cypriano huius temporis auctore, qui res ab eo geſtas ad Cæſariam Cæſarij ſororem ſcripſit, & ex aliis quæ cum de Cæſario actum eſt dicta ſunt, his vixiſſe temporibus exploratiſſimum redditur, atque ex ipſo denique Gennadio qui ad hæc Felicis Papæ tempora Cæſarium vixiſſe docet, quod & aſſerta ſuperius certitudo de tempore liberij præfecturæ confirmat. Quod in ſuper eidem conſilio Arauſicano ſicut & cæteris ſuperius nominatis ſubſcriptus reperitur Proſper, licet cuius Eccleſiæ Epiſcopus fuerit non ſcribatur, cum creditus ſit hic idem Proſper cum illo qui ſancti Leonis Papæ ſcitur vixiſſe tẽporibus: error exortus eſt, vt pariter exiſtimatum fuerit, idem conciliũ Arauſicanum celebratum eſſe tempore ſancti Leonis Papæ: ſed longè hic ab illo diuerſus. Sed & quod Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus eidem cõcilio ſubſcriptus habetur, ſicut & priori Arauſicano ad ſuperiora tempora idem reuocandum putarunt, ſed conſulendus fuerat Cyprianus, qui alium ponit Eucherium iuniorem Lugdunenſem Epiſcopum, qui eundem Cæſarium plurimum coluit vt planè ex his adeò notis duo ſint Eucherij, ſenior de quo ſuperius, atque iunior de quo modo agitur, ſtatuendi: nec noua iſta eſt aſſerio, ſiquidem & Honorius [b] Auguſtodunẽſis inter ſcriptores Eccleſiaſticos duos pariter Eucherios numerat Lugdunenſes, alterum ſcilicet præsbiterum de quo Gennadius qui ponit eum vixiſſe ſub Valentiniano & Martiano. Epiſcopum alterum, ex quibus omnibus corrigi debent quæ à nobis his contraria dicta ſunt anno Chriſti quadringenteſimo quadrageſimo primo in priori editione vbi non niſi vnam vnum Eucherium nouimus. Verum ambos fuiſſe Epiſcopos, cum plura alia, tum conciliorum acta ſignificant, præſertim verò Arauſicanorum, in quorum priore celebrato anno redemptoris quadrinẽgteſimo quadrageſimo primo, legitur ſubſcriptus Eucherius Epiſcopus nempè ſenior, & in poſteriori Arauſicano hoc vt vidimus anno celebrato, poſt nonaginta duos minus annos à priore, vicinior Eucherius reperitur eidem eſſe ſubſcriptus, licet nec hic, nec vbi cuius Eccleſiæ Epiſcopus fuerit aſſeratur cæterum priorem Eucherium fuiſſe Epiſcopum ex Claudiani teſtificatione ſatis ſuperius eſt demoſtratum, & poſteriorem reuera Lugdu-

[a] *Genn. c. 86.*

670.

Eucherius vi nior.

Honor. de illius ſcript. Eccl. cap. 63.

Gennad. ca. 63.

441. in S. Eucherio.

88.

nenſem Antiſtitem nominat Cyprianus, cum elegantem de ipſo atque Cæ-
In vita S. Cæſar. ſario hanc hiſtoriam narrat. Cùm aliquando circa Alpes iter ageret, vir venerabilis ſanctus Eucherius cum illo erat, accidit tum vt in media via infœlix & morbida mulier eis occurreret, manibus & pedibus contractis per terram raptans, quam cum eſſet intuitus beatus Cæſarius, interrogauit ſanctum Eucherium, quid hoc eſſet quod illa per terrã ita ſe traheret. Eucherius interrogat fœminam, illa reſpondet, ſe multis annis membris omnibus fuiſſe cõtractam. Beatus Cæſarius dicit ſancto Eucherio: Deſcende & conſigna eam. Illo quaſi trepidante, & excuſante ſeſe, Cæſarius inſtat & vrget. Tandem Eucherius deſcendit & conſignat eam, aitque: feci quod iuſſiſti. Dicit ei Cæſarius: extenta manu apprehende manum illius & erige eam, ille reſpondit, quidquid aliud iuſſeris non recuſabit Eucherius tuus: iſtud vt faciam adduci non potero. Tuum eſt hoc facere, cui præſtitit Deus gratiam, & animas & corpora languentium curandi. Cæſarius ait: Tu interim facito quod dico. Illo planè renitente, & cum multa modeſtia & lachrymis ſeſe excuſante, diúque facere detrectante, Cæſarius dicit. Tu ne obedientiæ cauſa in ignem ingreſſurus es, qui nec miſericordia adduci potes, vt facias quod charitas iubet? Mitte in nomine Domini manum tuam, & erige eam. Tum ille obediens porrigit fœminæ manum & ſubleuat eam. Illa verò mox integrè ſanata abiit ad hoſpitiolum ſuum. Hactenus de S. Eucherio atque Cæſario Cypriano, ſequitur Baronius de ipſa Synodo Aurauſicana, cui S. Cæſarius præfuit & Eucherius ſubſcripſit.

De ſepulchri S. Cæſarij Archiepiſcopi Arelatenſis reſtauratione, eiuſdemq; Epitaphio, Annaliſta Baronius Tomo nono Anno Chriſti. 731. Gregorij Papæ III. ann. 10. Leonis Iſaurici Imp. 16.

Pithœo editi. QVod ad res Francorũ pertinet hoc anno (vt veteres ipſorum annales habent) Sarraceni qui infeſto agmine Galliam Narbonenſem vt vidimus occuparant, à Carolo Martello vincuntur: ab occupatis munitionibus expelluntur, penituſque fugantur, reliquis omnibus cæſis: quæ hoc anno cœpta in ſequentem ſunt propagata, vt ex iiſdem Francorum annalibus conſtat. Fauit Deus inuicto principi, dum zelo Chriſtianæ religionis offenſæ vindex exurgens in gentem perfidam quæque ardua, ac difficilia eius auxilio ſuperauit. Dolendũ quod tãtę res prolixa vix hiſtoria cõplectendæ, ſummatim tantum indice tẽporis conſignatę, intextæ annalibus inueniantur, de quibus & illud proditur Sarracenos illos qui fuga lapſi naues cõſcenderunt, vt redirent iiſdẽ quibus venerat nauibus in Hiſpaniam, vi tẽpeſtatis fuiſſe fluctibus merſos eſt etiam mentio de eorũ immenſo naufragio in epitaphio ſculpto in ſepulchro ſancti Cæſarij Archiepiſcopi Arelatenſis denuò reſtituto. Etenim inuadentibus ſarracenis ciuitatem Arelatenſem: ab ipſis etiam ſanctorum monumenta fuere contricta, penituſque deleta, ipſis verò cæſis atque fugatis, parta pace cum ſecuritate fidelibus quæ impij fuerant demoliti, pij continuò reſtaurare cœperunt, & inter alia eorum patroni ſepulchrum S. Cæſarij, quod & eiuſmodi verſibus ornauere.

An. Chriſti 729. vel 730. quo tempore vaſtatiũ Monaſteriũ Lerinenſe & paſſum Porcariũ creditur. 12. Auguſti.

Cernitur hic pario renouatum marmore tegmen,
Patri Cæſario Pontificiq; ſacro:
Quod ſcelerata cohors rabie deſtruxit acerba,
Hanc virtute Dei ſorbuit vnda maris.
Præſul & in ſtagno Arelatis ſede locato.

Gemmi

Gemminus id Paulus ſtrenuè compſit opus.
Cui Chriſtus tribuat cæleſtis præmia vitæ,
Cætibus Angelicis conſocietur ouans.
Et nobis venerande Pater, miſerere precando,
Diluat vt noſtra crimina cuncta Deus.

Hactenus ſepulchralis inſcriptio Sarracenorum naufragij Index.

DIVI CÆSARII ARELATENSIS ARCHIEPISCOPI AD MONACHOS Lerinenſes Sermo primus.

Dominis, ſanctis, & in Chriſto deſideratis fratribus in Monaſterio Lerinenſi conſtitutis, Cæſarius.

INter reliquas beatitudines quas in Euangelio Dominus ac Saluator noſter enumerare dignatus eſt etiam hoc addidit, dicens. *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur.* Matth. 5. Fœlices ſunt quibus iſtam præclaram famem, & deſiderabilem ſitim, Deus donare dignatur. Quomodo autem eſuritur iuſtitia? Frater iuſtitiam eſuris: ſi verbum Dei patienter & libenter audire volueris. De tali enim cibo dictum eſt. *Qui edunt me: adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Eccl. 14. Quãuis enim ſit melius facere, quam noſſe: prius eſt tamen noſſe, quam facere debet enim quiſque diſcere: quod optat implere. Denique audi ſcripturam dicentem. *Omnis qui non didicerit iuſtitiam ſuper terram: veritatem non faciet.* Eccl. 14. Et iterum. *Zelus apprehendet populum veridicum: & ignis aduerſarios conſumet.* Eſaie. 12. Et in hoc loco ideò dicitur ignis aduerſarius: quia non de parte Chriſti: ſed de parte diaboli eſſe cognoſcatur. Et iterum. *Iuſtitiam diſcite: qui habitatis terram.* Sap. 1. Manifeſtum eſt ergo quòd ipſe eſurit iuſtitiam: Prius ergo debemus diſcere: vt poſtea mereamur implere. Vt ergo iſta beatitudo per Dei gratiam impleatur in vobis: ſi in veritate (vt credimus) & eſuritis & ſitis iuſtitiam quoties fuerit vobis verbum Dei prędicatum: nolite expectare vt vobis vltro illud debeamus ingerere, ſed etiam vos ipſi quaſi rem vobis iure debitam, fideliter à nobis ac ſitienter exigite. Nam ſi nos vltrò ſemper velimus offerre & vos vel aliquoties tardantibus nobis volueritis exigere: poſſimus ab illis qui periculũ noſtrũ neſciunt importuni forſitan iudicari. Sed qui benè nouit quam graue pondus noſtrum ſit, & imminеat ceruicibus ſacerdotũ: intelligit quod quamuis aſſiduè verbum Dei prędicemus, minus tamen reddimus quã debeamus. Teſtificatur enim ſacerdotibus ſpiritus ſanctus per Prophetam. *Clama ne ceſſes.* Eſaie. 58. Non dicit clama poſt multos dies, ſed clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam & annuncia populo meo peccata eorum. Et iterum. *Si non annunciaueris iniquo iniquitatem ſuam: ſanguinem eius de manu tua requiram.* Ezechi. 3. Et Apoſtolus. *Memoriam mei retinete, quia per triennium non ceſſaui die ac nocte, cum lachrymis monens vnumquemque veſtrum.* Actu. 20. Si Apoſtolus vt ſe apud Deum abſolueret diu noctúq; verbum Dei prædicabat: quid nobis fiet qui vix vel poſt multos dies commiſſo nobis gregi ſpiritualia paſcua prouidemus? Et præterea conteſtatur: ad Timotheum idem Apoſtolus. *Teſtificor coram deo, & Ieſu Chriſto qui iudicaturus eſt viuos & mortuos: & aduẽtum ipſius & regnum eius.* 2. Tim. Et quaſi interrogaretur quare

Ibidem. tam metuendam conteſtationem præmitteret, ſecutus adiungit. *Prædica verbum, inſta oportunè importunè: argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Quid eſt oportunè importunè: niſi oportunè volentibus: importune, nolentibus? Volentibus audire, verbum Dei offerendum eſt: faſtidientibus, ingerendum: ne fortè contra nos ante tribunal Chriſti ſtantes dicant ſe à nobis ammonitos non fuiſſe: & animarum illorum ſanguis de manibus noſtris requiratur. Vnde cum grandi timore penſare debemus: ne ad nos etiam illa terribilis ſententia dirigatur quam ſeruus ille meruit audire: qui acceptum talentum duplicare noluit. *Serue (inquit) male & piger: quare non dediſti pecuniam numulariis ad menſam: & ego veniens cum vſuris exegiſſem illam?* Et quod poſt hæc ſequitur; auertat deus hoc à nobis. *Inutilem (inquit) ſeruum proiicite in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Quare inquit non dediſti pecuniam meam numulariis? Pecunia, dilectiſſimi, non aliud intelligitur: niſi quod in Eccleſia prædicatur. Numularij qui pecuniam accipere debent: non ſunt alij niſi populi Chriſtiani. Sicut enim graue erit peccatum, ad menſam cordis noſtri non dediſſe pecuniam domini noſtri, ita è contrario vnicuique veſtrum non paruum periculum imminet, ſi id quod verbis accepit, bonis operibus duplicare noluerit. Quia ergo & noſtrum & veſtrum periculum agnouiſtis, quoties euenerit vt vobis tardius verbum Dei miniſtretur: ſic hoc moleſtè accipite quomodo ſi corpori veſtro quotidiani victus ſubſtantia ſubtrahatur. Non enim apud nos maior debet eſſe corporis fames, quam animæ. Nam quanto animam digniorem eſſe nouimus, tanto de eius victu maiorem ſolicitudinem habere debemus. Si enim caro ſingulis diebus reficitur, quare moleſtum & ineptum iudicet aliquis, ſi vel poſt ſeptem dies, anima dei verbo paſcatur? Quomodo enim caro reficitur cibo iſto terreno: ſic & anima paſcitur Dei verbo. Et ideò quoties vobis tardius oblatum fuerit per ſanctam importunitatem veſtram excitate pigritiam noſtram: & quod vobis iure debetur, exigite. Sacerdotes enim in Eccleſia ſimilitudinem videntur habere vaccarum: Chriſtiani verò populi typum præferũt vitulorum. Quomodo enim vaccæ per campos & prata diſcurrunt, vineta & oliueta circueunt, vnde paſtis herbis & frondibus, cibum lactis præparent vitulis ſuis: ita Sacerdotes in diuerſis ſanctarum ſcripturarum montibus aſſiduè legendo verbum Dei debent flores decerpere, ex quibus ſpiritale lac valeant filiis miniſtrare: vt poſſint partem habere cum Apoſtolo qui dixit. *Lac vobis potum dedi: non eſcam.* Non incongruè fratres chariſſimi Sacerdotes vaccarum ſimilitudinem habere videntur. Sicut enim vacca duo vbera habet, ex quibus nutriat vitulum ſuum: ita & Sacerdotes duobus vberibus veteris ſcilicet & noui teſtamenti debent paſcere populum Chriſtianum. Conſiderate tamen fratres & videte, quia carnales vaccæ, non ſolum ipſæ ad ſuos vitulos veniunt: ſed etiam ſui vituli eis obuiam currunt, & ita vbera matrum ſuarum capite frequenter percutiunt, vt aliquoties ſi maiores vituli ſint, ipſarum matrum corpora de terra ſubleuare videantur, attamen iniuriam ipſam vaccæ libenter ſuſcipiunt, dum vitulorum ſuorum cupiunt videre profectum. Hoc etiam boni Sacerdotes debent fideliter deſiderare vel cupere: vt filij eorum pro ſalute animæ ſuæ aſſiduis eos interrogationibus inquietent, vt dum filiis pulſantibus gratia diuina tribuitur, ſacerdotibus ſanctarum ſcripturarum ſecreta reuelantibus, æternum præmium præparetur. Hoc ideò dico: vt & in vobis & nobis iſta ſimilitudo ſeruetur. Cupimus enim à vobis iſtam deſiderabilem inquietudinem

Matth. 25.

Ibidem.

1. Corin. 3.

tudinem aſſiduè ſuſtinere: dummodo animas veſtras videre mereamur, in Chriſti amore proficere. Vnde ſicut nobis expedit, collectis ſcripturarum floribus ſpiritalem cibum conficere: ita & vos oportet cum grandi auiditate requirere. Nam quomodo ſolent vituli matrum vbera grandi impetu inquietare, vt de interioribus earum neceſſarium ſibi poſſint extrahere cibum: ita & populi Chriſtiani ſacerdotes ſuos velut ſanctæ Eccleſiæ vbera, aſſidua debent interrogatione prouocare, vt cibum poſſint ſibi ſalutis acquirere, & victum animæ ſuæ neceſſarium prouidere: ne fortè ſi & ſacerdotes tardius voluerint offerre & populi nimiis impedimentis mundi iſtius occupati dedignentur inquirere: impleatur quod ſcriptum eſt. *Mittam iniquam famem in terram*, non famem panis, neque ſitim aquæ: ſed audiendi verbum Dei. Credimus tamen de Dei miſericordia, quod ita & nobis ſtudium legendi vel prædicandi, & vobis audiendi deſiderium præſtare dignabitur: vt ante tribunal æterni iudicis, & nos de prædicationibus noſtris bonam poſſimus reddere rationem, & vos pro benigna obedientia, & bonorum operum perſeuerantia, ad æterna præmia mereamur peruenire. Præſtante domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſæcula, Amen. *Amos* 8.

SERMO SECVNDVS.

SIcut à nobis Dominus pro ſuſcepti officij neceſſitate, loquendi depoſcit officium: ita à vobis chariſſimi audiendi requirit affectum. Ita inquam, charitati veſtræ expedit iis, quæ pro ſalute veſtra dicimus, obedire: ſicut nobis imminet non tacere. Nam ſi nos offenſam metuimus de ſilentio: quanto magis eam debetis expaueſcere de contemptu? Si inquam nobis grande periculum eſt aliena peccata non arguere: quanto periculoſius eſt propria nolle corrigere? Ait quodam in loco beatus Apoſtolus. *Videte vocationem veſtram.* Quapropter dilectiſſimi: & nos videamus vocationem noſtram. Non enim ſatis prodeſt, quod iſtum locum expetiuimus: ſi tales hic ſumus quales in ſæculo eſſe potuimus. Si enim bene perſpicimus non ſolum iſta ſolitudo nos ad perfectionis neceſſitatem, ſed etiam ipſa congregationis multitudo conſtringit. Nam ſicut pretioſum atque præcipuum eſt in medio multorum bene agere, & plurimos ad profectum exemplo boni operis incitare, ita pernicioſum atque periculoſum eſt negligentius agendo, multorum fidem frangere, multorũq; animas deprauare. Sicut, inquam, fructuoſum eſt in multorum medio poſitum, probabiliter viuere, ita periculoſum eſt aliquid deſtructionis egiſſe. Hoc autem (quare dico? quia, quod peius eſt) facilius inuenimus qui ea quæ ſunt deteriora, quam qui meliora, ſectentur. Pronior eſt enim ad imitationem mali, humana fragilitas. Quapropter non nobis ſufficere credamus quod nos in hanc Inſulam cernimus congregatos: quia vehementius in nobis negligentias noſtras profeſſa perfectio, quã nec aſſumpta condemnat. Secũdum enim ſcripturę fidem, quibus multum committitur: multum neceſſe eſt ab eis requiratur. O quantis proderit & quantis è contrario oberit loci huius oportunitas, & congruæ habitationis occaſio: Non enim in hoc loco viviſſe, ſed perſeuerando bene egiſſe: laudandum eſt. Rurſum aſpicite. Nunquid nobis habitationis huius ſecretum aliquid prodeſt: quando tyrannico dominatu malicia in nobis regnat? quando ſuperbia vel ira ſemper inquietat: quando maiorem in nobis metum humanus oculus: quam diuinus timor inducit, quando laudabiles eremitæ, qui extra mundum nos *1.Cor.1.*

eſſe credimus per diuerſa paſſionum vitia, mundum intra nos incluſum tenemus, ita vt qui putamus nos precibus noſtris ſæculo ipſi ſuccurrere penè neceſſe ſit, vt videamur nos magis ſæculi interceſſionibus indigere. Dubium quippe non eſt quod illa anima quæ ſæcularium concupiſcentia voluptatum poſſeſſio efficitur mundanæ conuerſationis : non poſſit effici regnum diuinitatis. Ideóque fratres videte vocationem veſtram. Venire quidem ad eremum, ſumma perfectio eſt : ſed non in eremo perfectè viuere, ſumma damnatio eſt. Quid prodeſt ſi locus quietus tantum corporaliter teneatur : & inquietudo in corde verſetur : Quid inquam prodeſt ſi in habitatione ſilentium ſit : & in habitatoribus vitiorum ſit tumulus, & colluctatio paſſionum, ſi exteriora noſtra, ſerenitas teneat : & interiora, tempeſtas : Non enim ideò ad iſtum conuenimus locum vt nobis mundus famularetur : vt rebus omnibus abundantes omni quiete perfrueremur. Non vtique ad requiem, nec ad ſecuritatem : ſed ad pugnam huc venimus, ad agonem huc proceſſimus, ad exercendam cum vitiis bella properauimus, vt linguæ gladios rotundamus, vt non ſolum inuicem non inferamus iniurias, ſed nec ſentiamus illatas. Peculiarius autem iſtud ad profeſſionem noſtram pertinet : nihil in hac vita conſolationis requirere, nihil quietis, nec recipere nec velle bona in vita ſua, ſed honores fugere, ſubiectione, atque abiectione gaudere, paupertatis ſtudium quærere, & non ſolum facultates, ſed etiam ipſas cupiditates de cordibus eradicare. Nihil enim habere, interdum eſt neceſſitatis: nihil verò per auaritiam cupere virtutis. Et ideò hunc ibi ſpecialiter modum religioſus imponat, vt tantum habeat, quantum neceſſitas poſcit: non tantum quantum cupiditas concupiſcit. Habendi enim amor (niſi ad integrum reſecetur) ardentior eſt in paruis: & plus torquet in minimis. Et niſi ex corde ac toto affectu pauper ſis: paupertas ipſa non virtus, ſed miſeria iudicanda eſt. Noueritis itaque fratres nihil prodeſſe, ſi carnem noſtram ieiuniis & vigiliis affligamus, & mentem noſtram non emendemus, aut quæ interiora ſunt non curemus. Quid enim prodeſt afflictio corporalis: ſi linguæ nequitiis & obtrectationibus polluamur : Nonne omnes labores noſtri ad nihilum rediguntur: Nonne opus velut fumus atque vmbra vaneſcit: & velut ſtupæ fauilla in nihillum redigitur. O quanti, & quam diuturni labores noſtri ſubito pereunt, & quanta bona frequenter iam acquiſita ac repoſita, de manu rapiuntur, dũ id quod agere ſtuduimus, aut augere, aut cuſtodire negligimus. Quapropter nobis gratis de corporis cruce & pectoris afflictione blandimur : ſi exterior homo noſter ſanctis laboribus exercetur & paſſionibus non curatur interior. Sic eſt quomodo ſi aliquis ſtatuam faciat afforis auream : vel quomodo ſi domus magnifica arte conſtructa, afforis pulcherrimis coloribus depicta videatur, & ab intus ſerpentibus & ſcorpionibus plena ſit. Quid prodeſt, quid affligis corpus tuum : quando nihil proficit cor tuum : Valde dura & nimis dolenda conditio eſt omni intentione ſtudium labori impendere & fructum non recipere poſt laborem. Ieiunare, vigilare, & mores non corrigere : ſic eſt quomodo ſi aliquis extra vineam aut circa vineam extirpet aut excolat, ipſam verò vineam deſertam atque incultam relinquat, vt ſpinas & tribulos germinet, quæ inſiſtente cultore iucundiſſimos ex ſe fructus potuiſſet proferre. Agnoſcite itaque chariſſimi quod ad ſalutem perpetuam conquirendam abſtinentia corporalis ſola non ſufficit, niſi quoque &

animæ

animæ ieiunium per abſtinentiam vitiorum fuerit ſociatum. Quid enim iuuat ſi ſit quiſpiam corpore caſtus & mente pullutus ? Quem malitia deprauat,quem furor iracundiæ facibus exagitat, quem ſuperbia omni gratia Dei expoliat,quẽ mendaciisvel maledictis lingua commaculat:nonne ipſe ſe fallit ? Nonne ipſe ſe deridet ac decipit,ſi credat ſe ſine reliquis virtutibus, ſuis virtutibus,ſuis ieiuniis ac vigiliis ſanctificandum ? Et idcircò dilectiſſimi, ita corpus exerceamus ieiuniis, vt mentem purgemus à vitiis. Cogitemus illius iudicis inceſſanter aduentum : qui vtinam ſic paratos inueniat quomodo nemo poteſt dubitare quin veniat. Quod ſi requiras quomodo veniet ? in illo vtique corpore quod pro noſtra ſalute ſuſceptum,pro noſtra abſolutione dãnatum,& pro noſtrorum vulnerum medicina,lancea clauiſque confixum eſt. Prima enim erit in reos intoleranda ſententia:reuerendarum præſentia cicatricum. Quid igitur illo tempore ſumus facturi:quando contra illos domini crucifixi liuores,notę peccatorum noſtrorum,& maculę libidinum proferẽtur?aut quo putas vultu,reſpiciet redemptio noſtra perditionẽ noſtram? Tãto grauiora erunt humana delicta:quãto maiora ſe oſtenderint diuina beneficia.Verendũ eſt autem ne illam vocem reſurrectionis dominicę,crucis precioſæ veſtigia poteſtatem:etiam in iudicio ſuo ad vaſa iniquitatis prolaturus ſit.*Infer digitũ tuum huc:& vide manus meas,& affer manũ tuam & mitte in latus meũ & agnoſce quæ pro te immo abs te impio, in forma humana pretulerim.* Illa ita q; clauorum ſigna bonis ſalutaria, malis terribilia:vſque ad diem iudicij non delebuntur. Et poſt hæc quid ſequitur, niſi illud interpoſitum inter viuos ac mortuos expaueſcendum chaos, vaſtúmque diſcrimen, quo ab intima luce viuentium excludentur tenebræ exteriores. Dura quidem ſeparatio eſt à dulci intuitu ſanctorum, & à ſocietare fœlicium,è contrario inter lachrymabiles gemitus planctuſque lugentium : collegium triſte miſerorum, & ante beatam patriam : æternum teterrimæ noctis exilium. Quam lugubre erit homini Deum videre,& perdere & ante creatoris ſui perire conſpectum : Et ideò fratres chariſſimi,iſta dum tempus eſt cogitantes, & beneficia noſtri redemptoris recolentes:ita cum Dei adiutorio indefeſſo ſtudio laboremus, vt quod nobis contulit iudicatus : integrum in nobis inueniat iudicaturus, Ieſus Chriſtus dominus noſter,qui cum Deo patre in vnitate Spiritus ſancti viuit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. *Amen,* Ioan.20.

SERMO TERTIVS.

AD locum hunc,chariſſimi, non ad quietem, non ad ſecuritatem, ſed ad pugnam certaménque conuenimus : ad agonem huc proceſſimus. ad exercenda cum vitiis bella conſedimus. Vitia enim noſtra, hoſtes noſtri ſunt : de quibus ſcriptura pronunciat, dicens. *Cave ne vnquam cum eis habeas fœdus.* Neceſſaria nobis eſt fratres : peruigil cura,indefeſſáque cuſtodia,quia conflictus iſte, ſine fine : hoſtis iſte ſine pace eſt. Vinci poteſt : & recipi in amicitia non poteſt. Et ideò prælium iſtud ſatis durum, ſatiſque periculoſum eſt : quia intra hominem geritur, & niſi cum ipſo homine non finitur. Ideò ergo nos ad hæc ſecreta tranquilla & ſpiritualia caſtra contulimus : vt quotidie contra paſſiones noſtras infatigabili congreſſione certemus, vt quotidie ſenioribus noſtris voluntates quaſi famulas ſubiiciamus, & cordis nequitias circuncidamus, & linguæ gladium rotundamus, vt non ſolum inuicem non inferamus iniurias, ſed nec ab aliis ſen-

tiamus illatas. Peculiariter in ista ad professionem nostram pertinent: nihil in hac vita consolationis requirere, nihil honoris, præsentium rerum solatia refugere, ad promissa æternæ remunerationis animum præparare, subiectione atque abiectione gaudere, paupertatem studio quærere & non solùm facultates, sed & voluntates ipsas de cordibus eradicare. Nihil enim habere interdum necessitatis est: nihil autem cupere virtutis. Illud etiam scire debetis, quod inter vos vitam agere solitariam constituerunt: aut cum grandi fructu, aut cum grandi periculo, vel diligentes aut etiam negligentes sunt. Vnde fœlix est illa anima, quæ dum bene in congregatione versatur: multorum gaudium est & plurimi ex ea vel ædificantur, vel illuminatur. Bona enim eorum dum multis communicantur, augentur. Ad *Prouerb. 9.* quod sapientissimi illius sententia respicit, quæ dicit. *Fili, si sapiens fueris, tibi proficies & proximis tuis.* Itaque si quis in congregatione positus, aut humilitati sese patientem prebuerit, quantum ex se bonum proximis commodat: tantum in se lucrum aliorum conuertit. Si verò è contrario per inobedientiam vel superbiam, quæres (quod peius est) facilius inueniri solet, ad malum exemplum suæ iniquitatis alios attraxerit: quantos destruxerit, de tantis periculum damnationi incurrit. Quantis detrimentum fuit: de tantis damna contraxit, & peccatum quod ab illo receſſit semel ad eum multipliciter redundabit. Quamobrem sicut ille valdè admirandus atque laudandus est, cuius cursus bonus multorum profectus est, ita ille merito lugendus est, cuius vita mala multorum ruina est. Ideoque, fratres charissimi, quæ ad ædificationem pertinent, ea in medio positi agere studeamus: ne vitia nostra aliorum virtutibus noceant, ne aliorum feruorem tepor noster debilitet, & aliorum patientiam iracundia nostra violet, ne aliorum humilitatem superbia nostra depraue t, ne aliorum sanitatem infirmitas nostra corrumpat, ne aliorum pulchritudinem fœditas nostra contaminet, ne aliorum ardentes extinguamus lampadas, si nostras illuminare non possimus. Et quidem stultæ illæ virgines, quæ licet quantunlibet stultæ essent: non tam alienas extinguere, quam suas illuminare cupiebant: & ideò ad istarum similitudinem, si cuiquam nostrum deest pinguissima gratia humilitatis, si fidei ignis, si flamma feruoris, si oleum charitatis, si lumen discretionis veniat ad eos quos magis abundare prospexerit, & gratiam in se proximi non auferendo, sed imitanda transfundat & bona possessionis alienæ non solum sine damno, sed etiam cum lucro possessoris inuadat. Nunquam tibi deficit, quicquid alter de te proficit. Nunquam enim sentit luminis sui damnum plurimis ignis accensus: nec minuit solis lucem, considerantium multitudo. Quanti ad eum prospexerint tantis munera sua commodat, & ipse tamen integer perseuerat. Benedicta à Deo illa anima, cuius humilitas alterius confundit superbiam, cuius patientia proximi extinguit iracundiam, cuius obedientia pigritiam alterius tacitè increpat, cuius feruor inertiam alieni teporis exsuscitat, quę proximi sui per iram turbatum oculum cordis, gratia consolationis, atque ædificationis illuminat. Melius est huic quam illi qui fratrem paululùm ab aliquo contristatum, non tam solatio suo porrecta manu nõ subleuat, sed titubantem sicut parietem inclinatum, malo loquiorum impulsu adiuuat ad ruinam, & salubriter pro sui ratione correptum, per sinistra consilia sic incitat vt allidat, sic armat, vt perimat. Itaque

fratres

fratres cui mala propria non ſufficiunt,ille ſic agat:vt iudicium etiam alienæ perditionis non incurrat. Certi ſumus, chariſſimi, quod niſi caueamus, niſi noſtras quotidie reſecemus & circũcidamus paſſiones deteriores multo nos effici quam fuimus,dum in ſæculo viueremus,ita vt fiant extrema noſtra peiora prioribus.Et quidem chariſſimi quamdiu ad mundum pertinentibus illic actibus & negotiis militabamus in quibus nunc erubeſcimus : tunc nobis aduerſarius non obſtabat,immò etiam conſentiebat, quia circa miſerabilem ac perditam vitam noſtram non inueniebat in quo exerceret inuidiam ſuam. Delectabant illum opera noſtra : ſufficiebant illi per ſe crimina, & peccata noſtra. Quis enim ſuſcipit bellum contra militem ſuum ? quis velit impugnare ſubiectum ſuum ? Sed ſupra omnem infœlicitatem erat vita illius: cui nocere non dignabatur inimicus. At vero nunc poſtquam voluptatibus illius renunciauimus : videt cultores ſuos ad auctoris ſui priſtinum redire famulatum,videt in nobis quodammodo idola ſua in Dei templa mutari:frendens & tanquam leo rugiens omnes nocendi aditus peruigil inſidiator explorat. *Luc. 11.*

De quo leone Apoſtolus Petrus proteſtatur.*Vigilate itaque quia aduerſarius veſter diabolus : tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.*Beati quos hic leo inquirẽdos iudicat & ſequendos vtique virtutum veſtigiis & odore meritorum.Non enim ab illo inquiruntur niſi boni:quia ei vltro ſe ingerũt mali,poſt illos violenter currit,iſtos etiam negligẽter incurrit.Beati igitur quos hic leo cogitur inuidia querere,& malicia non permittitur inuenire.Terribiliter quidem ſonat in auribus noſtris : dum audimus tanquam leo rugiens. Sed quia dictum eſt,*eſca eius electi ſunt,quod querit,electionis eſt,quod rugit,deſperationis.*Sicut alio in loco legimus,*dentibus ſuis fremet & tabeſcet:*ita hic loquitur ſermo diuinus vt terrori iuncta ſit cõſolatio.Cruciantis quidem eſt quod frendet : ſed victi eſt quod tabeſcit. Et inter hæc quanta ſint illa quæ à Deo præparata ſunt homini:etiam liuor prodit inimici.Hęc itaque chariſſimi cogitantes, & in hoc agone deſudantes glorioſi & præclari patris noſtri ſancti Benedicti nos & diſcipulos eſſe meminerim' & filios. Rapiamus vnuſquiſq; quod poſſimus,de bono inteſtati parentis.Hic de hæreditate eius aſſumat fidei loricam geſtorum varietate precioſam : ille manſuetudinis ac ſimplicatis occupet talentum,ille decus pectoris, beneuolentiæ & ſapientiæ monile ſibi vendicet:hic margaritam cõpunctionis, & theſaurum caſtitatis inuadat. Licet enim ille locupletiſſimus Dei amicus quicquid habuerit integrũ ſecum tulerit : nobis tamen ſi volumus totum reliquit.Ita ergo agamus bona illi[illegible]s ſectantes:vt qui in æternam gloriam ſuſcitandus ſub fine ſæculorum cr[illegible]editur, nũc in Eccleſia pro rediuiua in filiis merita,iam reſurgat adiuuan[illegible]e Domino Ieſu Chriſto qui viuit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum[illegible] Amen. *Abac. 1.* *Pſal. 111.* *1. Petri. 5.*

SERMO QVARTVS.

SCimus quidem ſpiritali militiæ cui nos mãcipauimus:mag[illegible]iam eſſe in futurum repoſitam remunerationem. Sed ſi bene perſp[illegible]exerimus in hoc ipſo opere quod gerimus:quodammodo etiam in præſen[illegible]i iam partem prædeſpicere, & Deo ſeruire cœpiſſe, euaſiſſe vitiorum [illegible]n fœliciſſimu[illegible]m dominatum & fugiſſe gulæ dominatum ac luxuriæ fœdi[illegible]ſſimam ſeruit[illegible]item.

Quid ergo?nonne iam magna pars præmij eſt nihil comm[illegible]nune habere cum mundo, vanarum rerum cupiditatibus n[illegible]n excruciari, ſceleribus non

admiſceri, & cum innocentia diem tranſigere, beatæ caſtitati operam dare
Prouerbiorum 15. glorioſæ paupertatis ſufficientiam cum timore Domini poſſidere? de qua loquitur ſapientia. Melior eſt exigua portio cum timore Domini: quam theſauri magni ſine timore eius. Intelligamus itaque quantum nobis Dominus pia vocatione contulerit: numeremus ſi poſſumus ex illo tempore ex quo hic conuerſari incepimus, quanta peccata lucrifecerimus, de quantis fraudibus, de quantis adulteriis, rapinis, periuriis, ac ſacrilegiis nos Deus liberauit, & tunc videbimus quantas etiam de præſentibus beneficiis gratias Domino referre debeamus. Si nunc in ſæculo eſſemus: quid aliud ageremus, quam conuolueremur in malis noſtris, & animas noſtras quotidianis violaremur maculis, quotidianiſque confoderemus vulneribus, ita vt nec ſentire poſſemus? Habet enim hoc infœlix conſuetudo peccandi, vt quanto amplius vnuſquiſque peccauerit: tantominus peccata ipſa intelligat, & tanto eum plus peccare delectet. Etiam veniat illud quod Propheta peccatoribus clamat. *Nõ eſt Deus*
Pſal. 9. *in conſpectu eius: auferentur iudicia tua à facie eius.* Etenim quando ſubrepit delectatio peccandi: ſtatim futuri iudicij diem abſcondit obliuio. Econtrario autem, quanto quiſque ſolicitior circa ſe fuerit: tanto plus metuit, ſicut ait
Prouerb. 15. ſcriptura. *Sapiens timendo declinat à malo.* Sapiens ergo ſemper in compunctione, & ſemper in metu eſt. Et vt de præteritis ſuſpirat malis: ita de futuris periculis peruigili ſolicitudine contremiſcit, qui de præteritis anxius eſt, & ſecum cogitat ac reuoluit ne forte parum defleuerit præterita, ne forte nondum ſatisfecerit pro innumerabilibus debitis ſuis, ne fortè magis ad veteres iniquitates noua ſuperpoſuerit vulnera, ne ſuper antiquas conſcientiæ maculas recentia adhuc crimina impreſſerit & conuerſionis nomen ad hoc aſſumpſerit, vt grauius ſub ſacra profeſſione delinqueret. Aliquanti ſufficere nobis putamus: quod ſecretum iſtud conſcendimus, quod locum habitumque mutauimus, quod hic aliquantum temporis duximus, ſpem omnem in annorum numero collocantes, & ſi pernicioſa noſmetipſos perſuaſione fallentes: putamus quod mala noſtra ſpacio temporis euanuerint, & quia nos obliti ſumus: credimus quod de memoria diuinæ ſeueritatis lapſa ſint, ſed non ita eſt. Omnia apud illum collecta, repoſita, atque conſignata ſunt. Audiamus quid dicit ille: qui cum ipſo diabolo manu ad manum ſingulari certamine dimicabat beatus Iob. *Signaſti quaſi in ſacculo peccata mea.* Et iterum Dominus
Iob. 14. *Deut. 32.* ait. *Nonne hæc collecta ſunt apud me: & ſignata in theſauris meis?* Non putemus tam facilè remitti poſſe inuſta ſemel crimina: & profundo vulnere in animæ ipſius impreſſa viſceribus. Multum opus eſt fletuum, multũ gemituum, multæ contrictionis cordis: ad ſanandos graues ipſius cordis dolores. Tota virtute incumbendum eſt ſpiritus compunctioni: vt vetuſta mala tanquam ſagittæ quædam de conſcientiæ viſceribus, euellantur. Nam non ſufficit ſum-
1. Reg. 15. mis dicere labiis, *peccaui, parce, & remitte.* Et Saül dicebat *peccaui:* ſed non obtinuit illam veniam quam Dauid vna penitentiæ voce promeruit, & hoc
2. Reg. 12. quare? quia confeſſionem illam nudi magis quam veri gemitus exprimebãt, quia non compenſabatur cum magnitudine criminis: lenta humiliatio ſupplicantis. Non leui agendum eſt contritione: vt debita illa redimantur, quibus mors æterna debetur, nec perfunctoria opus eſt ſatisfactione pro malis illis propter quæ peccatus eſt ignis æternus. Si volumus intelligere quam graues apud ſe faciat iudex noſter, hominum culpas: reſpiciamus ad pœnas. Quantum enim nunc patiens eſt Deus noſter in ſuſtinendis dilectis

noſtris

noſtris tantũ ſeuerus erit tunc in iudicãdis actibus noſtris. Et ſicut ineſtimabilẽ parauit improbis pœnam : ita inenarrabilẽ iuſtis collaturus eſt gloriam. Ergo ſuppliciorum acerbitatem, è contrario de præmiorum ipſorum magnitudine colligamus : quia qui nouit remunerare merita, nouit punire delicta. Saluberrima eſt ergo ac multum neceſſaria futuri recordatio iudicij & præteritorum commemoratio & deploratio delictorum. Quod ſi quis eſt, qui ſibi de præteritis illeſæ vitæ meritis blandiatur, & adhuc ſe innocentem tranſiſſe putet ad domini ſeruitutẽ, & ideò ſe credit ſecutum: talis reſpiciat quam incerti, & quam lubrici ſunt exitus vitæ, de qua dicitur. *Ne laudaueris hominẽ in vita ſua.* Et cum perſpexerit, etiam ſi de præterito putat ſe nõ habere quod lugeat: de futuro inueniet quod timeat. Nemo ergo de præteritis ſecurus ſit tanti etiam laquei obiecti ſunt ante pedes animæ noſtræ (quod valdè timendum eſt) tam innumeri hoſtes obſeruant & cuſtodiunt iter noſtrum, tantæ foueæ, tanta prærupta, tantæ rerum difficultates interiacent inter nos & finem noſtrum, via ipſa quæ per ſe arcta eſt & ardua tantis ſpiritualium latronum inſidiis obſidetur, tantos nos ſcopulos, tantóſque fluctus trãſire neceſſe eſt : quod & ignoramus quid eueniet antequam anchoram optato in littore collocemus, & putamus nos de præteritis debere eſſe ſecuros, & ſine quotidiana cura, & ſine quotidiano timore & tremore diem noſtrum tranſigere. Quaſi quis tranſiens ſuper alicuius profundi fluminis alueum per arctiſſimi pontis anguſtias etiam ſi maiorem partem inoffenſo pede tranſierit, periculum iam euaſiſſe ſe credat : cum in vltimi pontis ſpacio ſi paululum titubauerit, caſum quem in medio timebat, incurrit. Sic nos etiam ſi magna pars vitæ iſtius proſperè videatur fuiſſe tranſacta: non ideò præſumamus fiduciam, cum adhuc periculum pars extrema minetur. Quis in acie poſitus ante finem certaminis, aut victoriæ ſecuritatem: arma deponat? Nemo ergo ſecurum debere eſſe ſe iudicet: antequam ad finem fœlici conſumatione perueniat. Nec hoc nobis ſufficere putemus ad plenam ſalutem : quod inter ſeruos Dei vel habitatione cenſemur, vel nomine computamur, quod in Inſula viuere atque iter Monachos pſallere videmur. Clamat enim nobis dominus noſter. *Non omnis qui dicit mihi domine, intrabit in regnum cœlorum.* Hoc quare? *Quia non auditores legis iuſti ſunt apud deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.* Vnde etiam ſi diu benè viximus, curſum noſtrum in ſtabilitate & perſeuerantia commendare debemus. In locum vocationis noſtræ perſiſtendo & perficiendo dirigimur. Verè dico etiam ſi hic viginti aut triginta annos domino impendiſſemus, cui vtique noſcimus debere quod viuimus, & tamen ſi annum vnum ageremus in ſæculo : ineſtimabile eſſet quantum nos de æternæ vitæ gaudiis fraudaremus : quia ſpes noſtræ omnes, in conſumatione atque in fine conſiſtunt. Quid prodeſt, ſi mihi ſata virentia in herbis ſpem meſſis oſtendant: & me ſub ipſo falcis tempore, ſubita vel aëris intemperies, vel pluuiarum inundatio decipiat? Quid mihi proderit ſi vinea ſpem omnem in flore promittat: & vel ferarum incurſio, vel vaſtitas grandinis ſpem omnem in conſumatione ſubducat? Ideóque omnis proſperitas, omniſque laborum fœlicitas, in fine conſiſtit. Cùm autem etiam illis dolendum ſit, qui hinc poſt multorum laborum ſtipendia, poſt aliquantum annorum profectum, aliquibus deſideriis abſtrahuntur : quid de illis erit, qui hic quatuor vel quinque vixerunt annis, & omnem reliquum vitæ tractum, in vanitate conſumũt ſæculi? Cùm etiam vnus annus ſæculi labores noſtros in eremo acquiſitos, ita poſſit aſſumere : quomodo ſi mare

Matth. 7.

Roma 2.

magnum minimum intra ſe tiuulum accipiat, & abſorbeat, atque ei nec nomen relinquat. Neſcio enim ad quæ lucra velimus in hoc ſæculo viuere. Nam cum hic grande putetur damnum non quotidie aliquid acquirere: illic grandis quæſtus putandus eſt, vel acquiſita non perdere. Hic inquam grande detrimentum creditur non proficere quotidie: illic verò ſumma virtus eſt, acquiſita non perire. Ideóque ſi adhuc pauperes ac tenues ſumus: hic aliquid conſequi elaboremus. Si verò aliquid conſecuti ſumus: hic illud conſeruare curemus. Hoc ſolùm impendium erit & gaudium, quod hic benè vixerimus, quia quandiu hic conſiſtimus: in arbitrio noſtro eſt, cum velimus ad ſæculum declinare, cum vero declinauerimus: iam difficile ac pene impoſſibile erit ad locum iſt velũ cogitatione omne reſpicere. Quod ſi aliquis ideò ſecurum ſe putet de hoc loco aliquando poſſe diſcedere, quod hic bene cucurrerit, quod hic multum laborauerit: hic talis hoc agit, quomodo ſi aliquis oneratam mercibus nauem de portu ſoluat, & tempeſtatibus tradat, & ad ſcopulos atque ſaxa detorqueat. Quãto itaque plus laboramus: tanto cautiores eſſe debemus. Proficientibus enim inſidiatur inimicus, & vbi videt aliquam eſſe ſpem, aut aliquam gratiã: ibi tanquã leo rugiens circuit & ad inuadendam prædã totus incumbit. Et ideò quia hic poſitis nocere non præualet: vult aliquos minus cautos per cogitationes ac per diuerſas tentationes, ex hoc loco quodammodo quaſi extra caſtra producere, & quaſi de eminentiſſima arce deponere, & cum depoſuerit, tunc velut de loco ſuperiori confligere, vt etiam ſi nauim mergere non potuerit: ſaltem ex detrimentis & damnis quæ abundant in ſæculo, iucundiſſimam prædam referat. Mittit primum intentiones, diuerſas indignationes, & animoſitates: vt dum homo quod ſemel deſtinauerit aut in furore diffinierit, implere contendat, non cogitet damnum ſuum, non reſpiciat ad ruinam. Et cum illum depoſuerit: tunc ei ad nihilum profutura penitudo ſuccedit. Hic ſumus, & toti non ſumus, aut enim cogitationibus cordis variis & improbis atque inhoneſtis agitamur: aut venenatis linguæ gladiis vulneramur, pro minimis rebus ſcãdalizantes. Interdum etiam (quod Monachum non decet) in lites & iurgia prorumpentes: interdum profeſſionem noſtram regulæ tranſgreſſione violamus, dum dimiſſa obediẽtia noſtras facimus voluntates furtum inferre præpoſitis immo animabus noſtris ſub Dei oculis non timentes. Quod ergo agere ſub præſentia præpoſitorum veremur: ſub Dei oculis committere non debemus. Non contenti ſumus neceſſariis: ſed rurſum per cordis teporem, abundantiam quam in ſæculo reliquimus, deſideramus. Vnde non ſatis prodeſt, quod à nobis qualeſcunque facultates excluſimus: quando ipſæ in nobis reſident cupiditates. Inde eſt quod interdum de rebus minimis excitamur: & pro vilium rerum appetitu grauiſſimas contentiones mouemus. Hoc quare? quia licet reliquimus in rebus exteriora bona: adhuc tamen in cordibus mala interiora retinemus. Et inter hæc quomodo exultat aduerſarius noſter, quando nos videt ad hoc maxima contempſiſſe: vt in minimis deformius viceremur? Et ideò ea quæ foris poſita erant, & intus animæ ipſius viſceribus adhæſerunt: radicitus euellantur. Vnde & Apoſtolus non dixit aurum vel argentum radix eſt omnium malorum: ſed magis cupiditas diuitiarum, & non ſolum diuites, ſed & qui volunt diuites fieri: incidunt in laqueum, & in tentationem diaboli. Ideò dicitur *abneget ſemetipſum. Item niſi quis renunciauerit omnibus quæ poſſidet: non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Vitia enim poſſidemus: & nulla propria ſunt. Rogat

1. *Timo. 6.*

Luca. 9.
Luca. 14.
1. *Cori. 7.*

Apoſtolus

Apoſtolus non ſolum non habere: ſed ipſam habendi perſequitur volũtatem. Et ideò nihil proficit homo:quod extra ſe habet relinquendo,qui intra ſe vitia tenet.Itaque vt dixi fratres hic ſumus,& toti non ſumus. Si intra murum poſiti , vix reſiſtimus : in ſæculo poſiti quid faciemus ? Qualiter poterit ſtare in conflictu , atque in ipſo colluctantium tempeſtatum impetu : qui tam grauiter periclitatur in portu :ideóque in quantum poſſumus ſtabiles ſimus in hoc tranquilliſſimo ſinu. Qualibet negligens , qualibet tepidus in vacuum non currit:qui ad palmam conſumationis perſeuerando peruenit,ipſo adiuuante qui viuit & regnat Deus in ſæcula.Amen.

SERMO QVINTVS.

FRatres chariſſimi , ad hoc in iſtum locum conuenimus : vt domino noſtro vacare poſſimus : non iis rebus quibus noſter delectatur inimicus. Certum eſt enim quòd quando ea quæ ad ſæculum pertinent loquimur,aut iniquis murmurationibus nos mordemus:ille horas noſtras Deo ſubſtrahit, & ſibi gaudet acquiri.Quid prodeſt, quod nos pretioſis vigiliis laboribúſque conficimur,& ea quæ maximè Deus noſter in nobis deſiderat non habemus hoc eſt cor mundum & liberum ab iſtis minimis negligentiarum delictis, quas qui non obſeruat paulatim defluit,& ad maiora prolabitur. Illud ergo in primis habere ſtudeamus:quod in nobis dominus noſter expectat , id eſt ſuauem benignúmque ſermonem , mentem ab omni maledicto & ab omni malitia liberam,& deuitatis iis quibus Spiritus ſanctus offenditur,humilitati quieti, charitati operam demus. Hæc ſunt præcipua ſacrificia, hæc pinguia holocauſta : quæ in conſpectu Domini in odorem ſuauitatis aſcendunt. Hoc etiam maximè ſtudeamus,vt illa quæ in honorem Domini noſtri Ieſu Chriſti agimus:cũ hilari agamus animo,cum fidei gaudio,& cum bonæ ac deuotæ voluntatis affectu.Quicquid verò inuiti atque compulſi facimus: nouerimus nos ex eo non ſolum non habere profectu : ſed maximum detrimentum.Faciamus quemlibet alicui potenti viro obſequium perſoluere , quod vtique iure ſuperioris perſonæ à clientibus ſuis expectare conſueuerat : nonne ſi viderit eum homo ille debitum ſibi officium inuito , atque extorto animo , & etiam cum quodam faſtidio exhibere , magis factam ſibi iniuriam iudicabit & exhonorari ſe potius quam excoli renunciabit,& huiuſmodi negligẽti atque indeuoto offenſam potius credet eſſe referendam quam gratiam:Si ergo cultus hominis deuotionem,fidem,atque hilaritatem requirit,vbi vtique interdum melior eſt ille qui colit , quam qui colitur : ibi nullum fructum officioſitas ipſa conſequitur. Sed hoc ſolum profectus eſt , ſi mereatur ſuſceptus vocari. Quanto magis nos in honore Domini noſtri Ieſu Chriſti obſeruare debemus : ne ad obſequia eius indeuoti atque compulſi,ne triſtes,ne ingrati, inuitíque veniamus,& non reſpiciat Deus ad munera quæ negligenti ac vili animo offeruntur. Non enim homini , ſed illi potius fides noſtram ſeruitutem eſſe vel ipſam impendiſſe animam , parum debet videri : cuius obſequiis atque beneficiis etiam ipſi Angeli in paradiſo confitentur , cui poſtremo cum totum debeatur , nihil tamen gratis ſoluatur. Pro hac ergo miſera vita laboribus & doloribus plena , cuius inquietus vſus , & breuis eſt , & ipſa breuitas ſemper incerta eſt : quam vtique vitam etiam ſi auctori ſuo offerre diſſimulet deuotio voluntatis , continuò à nobis eſt exactura lex mortis. Et quod datur ex voto:ſoluitur ex debito.Pro iſta itaque vita dabit Dominus illam vitam , quæ nec oculis poteſt cerni,nec tacita mentis cogitatione per-

ſtringi. Quam vtique conſequi eſt facilius : quam enarrare. Cuius erit curſus ſine termino, vſus ſine faſtidio, refectio ſine cibo, adiutorium ſine defectu, requies ſine nocte, otioſitas ſine ſenio, indeficiens ſub vultu dei charitas, & ſub antiquis perpetuiſque gaudiis ſemper noua iucunditas, & ſine vllo periculo amittendi, fœlicitas. Huius ergo præſentis vitæ dulcedinem relinquentes : iam nunc de futuris illius ſæculi gaudiis cogitando etiam in hoc corpore prægustare conemur, excluſa de ſenſibus noſtris ſæcularium deſideriorum amaritudine : quendam beatitudinis illius odorem totis ad nos cordibus attrahamus, & diſcuſſa omni pigritia, omnique torpore, cuius mater eſt infidelitas : illa iam hilaritate, illa alacritate, domino & Deo noſtro, illóque gaudio ſeruiamus quo, ad beatitudinem illam quam fidelibus ſuis omnipotens ipſe promiſit, & ad munera ſua ipſo iuuante veniamus. Præſtante Deo qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

1. Cor. 2.

SERMO SEXTVS.

VIdete vocationem veſtram, fratres chariſſimi, venire quidem ad eremum ſumma perfectio eſt : non perfectè in eremo viuere, ſumma damnatio eſt. Quid prodeſt ſi in loco quies teneatur, & inquietudo in corde verſetur ? ſi in habitatione ſilentium ſit, & in habitatoribus ſit vitiorum tumultus, & colluctatio paſſionum ſi exteriora noſtra ſerenitas teneat & interiora tempeſtas. Solemus nos annos noſtros, & ſpatia temporum, quibus nunc viuimus ſupputare : non te fallat : (quicumque ille es) numerus dierũ quos hic corporaliter relicto ſæculo conſumpſiſti. Illum tantũ diem vixiſſe te computa, in quo voluntates proprias abnegaſti, in quo malis deſideriis reſtitiſti, quem ſine vlla regulæ tranſgreſſione duxiſti : Illum diem vixiſſe te computa, quem non malitia, non inuidia, non ſuperbia contaminauerit : quem non mendacij, non periurij culpa reſperſit, qui peccato non ceſſit, qui diabolo repugnauit. Illum diem te vixiſſe computa, qui puritatis ac ſanctæ meditationis habuit lucem, quam non conuerſatio tenebroſa mutauit in noctem. Illum, inquam, diem applica ad vitam tuam : cuius vſus peruenit ad animam tuam. Solemus etiam nobis de corporalium ieiuniorum ac noſtrarum vigiliarum aſſiduitate blanditi : qui poſt vigilias ac fortè de ipſis vigiliis ad obtrectationes, ad verboſitates, ad murmurationes egredimur.

1. Cor. 1.

Nam qui de choro pſallentium it ad comeſſationes inhoneſtas, bibitionéſque furtiuas : non ſolum damnabili tranſgreſſione, ſed etiam admirabili vilitate ſe ſubducit. Multò eſſet leuius : ſi ſobrietate dominante dormiret. Et ille qui ieiunans oneratum & prægrauatum pectus iracundiæ vel indignationis diſtrictione circumfert, qui à vino abſtinet & in ſenſibus per virus amariſſimæ diſcordiæ ebrietate turbatur, qui, inquam exteriore ſalutifera poculorum parcitate ſe macerat, & interiora eius mortiferum virus odiorum viſcera eructant : nonne in ſe propheticas voces dirigi, iam præſenti vita prædamnatus intelligit : Non tale ieiunium eligi dixit Dominus vel illud. *Ex Vinea enim Sodomorum, vinea eorum : & vitis eorum ex Gomorrha, vua eorum, vua fellis : & botrus amaritudinis in ipſis.* Ita autem interdum diabolus cum aduertit animam fide vacuam, & Dei timore nudatam : ita diuerſis paſſionibus inebriat mentem, vt quando aut maledicimus, aut iraſcimur, aut obtrectamus, quando hæc agimus aliis nos nocere non nobis, credimus, ſed non ita eſt. Nam vniuſcuiuſque vitij malum in ſuum recurrit auctorem, ſicut dicit ſermo diuinus.

Eſaiæ 18.
Deut. 32.

Fili,

Fili, ſi malus fueris, ſolus hauries mala tua. Suam linguam malignus maculat: ſuum cor obtrectator exulcerat, ſuæ mentis lumen iracundus excœcat: ſuam inuidus animam, velut tinea corrumpit. Et ſicut exulceratis parentibus naſcuntur viperæ (ſic inquam naſci viperei fœtus diruptis matrum viſceribus aſſeruntur) ita humana præcordia ipſis primitus quas conceperunt paſſionibus, dilacerantur. Illa inquam præcordia, de quibus vitiorum generatio ſerpentina profertur: ipſa primitus monſtruoſa partus fœcunditate violantur. De tali partu dicit ſermo diuinus. *Ecce parturiuit iniuſtitiam: concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Conuertetur dolor eius in caput eius: & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet.* Is itaque noſtræ vt oportet circa nos feruens charitatis animus: pro aliquorũ negligentiis longè cruciatur doloribus. Præmiſſo ergo affectu, & ex aliquo onerati pectoris æſtu præcipimus, ammonemus atque etiam nos pro vobis; ſi tamen affectum præcipientibus non denegetis, obſecramus vt de reliquo corrigamus mores, negligentias emendemus, ne huc poſtmodũ non cũ linguæ ac ſermonis virga, ſed cum iis verberibus quæ obdurata depoſcunt corda, veniamus. Elaborate ergo, fratres chariſſimi, vt deinceps inter vos contentione laudabili, ac meliore tandem emulatione certetis: quis veſtrum in opere Dei ſtudeat eſſe promptior, quis in oratione feruentior, in lectione ſolicitior, in caſtitate ſit purior, in ſobrietate ſit parcior, in lachrymarum largitate profuſior, in corpore honeſtior, in corde ſincerior, quis in ira mitior, in mãſuetudine moderatior, in compunctione feruentior, grauitate fundatior, in charitate iucundior, & ideò noſmetipſos caſtigemus quotidie: ipſi rationem nobiſcum de quotidiana conuerſatione faciamus. Alloquatur ſe in ſecreto cordis vnaquæquæ anima, & dicat. Videam, ſi hanc diem ſine peccato, ſine inuidia, ſine obtrectatione aut murmuratione tranſegi: videam, ſi aliquid hodie ad profectum meum, quod ad ædificationem aliorum pertinet: operatus ſim. Puto quod hodie illum inſipientem deſtruxi, hodie ſenioꝛi meo inobediens fui, mẽtitus ſum, peieraui, ira vel gula euictus ſum, plus hodie riſi, plus cibo ac potui, plus ocio & ſomno quam decebat, indulſi, minus legi, minus oraui: quam debui. Quis enim reddat hunc diem: quem inanibus fabulis perdidit? & ſic fratres de omnibus negligentiis noſtris compungamur in cubilibus id eſt cordibus noſtris. Si ita egeritis: nos quidem de profectu veſtro lætificabimur, ſed vos de acquiſita ſalute gaudebitis. Noſque vobis pro ſalutis veſtræ acquiſitione ſubdetis. Donet autem illius qui potens eſt pietas & faciat: vt ita de ſermone noſtro proficiatis, vt nos viciſſim meritis veſtris adiuuetis, nobiſque ſitis in præſenti vita ornamentum in futura præſidium. Adiuuante domino noſtro, &c.

Prouerb. 15.

Pſal. 7.

SERMO SEPTIMVS.

SAnctus & venerabilis pater veſter religioſa quidem humilitate, ſed prope indiſcreta ſugeſtione poſtulat: ad ſanctam charitatem veſtram exhortatorium debeam proferre ſermonem. Et dum vobis quod iam propè non indigetis, deſiderat prouidere, nobis videtur verecundiam ingerere. Quid enim nos dicturi ſumus: verbo, quod iam glorioſo non adimpleatis exemplo? Nunquid debemus vobis dicere, nolite mundum diligere: quem vos cognouimus cum omnibus deſideriis, tota fidei deuotione contemnere: Nunquid dicturi ſumus vobis deſpicite ornamenta: quæ

iam Deo propitio velut purgamenta ac ſtercora reſpuiſtis: Nunquid dicere poſſumus vt de ſubſtantia veſtra eleemoſinas tribuatis: qui non ſolùm facultates, ſed & voſmetipſos domino fideliter obtuliſtis? Nunquid admonendi eſtis, gulæ vel ebrietati minimè deſeruire: cum vos videamus vigiliis & ieiuniis indeſinenter inſiſtere? Nunquid prædicare poſſumus, vt lites & ſcandala debeatis fugere: quos videmus de periculo, & nimiis fluctibus inquieto, huius ſæculi pelago, ad portum Monaſterij fideliter ac fœliciter conuolaſſe: Et licet de iis omnibus quæ vobis Deus contulit gaudeamus, & quia illa Deo propitiante fideliter exercetis admonere vos minimè preſumimus. Eſt tamen quod non incongruè debeamus veſtræ charitati ſuggerere, vt quod Deo inſpirante fideliter cœpiſtis ipſo adiuuante vſque ad finem glorioſum viriliter compleatis. Non enim qui inceperit, ſed qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Et quia ſpiritualem fabricam ædificare cepiſtis: Chriſto adiuuante fundamentum veræ religionis ſupra petram fundata humilitate collocare debeatis. Quælibet enim fabrica, quamuis ſublimis & ampla ſit: ſi firmum non habuerit fundamentum cito dilabitur in ruinam. Si eſt fratres dilectiſſimi, & conſtructio ſpiritalis. Quæliber bona quis habeat, ſi veræ humilitatis fundamentum habere noluerit:
1. *Corin.* 3. firmiter ſtare non poterit. *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere:* ſicut dicit Apoſtolus, *præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* Duo enim ædificia, & duæ ciuitates à mundi initio conſtruuntur: vnam ædificat Chriſtus, alteram diabolus. Vnam humilis ædificat: alteram ſuperbus. Vna humiliatur vt firmiter ſurgat: erigitur alia, vt infideliter cadat. In fabrica quidem Chriſti, quæ fabricantur, de imis leuantur ad ſumma: in fabrica verò diaboli, de ſummis ad ima præcipitantur. Attendat ergo vnuſquiſque, fratres dilectiſſimi, conſcientiam ſuam: & ſi in ſe viderit dominari ſuperbiam ſe in ciuitate diaboli infœliciter ædificari, immo præcipitari non dubitet. Si verò in illo vera humilitas regnat: Chriſto ſe ædificari, ac fœliciter adherere congaudeat. Non enim diſcernuntur filij Dei & filij diaboli, niſi humilitate, atque ſuperbia. Quencumque enim ſuperbum videris, diaboli filium eſſe non dubites. Quencumque humilem conſpexeris: Dei eſſe filium, confidenter credere debes. Et hoc verum eſſe cognoſcas, audi ſcripturam di-
Eccleſ. 10. *Matt.* 23. centem. *Initium apoſtatare à Deo, omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Nam quos diabolus per ſuperbia deiecit, Chriſtus per humilitatem erexit, quia ad vulnus ſuperbiæ, medicamentũ humilitatis exhibuit. Si ergo volumus venenum ſuperbiæ fugere, antidotum humilitatis iu-
Matt. 11. giter debemus haurire. Audiamus dominum dicentem. *Diſcite à me, quare mitis ſum & humilis corde.* Non enim diſcite à me mundum fabricare, mortuos ſuſcitare, & virtutes reliquas facere: ſed quare, inquit, mitis ſum, & humilis corde. Humilitatem ergo, fratres chariſſimi, ante omnia teneamus: non illam quæ aliquoties foris oſtenditur, ſed quæ intus in conſcientia retinetur. Sunt enim qui quando aliqua tranquillitas fuerit: humilitatem in ore & in corde ſolent oſtendere, ſed ſi aliqua (vt aſſolet) tribulationis vel ſcandali procella ſurrexit: effrenator ore, & erecta ceruice ſuperbia quæ in corde tegebantur, ex ore profertur. Quare hoc fratres, quare fundamentum veræ humilitatis non habuit, quare humilitatem quam prius promittebat in ore: non ha-
Matt. 12. bebat in corde. *Ex abundantia enim cordis os loquitur.* Sine cauſa quæris attingere quod cum potuiſti, noluiſti recondere. Pectora noſtra, dilectiſſimi fratres, ſic ſunt: quomodo vaſa, quæ vacua eſſe nullatenus poſſunt. Nam

aut

aut de bono, aut de malo: quiſque plenus eſſe cognoſcitur. Et quomodo vas aliquid cum ventilatur, tunc quale ſit quid eſt intus oſtendit: ſic & vnuſquiſque homo, cum aut per caſtigationem, aut per aliquam diſtrictionẽ (vt ſolet fuerit ventilatus, ſtatim oſtendit vnde ſit plenus, quare ſicut dixi. *Matt. 12.* Ex abundantia cordis, os loquitur. Nam humilitas quam prius promittebat: in ore tamen erat, in conſcientia vero non erat. Cum autẽ propter iuſtitiam caſtigatus fuerit: tyrannico furore amariſſima verba reſpondet. Superbia illa non tunc naſcitur: ſed tunc in veritate monſtratur, quare non ſolum diſciplina vel caſtigatio facta ſuperbum facit: ſed qualis diu eſſent, oſtendit. Sicut è contrario anima humilis ſancta, etiamſi aliquoties vt fieri ſolet iniuſtas, aut iuſtas increpationes audiat: amplius ſe Chriſto inſpirante humiliat, & minus ſe audire quam mereatur Spiritu ſancto cooperante proclamat, at ſic & ille qui ſuperbiam tegebat in corde: cum ventilatus fuerit, fœtorẽ teterrimum emittit, & ille qui eſt mitis & humilis: odorem ſuauiſſimum reddit. Humiles ergo ſimus fratres dilectiſſimi, non ſolum ſenioribus, ſed & coæqualibus & minoribus noſtris, ne ſuperbis reſiſtat, ne ve ſe exaltantes humiliet Deus, ne inflati per viam anguſtam tranſire non poſſimus. Quicquid vobis à ſenioribus fuerit imperatum: ſic accipite, tanquam ſi de cœlo ſit ore Dei prolatum. Nihil reprehendas, nihil diſcutias, in nullo penitus murmurare præſumas: quia in Monaſterio ſeruire veniſti, non imperare: obedire, potius quam iubere. Totum ſanctum, totum iuſtum, totum vtile iudica: quicquid aut tibi, aut aliis videris imperari, & non ſolum linguam tuã ſtude à murmuratione mortifera prohibere: ſed & murmurantem alium non libenter audire, ſed magis quantum potes contende, tuo ſancto & ſalubri conſilio furorem illius mitigare. Sunt enim, quod peius eſt, adiutores diaboli: qui ſtatim vbi viderint aliquos nimia iracũdia commoueri venenoſa conſilia vt inde amplius iraſcantur, conatur ingerere. Iſti enim de parte ſiniſtra ſunt: & in illa ruinoſa ciuitate diaboli conſtruuntur. Sunt vero & alij Chriſto propitiante, de quibus Apoſtolus ait Chriſti ſumus adiutores. Sunt enim adiutores Dei, qui ſtati vbi viderit in corde cuiuſcunque fratris venenum ſuperbiæ ſerpere: omni celeritate illud medicamento veræ humilitatis conantur extinguere. Et ſicut illi alij incẽſores malorum, & ſui proditores multiplicem pœnam mœrentur: ita iſti humiles & benigni, duplicem gloriam conſequentur. Illi enim per mala conſilia ſua non ſolum in ſuis, ſed & in aliorum cordibus Chriſtum occidere conantur. Sancti verò & humiles: & in ſe & in aliis, diabolum perſequuntur. Et ideo fratres, ſicut iam ſupra ſuggeſſi, de vera & non falſa humilitate debemus præſumere: & omnibus nos velut medicamentum & lumen ſplendidum, debemus oſtendere vt impleatur in nobis id quod Dominus dixit. *Si luceat lux veſtra coram hominibus: vt videant veſtra bona opera, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Nam ſi charitas, & humilitas vera non fuerint: de ſolo habitu religionis præſumere, vel confidere non debemus, ne ſimus vt ſepulchra dealbata. Nemo ſe circunueniat fratres: quia nemo ſibi ſoli viuit, & nemo ſibi ſoli moritur. Quantis enim exemplum veræ humilitatis ac perfectæ charitatis oſtenderis: cum tantis & pro tantis æterna præmia poſſidebis. Si vero (quod abſit) ſuperbiæ, iracundiæ, murmurationis, vel inobedientiæ formam, ad imitandum te aliis dederis: non ſolum pro te, ſed etiam pro illis quos deſtruxeris gehennæ ſupplicia ſuſtinebis. Sed dicis fortaſſe. Nimis dura ſunt & inepta, quæ nobis à noſtris ſenioribus imperantur. Non legiſti, *Propter verba labiorum tuorum, ego cuſtodiui vias duras?* Non legiſti, *quia arcta eſt & anguſta,* *1. Cor. 3.* *Matt. 7.*

Matt.7. via quæ ducit ad vitam? Non legiſti Apoſtolum dicentem, *Per multas tribulationes, oportet nos intrare in regnum cœlorum?* Non prophetam legiſti dicentem, Actuum. 14. *Virga & flagello caſtigaberis filia ſyon: vt non diſcedat zelus meus à te?* Et illud. Hiere. 30. *Quos amo, arguo, & caſtigo?* Et alibi. *Flagellat Deus omnem filium quem recipit?* Et ſi ea quæ tibi præcipiuntur dura ſunt; nunquid murmurando illa poteris Apocal. 3. facere molliora? Cum humilitate præbe obedientiam, ſi verò non præuales, Hebr. 12. impoſſibilitati tuæ cum humilitate poſtula veniam. Dura tibi videntur præcepta ſenioris: quanto tibi duriora erunt conſilia deceptoris? Aſpera tibi videntur quæ à ſenioribus imperantur: quanto duriora ſunt quę auaritia imperat cultoribus ſuis? quam laborioſa, & quam periculoſa itinera: illos ſuſtinere compellit? Et cum illud totum patienter excipiant, propter pecuniam temporalem: tu quare non æquanimiter prætuleris, propter vitam ęternam? Non legiſti? *Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta odientis oſcula.* Et illud Prouerb. 27. *Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris, non impinguet caput meum,* id eſt, adulatio aſſentatoris non mulceat mentem meam. Pſal. 14. Senior enim caſtigat, vt corrigat: diabolus autem blanditur vt perdat. *Conſilium autem diaboli* ſicut dicit propheta, *ad tempus impingat fauces:* poſtea felle Prouerb. 5. amarius inuenitur. Ipſe enim breuiſſimo tempore per viam latam, & ſpacioſam ſuperbientes vel luxuriantes ducit ad mortem: ſicut è contrario Chriſtus Dominus Deus noſter, per arctam & anguſtam viam, humiles & obediẽtes perducit ad vitam. Ambæ iſtæ viæ, & lata & anguſta: habent finem, & Matt.7. breuiſſimæ ſunt. Nec in anguſta via diu laboratur: nec diu in lata gaudentur. At ſi quos lata & luxurioſa via delectat: poſt breue gaudium, habebunt ſine fine ſupplicium. Econtrario illi qui Chriſtum per arctam viam ſequuntur: poſt breues anguſtias, ad æterna merebuntur præmia peruenire. Nam ſi homo in ſæculo conſtitutus, ſuperbiam habeat, peccatum eſt, monachus verò ſi habuerit: ſacrilegiũ eſt. Taliter vos exhibere debetis fratres, tam ſanctè, tam iuſtè, tam piè, vt merita veſtra non ſolum vobis ſufficere: ſed etiam pec- Iacobi. 1. catoribus aliis, in hoc ſæculo poſſint veniam impetrare. Nam ſi linguam non Eccle. 5. refrenamus: non eſt vera, ſed falſa religio noſtra, & melius fuerat non vouere quam poſt votũ, promiſſa non reddere. Et hęc fratres non ideo ſuggero, quod vos tales eſſe cognouerim. Timentis enim magis animo quã reprehendentis loqui præſumo: propter quod id Apoſtolus dixit. *Cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini.* Philip. 2. Non ideo dixi: quia illud facitis: ſed ideò ſuggeſſi, ne fortè ſuggerente diabolo faciatis. Nos enim tale iudicium de vobis habemus vt magis nos credamus veſtris orationibus adiuuari: vt iter procellas vel tẽpeſtates huius ſæculi poſſimus ad portum peruenire fœlicitatis, ſupplicantibus vobis. Adiuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

SERMO OCTAVVS.

QVod ſupplicante & quodãmodo cũ charitate iubẽte ſancto patre veſtro fraternitati veſtræ qualẽcumque ſermonem, profero: facio hoc non ex aliqua præſumptione, ſed ex vera & integra charitate. Et licet tam perfecti Deo propitio ſitis, vt admonitione noſtra minimè egeatis: tamen imperante charitate quæ neſcit timere etiam quid implere vos optimè nouimus, ſuggerere & admonere cum vera humilitate & perfecta charitate præſumimus. Non tamen ſine verecundia: cum nos nec idoneos nouerimus eſſe diſcipulos, qui ad opus ſanctum videamus excitare magiſtros cum ſimus tepidi: cogimur admonere feruentes, cum ſimus peccatores: arguimus iuſtos, cum ſimus

impe-

imperiti: doctos inſtruimus, cum ſimus in pelago huius mundi enim fluctibus fatigati: ad eos qui ad portum fœliciter peruenerunt prædicationis verba proferimus. Sed tamen, dilectiſſimi fratres, quia ſolent naues ſuperatis & deuictis pelagi fluctibus, etiam in portu tutiſſimo laborare, & niſi grandis cautela fuerit, penè ſubmergi: cum ſumma humilitate & ingenti reuerentia admonemus, vt quia vos Chriſtus de omnibus capitalibus criminibus tanquam de periculoſis fluctibus liberauit, in portu quietis & beatitudinis conſtituti, paruas negligentias & quaſi minuta peccata, quæ ſic in animam confluunt, quomodo per minutiſſimas nauis rimulas in ſentinam guttæ concurrunt: cum omni vigilantia Chriſto adiuuãte exhaurire iugiter feſtinetis. Nam quomodo nauis poſtea quam pelagi fluctus euaſerit ſi in portu ſentinata (id eſt vacuata) nõ fuerit, de minutiſſimis guttis impletur & mergitur: ſic & monachus deuictis & ſuperatis ſæculi tempeſtatibus & mundi huius criminibus quaſi periculoſis fluctibus, cum ad portum Monaſterij venerit, ſi ſubrepentia minuta & quotidiana peccata de animæ ſuæ ſentina exhaurire neglexerit, in ipſo portu naufragij crimen incurrit. Sed dicit aliquis. Quomodo poteſt anima ſentinari? Vtique orando, ieiunando, vigilando, veram charitatem, veramque humilitatem, & veram obedientiam exhibendo. Attendite fratres quæſo vos, quomodo nauis ſentinatur à ſitula: ſic anima ab omnibus malis oratione dominica liberatur, ſi ſic dicat aliquis vt verum dicat, *Dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Matth. 6. Qui etiam omnibus in ſe peccantibus clementer indulſerit: nullius peccati veſtigium, in illius anima remanebit. Attendite fratres & diligenter conſiderate, quoniam dixi, qui in ſe peccanti indulſerit. Non enim dixi quod qui in deum peccauerit, ipſi debeas indulgere: ſed qui in te peccauerit, illi debeas veniam dare. Nos verò (quod peius eſt) aliquoties ei qui in nos peccauerit: aut tardè, aut difficilè veniã damus, qui in deum deliquerit: celeriter indulgemus, ſed ſi volumus iuſtè agere: illi qui in dominum peccauerit, ſine ſeueriſſima diſtrictione non debemus penitùs indulgere, ne dum illi per indiſcretam pietatem remittitur, exemplum perditionis aliis præbeatur. In ſua ergo iniuria vnuſquiſque oſtẽdat ſe eſſe clemẽtem: quia dominus dixit. *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum dimittet & vobis pater veſter cœleſtis peccata veſtra.* Matth. 6. Quando verò in deum peccatum quis præſumit admittere: diſtrictionem debet monaſterialem ſuſtinere & hoc bono & pio debet animo fieri: vt per ſpiritalem caſtigationem ita corrigatur in hoc ſæculo, vt non pereat in futuro, quoniam omne peccatũ quod in hoc ſæculo non corrigitur: in futuro ſæculo punietur. Sic enim de filio, vel de ſeruo ſcriptura commemorat. *Tu (inquit) virga eum cedes: & animam illius de inferno liberabis.* Prouer. 3. Et ideò ſicut ſuperius ſuggeſſi, non ſolum capitalia peccata caueamus: ſed & paruas negligẽtias quotidie quaſi venena diaboli reſpuamus. Sunt enim nonnulli qui poſt religionis profeſſionem, quia videntur exiſſe de ſæculo, nimia ſecuritate ſoluuntur: & impletur in illis ſententia domini, qua dicitur. *Vtinam calidus eſſes aut frigidus: nũc autem quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* Apoca. 3. Quid eſt, quod dixit vtinam calidus eſſes, aut frigidus? hoc eſt dicere. Melius tibi fuerat, aut in ſæculo remanſiſſe frigidum, aut in Monaſterio feruentẽ eſſe quam tepidum. Nunc autem quare de ſæculo receſſiſti, & tamen ſpiritualem feruorem per negligentiam apprehendere noluiſti, tepidus effectus ex ore domini, vix iterum recipiendus, euomeris. Et ideò fratres chariſſimi cum Dei adiutorio ſententiam diuinæ ſcripturæ diligenter attendite, qua dicitur. *Omni cuſtodia ſerua cor tuum.* Prouer. 4. Sicut enim gaudendum eſt de Mona-

nacho qui in Monaſterium veniens,manſuetudinem,obedientiam,&patientiam voluerit mitis & humilis exhibere:ita è contrario lugendum de illo qui corpore tantum de ſæculo exiſſe videtur, corde tamen in mundo aut remanſiſſe in fideliter,aut infœliciter rediſſe cognoſcitur,& pro humilitate profert ſuperbiam,pro patientia iracundiã, & contemptum pro obedientia,pro charitatis medicamento malitiæ effundit venenum. Talibus conuenit illa beati
2. *Petri.* 2. Petri vera,& multum timenda ſententia. *Melius(inquit) fuerat illis non cognoſ-*
Prouerbi. 26. *cere viam iuſtitiæ,quam poſt cognitionem retrorſum conuerti.*Et iterum. *Canis reuerſus ad vomitum ſuum: & ſus lota in volutabro luti.*Sed nec de talibus deſperãdum eſt fratres:quia potens eſt Deus orationibus veſtris ſcintillam compunctionis in eis accendere, & omnem ſæculi voluptatẽ velut ſpinas & tribulos nequitiæ,ſalubri igne conſumere.Illo vtique igne de quo ipſe dominus dixit.
Luca 12. *Ignem veni mittere in terram: & quid velo, niſi vt accẽdatur?* Orate ergo fratres chariſſimi non ſolum vt vobis Deus in vobis perſeuerãtiam dignetur tribuere:ſed etiam illos qui negligentes ſunt iubeat de tanta fouea ſubleuari, & de laqueis erui. Si enim nobis orantibus, & cum charitate conſilium dantibus quicunque ſunt tepidi & negligentes fuerint emendati:duplicatũ vobis præmium dominus,& de veſtra ſalute, & de illorum correctione recompenſare dignabitur. Nam nec illi qui boni ſunt,ſe debent quaſi de ſuis meritis extollere:nec illi qui negligentes ſunt,de Dei miſericordia deſperare.Sed illi cum humilitate Dei dona cuſtodiant:& iſti cum grandi compunctione,celeriùs ad penitentiæ vel correctionis medicamenta confugiant.Quia qui bonus eſt: ſi ſuperbire cœperit, cito humiliabitur, & qui ſuperbus eſt,ſi ſe humiliat: per Dei miſericordiam ſubleuabitur.Tantum eſt vt ſe non permittat amplius duriſſimo diaboli iugo præmi:nec nimia ac periculoſa diſſimulatione,in peccatis perſeuerando diutius obdurare, ſed tam citò confugiat ad voluntatem Dei, vt in ſe peccati veſtigiũ non relinquat.Optimè calidis adhuc vulneribus malagma vel fibula apponitur:quia ſi velox fuerit ad cœleſtẽ medicũ,intẽtio reſurgẽdi,veſtigium non poterit remanere collapſi, quia ſub manu omnipotentis medici:& citò perit morbus,& velociter ſanatur ægrotus. Iterum atq; iterum rogo & moneo vos fratres vt obedientiam,humilitatem,atque charitatẽ nõ ſolum ſenioribus & coæqualibus: ſed & iunioribus exhibere iugiter, ſtudeatis,quia quælibet bona ſeruus Dei habere contenderit:omnia infœliciter perdet,ſi in illo humilitas & charitas non fuerit. Nolite murmurare, quia
1. *Cori.* 10. ſcriptũ eſt quod murmurãtes à ſerpentibus perierũt. Nolite detrahere fratritribus:quare ſcriptum eſt,*qui detrahit fratri ſuo:eradicabitur.* Nolite iracũdiam
Prouerbi. 24. in corde ſeruare:quia ſcriptum eſt. *Ira viri,iuſtitiam Dei non operatur.* Nolite
Iacobi. 1. vos inuicem odio habere:propter id quod ſcriptum eſt. *Qui odit fratrem ſuum*
1. *Ioan.* 3. *homicida eſt.*Sed non opus eſt, vt nos diutius ſanctitatem veſtrã verbis doceamus,quæ quos ad Chriſti gloriam operibus implere & cognoſcimus & gaudemus. Hoc ſolùm ſpecialiter petimus, vt qui vos in quietis & tranquillitas loco collocare dignatus eſt: pro nobis quos ſæculi iſtius tempeſtates & innumerabiles fluctus affligunt,abundãtiùs domino ſupplicetis, vt ſi nobis quam non meremur gloria non dabitur, ſaltem vobis orantibus peccatorum venia tribuatur. Præſtante domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

SERMO NONVS.

MIror fratres dilectiſſimi dominum meum,patrem veſtrum,tanta ſe humilitate deiicere: vt à me imperitiſſimo,ſanctis & eruditis auribus veſtris

ſtris exhortationis velit:ſermonẽ proferri.Per hãc etiã admirabilẽ humilitatẽ à me quaſi ab arente riuulo, viui roris guttas,vobis in Chriſto viuis fontibus miniſtrari deſiderat.Quid ergo nunc faciam pauper & dolens:vbi potero inuenire,quod vobis eſuriẽtibus iuſtitiam poſſim apponere:vbi inquam requiram : quod in mea facultate non habeo:beata prorſus tam ſenis patris veſtri, quã veſtra humilitas, quæ cum iam penè virtutũ meritis altius ſublimari non poſſit:hac humilitate, quo adhuc creſcere poſſit,inuenit. Benedicimus Dominum & patrem noſtrum, qui ſanctam inſtitutionem & admirabilem conſuetudinem loci huius iugiter creſcere,& ad maiorem dignatur gloriæ tumulum ſublimare. O fœlix & beata habitatio inſulæ huius: vbi tam ſanctis quotidie, & tam ſpiritualibus lucris, gloria Domini ſaluatoris augetur, & tantis damnis diaboli nequitia minoratur. Beata,inquam & fœlix Inſula Lerinenſis quæ cum paruula & plana eſſe videatur in terra,innumerabiles tamen montes ad cœlum miſiſſe cognoſcitur.Hæc eſt quæ eximios nutrit monachos, & præſtantiſſimos per omnes prouincias erogat ſacerdotes : ac ſi quos accipit filios, reddit patres & quos nutrit paruulos, reddit magnos, quos velut tyrannos excipit,reges facit.Nam omnes quoſcunque fœlix & beata habitatio iſta ſuſceperit : charitatis & humilitatis pennis,ad excelſa virtutum culmina Chriſto ſublimare conſueuit. Quæ res cum pene in cunctis habitatoribus loci iſtius fuerit conſumata fœliciter : in me tamen reſiſtentibus meis meritis non probatur impleta.Cum enim paruitatem meam hæc ſancta inſula velut præclara mater, & vnica ac ſingularis bonorum omnium nutrix brachiis quondam pietatis exceperit, & non paruo ſpatio educauerit,vel nutrire contenderit : licet reliquos ad virtutum culmen euexerit,à me tamen quia cordis mei duritia contradixit,omnes negligentias auferre non potuit. Et ideò cum omni humilitate ſupplico, & tota cordis contritione depoſco : vt quod negatur meis meritis, veſtris orationibus ſuppleatur. Et ego peculiaris alumnus veſter, ſic precum veſtrarum ſuffragiis merear adiuuari : vt hoc ipſum quod in iſto ſancto loco nutritus ſum, non mihi iudicium pariat, ſed profectum.Ego tamen fratres chariſſimi dum precibus ſancti patris veſtri contradicere non præſumo : non paruam notam temeritatis excipio, cumque conſidero quis,quibus loqui audeam:vel qualis, quantos docere præſumam : ſub grandi pudoris pondere,humilitatis meæ conſcientia contremiſcit.Quid ergo dicturus ſum ſanctis : cum ipſe multis negligentiis ſim obligatus ſplendidis,quid loquar obſcurus:tepidus quid dicam feruentibus:In portu fœliciſſimo conſtitutos quid doceam : in medio pelagi mundi huius nimiis fluctibus fatigatus.

Præcipuis Chriſti deliciis iugiter ſaginatis: ego famelicus vbi inueniam, quod dignè offerre præualeam : Attamen ſanctis orationibus veſtris credo, iam me inueniſſe,quod facere debeam.Quid enim niſi ſacrificium contriti & humiliati cordis exhibeam, vt quod in me non poteſt implere bonorum operum facultas,ipſa ſaltem obtinere poſſit humilitas. Ecce præparo exceptorium cordis mei influenti per vos aquæ diuinæ.Vos enim in veritate cognoſco, de quibus Dominus dixiſſe legitur, *Qui credit in me flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Quia ergo de vobis, tanquam de ſpiritualibus fontibus aquas viuas manare,& gaudemus & credimus:irrigate aridum,ſaturate famelicum,refocillate lapſum,reficite laſſum,abluite multis negligentiis inquinatum, & quaſi boni ac ſpirituales illius cœleſtis medici diſcipuli, orationum ſuffragia miniſtrate : ſublimium meritorum medicamenta porrigite, & quia *Ioan. 7.*

quod nos verbo tantum prædicamus, vos opere adimplere gaudemus: obtinete, vt (quia ſumus veſtri peculiares amatores) operum veſtrorum vel ex aliquo mereamur eſſe participes, quia ergo de veſtra conuerſatione non ſolũ homines in mundo, ſed etiam Angeli gratulantur in cœlo: ſanctis precibus laborare contẽdite, vt cum vobis ante æternum iudicem meritorum gloria tribuetur, nobis vel peccatorum venia concedatur. Et ne ſancti patris veſtri precibus ad integrum videar contradictor exiſtere: cum grandi humilitate & reuerentia etiam quæ veſtra ſunt vobis inſinuare præſumo. Supplico enim, humilíque charitate commoneo, vt Domino meo patri veſtro verum amorem ſemper impendere: ſubiectionem & perfectæ charitatis obedientiam, ſanctitas veſtra iugiter ſtudeat exhibere, vt ſicuti vos gaudetis in Domino de ſancti patris veſtri meritis? ita & ille gratuletur ſemper de profectibus veſtris. Et quia per ſanctam obediẽtiam veſtram, & immaculata opera veſtra vniuerſus mundus vos admiratur & diligit, & totius humani generis vos debitores eſſe cognoſcitis: oportet vt honorem & amorem quẽ ab hominibus excepiſtis aſſiduis orationibus & immaculatis actibus recompenſetis. Ab oriente enim ad occidentem vſque, omnibus *pene* locis in quibus Chriſtiana religio colitur glorioſiſſima veſtræ conuerſationis fama ad Chriſti gloriam prædicatur. Iure igitur à vobis exigitur: vt quod in vobis creditur, hoc etiam præbeatur. Agite ergo Deo auxiliante: quod ſemper egiſtis, & ita charitatem, humilitatem, manſuetudinem, vel obedientiã cuſtodite, vt quod in vniuerſo mundo de vobis creditur immaculatæ ſemper conuerſationis operibus augeatur, vt quicũmque vos videre meruerit, illam ſententiã poſſit ex ore proferre, quã protulit regina illa, quæ in typũ eccleſiæ Salomonem deſiderauit videre, vt cum vos vnuſquiſq; quaſi templa Chriſti viuentia, bonorum operũ margaritis ornata, orationũ holocauſtis impleta, virtutum aromatibus odorifera meruerit contẽplari: continuò in exultationis vocem prorumpens, cum regina illa clamet & dicat. *Verus eſt ſermo, quem audiui de congregatione iſta in terra mea:* ecce nunc in veritate probaui, quia nihil vix media pars fuerat nũciata, quia multo maiora oculis videre merui: quã auribus prius audiui. Cũ ergo vos vnuſquiſq; velut Angelos in terris poſitos, expetere, ac videre meruerit, & alia gaudẽs ex ore ſuo verba protulerit, & per totũ mundũ fœliciter nunciauerit, cõſiderate & videte quanta ex vobis gratia Chriſti augeatur & per vniuerſum orbẽ quã deſiderabilis & ſancta vniuerſis Eccleſiis lætitia, teneatur. Ante omnia fratres corde vigilãtiſſimo sẽper metuamus: ne animis noſtris cogitatio illa ſubrepat vt credamus quod nobis ad beatã vitã ſola laus humana ſufficiat, & non conſideremus quales ipſi ſumus, ſed quales aliis eſſe videamur: ne fortè neglectis virtutum meritis, de ſola opinione ſæculari curemus, ſed ſolam illam magis ſententiam ſæcularẽ quidem, ſed valdè vtilem cogitemus, vt vera laus ornat, ita falſa caſtigat. Et illud quod quidam de ſapientibus dixit. Si veræ ſunt ſunt laudes tuæ, præconia ſunt, ſi falſæ cõuicia. Sed vt hęc tam ſancta & tã præclara perfectio veſtra impleri poſſit, non paruo animi labore opus eſt. Quis enim ſine labore poſſit linguam ſuam à detrectationibus amouere: murmurationibus vel ocioſis ſermonibus finem imponere, cogitationum immunditias vigilantiſsimo corde repellere, à maledicto vel iuramento quaſi à veneno mortifero abſtinere, vanitati reſiſtere, iracũdiam refrenare? Quis eſt qui ſine cõpunctione cordis, ambitum honoris: vel deſiderium clericatus veræ humilitatis amore repudiauit ac reſpuit? Quis vnquam ſine labore potuit ſanctæ obediẽtiæ pia colla ſubmittere, nunquã ſenioris arbitriũ reprehẽdere

5. *Reg.* 10.

3. *Reg.* 10.

contra

contra nullum hominem odium in corde reſeruare: non ſolum fratres, ſed & omnes homines, & etiam perſecutores pro Chriſti amore diligere, pro bonis orare vt ſemper ſanctis in operibus augeantur, pro malis ſupplicare vt celerius corrigi mereãtur; Quis autẽ ſine labore poterit orationi inſiſtere, lectioni vacere? Quis, inquam hæc omnia ſine gratia Dei, & grandi cogitatione cordis impleuerit? Sed hæc omnia fratres, donec in conſuetudinem mittantur: laborioſa eſſe videntur, & vt verius dicam, tandiu impoſſibilia dicantur, quandiu humanis viribus impleri poſſe putẽtur, cùm verò obtineri à Deo, & & per Dei gratiam impleri poſſe creduntur: nec dura, nec laborioſa, ſed leuia & ſuauia comprobãtur, ſecundum illud quod dominus dixit. *Iugum enim meum ſuaue eſt: & onus meum leue*, quod iugum, quia iam à vobis fœliciter portatur, & ſuauiter ſuſtinetur: orate vt id etiam paruitas noſtra ſuſcipere, & ad finem vſque mereatur humiliter baiulare, vt cum in illa æternæ beatitudine, vobis data fuerit gloria: nobis vel peccatorum venia concedatur. Præſtante domino noſtro Ieſu-Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſæculorum ſæcula. Amen. *Matth. 11.*

SERMO DECIMVS.

SAnctus ac venerabilis pater veſter, dum ſe (vt venia ſui dixerim) prope indiſcreta humilitate ſubmittit: mihi non paruam verecundiam facit. Nam pro admirabili charitate iniungere, immo extorquere contendit: vt ad ſanctitatem veſtram exhortatoriũ proferre debeam ſermonem, ſed ego conſiderans & meũ meritum, & propoſitũ veſtrum ſimul attendens, & ſanctimoniũ veſtram, & conſcientiam meam quid eligam neſcio. Si enim tacuero: ſanctæ charitati illius inobediens apparebo. Si verò aliquid præſumpſero: notam temeritatis incurro. Sed rogo vos fratres: quid ego verbis ſuggeram, cum à vobis omnia operibus implere congaudeam? qua fronte ſanis præſumat prædicare egrotus? Quomodo ſanctos admonere poterit, multis negligentiis obligatus: qua conſcientia caſtiget ieiunantes, aſſidua ciborum abundantia crapulatus: vnde eſurientibus iuſtitiam, panem verum poſſit miniſtrare mendicus: de quibus potero vos admonere fratres? dicturus ſum vt debeatis mũdum contemnere: quem tota animi virtute cum ſuis voluptatibus reſpuiſtis: Dicturus ſum vt debeatis mundi impedimenta abiicere: quos video omnes cupiditates eius ardentiſſima deuotione contemnere: Conſiliũ vobis daturus ſum, vt debeatis largas eleemoſinas dare, quos nouimus pro Chriſti amore omnem mundi ſubſtãtiam reſpuiſſe, quos & video non ſolùm quæ ſua ſunt, ſed ſeipſos Deo obtuliſſe: Fortè prædicare vobis potero, vt vicinis & proximis humiles ſitis: qui voſipſos ſub iugo Chriſti non ſolũ fœliciter, ſed etiã libenter inclinaſtis. Fortè charitatem vobis commendare potero: cum vos videam non tantum amicos, ſed etiam inimicos diligere. Aut admonendi eſtis ad obedientiam: qui nunquam veſtram voluntatem, ſed Dei & ſeniorum implere contẽditis iuſſionẽ. Aut de canendo iracũdię morbo, vos admonere potero: quos fundamentum patientiæ tenere congaudeo. Nunquid dicere audebo fabulis non occupetur ſanctitas veſtra: quos lectioni & orationi inſiſtere, & in lege Dei diu noctuq; meditari cognoſco: Hoc ergo ſolùm reſtat, fratres chariſſimi, vt quia in ſancto Monaſterio velut in portu quietis, & trãquillitatis, quaſi in parte aliqua paradiſi dominus colligere & recollocare dignatus eſt: aſſiduis ſtudeatis obtinere orationibus, vt nos qui ſæculi huius multis tempeſtatibus affligimur indeſinenter & cum grandi periculo per

pelagus mundi huius, periculis fatigamur, deuictis omnibus vitiorum fluctibus orationum veſtrarum ſuffragio ad portum beatæ vitæ Chriſto duce peruenire poſſimus, vbi cum ante æternum iudicem corona gloriæ vobis dabitur, nobis vel peccatorum venia concedatur. Tamẽ ne vſquequaque ſancto patri veſtro inobediens videar apparere, cum grandi humilitate & patientia preſumo ſuggerere: vt in opere ſancto, quod auxiliãte Deo fideliter exercetis fœlici perſeuerantia vos vſque ad finem teneatis, quia non qui cœperit: ſed
Matth. 10. qui perſeuerauit vſque in finẽ, ſaluus erit. Et ideo oportet vt ſanctis moribus compoſiti, multis etiã virtutum pennis præditi, quaſi ſpirituales colombæ, & bonorum operum margaritis ornati, dicere cum Propheta poſſitis. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ: & volabo, & requieſcam?* Quã rem tunc animę ſanctæ implere poſſunt: ſi humilitatẽ & obedientiam ſtabili firmitate cuſtodiãt, quia quibuſlibet reliquis bonis operib⁹ fuerit quiſpiã prędit⁹: ſi iſtas duas virtutũ alas, id eſt humilitatẽ & obedientiã non habuerit: in altũ euolare nõ poterit. Omnis ergo anima ſancta, quæ circũuolantes miluos & diabolicos accipitres, id eſt ſpirituales nequitias fugere vel vitare deſiderat: iſtas duas (quas ſupra diximus) virtutũ alas, in ſe Deo donante cuſtodiat, quia nec virginitas, nec vigiliæ nec ieiunia, nec ipſa oratio vel lectio ſeruis Dei prodeſſe poterit: ſi in eis obedientia perfecta, & humilitas vera non fuerit. Nemini tamẽ videatur congruum? quod humilitatem & obedientiam ſpecialiter commendaui, & charitatem quę eſt omnium mater, illis non adiũxi. Non ita eſt fratres chariſſimi. Cùm enim obedientia & humilitas fructus eſſe charitatis cõprobentur: quomodo ſine ipſa eſſe poſſunt, quæ niſi ex illa naſci omnino poſſunt: Nunquã enim vera humilitas, & vera obedientia: ſine charitate aut fuerunt, aut poterunt eſſe aliquando, quia ſicut ignis ſine ſplẽdore, aut calore omnino non eſt: ita charitas ſine humilitate vel obedientia eſſe non poteſt. Verã ergo charitatẽ & perfectam humilitatem vel obedientiã retinentes: nihil quaſi de meritis noſtris præſumamus. Nemo ſe de ſua induſtria extollat: ſed de gratia diuina confidat. Nemo ſibi virginitatem, lectionem, orationem, vigilias, vel ieiunia ſine charitate vel obedientia, prodeſſe credat: quia quomodo caro ſine anima viuere non poteſt: ſic reliquæ virtutes ſine charitate figurã habere poſſunt, veritatem habere non poſſunt. Talia ſunt enim ſine charitate ieiunia: qualis ſine oleo lucerna, fumare atq; fetorem vel putorẽ reddere poteſt, lucem veram habere non poteſt. Sed (ſicut iam dixi) non eſt opus vt nos præſumamus verbis diutius admonere: quod vos rebus ipſis, & operibus nouimus Deo propiciãte perficere. Quid enim cogitare, & facere, & dicere debeatis, per aſſiduam lectionem, Deo inſinuante cognoſcitis. Et ideò ſi omnia quæ legiſtis, per Dei adiutorium implere contẽditis, ac ſanctum & venerabilem patrem veſtrũ toto corde diligentes in omnibus quæcunque Deo inſpirante præcepit, piam & humilem obediẽtiam exhibetis: abſq; vlla dubitatione cum ipſo ſancto patre veſtro ad æternam beatitudinem fœliciter venietis.
1. Ioan. 1. Et quia Deo propitiante de omnibus capitalibus criminibus ſecuri eſtis, & liberi: de paruis & minutis peccatis sẽper debetis eſſe ſoliciti. De illis peccatis ſuggero: vnde beatus Ioannes Euangeliſta nos admonet, dicens. *Si dixerimus quia peccatum non habemus: nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.*
Prou. 24. Et iterum ſcriptum eſt. *Iuſtus in die ſepties cadit, & reſurgit.* Nam ſine criminibus Deo auxiliãte eſſe: & poſſumus & debemus, ſine paruis, quibus tanquam
Ibidem. circunuolãtibus muſcis aſſiduè inquietamur atque impugnamur: nullus vnquam iuſtorum aut fuit, aut eſſe poterit aliquando, ſecundum id quod

ſupra

ſupra diximus. *Iuſtus in die ſepties cadit, & reſurgit.* Aut enim per cogitationem, aut per voluntatem, aut per ſermonem, aut per operationem, aut ex neceſſitate, aut per fragilitatem, aut per obliuionem: nobis plerumque peccata ſubrepunt. Nam qui ſola capitalia crimina cogitat, & contra ipſa tantummodo pugnare contendit, & de paruis peccatis aut paruam aut nullam ſolicitudinem gerit: non minus periculum incurrit, quam ſi crimina maiora commiteret. Non ergo deſpiciamus peccata noſtra, quia minuta ſunt: ſed timeamus quia plura. Nam & pluuiarum guttæ, minutæ ſunt: ſed quia plures ſunt, flumina implent, & domos ſubruunt, & aliquoties impetu ſuo etiam montes trahunt. De ipſis enim ſcriptum eſt. *Qui ſpernit modica, paulatim defluit.* Et iterum. *Delicta quis intelligit?* quis enim eſt: qui tanta vigilantia cuſtodiat cor ſuum, vt nunquam ocioſus ſermo ex ore eius procedat? de quo tamen in die iudicij reddenda eſt ratio. Quis eſt qui non mentiatur, cum tamen ſcriptura dicat. *Os quod mentitur, occidit animam?* Quis eſt de cuius ore, vel aliquoties maledictiones non exeant: cum ſcriptum ſit. *Neque maledicti regnum poſſidebunt?* Quis enim dinumerare præualeat, peccata quæ quaſi paruula ac penè nulla à nobis reputantur: cum tamen ſcriptura diuina grauiter nos pro illis eſſe puniendos teſtatur, & ideò ſecundum ſententiam Salomonis cum Dei adiutorio, omni cuſtodia corda noſtra ſeruemus, vt ſi minuta peccata ad integrum euadere vel vitare non poſſumus: vel tardius ab ipſis præueniamur, & quoties victi fuerimus: purgate illa, vel redimere ſuſpiriis & gemitibus feſtinemus. Ipſo adiuuante, &c.

Eccl. 19. *Pſal. 18.* *Sapien. 1.* *1. Cor. 6.* *Prou. 4.*

SERMO VNDECIMVS.

VEreor venerabiles in Chriſto filij, ne dum vobis pro conſeruanda quiete, ruſtico ſermone aliquid præſumo ſuggerere: apud illos qui neſciunt quanta ſit veræ charitatis virtus, notam videar præſumptionis incurrere. Sed hanc præſumptionem ipſa mihi charitas ingerit: quæ timere non nouit. Rogo venerabiles vt inquantum eſtis ſecuri de præteritis: tantum ſitis ſoliciti de futuris. Omnia enim crimina noſtra, ad nos reuertuntur: ſi non quotidie bonis operibus expurgantur. Sunt enim, quod peius eſt, negligentes & tepidi: qui de ſolo Chriſtianitatis vocabulo gloriantur, & putant quod illis ſufficiat veſtem mutaſſe, & religionis tantum habitū ſuccepiſſe. Neſcientes illud propheticum. *Fili accedens ad ſeruitutem Dei: ſta in timore, & prepara animam tuam ad tentationem,* nec ſententiam Pſalmiſtæ conſiderantes. *Propter verba labiorū tuorum: ego cuſtodiui vias duras.* Et id quid Apoſtolus ait. Per multas tribulationes: oportet nos intrare in regum cœlorum. Veſtes enim deponere ſæculares, & regioſas aſſumere, vno die aut vnius horæ momento poſſumus, mores verò bonos iugiter tenere, vel contra male dulces voluptates ſæculi huius quādiu viuimus Chriſto adiutore laborare debemus, quia non qui cœpit, ſed qui perſeuerauerit vſque in finem: hic ſaluus erit. Imprimis ergo omnis anima quæ religionem ſeruare deſiderat: gulam vincere, ebrietatem vitare tota ſe virtute contendat. Et ſtatim paratū conuiuium in menſa mediocri ſtudeat: vt caro illius nec nimietate abſtinentiæ debilitetur, nec per deliciarum abūdantiam ad luxuriam prouocetur. Deinde profunda humilitas iaciat fundamēta, linguam refrenet, detractiones quaſi venenum fugiat: verba ocioſa nec ipſe proferat? nec ab alio prolata auribus ſuis libenter admittat. Veſtimentorum habitum nec nimis abiectum, notabiliter precioſum, aut periculoſe elegantem: habere conſueſcat. Lectionem autem ipſe frequentius legat: aut legentis verba tota pectoris auiditate ſuſcipiat. De diuinis ſcripturarum fon-

Eccl. 2. *Pſal. 16.* *Actu. 14.*

Ioan. 12. tibus: iugiter aquam ſalutis hauriat, illam vtique de qua Dominus dixit. *Qui credit in me: flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* De paradiſi floribus, hoc eſt ſcripturarum ſanctarum ſenſibus: anima ſancta ſe iugiter ornare contendat. Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto qui viuit, &c.

SERMO DVODECIMVS.

LIcèt multis rebus, fratres chariſſimi, nos Deo propitiante conuerſatio veſtra lætificet, & de veſtris profectibus frequentius gaudeamus: tamen ſunt aliqua de quibus charitas veſtra debet admoneri, & ideò rogo, vt ſuggeſtionem noſtram ſicut conſueuiſtis, libenter accipiatis. Gaudeo fratres dilectiſſimi, & Deo gratias ago: quia vos ad audiendas lectiones diuinas video ad conuentum fratrum, vel ad Eccleſiam fideliter accurrere, ſed ſi & profectum veſtrum, & gaudium noſtrum ad plenum complere vultis: matutiùs conuenire debetis. Nam in tempore pſalmodiæ, vel orationis ſeu diuinæ collationis: quos infirmitas non detinet, non ſine aliquo reatu animæ ſuæ ad Eccleſiam tardius vadunt. Fabri vel reliqui artifices vigilant, vt poſſint corpori neceſſaria prouidere: nos cur non debemus temporius ad Eccleſiam ſurgere, vt poſſimus peccatorum indulgentiam obtinere? Si illi pro lucro pecuniæ: nos quare non vigilamus pro amore vitæ perpetuæ? Interdum aliqui ventis ſe tempeſtatibuſque immittunt & nauigant ab oriente vſque ad occidentem, ſuſtinentes pericula multa, interdum etiam famem ac ſitim amariſſimè tolerantes: & ſi hæc omnia patienter ſufferunt propter ſubſtantiam perituram, nos pigebit vigilare propter vitam æternam? Et ideò rogo vos vt & maturius, & cum timore Dei ſurgatis: & cum ſurgitis magis orate vel pſallite, quam ociоſis vos vel ſæcularibus ſtudeatis cogitationibus occupare. Qui enim ad collectam vel Eccleſiam veniens, vana vel ociоſa cogitare voluerit: melius fuerat illi non veniſſe, qui dum ſe inſtructuoſis cogitationibus occupat: nec ipſe benè pſallit, nec diabolus ab eo per pſalmodiam ſuam longè propellitur, nec lectioni diuinæ ipſe auditum ſuum competenter accommodat, & ſic cum ſua & aliorum peccata pſallendo & orando delere debuerat: non proficit eis. Ante omnia igitur fratres chariſſimi quoties orationi incumbimus: cum ſilentio, & quiete mentis & corporis ſupplicare debemus. Quicunque volunt cũ alta voce orare, omnibus iuxta ſe ſtantibus orationis fructum videntur auferre. Rugitus tamen & ſuſpiria, vel gemitus ſi comprimi non poſſunt: audiantur, nam oratio noſtra talis debet eſſe: qualis
1. Regum. 1. fuiſſe legitur beatæ Annæ matris Samuelis, ſic enim de illa ſcriptum eſt, *quia flens orabat, & labia eius tantummodo mouebantur:* & vox penitus non audiebatur. Audiant hæc omnes, & imitentur: præcipuè illi qui ita alta garrulitate, ſine vlla verecundia cum ſtrepitu vocis orant, vt iuxta ſe orare & alios non permittant. Oremus ergo ſicut dixi cum ſuſpirio, rugitu, vel gemitu tantummodo: & illud ſi reprimere non poſſumus, ſint tantũmodo in corde rugitus,
Pſal. 37. gemitus, vel ſuſpiria: ſecũdũ illud propheticũ. *Rugiebã à gemitu cordi mei.* Oremus, inquã non voce ſonante: ſed conſcientia ad Dominũ clamãte. Orãtes autẽ fratres chariſſimi quantũ poſſumus adiuuãte Domino laboremus: vt nulla nobis extranea cogitatio ſubrepere poſſit, ne fortè aliud habeamus in corde, & aliud proferamus ex ore. Ne fortè dum lingua Dominũ rogat: cogitatio in rebus vanis occupata, ab orationis ſenſu diſcedat, & inde acquirat peccatum, vnde potuit habere remedium. Si enim apud aliquã perſonam potentem velles aliquam cauſam allegare neceſſariam, & ſubitò auerſus ab illa media

inter

interlocutione dirupta, aliquibus te velles ſcurrilitatibus occupare,qualem putas iniuriam illi perſonæ cum qua loquebaris inferres? aut quomodo contra te illius iniuriam commoueres? Si ergo cum homine loquentes, tota intẽtione animi laboramus, ne aliud cogitantes illi cum quo loquimur iniuriã facere videamur,cum deo autem in oratione loquentes, & ante tãtam maieſtatem pecatorum noſtrorum miſerias allegãtes: non nos pudet,non erubeſcimus captis ſenſibus huc illucque diſcurrere, & infœlicem mentem multis occupationibus à conſpectu diuinæ maieſtatis abſtrahere.Et ideò vnuſquiſq; antequam in oratione procũbat:omnes cogitationes ſuperfluas animi ſui intentione pura,Deo auxiliante repellat, vt anima Sancti ſpiritus feruore ſuccenſa,omne vitium compunctionis vel orationis igne conſumat, & vagas & volaticas cogitationes longè diſpergat,vt ſolæ virtutes & ſanctæ meditationes in cordibus veſtris locum ſemper inueniant.Omnis homo,fratres chariſſimi,quod tempore orationis attentius cogitat:hoc ſibi pro deo conſtituit, & hoc quaſi dominũ videre,&quaſi dominũ adorare videtur,quę res,dilectiſſimi,nimium mihi aliquoties intolerabilem dolorem incuti & tremorem:cum in ipſa orationis intentione mens ad diuerſas occupationes ſæculi rapitur,vt cũ verbis videtur aliquid allegare, longe alibi agnoſcitur cogitatione diſcedere, quaſi ſit aliquid quod plus cogitare debeamus quando cum deo loquimur:quam ex toto corde,& toto animo,& tota mente peccatorum indulgẽtiam & Dei gratiã debeamus expetere, verbi gratia cuique fortè in oratione ſubrepit vt forum cogitet: quicumque ſit ſi forum cogitat,forum adorat.Subrepit illi vt domum quæ fabricatur aut reparatur ante oculos habeat: quod ante oculos habuerit,hoc adorat.Fortè vineas, hortũ, aut aliquid aliud cogitat: quod ante oculos cordis propoſuerit, hoc in illa oratione pro deo habebit. Taceo de malis & fortè etiam de turpibus cogitationibus, & immundis. Cõſiderate,fratres chariſſimi,quæſo vos,&videte quã ſit dura iſta captiuitas, vt lingua quaſi cum deo loquatur,& tota animi intẽtio ad terrã,vel parietes, vel lapides dirigatur,& ſi iſta quæ alio tempore licitè cogitare poſſumus, vel videre:nimis durũ eſt ſi in oratione nobis ſubrepãt,putas alia quę alio tempore illicitè cogitantur: quantũ mali erit,ſi ea in oratione poſiti cogitemus?Idẽ ſi cupiditatẽ,ſi odium,ſi iracũdiam,aut luxuriam,vel cætera his ſimilia inclinati ad orationem ante cordis noſtri oculos,proponamus? Vnde,fratres chariſſimi,totis medullis conſcientiæ dominum deprecemur: vt nos ab iſta ludificatione dæmonum liberare,& peccatorum noſtrorum indulgentiam donare dignetur.Et ideò dilectiſſimi fratres iterum atque iterum rogo,ſi fieri non poteſt, vt iſtas captiuitates animæ ad integrum poſſimus euadere: vel quantum poſſimus auxiliãte deo laboremus,vt eis vel tardius occurrere videamur ne fortè per negligentiam dum orantes aliud cogitamus: inde apud dominum inueniamus offenſam,vnde poteramus acquirere gloriam. Oremus ergo fratres,non ſolùm pro nobis:ſed & pro omnibus,vbicũque ſunt,Chriſtianis. Nec ſolum pro amicis: ſed etiam pro inimicis dei miſericordiam deprecemur.Et quia beatus Apoſtolus dicit, quod oremus ſicut oportet,neſcimus: *Roma. 8.* hoc ſemper pro nobis, & pro omnibus aliis ſupplicemus, vt Deus dignetur nobis hoc cõcedere,quod nouit animę noſtræ conuenire:Ante omnia fratres orationem dominicam in oratione dicamus:quia libenter ſine dubio orationem exaudit,quam ipſe pro ſua ineffabili benignitate cõſtituit.Hæc ergo,fratres chariſsimi,ſi Deo inſpirante,ſicut cõſueuiſtis,libenter accipitis,&quantũ vires Deus dederit implere cõtenditis:& nobis facietis gaudiũ, & vobis præ-

parabitis regnum. Timendū eſt enim valdè quod ſcriptū eſt. *Maledictus homo,*
Hiere. 48. *qui opus Dei facit fraudulenter.* Sed & illud obſeruandū eſt omnino, quod Apo-
Coloſ. 4. ſtolus dicit. *Inſtate orationi, vigilantes in ea.* Et iterum. *Sine intermiſſione orate, in*
1. *Theſſa.* 5. *omnibus gratias agite.* Et dominus inquit. *Vigiate, & orate: ne intretis in tentatio-*
Matth. 26. *nem.* Et iterum. *Oportet ſemper orare, & non deficere.* Item beatus Petrus ait. *Eſtote*
Luca. 18. *prudētes, & vigilate in orationibus.* Et ideò qui pro aliqua infirmitate, vel aliqua
1. *Petri.* 4. communi vtilitate detentus, hæc in conuentu adimplere non poteſt: vbi iacet vel laborat vt melius poteſt adimplere ſatagat, conſiderans publicanum
Luca. 18. illum Dei miſericordiam cōſecutum, qui ad cœlos pro humilitate oculos leuare non audebat, ſed inclinato ad terram capite, pectus tundebat, & peccata intus clauſa quaſi iudex ſeueriſſimus verberabat. Et ideò meruit, vt de eo do-
Ibidem. minus dignaretur dicere. Deſcendit hic publicanus iuſtificatus: magis quā ille phariſeus, quia omnis qui ſe humiliat, exaltabitur: & omnis qui ſe exaltat, humiliabitur. Exemplum & ipſius phariſei conſiderandum eſt & timendum: qui
Luca. 18. pro eo quod ſtans orauit, ideò non meruit exaudiri. Sed fortè ſunt aliqui qui ideò nolunt genua flectere, vel aſſiduè orare: quia ſe credunt peccata grauia non habere. Auertat hoc deus à ſenſibus Chriſtianis. Ipſe periculoſiùs peccat qui ſe grauiter peccare non putat, & tunc magnam expugnationem ſuſtinet: quando ſe impugnari non ſentit. Sed dicit aliquis. Quis eſt qui ſe peccatorem non credat? Sine dubio ille qui ſe peccatum graue non putat habere, qui proſtratus aut incuruatus animæ ſuæ remedium non requirit. Sed forte timēt aliqui ne veſtimētis ſuis iniuriam fecerint ob ſordes vel puluerem: magis autem timendum eſt, ne anima non orātium ſordida remaneat. Plus enim apud vos debet valere anima veſtra quā tunica veſtra Et valdè timendū eſt ne dū veſtis nitida cuſtoditur: multis peccatis, ac negligētiis anima ſordidetur. Rem terrenā ab homine terreno requirētes, prope vſque ad terrā nos humiliter inclinamus: & à deo remiſſionē peccatorū, & æternam requiem requirētes, num cum magna contritione cordis, corpus etiam humiliando vſque ad terram, debe-
3. *Reg.* 18. mus deo ſupplicare? Nam ita legitur de beato Elia & Eliſeo, & aliis ſanctis:
4. *Reg.* 4. quod frequēter proſtrati in terram ad dominū cum omni cōtritione cordis,
Luca. 22. orauerunt. Et de ipſo domino noſtro in Euāgelio ſcriptū eſt quod ita in terram procidēs orauerit vt ab eo guttæ ſanguinis ſtillarent. Quid enim indigebat Chriſtus, vt taliter ſupplicaret? Non ille quicquam indigebat, ſed nobis exēplo ſuæ orationis remedia præparabat. Orat miſericordia: & non orat miſeria, orat charitas & non humiliatur iniquitas. Proſtratus in terrā orat medicus: & non inclinatur ægrotus. Orat innocētia: & non orat nequitia. Orat qui peccatū non fecit, nec in cuius ore dolus inuētus eſt: non ſe proſternit multis peccatis obnoxius. Orat iudex, & deſiderat parcere: & non orat reus, vt indulgentiam mereatur accipere. Orat iudicaturus: & orare diſſimulat iudicandus. Non ergo pigeat, ſi infirmitas non prohibet: vt ſe vnuſquiſque in terram proſtratus humiliet. Rogo vos itaque fratres, & admoneo: vt venientes ad Eccleſiam hoc ſolum quod in Eccleſia cōpetit, agite, in aut orate aut orādo pſallite, vt orando veniā peccatorū accipere, & pſallendo ad ſpiritalē poſſitis lętitiam peruenire, Sicut enim fideliter pſallentes, & humiliter deprecantes & pro ſe & pro aliis quibus exemplum vitæ præbuerint, vel pro quibus orauerit (accepturi ſunt gloriam: ita è contrario qui non ædificationis, ſed deſtructionis exemplum præbuerint, & pro ſe & pro aliis paſſuri ſunt pœnam. Sicut
Matth. 12. enim timendum eſt illud Euangelicum. *Omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines: reddent de eo rationem in die iudicij:* ita verendum eſt de cogitationibus otioſis, vel illicitis, maximè in tempore pſalmodiæ,

vel orationis ſubrepentibus. Accuſant enim vel defendent nos cogitationes noſtræ, ante tribunal Chriſti, bonæ videlicet defendent: malæ autem nos accuſabunt, vt ait Apoſtolus inuicem accuſantibus, & defendentibus nos cogitationibus noſtris. Ecce fratres chariſſimi tunc diabolus maximè nos impugnare conſueuit: quoniam nos contra ſe ſpiritualibus armis præparatos eſſe cognouit. Et quia nos non poteſt corporaliter de Eccleſiæ conuentu repellere: in ipſa Eccleſia infructuoſis nos cogitationibus inuoluere ſtudet & noxiis occupare vt nobis per inanes aut etiam ſordidas cogitationes, vel noxias ſpalmodiæ vel orationis, vel diuinæ lectionis fructum poſſit auferre, vt corpore tantum videamur in Eccleſia ſtare, & corde vel cogitatione longè à conſpectu diuinæ maieſtatis abſcedere. Et ideò quantum poſſumus cum Dei adiutorium contra illius inſidias repugnemus: ſecundùm quod ait Apoſtolus Petrus. *Aduerſarius veſter Diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret: cui reſiſtite fortes in fide.* Et illud quod ſcriptum eſt. *Subditi eſtote Deo: reſiſtite autem diabolo, & fugiet à vobis.* Quapropter fratres chariſſimi rogo vos vt contra iſtas duriſſimas captiuitates animæ, auxiliante Domino quantum poſſumus repugnemus & ocioſas cogitationes quas etiam extra Eccleſiam noxias eſſe nouimus, præcipuè intra Eccleſiam quaſi diaboli venena fugiamus vt orando, pſallendo, legendo cum diuina reuerentia pro nobis & pro aliis pectora noſtra à malis omnibus liberari, & benedictionem accipiendo bonis ſpiritualibus mereantur impleri. Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum Amen.

Rom. 11.

1. Petri 5. Ia ob. 4.

SERMO DECIMVS TERTIVS.

DIligenter attenditis dilectiſſimi ac venerabiles filij, & euidenter agnoſcitis: quod nullus hominum ſibi ſoli viuit, & nullus ſibi ſoli moritur. Omnis enim homo quantiſcunque exemplum ſanctæ conuerſationis præbuerit: cum tantis, & pro tantis ad præmia æterna perueniet, & è contra qui exemplum malæ vitæ & actionis peruerſæ oſtenderit: quantoſcumque ſuis malis moribus ad iniqua opera prouocauerit, cum tantis & pro tantis perpetua ſupplicia ſuſtinebit. Nos verò non ſolum malè viuendi exempla cæteris non debemus præbere: ſed etiam ſancta & ſalubri admonitione eos ad humitatem ad charitatem vel obedientiam, debemus iugiter prouocare. Non ſimus de illis qui iraſcentibus: malis conſiliis ſolent pabulum ſuperbiæ miniſtrare. Non ſimus de illis qui per amariſſimas linguas, non ſolum non volunt vulnera curare: ſed etiam quæ ſunt ſana vulnerare contendunt: qui murmurando, detrahendo, inobediendo vel iraſcendo, non Chriſto ſeruire, ſed diabolo militare conſueuerunt. Aſtutus & crudelis hoſtis diabolus calliditate veteris artificij ac multiformis ingenij: animas quas ſemel perſuaſione nequiſſima deſides ac tepidas vel negligẽtes efficere potui, etiam in aliorum ſubuerſione, eas ſibi ſeruire compellit. De quibus ſcriptum eſt. *Vtinam calidus eſſes, aut frigidus: nunc autem quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* Tales enim animas ad inobedientiam vel ſuperbiam præparatas: diabolus omni lumine veritatis priuatas excœcat: & quaſi venator robuſtiſſimus, & auceps callidiſſimus velut indices ſibi, ad decipiendas etiam ſanctas animas ſi poteſt, aptat & præparat. Quomodo auceps facere ſolet, qui columbas quas prius cœperit, excœcat, & ſurdas facit, vt dum illic reliquæ columbæ conuenerint, præparatis retibus capiantur: ita etiam hoſtis antiquus de tepidis & negligentibus, vel deſidioſis monachis, vti conſueuit, & cum eis oculos patientiæ clauſerit, ignemque compunctionis vel flammam veræ charitatis extinxerit

Apoc. 3.

& de ſolo religionis nomine vel habitu gloriari perſuaſerit,ſicut dixi ad aliorum perditionem velut indices eos proponit & præparat in exemplum, vt dum illos ſimplices quique & minus ſoliciti imitantur, diuerſis retibus vel laqueis capiantur.Iſti tales non ſolum pro ſe,ſed & pro aliis: quos per exemplum malæ conuerſationis de bono humilitatis & conſcientiæ reuocauerit, rationem ſunt in die iudicij reddituri. Antiquus enim hoſtis, qui ſemper bonis inuidere conſueuit:primum ſeruos Dei, quos tepidos & negligentes eſſe cognouerit, perſuadet ocioſis verbis & fabulis occupari, vel cogitationibus illicitis irretiri,murmurando vel detrahendo:ad contumaciam prouocare, & ad legendam vel audiendam lectionem tardiſſimos reddere,& cum in eorum cordibus velut callum & (vt ita dixerim) ſcoriam teporis induxerit: ad quælibet opera mala,ſibi eos facit præparatos, & omnibus vitiis infœliciter ſeruire compellit.Secundum illud quod veritas dicit.*Ioan.8.* *Qui facit peccatum: ſeruus eſt peccati,& à quo quis ſuperatur:ſeruus eius efficitur.* Sicut enim ſanctæ ac ſpirituales animæ feruore charitatis accenſæ Spiritu ſancto aguntur, & ad omne opus bonum præparantur. Secundum quod Apoſtolus ait, *Qui ſpiritu Dei aguntur,ij filij ſunt Dei:ita è contrario negligentes* & tepidi,ab illo contrario ſpiritu poſſidentur.*Rom.8.* De quo ſcriptum eſt.*Cum exierit ſpiritus immundus ab homine:* *Luc.11.* *vadit per loca arida quærens requiem & non inuenit, poſtea reuertens: inuenit domum ſuam vacuam,& ſcopis mundatam,& adducit ſecum ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe,& erunt nouiſſima illius peiora prioribus.* Hæc enim ſine dubio patiuntur:monachi ſuperbi, inobedientes & tepidi. Cum enim in primordiis conuerſationis ſuæ, relicta ſæculi conuerſatione ad militiam ſanctæ religionis animo feruenti confugerint:per gratiam Dei vacuantur omnibus malis. Poſtea verò dum per negligentiam,ac deſidiam non apponunt ſtudium vt cum Dei adiutorio repleantur ſpiritualibus bonis:vitia quę diſceſſerant,inuenientia eos vacuos cum multiplici remeantia turba,compellunt eos vacuos redire ad vomitum,vt impleatur in illis quod ſcriptum eſt.*Prou.26.* Sicut canis reuerſus, *2.Petr.2.* ad vomitum ſuum odibilis fit:ita & peccator quando reuertitur ad peccatum ſuum.De iſtis talibus terribiliter clamat Apoſtolus Petrus.Si enim fugientes coinquinationes mundi,iis rurſus impliciti ſuperantur:facta ſunt eorum poſteriora peiora prioribus.Melius enim fuerat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ,quam poſt cognitionem retrorſum conuerti ab eo,quod illis traditum eſt ſancto mandato. Contigit illis illud veri prouerbij. *Canis reuerſus ad vomi-* *Ibidem.* *tum ſuum:& ſus lota in volutabro luti.* Hoc illud euenit iis qui quod poſt abſtinentiam ad gulam poſt vigilias ad ſomnolentiam,poſt humilitatem ad ſuperbiam,poſt obedientiam ad contumaciam,poſt patientiam ad iracundiam,velut canis ad vomitum ſuum,& velut ſus,reuertuntur ad luxuriæ volutabrum & ideò qui ſe talem eſſe noſcit:dum corrigendi tempus eſt:cum rugitu & gemitu ad vulnus ſuperbiæ, humilitatis medicamentum contendat apponere: Contra murmurationis vel iracundiæ venenum: Antidotum obedientiæ feſtinet accipere, & antequam anima ſua multis peccatis obnoxia de hac luce diſcedat:remedium ſibi in die neceſſitatis acquirat.*Matth.25.* Et lampadi ſuæ per ſuperbiam extinctæ humilitatis & charitatis oleum, dum colligendi tempus eſt, præparare contendat, vt inter ſanctas virgines accenſa virginitatis lampade,in vaſculo animæ ſuæ oleum charitatis exuberet, quia penitus virginitas in corpore,nihil proderit: ſi charitas & humilitas,à corde diſceſſerint. Et hæc quidem obſeruant animæ ſanctæ:& quæ illis ſimiles eſſe volunt, facere non deſiſtunt. Aliæ verò quæ non ſpiritualiter,ſed carnaliter viuũt:nõ humilitati ſed ſuperbiæ infœlicia colla ſubmittunt,nec velut apes ſpiritualia mella

colligunt,ſed quaſi veſpæ crudelia venena diffundunt,quando ſenioribus inobedientes exiſtunt,quando flammis iracundiæ ſuccenduntur,quãdo odium in corde recondunt: quando murmurationibus ſuis & ſe & alios vento ſuperbię de portu obedientię excuſſos,& de tranquillitate patientiæ perturbatos, faciunt naufragare & qui in primordiis conuerſationi ſuæ relictis ſæculi fluctibus,ad quietẽ Monaſterij confugerunt: nunc nimio furore ſuperbiæ in ipſo portu,& procellis iracundiæ naufragare probãtur, iſtis talibus meliores ſunt,illi qui ſæculo ſeruire vidẽtur,quia multò melior eſt humilis cõiugalitas quã ſuperba virginitas.Et plus laudabiles sũt,qui ſe in medio pelago Deo auxiliante cuſtodiunt: quã illi qui in portu nimia ſecuritate vel negligẽtia merguntur. Fœlices ergo ſunt illæ animæ quæ ita cor ſuum diuerſis virtutũ aromatibus Chriſto donãte replere contendũt: vt illorũ ore nunquã niſi charitas,& humilitas,nunquã niſi caſtitas,& manſuetudo,atque obedientia proferantur, vnde & ſibi æterna præmia: & aliis præbeant ſanctæ conuerſationis exẽpla.Sicut è contrario infœlices ſunt illę animę,& miſeræ,& omni lachrymarũ fonte lugendæ:quę ita malis moribus corrumpuntur,vt ex illarum ore, vel indigna conuerſatione non Chriſti medicamẽta,ſed diaboli venena procedant,quæ cũ foris religioſo habitu quaſi pellibus ouium contegantur,vt *Matth.7.* lut lupi rapaces intrinſecus eſſe noſcuntur,& ſerpentium vel viperarum more, tandiu fictam humilitatem habitu corporis demonſtrare: quandiu nulla caſtigatione corripiũtur.At verò vbi vel leuis admonitio fuerit exhibita:tũc falſa humilitate remota,apparebit cellata ſuperbia,& tũc in veritate cognoſcetur,quia aliud proferebatur in ore, & aliud abſcondebatur in corde. Falſa humilitas,fingebatur in corpore:& ſuperbiæ virus,tegebatur in mente. Hæc omnia ergo timentes potiùs,quam de vobis ſiniſtrũ aliquid ſentientes: cum omni humilitate,& paterna ſolicitudine charitati veſtrę ſuggeſſimus.Et ideò ante oculos tepidorũ negligentias proferre voluimus: vt & de bonis,quæ in vobis munere diuino collocata ſunt,ſpiritualiter gaudẽtes,Deo gratias referatis,& pro me ac meis ſimilibus, qui adhuc multis negligentiis præmitur: iugiter Dei miſericordiã ſupplicetis, vt cum ante tribunal Chriſti vobis pro perſeuerantia bonorũ operum corona tribuetur,nobis per interceſſionũ veſtram vel peccatorum indulgentia concedatur.Præſtante domino noſtro Ieſu Chriſto,cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

SERMO DECIMVS QVARTVS.

INſtruit nos,atque hortatur ſermo diuinus, fratres chariſſimi, qualiter attingere debeamus ad inquirenda promiſſa ſua, & obtinenda illa bona ſua, quæ nec viſu capi poſſunt, nec auditu percipi, nec cogitatu comprehendi *1.Corin.2.* poſſunt. *Petite, inquit, & dabitur vobis:* id eſt vt petamus orãdo,quæramus larando,pulſemus deſiderando.Pulſemus ergo non ſolũ deſiderando,ſed etiam *Luca 11.* proficiendo atque perſeuerendo,& in ſpe cœleſtium tanto incitemur ſtudio, tantóq; in ardeſcamus affectu,vt cum præmiorũ dignitate deſideriorum magnitudo concordet. Non vult Deus noſter bona ſua:in inueniendo vel quærendo,facilitate vileſcere. Precioſa namq; & concupiſcibilis merces: cupidũ amatorem,auidumque negotiatorem requirit.Ergo illo tantorum munerum repromiſſor: non vult in opere ſuo tepidum, deſpicit faſtidioſum, recuſat coactum, vitat ingratum, reſpuit indeuotum. Lentum enim & parum gratum quærere gratiam diuini amoris muneris, maxima eſt iniuria remunerantis. Ergo totis licet animæ, & corporis exerceamur laboribus, totis licet viribus obedire deſudemus: nihil tamen eſt quod merito pro cœleſtibus

bonis pẽsare & offerre Deo,valebimus.Non valẽt vitæ temporalis obsequia: quantum vitæ perpetuæ gaudia. Lassescant licet membra vigiliis, pallescant
Roma.8. licet ora ieiuniis: *non erunt tamen condignæ passiones huius temporis, ad futuram gratiam quæ reuelabitur in nobis,* vt ait Apost.Pulsemus ergo quantũ possumus fratres charissimi:quia non possumus,quantũ debemus.Futura beatitudo acquiri potest:æstimari nõ potest.Nisi enim cũ auiditate,nisi cũ bona volũtate cum lætitia Dei opera egerimus:Deo nos periisse nouerimus. Putamus charissimi quod dignè quęrat ista anima,& ita pulset vt ei aperiatur:quę ad præceptum senioris,ira superbiaque cõmota,inobediens perseuerat.Putamus inquam quod ita petat, vel ita quærat vt inueniat: qui pro aliqua negligentia correptus & disciplinæ ordine castigatus, non se ad emendationem, non ad satisfactionem confert,sed magis ad proteruiam & indignationem, vt dicat sibi iniusta vel non sufferenda prærogari,& desero atque discedo, & per superbiam dicit, hæc ego non patiar. Iam primum se ante Abbatem præpositúmve non obedire fatentur, vel corrigi non patitur: puto quod adhuc emptum se esse nesciat,qui Christianæ militiæ mancipatus dicere præsumit,non obedio, aut non patior, hæc penè est:vt neget se Christi sanguine comparatum. Quid enim aliud est hoc: quam ipsi domino clamare, liber sum, nihil
Roma.6. tibi debeo? de talibus dicebat Apostolus. *Cùm enim serui essetis inobedientiæ: liberi fuistis iustitiæ.* Non benè ingenuus approbatur:qui misera vitiorum seruitute deprimitur.Clamat autem in contumelia disciplinę,& in peccato animę suæ dicẽs,quia nolo obedire,dura sunt quę præcipis,non possum ea pati. Quid est hoc aliud, quam iugum Christi rebelli ceruice discutere? Isti tales nesciunt quod vouerunt: obliti sunt propter quod in Monasterij congregationem venerunt. Isti tales non bene petunt: sed ab infidelitate pulsantur. Quid prodest quod discedit iste talis vndique astrictus vinculis passionum: quem hinc atque inde circunuallant vitia sua? Dignè aliquis discederet de Monasterio:si illo ire posset,vbi eũ diabolus inuenire nõ posset.Nemo se fallat, non fugiat aduersarium de loco ad locum: sed de vitio ad virtutem, de passione ad emendationem.Si fugias eum:sequitur te.Emenda te: fugiet à te
Iacobi.4. sicut Apostolus Iacobus ait. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Non obedire autẽ vel velle discedere:quid aliud est nisi dupliciter facere diaboli volũtatẽ, & voluntate sibi etiam in præsenti sæculo damnationem inferre peccati? Illis ipsis qui grauius apud nos deliquunt: nullam tristiorem, nullamque acerbiorem possumus inuenire sententiam, quam à corpore congregationis abscisi, sine prece abscedant.Et nonne amentię genus est:vt hoc quisque pro remedio expectet, quod ei etiam à præposito nisi pro summo crimine non possit inferri?Intelligamus ergo istas indignitates, & contractiones inimico disponente & cooperante prouenire. Etenim si non potest aliquem absolutè de loco salutis excutere:primo occasiones, & causas varias immittit, & inobedientiæ passionẽ,quam semper socia infidelitas comitatur,quæ cum captiuã illaqueauerit mentẽ:statim intoleranda atque impossibilia facit,etiam illa quę parua sunt.Et sanè dubiũ non est,quod vires inobediẽtibus diuinitùs substrahuntur,& qui non habent necessariam fidei deuotionem: etiam id quod habent,aufertur ab eis.Ita ergo inobeditia indurat animum,quem semel cœperit:vt ad suscipienda præcepta nec à veritate,nec ratione flectatur,sed quod pessimum est,sibi soli credat,& prę omnibus suas intẽtiones sequatur,& hoc solũ rectum putet,quod obdurato corde concepit,similis eis effectus:de quibus diuinus sermo pronunciat. *Itinera insipientibus recta in conspectu eorum.*
Prou.12.

Et iterum. *Sunt viæ quæ videntur rectæ eſſe hominibus: nouiſſima autem eorum ve-* *Prou. 12.*
nient in profundum inferni. Poſtremo eueniet huiuſmodi animabus, ſicut do-
mui quæ ſuper arenam ædificata eſt. Hæc enim parabola: ad inobediẽtes ma- *Luca. 6.*
ximè reſpicit. Nam ſicut ait Dominus. Qui audit verba hęc, & non faciat ea *Ibidem.*
is aſſimilabitur viro ſtulto, qui ædificat domum ſuper arenam & cum influ-
xerint ſtillicidia paſſionum, cum aduenerint flumina & torrentes atque im-
petus tribulationum, & multitudo negligentiarum: cum flauerint venti illi
vtique qui per iſtum aërem volitant, ad Chriſti aream ventilandam ſicubi
inueniant paleam, quam ad ſuum ludibrium rapiant atque diſpergant: tunc
irruunt in domum illam quæ ſine obedientiæ fundamento ædificata eſt, &
fit ruina illius magna. Sed fortè dicet aliquis. Nunquid ſtatim de hoc loco
diſcedere: ruina eſt dicenda? dico chariſſime. Non grandis ſpes eſt, ſi nauis in
fluctibus conſtituta, licet ipſa non pereat, tamen iacturam maximam de one-
re vel mercibus ſuis faciat: & vacua ipſa ad portum perueniat. Sic non grande
gaudium ſi aliquis à ſæculi fluctibus nomen, atque habitum profeſſionis ſuę
cuſtodire videatur: anima verò labeſcat negligentiis atque defluat. Et quid eſt
crudelius, quidque lugubrius quam ſubitò non ſolùm tanquam aliquis repẽ-
tini prædonis captiuus eradicari de loco ad quem te Deus tuus vocauit, quo
te primum illuminauit, in quem te primum poſt mala ſæculi quaſi ad portũ
de tempeſtate adduxit: ſed etiam obliuiſci ſubitò fraternæ ſocietatis & con-
ſolationis, obliuiſci loci illius in quo dulcis immutationis habitus te nomi-
ne ſæcularis exuens? Aues ipſæ diligunt nidos ſuos: amant etiam loca in qui-
bus multæ ſunt, Amant cubilia & paſcua ſua. Qua libet naturæ libertate paſ- *Pſal. 80.*
ſim per diuerſa rapiantur diſcurſibus: ſæpiùs tamen ad chara ſibi loca, quodã
deſiderio reuertuntur, & tu intellectu præditus, ratione munitus ita interdũ
ſenſibus alienus efficeris: vt Dei beneficiis præferas volũtates, & intentiones
tuas, atque inſinuationes Diabolicas. Et quãlibet ad duros labores, quamlibet
ad noſtræ ſalutis naufragia, atque ad noſtræ animæ detrimenta diſcurramus:
totum hoc minimè prænimia cordis indignatione ſentimus. Hoc ait ſermo
diuinus. *Ibi ſentimus, vbi non abundat amaritudo.* Tempore enim diſceſſionis *Eccle. 24.*
inimicus multa promittit: ſeque illic quo tendit maiorem profectũ, multam
gratiam, atque omnium rerum abundantiam fingit reperturũ, ad ſe tanquam
angelum ſuſcipiendum: & poſt hoc, quando anxietate repletus & pace nu-
datus, atque profectus ſui ſtudium, ac ſacrum ouile dereliquerit, cũ animad-
uertet quaſi ſedatam ſui temporis tempeſtatem: tunc videt quid mali ſecum
egerit, tunc recognoſcit quid periculi incurrit: quod de loco ad quem cum
gaudio venerat cum ſcandalo, & ſine pace diſceſſit. Tunc ſera pœnitentia ſu-
per ſuam pœnitet ruinam, ac deflet: ſicut quædam feræ quæ prę dolore ſuper
eos quos occiderint, flere dicuntur. Et hæc omnia animæ detrimenta: ex ino-
bedientiæ malo eueniunt. Obedientes autem & humiles: omnes tribulatio-
nes cunctoſque labores poſt tergum iaciunt, atque in compendio mittunt.
Sciendum vero eſt quò quanto humiliores & obedientiores fuerimus patri-
bus, & præpoſitis noſtris: tantò ſuper nos & leuius, & dulcius iugum Domini
ſentiemus. Et iterum quanto obedientiores maioribus & adinuicem fueri-
mus: in tantum obediet Deus orationibus noſtris. Videamus tamen fratres
chariſſimi, quam ſint acceptabilia Domino vel opera vel ieiunia eorum qui
ſuis potiùs quã ſeniorum voluntatibus obſequuntur. Clamant enim illi ſicut
Propheta teſtatur, & dicunt: *Quare ieiunauimus & neſciſti: humiliauimus animas* *Eſaia. 58.*
noſtras, & non aſpexiſti? Et idem ſermo diuinus reſpondet. *Ideo quia in diebus* *Ibidem.*

ieiuniorum veſtrorum: inueniuntur voluntates veſtræ, ac ſi diceret. Quia veſtris voluntatibus abrenunciaſtis, & aliorum voluntatibus propter vitam æternam vos ſuppoſuiſtis: nunc autem quia vos ſubtrahiſtis, non obediendo & murmurando, quiquid agitis non aſpicio, immò vos & veſtra opera reprobo. Vidimus ergo opera inobedientiæ animarum non reſpici ieiunia non videri, vota non ſuſcipi. Vnde nos ergo amplius mãdata illius ſectemur qui ad hoc ad nos deſcendit de cœlo, non ſolum vt nos de morte æterna redimeret propria ſua morte diabolo pro nobis obiecta: ſed etiam vitæ ædificaret exẽplo, & cum illo dicamus. Non veni vt facerem voluntatem meã, ſed eius qui miſit me patris. Ecce Dominus ac redemptor noſter, fratres chariſſimi, cuius vtique voluntas nunquam niſi bona eſſe poteſt, & tamen dicit ſe non ſuam, ſed patris facere volũtatem, id eſt non hominis aſſumpti, ſed diuinitatis propriam conſequi voluntatem, quæ & ſua vtique eſt in hoc quod cum patre & Spiritu ſancto vnus idemque Deus & fuit, & eſt, & erit: & nos miſeri terra & cinis, noſtram & non ſeniorum noſtrorum cupimus vnquam ſequi voluntatem. Ire autem poſt voluntates proprias tam pernicioſum eſt: vt hoc nobis iam poſtmodum iratus pro damnatione peccati, inobedientibus irroget, dicens. *Et dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum: ibunt in voluntatibus ſuis.* Quamobrẽ qui vult tuta eſſe opera ſua, & recta in conſpectu Dei: nihil obedientiæ præferat, nihil præceptis aliorum ſiue ille minor, ſiue ſenior ſit anteponat: Quanto enim quiſque ſenior: tanto plus ſtudere ædificationi debet, & nullum ſibi finem proficiendi faciat, nullum terminum acquirendi conſtituat cum ſibi audiat dici. *Præpara in exitu opera tua.* Et rurſum. *Non vites vſque ad mortem iuſtificari.* Et illud. *Sapiẽtia, in exitu canitur. Et in fine ne corrumpas.* Quãto ergo proficimus: tanto plus humiliemur, quia quanto plus humiliati fuerimus: tanto plus proficiemus. Nullus ille ſenior tam doctus appareat: vt putet quod non eum obedientia deceat, quæ Deum decuit. Quis non confundatur de gloria ſua? Humilitas enim atque obedientia in minoribus adhuc neceſſitas: in ſenioribus etiam dignitas eſt. Ille bene proficit, ille bene conſumat: qui quotidie ſic agit, quaſi ſemper incipiat. Quamobrem augmenta meritorum: incitamenta eſſe profectuum ſcriptura commemorat, de iis qui primas negligentias prætermittunt, & in alias atque alias ſemper incurrunt, dicens. *Peccator adiicit ad peccandum.* De profectu vero dicitur: vt ſanctus ſanctificetur adhuc. Videamus primum quid eſt: peccator adiicit ad peccandũ, verbi gratia. Mali cuiuſlibet aut obtrectationis paſſio me impugnare incipit: ſi non ſtatim pœnitudo vitij huius mordet, cras facilitas tanta huius vitij veniet, & quædam (vt ſic dixerim) ſuauitas, vt reuocare me ab illo, & continere non poſſim. Ita enim euenit, vt qui quo tempore potuit, emendari noluit: incipiat in ſequenti nec velle, nec poſſe. Verbi gratia. Superbię acquieſcere cœpi, regulam violaui, ſeniorem læſi, iuniorem deſtruxi, ſi non me ſtatim pœnituit, tam grauiter fuiſſe præuentum: iam de die in diem me libentiſſimè rapiet ipſa violentia conſuetudinis, & impetus paſſionis, vt nec delinquere intelligam nec peccare me ſentiam: obſcurat enim atque obtuit animum aſſiduitas delinquendi. Etenim ita negligentis cor obdurabitur: vt hoc ipſum ſi ſe non humiliet, ſi non ſatisfaciat, præpoſito ſuo nocere non ſe credat. Inſuper exultet, & dicat: quam conſtanter illi reſtiti, quam bene non acquieui, quanta auctoritate reſpondi, putabat quod ſemper me illi humiliare debere, quod qui facit: diabolo ſe dare vltro captiuum cõſtat, qui de hominum vitiis ac perditione letatur. Et ita eiuſmodi animæ euenier illa ſententia, quam ſu-

perius

Ioan. 6.

Pſal. 80.

Prou. 24.
Eccle. 18.
Prouer. 1.

Apoc. 22.

perius diximus.Peccator adiicit ad peccandum.At nos refugientes hæc:illam ſententiam potiùs teneamus quæ dixit.Sanctus ſanctificetur adhuc vt quotidie addamus ad bene acta:& cum Dei adiutorio præterita vel ſubrepẽtia minuamus peccata,nec de nobis aliquid præſumamus:quia Dei eſt,omne quod ſumus.Simus itaque indeficiẽtes,fratres chariſſimi,in opere dei:propter ęternam retributionem, vt quotidie ad meliora tẽdamus.Ipſa enim apprehẽdendi auiditas,ipſa conſuetudo proficiendi:ad maiora nos ſemper prouocet. Et enim dominus vbi viderit deuotionem animæ : ardentiorem inſinuabit affectum,& quanto nos ad ſtudia bona addiderimus:tanto ille adiutorium parabit, quanto nos appoſuerimus ad diligentiam : tanto ille addet ad gloriam. Qui enim habet:dabitur ei,& abundabit.Et alio loco dicitur.Poſui adiutoriũ ſuper potentem. Gratia ergo de gratia naſcitur : & profectus profectibus ſeruiunt,lucra lucris,& merita meritis locum faciunt, vt quanto quis acquirere plus cœperit:tãto plus conetur inquirere,& quãto auidiùs de ſapientię bonis hauſerit:tanto plus haurire deſiderarit,ſicut de ſe ipſa loquitur ſapientia.Qui ederit me,adhuc eſuriet:& qui biberit,adhuc ſitiet.Vrgeamus curſum noſtrũ vt creſcat in nouiſſimo vita noſtra. Quæramus ergo dilectiſſimi vſque in finem:vnde ſine fine mereamur gaudere. Sed eſto quod non poſſimus exercere:offeramus tamen nos ad deſiderium bonorum ſpiritualium,tunc verò nos offerimus ad deſideriũ ſpiritualium : ſi quotidie in cordibus noſtris diſponamus aſcenſus. Cum nulla infirmitate,nulla etate poſſint laſſari mentes: oportet efficaciam interioris hominis exerceri. Extẽdamus itaque nos ad humilitatis exercitium,ad ſapientiæ & beneuolentiæ ſtudium,ad compunctionis & charitatis augmentum : vt iis ſpiritualibus quibuſdã gradibus aſcendere mereamur ad præmia domini noſtri Ieſu Chriſti, cui eſt honor, & gloria in ſæcula ſæculorum, *Amen.*

Ibidem.

Luc. 12.

Pſal. 88.

Eccleſ. 24.

SERMO DECIMVS QVINTVS.

FIdelium exhortatores animarũ:miniſtri ſunt cœleſtium præceptorum,dicente domino.Qui vos audit me audit.Merito de cœlo expectat præmiũ: qui perficere ſtudet cœleſte mãdatum. Nemo ergo exiſtimet fratres chariſſimi quod ſacerdoti præſtet:ſi quis obediat ſacerdoti. Erudientis ſedulitas:obtemperantis vtilitas eſt,diuina quodam loco doctrina teſtatur.In auris aurea, & margaritum fulgẽs: qui loquitur verbum in aurem audientem& obedientem. Vides quia officium prædicantis : ad ornamentum pertinet audientis. Obedientia ergo operationis tempore refulget in margaritum:remunerationis vero tẽpore dilabitur ad coronam. Qui vos(inquit)audit,me audit : & qui vos ſpernit,me ſpernit. Obedientia ergo expectet gratiam : inobedientia vero expaueſcat offenſam.Et ideo anima negligens quando audit verbum,& non exhibet fructum : ſimilis eſt illi arbori ad quam explorandam dominus venit,& non inuenit in ea niſi folia tãtum: & propterea quia benedictionem ferre noluit,ſentẽtiam maledictionis excepit, ne ex ea fructus vlteriùs naſceretur.Et in alio loco dicit. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur,& in ignem mittetur,quę non facit(inquit)fructum bonum Vides quia parum eſt apud deum,ſi malum non feceris:niſi etiã in bonum ſolicita cogitatione profeceris.Sapiẽtiæ doctrina,terrenæ culturæ vitam negligentis hominis comparat,ita dicens.Tanquã ager,vir inſipiens:& ſicut vinea homo cui deeſt prudẽtia.Si dereliqueris eũ,incult⁹ erit:& ſpinis implebitur totus & erit deſertus.De quo in alio loco dicitur. *Expectaui,vt faceret,vuas& fecit labruſcas* Ita ergo anima ſi negligatur,ſi ſecuritati ac deſidię reliquatur:ſterilis ab omni

Luc. 10.

Prou. 25.

Matth. 21.

Matth. 3.

Prou. 28.

Eſaie. 5.

fructu efficitur,ab omni ſpe deſerta redditur &pro iucũdiſſimis frugibus,triſte loliũ & arentes tribulos germinabit. Scimus & vſu cognouimus quomodo poſſeſſionis alicuius dominus contriſtetur,vel quo dolore feriatur: ſi poſt tempus aduenięs agrum ſuum rubis ac ſentibus repletum atque obſitum videat,vel verbere grandinis cęſum,vel ferarum ac beſtiarum incurſione vaſtatum.Nonne ita affligitur quaſi de parte corporis ſui quicquam amiſerit,ac de anima ſua aliquid imminuerit?Quapropter,fratres chariſſimi,ſi damnum rerum taliter animũ affligit,ac deiicit:quomodo affici, quomodo ingemiſcere ac flere ſapientem oportet, quando proſpicit agrum cordis, ſuis vineam domini deſertam fieri,ac diuerſis vitiis tanquam impulſu grādinis verberari, & animæ detrimento ac defectibus cędi,& mortifero igne libidinis medullitus concremari?Quomodo inter hæc lugere ſe debeat negligęs ac tepidus Chriſtianus,quomodo eum apud ſe de ſe cõtriſtari oporteat: interroget ſtudioſos terræ colonos,quos tam grauiter inſenſibilium rerum,ac terrenarum damna contriſtant.Penè plus iſta excruciant foris poſita detrimęta, & ab homine ſeparata:quam ea quæ de nobis intra nos pereũt,vt cauſa cupiditatis penè charior eſſe hominibus appareat, quam ſalutis. Vnde & nos inculto, & deſerto agro ſimiles ſumus:ſi nihil fructuoſum in operibus oſtendamus,nihil cultum in moribus præferamus. Proinde,fratres chariſsimi,quia Dei agricultura ſumus: eradicemus à nobis primitùs cum adiutorio ipſius tanquam ſpinas ac noxia germina, ſæculares delectationes & concupiſcentias corporis, quibus lætificatur ac reficitur inimicus,ſicut diuina teſtātur eloquia. *Sic præſtes, inquit concupiſcentias animæ tuæ,facient te in gaudium inimicis.* Et ideò pugnantes contra confuſibiles tentationes, totis cum Propheta viſceribus proclamemus. *Nequando dicat inimicus meus prœualui aduerſus eum*, recordemur lubricos primæ ætatis errores:quid nobis profuit per erubeſcenda opprobria,& dedecoroſa ludibria viciorum, tantas carni & concupiſcentiæ noſtræ contumelias irrogaſſe.De quibus dicit Apoſtolus. *Quem inquit fructum habuiſtis tunc:in quibus nunc erubeſcitis? Quid nobis profuit in perditione noſtra etiam laboraſſe?* Sicut propheta commemorat dicens. *Vt inique agerent, laborauerunt.* Quid profuit vſuras operum cum voluntate geſsiſſe: & fragilem iuuentutis nauem per infœlicia annorum traxiſſe naufragia? Vbi fuit tunc tremendi illius iudicij metus?vbi terror ignis æterni,quando in nobis ſacri baptiſmi dona vacuauimus quando in nobis niueos oloſericæ nuptialis amictus concidimus.Quando in nobis diuinæ imaginis reuerentiam temerauimus?quando dilapidauimus delatas à ſummo parente diuitias quæ æternam beatitudinem, & cœli regnum valebant? Et nunc dies illos applicandos putamus vitæ, cum videamus in lucrum mortis tranſire quod viximus.Vbi ſunt illi qui omnem ætatem in carnis lętitia conſummantes,ex hoc iam ſæculo tranſierunt?Nonne totum eis in obliuionem miſit vltimus dies?hoc ipſum ſacra ſcripta commemorante. *Malitia vnius horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ.* De qua & alibi dicit. *Deſiderium pecatorum peribit.* Quando enim hominem concupiſcentiæ ſuæ iam tardè cum ſpiritum deſeruerint: concupiſcentiæ inquam ſecum oblectamenta rapient, & ſola nobis crimina relinquēt.Quandó homini iam extra corpus ſuũ poſito aperiri ac reuelari cœperit ſæculi illius noui, atq; in vtraq; parte mēſuræ cõditionis ęternitas:tunc mirabimur ac ſtupebit,quomodo tãtis malis,quomodo tãtis flagitiis acquieſcere potuit,homo ad imaginem Dei factus, & ac cœleſtem gloriam præparatus, tarda iam tunc ſecum pœnitudine reputabit, quare eum ſic ſubditum, atque captiuum tenuerunt prauiſsimæ ac viliſsimæ paſ

1. *Corin.* 3.

Eccle. 13.

Pſal. 12.

Roma. 6.

Hiere. 9.

Eccleſ. 11.

Pſal. 111.

mæ paſſiones,cui cœli regna,cui præparantur Angelorum conſortia.Tunc ſibi intra ſe vnuſquiſque cum gemitu:ſed iam tardè loquetur dicens. Vbi eſtis illecebræ? vbi eſtis concupiſcentiæ? Ad hoc mihi momentaneas ac fugitiuas ingeſſiſtis delectationis ſpecies,vt æternas poſtmodũ anguſtias inferretis:ecce in locum breuium ſuauitatum : dolores perpetui ſucceſſerunt. Ergo fratres chariſſimi,nunc quilibet iſta cogitet:dum adhuc poſſunt cum remedio cogitari.Loquatur ſecum homo,ac ſeipſum confundat & dicat.Nõne ego sũ opere Dei pſalmatus, propter quem ſpecioſa mundi elementa formata ſunt, cuius miniſteriis ſubiecta ſunt totius creaturæ officia:cur me ipſe erubeſcendis obſcenæ cupiditatis illecebris mei oblitus inuoluo : Cur preciosus actori meo,mihi apud me vilis ſum: Ac ſi facilè indigna confutatur improbitas,dum confunditur vilitati ſeruire generoſitas.Nec præualebit in homine fædæ impugnatur paſſionis dum pugnatio fortitudinem attributæ ſubminiſtrat conſcientię dignitatis.Conſequens igitur erit,vt proficiente cum viribus,fide,remunerationis promiſſa indubitanter expectet:dum tanta in ſe recordatur beneficia creatoris ac redemptoris. Et cum ſpirituales nequitias & inuiſibiles aduerſarios humana conditio, Chriſto expugnauerit duce, nec impoſſibile putabitur,vt in Angelicas beatitudines transferri obtineat,qui in hoc ſæculo Angelicas deuicerit poteſtates.Eodem præſtãte Domino noſtro Ieſu Chriſto cui cum patre & ſpiritu ſancto æqualis gloria & honor eſt in ſæcula. Amen.

SERMO DECIMVS SEXTVS.

QVod verè vobis charitatis donum tam frequenter inſinuamus : illa vel maximè res facit,quia præcipuum ac peculiare ipſius Domini mandatum eſt,& nihil eſt dulcius haberi ſi cum Dei adiutorio nitamur fœlicius implere.In animo enim noſtro res agitur, in quo ſi aliquid mali non intromittit voluntas:locum inuenire neſcit iniquitas.Et vbi radix omnium malorum cupiditas non fuerit:radix omnium bonorum charitas deeſſe non poterit.Prima & ſingularis diuinæ miſericordiæ cauſa eſt,quod per ſpiritum ſanctum ipſa charitas diffunditur in cordibus omnium Chriſtianorum,vt eam ſi velint poſſint iugiter cuſtodire, & dulcedine ipſius inceſſabiliter ſatiari. Et quia contraria ſolent ſanare contraria, & nihil ita eſt aduerſum vel contrarium charitati,quæ eſt fundamẽtum omnium bonorum,quam cupiditas quæ radix eſt omnium malorum,& iſtæ duæ ſimul eſſe non poſſunt, quia reuera dulcedini,nihil cum amaritudine:nec luci cum tenebris,nec vitę cum morte. Quicumque in ſe radicem cupiditatis dominari cognoſcit: imploret Dei adiutorium vt poſſit extirpare cupiditatem, & plantare charitatem. Hoc enim qui fideliter fecerit:omnia Dei præcepta cum gaudio,& exultatione cõplebit quia quoties amaritudo aliqua ſæculi,animum incurrere tentauerit:præualere etiam in illo charitatis dulcedo non permittet penitus.Et ſic ei vera charitas inſinuat,in dulcedine omnium bonorum cœleſtium laborandum:vt eum faciat tolerare amaritudinem terrenorum.Secũda cauſa eſt,quia tam leuis eſt ſarcina charitatis:vt non premere,ſed ſubleuare conſueuerit. Qui enim illam quomodo à Chriſto accepit,cũ ipſius adiutorio ſeruare voluerit: nec pedibus currendo,nec manibus operando fatigationem ſentiet,nec in humero aliquã grauem ſarcinam portando, poterit laborare. Quia & quandiu ſe aliquibus diuinis operibus,amor charitatis exercet:dulcedo amoris ipſius eum laborare non ſinit. Quia quicquid non amanti graue eſt:amanti, ſuaue & leue eſt. Teneat ergo vnuſquiſque bonam voluntatem, & omnes homines vt ſeipſum diligat : & quod ſibi ab aliis fieri optat, hoc aliis facere velit. Pro bonis

1.*Tim.*5.

*Mat.*22.

*Mat.*7.

oret,vt à Domino cuſtodiantur. Pro mediocribus:vt meliores fiant, pro malis:vt cito ſe corrigant.Et in omnibus peccatoribus vitia potius quam ipſos, odio habeat: & ad imitationem bonorum medicorum morbos oderit, non ægrotum.Nam in peccatoribus vel quibuſcunque inimicis ſuis, magis ipſos quam vitia eorum odio habet,qui aut in præſenti eos deſiderat puniri, aut in futuro æterno incendio concremari.Quæ res quam execrabilis ſit,& abominabilis:ſancta charitas veſtra cognoſcit. Boni verò Chriſtiani omnes inimicos ſuos,magis corrigi:quam perire,deſiderant.Et pro ineffabili bonitate ſtudent,nec illis,nec aliis maledicere:propter id quod ſcriptum eſt. *Vir multum iurans replebitur iniquitate:& non diſcedet de domo ſua plaga.* Non diſcedere non de domo æterna,ſed de anima eius intelligendum eſt, quæ templum Dei eſt. Studeant etiam nunquam mentiri: quia ſcriptum eſt, *Os quod mentitur occidit animam.*Et iterum,*Et perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Iuſtitiam tenere contendunt:propter id quod ſcriptum eſt.*Beati qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam in omni tempore.*Caſtitatem tenere toto corde feſtinant:quia caſtitas merebitur conſortia Angelorum.Hæc ergo omnia quæ ſuggeſſi:& breuia ſunt,vt poſſint memoriter retineri, & tam ſuauia, tam dulcia, vt debeant Deo auxiliante operibus impleri.Ecce in his omnibus veræ ac perfectæ charitatis operibus,ſicut etiam dictum eſt:nihil aut manibus,aut pedibus agitur, vt ſe aliquis non per impoſſibilitatem aut infirmitatem excuſare conetur. Cum enim charitas omni dulcedine dulcior ſit,quare durum, & aſperum iugum auaritiæ, cum tantis periculis ac laboribus homines portare volunt: & dulce onus Chriſti,& ſuaue iugum ipſius de ceruicibus ſuis excutiunt: Contra iſta quæ charitati noſtræ ſuggeſſi: nullus qualemcunque poterit excuſationem opponere, vt ſe dicat aliquis ea non poſſe perficere. Non enim indicitur ei ieiunare,pluſquam poteſt: nec hoc ei imponitur, vt à vino vel carnibus abſtineat, ſi hoc infirmitas corporis ſui non tolerat: quis ſine iſtis operibus quæ ſupra commemorata ſunt, charitas ſufficit, ſibi illa verò bona opera ſine charitate prodeſſe omnino non poterunt. Hoc totum iterum atque iterum dico,fratres chariſſimi,,vt plenius poſſitis agnoſcere, quia nullus ſe poterit excuſare, quod præcepta non poſſit implere. Quia quando vigilas,aut ieiunas pluſquam præuales,ſimiliter in omnibus illis in quibus laboras:excuſationem habere potes: ab iis autem quæ in animæ virtute conſiſtunt,& præcipuè à charitate in qua continentur omnia bona: nihil poteris excuſare, quod eam non poſſis perficere Deo auxiliante. Et ideò qui veram charitatem voluerit retinere: non inueniet quod in veritate aliis, ſed quod ſibi tantum debeat imputare.Tenete,fratres chariſſimi,dulce ac ſalubre vinculum charitatis,ſine qua diues pauper eſt, & cum qua pauper, diues eſt. Diues ſi charitatem non habeat:quid habet? Pauper ſi charitatem habeat: quid non habet? Et quia ſicut dicit Ioannes Euangeliſta. *Deus charitas eſt.* Quid pauperi deeſſe poterit, ſi per charitatem Deum habere meruerit? Et è contra quid diuiti terrena fœlicitas proderit,ſi Deũ habere non meruerit.Amate ergo & tenete charitatem,fratres chariſſimi:ſine qua nullus vnquam Deũ videbit.Nolite vobis ſine charitate blandiri,etiam ſi reliqua opera bona feceritis, ſed potius timete id quod ſcriptum eſt. *Qui vniuerſam legem ſeruauerit: offendat autem in vno:factus eſt omnium reus.* Quid eſt hoc vnum,niſi vera charitas de qua Apoſtolus dicit. *Omnis lex in vno ſermone completur. Diliges proximum tuum: ſicut te ipſum.*Nam intantum reliqua bona opera ſine charitate, nihil proſunt:vt libera voce clamat Apoſtolus.*Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas,& ſi tradidero corpus meum vt ardeat charitatem autem non habeã*

Ecc.23.

Sap.1.
Pſal.5.
Pſal.105.

Matt.11.

1.Ioan.1.

Iacob.2.

Rom.13.

1.Cor.15.

nihil mihi prodeſt. Et ideò quia ipſa vera Charitas in dilectione conſiſtit, qui ſe cognoſcit vel vnum hominẽ odio habere: feſtinet amaritudinẽ fellis euomere, vt dulcedinem in ſe charitatis mereatur accipere, quia ſine illa, nec ieiunia, nec vigiliæ, nec orationes, nec eleemoſinæ, nec fides, nec virginitas: vllum poterit hominem adiuuare. Et quia cum de charitate nos Apoſtolus dicens. *In charitate radicati & fundati & radix omnium bonorum eſt charitas:* euidentiſſimè conſtat quod quomodo quælibet arbor pulchra & amena & fructibus plena, ſi in ea radix viua non fuerit, omnis eius pulchritudo marceſcit: ita & quilibet Chriſtianus ſi reliqua opera ſua tanquam in ramis, ſe habere monſtrauerit & de ipſis ſine charitate præſumens, radicem ipſius charitatis habere noluerit: ſine vllis fructibus ſterilis remanebit, quia non habet viriditatem ramus boni operis: ſi non manſerit in radice charitatis, vt ait Gregorius. Vera enim charitas in aduerſitatib⁹ tolerat, in proſperitatibus tẽperat, in duris paſſionibus eſt fortis: in bonis operibus hilaris in tentatione tutiſſima inter fratres veros dulciſſima, inter falſos patientiſſima. In Abel per ſacrificiũ grata. In Noe per diluuiũ ſecura. In Abraham in peregrinationibus fideliſſima. In Dauid in tribulationibus, patientiſſima, inter inſidias, innocens: inter iniquitates, gemens, in veritate reſpirãs. Caſta in Suſanna cum viro: in Anna, poſt virum: in Maria præter virum. Humilis in Petro ad obediendũ: libera in Paulo, ad arguendũ: Humana in Chriſtianis ad confitendũ: diuina in Chriſto ad ignoſcendum. Vera enim charitas, dilectiſſimi, anima eſt omnium ſcripturarum, prophetiæ virtus, ſciẽtiæque fundamentum, fidei fructus, diuitię pauperum, vita morientium. Hanc ergo fideliter retinete, hanc toto corde, & tota animi virtute diligite, huic ingiter adhærete. Suauis eſt enim Deus, & omni dulcedine dulcior. Societas ipſius, non habet amaritudinẽ: conuerſatio ipſius nõ habet dolum. Si illam volueritis ex integro corde tenere: & in hoc ſæculo vos faciet cũ gaudio Dei pręcepta perficere, & in futuro ad pręmia ęterna peruenire, quod ipſe pręſtare dignetur dominus noſter Ieſus Chriſtus qui cũ Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus per infinita ſæculorũ ſæcula. *Amẽ.* *Eph. 3.*

SERMO DECIMVS SEPTIMVS.

ADmonet nos per prophetiam, Fratres chariſſimi, ſermo diuinus dicens. *Vouete, & reddite domino Deo veſtro.* Quiſquis ergo quod poteſt voueat & reddat. Ne voueatis, & non reddatis: ſed quiſquis quod poteſt voueat & reddat. Non ſitis pigri ad vouendum. Non enim in viribus veſtris confidatis, vt impleatis. Deficietis enim: ſi de vobis præſumitis, ſi autem de illo cui vouetis: vouete, & ſecuri reddetis. Vouete ergo & reddite domino Deo veſtro. Quid debemus vouere, & reddere Fratres? Credere in illum: ſperare ab illo vitã æternam, bene viuere, ſecũdum communem modum, & eſt quidam modus communis omnibus. Non adulterari, non furtum facere, non amare violentiam, non ſuperbire, non hominem occidere, non fratrẽ odire, non aduerſus aliquem perniciem tenere, omnibus in communi, præcipiuntur, hæc omnia. Quicquid ergo ad fidem, ad iuſtitiam, ad caſtitatem, vel ad miſericordiam pertinet, omnes vouere debemus & cũ adiutorio ipſius cui vouemus, reddere. Vouit aliquis virginitatem, alius caſtitatem, alius hoſpitalitatẽ, magna vota ſunt hæc. Alius relinquere omnia ſua diſtributa pauperibus, & ire ad communem vitam in ſocietate ſanctorum: magnum votum vouit. Vouete, & redditte domino Deo veſtro. Quiſquis quod vouere voluerit, vouear, & illud attẽdat, vt quod vouerit, reddat. Vnuſquiſque de eo quod vouit, ſi reſpicit retrorſum: malũ eſt: Neſcio quælibet ſanctimonialis nubere voluit? *Pſal. 75.*

quid voluit? quod & virgo quælibet, quid voluit? quod & mater ipsius aliquid mali voluit? Malũ planè. Quare? quia iam nupserat domino Deo suo. Quid dixit talibus Apost. Paulus, *Viduas adolescẽtes, nubere si vellẽt,* sed tamen ait quodã loco. *Beatior tamẽ erit si sic permãserit, secundũ meum consiliũ.* Ostendit beatiorẽ si sic permanserit secundũ meũ consiliũ: non tamen damnandã, si nubere voluerit. Ait autẽ de quibusdã qui vouerunt, & non reddiderunt. *Habentes quidẽ damnationẽ, quod priorẽ fidem irritam fecerunt: vouerunt, & nõ rediderunt.* Nemo ergo in Monasterio posit°, Fratres charissimi dicat, recedo de Monasterio. Nõ enim soli qui in Monasterio sunt: peruenturi sunt ad regnũ cœlorum. Et nũquid illi qui ibi nõ sunt: ad Deũ non pertinebunt? Respõdetur eis. Illi non uouerunt: tu vouisti, tu retrò respexisti. De die iudicij cum Dominus minaretur, quid ait: *Memẽtote vxoris Loth:* omnibus dixit. Quid enim fecit vxor Loth: liberata erat de Sodomis: & in via posita, retrò respexit: vbi repexit ibi remãsit. Facta est autẽ statua salis, & illius contẽplatione, cõdiantur homines. Cor habẽt: nõ sint fatui, nõ retrospiciãt, ne malũ exemplũ dãtes: ipsi stulti remaneãt, & alios condiãt. Et modo diximus illud quibusdã fratribus nostris, quos fortè videmus veluti infirmari in proposito bono: & tales vultis esse, quales illi sunt. Obiicimus illis quosdã qui retro respexerunt & isti qui fatui sunt: illorũ exẽplum timentes qui in salẽ conuersi sunt, per ipsos aliquo modo condiũtur, & sapiẽtes efficiuntur, ne retro aspiciãt. Vouete ergo: & reddite Deo vestro, quia illa vxor Loth ad omnes pertinet. Hic quibus placet relicta omni spe sęculari, & omni actione terrena voueant, se cõferendo in societatẽ sanctorum & in communẽ illam vitã, vbi nõ dicitur aliquid propriũ, sed sunt omnia cõmunia, & est illis anima vna: & cor vnũ in Deũ. Quisquis verò voluerit inde recedere: nõ talis habetur qualis ille qui nõ intrauit. Ille enim nõdũ discessit: iste retro respexit. Quapropter, charissimi, quomodo quisquis vestrum potest, vouete & reddite, quomodo poterit quisq; : nemo retro respiciat. Nemo suis pristinis delectetur vitiis. Nemo auertatur ab eo quod ante est: ad id quod retro est, currat, donec perueniat, non pedibus: sed desiderio currimus. Nullus autem in hac vita: peruenisse se dicat. Quis enim potest tam perfectus esse, quam Paulus Apostolus & tamen ait. Fratres ego non arbitror me comprehẽdisse. Vnum autem qui retro sunt oblitus sum: in ea quæ ante sunt intentus secundũ intentionẽ sequor ad palmã supernę vocationis Dei in Christo Iesu. Vides Paulũ adhuc currere, & iã te existimas peruenisse. Quidã sunt enim qui festinãt, qui conuersi ad Dominũ cum hic non inueniunt requiẽ quam quærebãt & gaudia quę promittebantur, tanquã in itinere deficiẽtes, & longũ sibi quoddã, donec hoc sęculũ vel hęc vita finiatur, restare arbitrẽtes, & quęrentes, aliã requiem quę si habeatur falsa est: respiciũt retro, & decidunt à proposito, nec attendũt, cum quanto terrore dictũ est. Mementote vxoris Loth. Vt quid enim statua salis affecta est: si homines nõ condit, vt sapiãt: Exemplũ ergo illius malũ, tibi sit bonũ vt caueas. Mementote vxoris Loth. Respexit enim retro, vnde liberata erat à Sodomis & remansit illic, vnde respexit ipsa in loco mãsura, & transeuntes alios cõditura. Liberati ergo à Sodomis prętereritę vitę: nõ respiciamus retrorsum. Nã hoc festinare est: non attendere, quod promisit Deus, quia longè est respicere ad id quod dimissum est: vnde liberatus est. De talibus quid dixit Apost. Petrus? Cõtingit illis res veri prouerbij. *Canis reuersus ad vomitũ suũ.* Premebat enim pectus suũ, conscięntia peccatorũ: accepta indulgẽtia quasi vomuisti & reuelatũ est pect° tuũ, id est facta est bona cõscięntia tua. Cur rursus reuerteris ad vomitũ tuũ? Si canis hęc faciẽs horret oculis

1. Timo. 5.
1. Corin. 2.
1. Timo. 5.
Luca. 17.
Genes. 19.
Actuum. 4.
Philip. 3.
Luca. 17.
2. Petri. 2.

neris

tuis:tu quid eris in oculis Dei?Vnuſquiq; autẽ,fratres chariſſimi,de loco itineris ſui ad quẽ proficiẽdo peruenit,& quẽ vouit Domino:inde reſpicit retro cùm ipſum dimiſerit. Quapropter, fratres chariſſimi, epulæ ſanctiſſimæ rogo & cum charitate admoneo, vt quicunque ſe nouit aliquid Deo vouiſſe vel ipſo inſpirante diſponit, aut deliberat vouere:cum ipſius adiutorio vſque ad finem glorioſum, & ſalubrem conſumationem ſe perſeuerando fideliter conetur extendere, vt mereatur ſecutus cum Apoſtolo dicere. *Certamen bonũ certaui, curſum conſummaui,fidem ſeruaui,de cætero repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi in illa die iuſtus iudex*,non ſolùm autem mihi:ſed & iis qui diligunt aduentum eius. Illud etiam cauere debemus, quod idem Apoſtolus pro noſtra cautela, pro quadam commonitione proteſtatur dicens. *Solutus es ab vxore:noli quærere vxorem.* Et illud quo ſecundum conſilium monere teſtatur dicens. *Bonum eſt nubere quibus licet:melius tamen eſt non nubere.*Et ideò non ſolum frequenter,ſed multis vicibus deprecor:vt vnuſquiſque veſtrum, vocationem ſuam conſideret, & in quocunque ſtatu vel gradu à Domino, vocatus eſt:in eo permaneat,ſi non vult in æternum perire, niſi fortè in melius proficiẽdo,ad diſtrictiorem vitam aſcendere cupiat. Proinde,fratres chariſſimi in Dei nomine vnuſquiſque votum pro ſalute animæ ſuæ votum voueat, & cum ipſius adiutorio reddat. Et qui ſe iam vouiſſe cognoſcit : ſi hoc ipſum Domino cooperante vſque in finem ſeruauerit,illibatumque ei reddiderit:& pro præuaricatione,damnationis ſententiam euadet,& pro obedientia,præmia æterna Chriſto remunerante percipiet.Mihi autem,cui nulla ſupperit confidẽtia meritorum,vel pro admonitione officij mei:ſic orare dignemini,ſaltem veniam peccatorum Dominus donare dignabitur,cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

2.*Tim.*4.

1.*Cor.*7.

Ibidem.

Ibidem.

SERMO DECIMVS OCTAVVS.

Ecce quam bonum, & quam iucundum : habitare fratres in vnum, id eſt,diuini amoris vno eodemque conſenſu,& ſub eadem fide ac religione viuentes. Etenim nemo poterit hic gaudere cum ſæculo:& illic regnare cum Chriſto. Si autem conſideremus quæ, & quanta ſunt præmia, quæ nobis promittuntur in cœlis:vileſcunt omnia quæ habentur in terris. Nihil igitur tranſitoriũ, nihil terrenum quærere debemus : quia pium patrem , & magnam hereditatem habemus in cœlis. Omninò nobis ſufficere credamus:ſi propitium eum videre mereamur.Charitatem itaque teneamus:ſi ad eius promiſſa pertingere cupimus.*Charitas patiens eſt*:id eſt , malum pro malo non reddit , & diſcordantes ad concordiam reuocat , & cum omni homine pacem habet. *Benigna eſt*:id eſt ſemper bene volens,& bene faciens.*Charitas non emulatur :* id eſt nõ habet inuidiam,quia qui alterius inuidet bono : ipſe ſe damnat in anima,etenim per inuidiã diaboli:intrauit mors in orbẽ terrarũ.*Charitas non agit perperã*:id eſt,nihil peruerſum facit,vel facit propter decorẽ corporis,quia qui ornamentum corporis recipit:hic ornamentum animæ perdit. Purpura & ſerico indutus: Chriſtum induere non poteſt. *Non inflatur*:id eſt,non extollitur ſuper alios, nec in ſe eſt elata. *Non eſt ambitioſa :* id eſt qui habet charitatem, non eſt ambitioſus, id eſt , cupidus : id eſt, res terrenas non concupiſcit , ſed propria largitur,quia beatius eſt dare:quam accipere.*Non quærit quæ ſua ſunt:* id eſt,non quærit voluntatem corporis vel deſideria carnis , ſed voluntatem Dei,& ſalutem animæ ſuæ & aliorum,nec quærit quod ſibi tantum, ſit vtile: ſed quod multis.*Nõ irritatur*:id eſt,non ſuſcitat iurgia,quia ſcriptũ eſt.Seruũ Dei non oportet litigare : ſed manſuetum eſſe ad omnes. *Non cogitat malum:*

*Pſal.*132.

1.*Cor.*13.

*Sapien.*2.

1.*Cor.*13.

id eſt, non ſolum non facit malum, ſed etiam non cogitat facere. *Non gaudet ſuper iniquitate*, id eſt, cõtriſtatur ſi quãlibet inimicum aliquod malum vel feciſſe, vel paſſum eſſe conſpexerit. Vnde dicit Apoſtolus. *Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus.* Congaudet autem veritati. *Omnia ſuffert*: id eſt, iniurias illatas patienter ſuſtinet, vel damna rerum temporalium, vel futura promiſſa quæ Deus promiſit patienter expectat. *Omnia ſperat*: id eſt quod promiſſum eſt recipere, quia veritas mentiri non poteſt. *Omnia ſuſtinet*: id eſt, propter Deũ iniurias, vel illatas contumelias, quia ſperat exinde futuram remunerationem. *Charitas nunquam excidit*, id eſt, vbi vera charitas fuerit, ſemper manet. *Qui enim natus eſt ex Deo: peccare non poteſt.* Charitas permanet in futuro: quia fides & ſpes tranſeunt, charitas permanet: hoc eſt quia creatura diligit creatorem. Sectamini igitur charitatem, dulce & ſalubre vinculum animarum: ſine qua diues pauper eſt, & cum qua pauper diues eſt. Diligite ergo charitatem ſanctè cogitantes: afferte fructus dignos iuſtitiæ. Et quicquid vberius quam dicere potui vos inueneritis in eius laudibus: appareat in veſtris moribus. Ipſo adiuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Roma. 12.

1. Ioan. 3.

Qui plura volet requirat bibliothecam Margarini. Tom. 2.

Vita S. Iuſti Lugdunenſis Archiepiſcopi & monachi Lerinenſis, vt habetur in antiquis M. S. exemplaribus, quibus vetuſtiſſima Martyrologia adſtipulantur, fuit decimus tertius Epiſcopus Lugd. claruit autem anno Domini 381. ſub Damaſo Papa & gratiano Imperatore.

Die 6. Septemb.

VItam beati Iuſti Lugdunẽſis Epiſcopi cogimur adiurati vel breuiter exponere: qui Lugdunenſis quondã vrbis Sacerdos, nunc eius apud Chriſtum patronus eſt. Cuius cùm mecum reputo inexpugnabilem in operibus fidem, præcipuum in victu rigorem & parcimoniam, diuturnã in ſolitudinem habitationem, eò ſanè adducor, vt cunctanter affirmare non dubitem, eum licet pro Chriſto Martyrium non obierit, tamen compleſſe Martyrium. Non enim Martyrium perficit ſola ſanguinis effuſio, nec ſolam confert fidei palmam illa exuſtio flammarum, aut funeſta manus carnificum: nec occaſu duntaxat & internecione, ſed contemptu quoque corporis venitur ad Coronam: & quod citra vllam beatorum martyrum, qui inperſecutionibus ſunt defuncti, iniuriam dictum volumus) carnem afflixiſſe, de mundo triũphaſſe, diabolum protriuiſſe martyrium eſt. Vt enim hæc ipſa rerum comparatione altrinſecus inter ſe conferamus, Martyr vincit ſubitum tortoris ignem: beatiſſimus Iuſtus edomuit flammas quotidianas. Martyr breuem ſuſcipit cum perſecutore conflictum: beatus Iuſtus longum habuit aduerſus vitia carnis certamen. Martyr in ſtrenua & virili colluctatione, Iuſtus in diabolica infeſtatione cõſeruauit patientiam. Martyr pro Chriſto patitur, quia pati deſiderat: voluit verò etiam beatus Iuſtus pati. Martyr abnegans idola verum Deum confitetur: Iuſtus vt præclarius Chriſtum confiteretur, ſe ipſum abnegauit ſibi. Poſtremò, martyris certamen omne mors illata conſummat: beati verò Iuſti auctum eſt certamen, dum mors negatur. Audi Apoſtolum dicentem: *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.*

Martyrium obitur multis modis & præſertim teſtè Gregorio per patientiam.

Galat. 6.

At primùm quidem, vt de nomine beati antiſtitis pauca dicamus, vſitatũ eſt in ſacris literis, vt ipſa nominum impoſitio ſiue enunciatio, quædam ſit annunciatio futurorum. Ita ergo & Iuſti noſtri ſubſequentis vitæ gratiã iam inde ab incunabulis impoſitum nomẽ expreſſit, dum inſtinctu diuino præ ſe ferens

ferens,id quod futurum erat,proprium accipit vocabulum à teſtimonio meritorum.Vndè etiam factum arbitror,vt ille ſanctus adoleſcens, tam virtutis, quàm itineris eius particeps futurus,nomen viatoris acciperet. Porrò Iuſtus, Viennenſis primùm Diaconus, poſteà verò Lugdunenſis Eccleſiæ antiſtes cõſecratus eſt. Quaſi ille Eccleſiam tanta puritate,integritate,modeſtia, pietate,patientia,per multos rexit annos,tanta quoque pauperum cura,tanta diuinorum mandatorum obſeruatione, vt etiam magnificos & præſtantes Domini Sacerdotes omni virtutum gratia anteiret.

Viator miniſter & diſcipulus S. Iuſti.

S.Iuſtus Epiſcopus Lugdunenſis.

Sed cùm ità intentus functioni ſuæ & plebis profectus, illi Eccleſiæ præſideret,ad eum expellendum frementis diaboli exarſit inuidia. Nam cùm in ea vrbe quidam ſubitò mentis furore correptus,in publicum ſe proripiens, obuios ignaróſque confodiſſet, ac pro atrocitate rei excitatio tumultu hinc atque inde premeretur abinfeſta multitudine eodem, quo in ſcelere vſus erat, telo ſe defendens, in Eccleſiam,non nihil iam ſibi reſtitutus,cõfugit:obſeratiſque ſacratarum ædium valuis, diu reuerentia loci inſanientis populi furorem à ſe amouit.Sed cùm ſeditio increſcens,iam etiam templo Domini ignes minaretur,beatus Iuſtus Epiſcopus,neceſſitate compulſus,accepta à quodam viro primario ſacramenti fide,quòd nihil homini illi periculi intentarent,ſed tantiſper duntaxat in cuſtodia aſſeruarent, donec populo eſſet ſatisfactum, reum extra Eccleſiæ clauſtra dimiſit. Eum verò turba, quæ in tumultu nihil alicuius penſi habet,pedibus colligatum trahens,vltimo mortis,ſupplicio affecit.Tum ille vir Dei,ſanctitate memorabilis,admiſſum facinus adſcribit ſibi,alienum crimẽ ſibi imputat,tam ſeuerus vltor culpę,vt putabat,ſuæ,quàm pius diſſimulator alienæ. Cùm enim fraus ſæuientis diaboli,ſuo ſceleri populi furentis adminiſtram manum adhibuiſſet,totum illud facinus beatiſſimus antiſtes in ſe retorſit, omnes alios abſoluẽs,ſibi vni non ignoſcens. Sed quid mirum,ſi iuſtus in primordio ſermonis, accuſator eſt ſui? O quam venerabilis eſt ſanctitatis & pietatis confeſſio. Cùm impudentia in alios ſoleat culpam conferre ſuam, hic vir beatus alienum crimen ſeu proprium confitetur. Peccauit incondita plebs,& quidem Satanæ inſtinctu peccauit: Iuſtus autem quid fecit? Confidebat ille in domino, & dicebat animæ ſuæ, Tranſmigra in montem ſicut paſſer. Tetenderat antiquus ille peccator arcum nequitiæ ſuæ vt ſagittaret in occultis immaculatum arte calliditatis ſuæ: ſed manus quia Domini auxiliabatur ei,nihil profecit inimicus in eo.

Peccatũ alienum ſibi adſcribit.

Prou. 18.

Pſal. 10.

Nam Iuſtus ille, qui fuerat magnus ſacerdotio, factus eſt maior voluntario exilio, officio enim ſacerdotali ſe ſtatuit abdicare, & loca peregrina animo latitandi expetere. Reuerſus igitur ex quadam Italiæ, Synodo, ad quam fuerat euocatus, quod vix ſine lachrymis commemorari poteſt, non Lugdunum venit, ne totius plebis amore abſtrictus, liberam non haberet diſcedendi facultatem: Sed apud torrentem reſidens, ſi qui amici ad valẽ dicendum ipſi eò excurrere vellent, ſuſtinuit. Multis verò lachrymantium turbis eò accurrentibus, veritus nè multitudine oppreſſus retineretur, clàm ſolus & præter omnem expectationem receſſit: nec quiſquam ei ſe adiunxit comitem, præter vnum Viatorem, cuius ſupra mentio facta eſt, egregiè ſanè indolis puerum, qui tunc in Eccleſia lectoris munere fungebatur. Is ſolus, inquam, beatiſſimi ſenis latere cupientis veſtigiis inhæſit, etiam Arelate & Maſſiliæ agenti,nauemque conſcendere volenti non ſine admiratione ſe ei obtulit. Illo ergo in peregrinationis ſolatium recepto, cremum ſitiens, in Ægyptum nauigauit, ſoli ac vni illi adhærens, *qui eſt ſpes*

Vir ſanctus clàm deſerit Archiepiſcopatum,& fugit in Aegyptum.

Pſal. 64.

3. Reg. 19. *omnium finium terræ, & in mari longè.* Et cùm à facie furoris satanici instar Eliæ,
3. Reg. 17. Iezabelis minas fugientis, se subducere vellet, in deserta secessit, Aegyptiis illi alimoniam suppeditantibus: immò, vt planius dicam, coruis illi, vt Eliæ escas ministrantibus. Quoties enim per manus peccatorum sanctis victus affertur, toties suos Dominus coruorum opera pascit, quorum sanè atrum colorem iniqui non immeritò à suis vitiis induunt.

Postquàm autem Episcopus, & nomine & meritis Iustus, eò peruenit, inter sanctos illos eremitas degens, diu se celauit, vt tum nomine, tum dignitate suppressa, summę humilitatis opus exercere posset, non iam clericis duntaxat, sed etiam Monachis & Laicis se inferiorem exhibens. Cúmq; non breui tempore ità lectus latuisset, accidit aliquandò, vt in præcipuo Monachorum sanctorum conuentu à quodam fratre, qui ex hac Prouincia eò tum peregrinus aduenerat, agnosceretur: isque ad eius genua prouolutus, cunctis stupentibus, & quid id rei esset scisscitantibus, sanctum Episcopum Iustum, illum esse confiteretur. Quod vbi cognitum est ab illis, omnes tantæ humilitatis virum admirantes, culpantésque ignorantiæ suæ temeritatem, quod Pontifici se quamuis nescij præposuissent, superiorem erga illum negligentiam, recenti honoris exhibitione compensauerunt. Horum itaque vitæ particeps Iustus noster, noctes atque dies precibus & ieiuniis transigens, in conspectu Domini perpetuus erat pro suis Lugdunēsibus deprecator. Nam tametsi corpore ab illis aberat, at precibus aderat: neque illos reliquisse censendus est, ad quos suas preces referebat. Expetierat Lachrymis opportuna loca, vt soli Deo vacans, quæ pro illis peteret, efficaciùs impetraret.

Agnoscitur à Monachis.

Precibus depascit relictas oues.

Eò autem tempore, quo sanctus Episcopus in eremo morabatur, sanctus Anthiocus, tunc presbyter Lugdunensis, pio incitatus officio ad visendū prę-sulem suum peregrè proficisci deliberabat, vir sanè vitæ seueritate præcipuus & qui non immeritò posteà in ea sede beato Iusto successerit. Cùm igitur tāti præsulis desiderio terras ac maria transmitteret, beatus Iustus, aduentum eius adeò prænūciasse fertur, vt etiam, quibus diebus quæ loca adiret, exprimeret, ita dicens: Chariſſimus Antiochus noster hodie illic moratur immò verò illum ipsum diem, quo venturus esset ad eum, indicauit. Porrò cum annis aliquot in eremo Angelis proximam egisset vitam, & tātorum laborum dignus adesset finis, regna cœlorum scandenti, & in extremis agenti, flens & animo consternatus dixit Viator: cui me domine relinquis? Beatus Iustus respondit: nè turberis, fili, tanquam salatio destitutus non ita diu post tu me sequeris, quam eius prædictionem, à diuina reuelatione manantem, veram fuisse sanctissimi iuuenis obitus declarauit.

Antiochus Iusti successor

S. Iusti obitus. Itémque Viatoris.

Hoc sanè loco silentio premere nolim Lugdunensiū ciuium erga sanctissimum antistitem suum, studium & Amorem, vt qui ob asportandum sacrum eius corpusculum in Aegyptum vsque profecti sint, atque illic penè inaccessas prę ardoribus scrutati solitudines, ab ipso solis occasu in oriēti vicina loca profecti, totū ferè orbē pietatis suæ testē effecere: quātumq; se abdiderat atq; remouerat verecundissimi senis fuga tantùm se illorū pręclara studia intēderūt eius reducēdi causa. Nouerant illū eius fugæ cupidū fuisse, nec quòd ipsos deseruisset, ei imputare voluerūt, neq; enim discesserat ab eis aliquo illorum contemptu, sed cōpunctione animi, ob eam, quam suprà diximus, culpam suscepta. Et certè ostenderūt Lugdunēses se tam præclaro nō indignos Antistite, cum gratię eius magnitudinē officij gloria æquipararūt: cū egregij sacerdotis & sācti senis ossa reuerēda fidelissima plebs à lōginquis regionibus cū multa

Nota studiū Lugdunēsium erga eius sacrum Corpus.

Transfertur eius corpus Lugdunum.

alacritate

alacritate & religione reduxit, & cũ lachrymis præ gaudio fuſis ea exceperũt: dederuntque operam, vt qui ſpiritu cum ipſis erat, eſſet & corpore in honorem Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui eſt poteſtas & gloria cum patre & ſpiritu ſancto in ſæcula ſæculorum Amen.

Ado Epiſcopus Viennenſis in Chron. Anno Domini. 379. hæc inſerit de S. Iuſto.

SEd & Lugdunenſis Epiſcopus Iuſtus miræ ſanctitatis vir, qui poſtmodum relicta ſede ſui Epiſcopatus, inter ſanctiſſimos patres auctoritas, mira humilitate latens moritur in Aegypto: cuius oſſa pio amore ſolliciti Lugdunenſes ad vrbem ſuam reportant. Oſſa quoque viatoris ſanctiſſimi comminiſtri ipſius. Conſtat autem hunc bene venerabilem Epiſcopum Iuſtum ſub Paſcaſio Viennenſi Epiſcopo nutritum Claudij eiuſdem vrbis Epiſcopi Diaconum poſtmodum ad ſanctam Lugdunenſem Eccleſiam regendam tranſlatum. Hæc ille. *Ann. D. 379.*

Petrus in cathalogo libr. 9. cap. 66.

IVſtus Epiſcopus Lugdunenſis inſigni ſanctitate refulſit qui Epiſcopatu relicto cum viatore Lectore eius Miniſtro ad Eremum Egypti ſe contulit: vbi multo tempore Angelicam vitam duxit: Ad hunc reuiſendum Antiochus Epiſcopus, vir ſanctus, eiúſque in Epiſcopatu ſucceſſor ad Eremum acceſſit: & ab eo ſanctitatis perſpicuæ exempla reportauit, de quo dicetur infra in eius geſtis, idibus Nouembris. Sanctus autem Iuſtus in pace quieuit pridie idus Octobris. Quem dum morientem miniſter eius defleret, eò quod ſe deſereret, ille prophetico ſpiritu eundem hortans prædixit quod ſe citò ſecuturus eſſet. Quod rei per effectum probauit euentus: nam viator poſt dies ſeptem ad patriam ſecutus eſt, videlicet duodecimo Kalend. Nouembris.

Iacobus Seuertius in Chronologia hiſtorica de ſucceſſione Antiſtitum Lugdunenſium *numero, tertio decimo.*

SAnctus Iuſtus vir ſummæ humilitatis ac miræ ſanctitatis, floruit ſub anno trecenteſimo ſeptuageſimo nono, ex Adone viennenſi: & prophetico ſpiritu donatus, ex Beda in Martyrologio, quarto Nonas Septembris comparuit vocatus ad concilium Aquileienſe: illicque dictus eſt, Gallorum legatus, velut agnitus excellens præ cæteris Epiſcopis, & primus Galliæ vniuerſæ, aut ad minus Celticæ, anno quintodecimo Imperij Gratiani, quintodecimo Pontificatus Damaſi, & trecenteſimo octuageſimo primo noſtræ ſalutis ex Democharе, Baronio, & aliis. Tandem in Aegypti Eremum ſeceſſit, & ibidem migrauit ad Dominum pridie idus octobris, ex iiſdem auctoribus, & Surio, atque Haræo. Quo de tranſitu ad Heremi ſolitudinem Calendarium Lugdunenſe, eo die memoriam recolit, ipſiúſque recordatur Beda ſeorſum: Eiuſdem verò ſancti Confeſſoris natale habetur quarto Nonas ſeptembris ex martyrologiis Bedæ & Vſuardi præter breuiarium Lugdunenſe. Ad extremum cultus & officium tranſlationis Reliquiarum verius quam aduentus ſeu reditus perſonæ viuentis aut obeuntis Lugduni celebratur pridiè Nonas Auguſti, ex eodem Beda, & breuiario, tacente Vſuardo vel ipſis Nonis, Ex petro de Natalibus. De qua oſſium aſperſione alia idem Petrus de Natalibus libr. 9. capit. 66. Præter quam Ado. Et hæ quidem ſacri corporis reliquiæ tum repoſitæ ſunt in baſilica ſeptem Machabæorum, quarto Calendas Septembris, ex ipſo Petro. Quæ Baſilica poſtmodum dicata eſt ſub vocabulo ſancti Iuſti, ex prædictis Beda & Petro. Dum nonnulli prælibatam Synodum Aquileienſem perrexiſſe notant ſub anno trecenteſimo

Sexta ætatis an. 379.

In catal. Concil. tom. 2. ca. 32.

Tom. 3. ſub eodem anno.

Lib. 7. c. 26.

Apud Baron.

In Chron. lib. 3. octuageſimo ſecundo, ſanè Genebrardus eandem ſtatuit ſub anno ſequenti trecenteſimo octuageſimo tertio, & ipſe vna cum tomo primo Conciliorum ſcribit hanc exſtitiſſe prouincialem ſolum aduerſus Bedam ac reliquos qui ipſam dicunt œcumenicam. In ea verò cum adeſſent triginta tres patres Diuus Ambroſius Mediolanenſis Archiepiſcopus illic ſedit ordine ſecundus, & ſanctus Iuſtus legatus Gallorum vigeſimus ſecundus, ex ipſo tomo & Demochare citatis. Cuius Iuſti quanquam ſemel meminerit Martyrologium Baronianum, vſuardi, quarto Nonas Septembris, eius tamen ter recordatur Martyrologium Bedæ ex allegatis:* ſanctus Antiochus qui antea presbyter Lugdunenſis & poſt ſucceſſor in ſede, pio incitatus officio ad viſendum ſanctum Iuſtum eius Epiſcopum in Aegypti eremo morantem, nomine & actione verè iuſtum, peregré profectus eſt, ex Petro de Natalibus. Siue eum adhuc viuum reperit, idem Antiochus veluti ſubobſcurè videntur innuere Surius, & Heræus, ſiue iam mortuum, vnde ipſius reliquias Lugdunum tranſtulerit, vt apertè affirmat Paradinus, vt dictum eſt ſupra.

383.

**Ex. num. 16*

Lib. 9. c. 68.

Tom. 5. Invita ſancto rum Epiſcop. Equilinenſ.

Annotatio Vinc. Saler.

Hunc beatiſſimum Archipræſulem Lugdunenſem Iuſtum aliquando monachiſmum, ſeu Eremiticam vitam in illa Inſulæ Lerinenſis ſacroſancta palæſtra, ſub ipſius principiis ſanctiſſimi patris noſtri Honorati egiſſe, etſi ex actuum præfatorum ſerie liquidò non conſtet, tamen Lerinenſes diuerſorum Codicum antiquorum Manuſcriptorum tabulæ adiunctis modernarum impreſſionibus conſtanter ipſum ſanctum Iuſtum & monachum Lerinenſem Lugdunenſiumque Archiepiſcopum prædicant: quibus adſtipulatur, ſequentia, ſeu proſa quæ habetur ſupra in ſancti Honorati feſto 16. Ianuarij, quæ incipit lætus chorus Lerinenſis cani ſolita antiquitus in omnium ſanctorum incolarum Lerinenſium feſtiuitate, in qua ſic habetur.

Genebr. in ep. vitæ S. Hono. Epiſc. Arel. edict. Pariſ.

Vincentius ſanctonenſis,
Lupuſq; Trecenſis.
Atque Iuſtus Lugdunenſis
Fuerunt Antiſtites.

Scilicet ex ſacro alueario Lerinico adſumpti Adnotatur tamen in vetuſti Calendario breuiarij Secundum vſum ſacri monaſterij Lerinenſis olim compoſiti quarto Nonas Septembris, ſub nota trium lectionum, ſicut & ſanctus Eucherius Archiepiſcopus Lugdunenſis, & monachus Lerinenſis, veluti etiam aliqui alij qui verè fuere alumni Lerinenſes, & tamen ex geſtis eorum omnino non liquet, vti de iam dicto ſancto Eucherio Archiepiſcopo, tum Saluiano Epiſcopo Maſſilienſi & monacho Lerinenſi, & ſancto Columbano Abbate Bobienſi, & de reliquis quorum hic geſta habentur; quos tamen ex præfactis antiquis monumentis, & tabulis, Lerinenſis ſtadij curſum cucurriſſe fateri tenemur, ne quadam animi inconſtantia antiquitati detrahere videamur: ſint hæc itaque ſatis, ſupra hæc quæ in eius vitæ hiſtoria habentur de monachiſmo ſancti noſtri Iuſti Epiſcopi Lugdunenſis, dicta donec clarior nobis eluceſcat dies, de ipſo & reliquis ſanctis eorum interuentu.

Vita

Vita & res geſtæ Sancti Agricoli Epiſcopi Auenionenſis, & Monachi Lerinenſis ex antiquiſſimo manuſcripto Lerinenſis & Auenionenſis Eccleſiæ.

Quo tempore clarius infra patebit.

DIuus Agricolus circa annum Dominicæ incarnationis ſexcenteſimum ſupra trigeſimum, Honorio ſummo Pontifice, & Clotario in Gallia regnante, ex illuſtri Albienſium familia Auenione natus eſt Patre beato Magno, qui huius ciuitatis Epiſcopatum poſtea ſortitus eſt. Matre Gandaltruda, ſiue Auſtadiala, Auo verò Albino Magnate. Inſignes illi quidem & ea quæ ſecundū carnen eſt, inter reliquos Prouinciæ proceres, generis claritate, & nobilitate conſpicui: ſed ea quæ ſecundum Deum eſt vera gloria virtute, fide, ac pietate longè illuſtriores. Sub talium igitur parentum cura Agricolus educatus, tantæ virtutis ſpecimen dabat, vt integritatis, ac innocentiæ ſplendor & maior quædam in illis teneris annis, ad virtutem indoles elucentes, ſignificabant quantæ ſanctitatis futura eſſet maturitas. Florebat tempeſtate celebre illud Lerinenſe Cœnobium ſancti Honorati nuncupatum, in Inſula maris Gallici prope Antipolim, in quod Adoleſcentes Nobiles tanquam ad celeberrimum quoddam litterarum & virtutis emporium confugiebant: vt ætas puerilis ad virtutem, honeſtatémque informati breui virtutibus digni eſſent adoleſcentes qui honoris & dignitatis nomen poſſent ſuſtinere. Ibi Deo militauerunt Honoratus, & Cæſarius Arelatenſes, Germanus Pariſienſis, Eucherius, & Iuſtus Lugdunenſis, & Siffredus Carpentoractenſis Epiſcopi. Eò etiam ſe recipit beatus Adoleſcens, ſpretiſque carnis illecebris, & labentis ſæculi oblectamentis, decimum quartum annum agens ſe totum Patribus commiſit, ac omnes animi motus, omnemque ingenij cogitationem in ſtudiis ſcientiæ, & virtutis locauit atque fixit. Vix Adoleſcentiam ingreſſus, iam ex virtutum omnium religioſæque vitæ fragrantia, Monaſterium, Inſulámque repleuerat, vt in omnium oculis eſſet in omnium ore verſaretur, amaretur ab omnibus, cùm ſolus ipſe ſibi diſpliceret. Elucebat in eo Angelicus quidam nitor, effuſa in omnes Charitas, ſingularis modeſtia, rerum omnium, ſuique contemplatio, atque inter omnia incredibilis in Deum amor, cuius Charitate ſuccenſus ardentiori in dies Chriſtianæ perfectionis fluenta ſitiebat. Annos ſedecim in Monaſterio Lerinenſi ſumma morum integritate, vitæque ſanctitate tranſegerat, proprij cordis agrum ſtrenuus Agricola perpetuo excolens, cum diuinis iam atque humanis aprimè imbutus diſciplinis, mandato ſuperioris ſacris ordinibus ritè, & gradatim non aſſumens ſibi honorem, ſed vocatus à Deo tanquam Aaron iuſſus eſt initiari. Paulatimque cùm eſſet Archidiaconatus officium obire coactus, nardus tantæ ſanctitatis odorem dedit, vt iam vulgò haberetur, non qui oculus tantum eſſet Epiſcopi, ſed qui Epiſcopatu ipſo fungeretur. Beatus Magnus Agricoli ſecundum carnem Pater Auenionenſem tunc excolebat Eccleſiam, magna laude, magnáque opinione ſanctitatis. Is ſenio confectus, non ſe paſcendo gregi dominico, iam imparem agnoſceret, de ſucceſſore (quod olim ſanctus fecerat Auguſtinus) cœpit attentius cogitare. Aduocantur primores vrbis vna cum Clero, ſuum ipſius deſiderium venerandus Præſul aperit, cupere ſe ſarcinam humeris Angelicis formidabilem, effæto iam corpore, ætate languente, viribus delabentibus, flaccentibuſq; deponere: eligant vna cum reliquo populo quemcumque aptiorem in domino iudicauerint ſibi ſucceſſorem. Nec mora Agricolus, omniū ore, omniū votis expe-

Die 2. Septēb.

Patria & parentes S. Agricoli.

Floret Monaſterium Lerinenſe.

S. Agricolus petit Lerinū.

Claret virtutibus.

Suſcipit ordines ſacros.

Magnus agricoli pater Epiſcopus Auenionen.

Expetitur S. Agricolus Epiſcopus Auenionen.

titur. Dagobertus ipſe qui Clotario patri in Regni adminiſtratione ſucceſſe-
650. rat tan taviri fama increbreſcentem,id habet acceptum.Itaque anno domini ſexcenteſimo quinquageſimo inchoante,defuncto interea Dagoberto,atque regnante Clodoueo ſecundo , ſancto Patri , ſanctus filius : Beato Magno, Beatus Agricolus in Epiſcopali ſede ſucceſſor communi omnium calculo declaratur. Vidit beatus Magnus ſuam ſponſam filio deſponſatam , vidit & ſuam viuam imaginem in ſua ſede collocatam , vidit gregem ſuum mutaſſe hominem, nec tamen mutaſſe paſtorem : quicquid enim ſanctus ſenex in ſe optaſſet , hoc in Agricolo filio emicare videbat. Quare ſtatuit eidem Eccleſiæ ſua omnia elargiri , cui ſe filiumque deuouerat , prædia poſſeſſiones & fœuda , quæ illi ſuperant in ſæculo , templo beatiſſimæ virginis Deiparæ liberali donatione , teſtamento concepto conſecrauit. Quibus peractis,non multo interiecto tempore , matura Deo , & mundo beata illa anima miſeræ iſtius vitæ vinculis exoluta , relictiſque Auenionenſibus , tum ſuarum virtutum , tum bonorum omnium , tum ſuæ ſanctiſſimæ prolis hæredibus , ad cœleſtæ præmium , decimo quarto calendas ſeptembris euolauit. In Beatum igitur Agricolum Paſtorali cura tranſmiſſa,mirum ac venturis ſæculis imitandum exemplum , quo ſtudio , qua vigilantia in id incubuerit verus Agricola , vt ex agro Dominico vepres vitiorum , atque errorum dumeta diuelleret : néue inimicus homo in tritico lolium adulterinum inſereret. Ex quo breui factum eſt , vt agnoſcente fidelium numero , vnica iam non poſſet omnes capere Baſilica , quam ob rem pius Pontifex propriis ſumptibus , aliam intra muros iuſſit ædificari Eccleſiam paræcialem , quaſi munitiſſimam turrim in medio vineæ,ad quam egregios operarios monachos non paucos , ex Cœnobio Lerinenſi , vbi prima ſuæ perfectionis iecerat fundamenta curauit acciri,quod ex regulari ordine ſuauiſſimum quendã fructum voluptatis acciperet , quibus, & Abbatem præfecit, & prædia liberaliter aſſignauit. Inſuper conceſſo quartarum priuilegio , vt nihil deeſſet ſeruis Dei neceſſarium , quod ex annuis redditibus ad illos facilè non per-
650. ueniret. Peracta ſunt hæc Theodorici Regis tempore , Sergeo ſummo Pontifice , circa annum domini ſexenteſimum nonageſimum. Exegerat Beatus Agricolus duos circiter,& triginta annos in Epiſcopali cura , ætatis verò ſuæ duos & ſexaginta,ingenti Chriſtianæ plebis fructu , & incremento , cum in futurum præcauens ſanctus Antiſtes de poſtrema die , patris Magni exemplo cœpit impenſius cogitare. Ac primum rogauit Abbatem Monaſterij, quod extruxerat , vt ſe in hac vita digreſſum , & viam patrum ingreſſum, orationum , ſacrificiorum precioſiſſimi corporis , & ſanguinis Domini, quæ Deo libantur quotidie participem faceret. Iuſſit præterea in ſua Eccleſia Epiſcopali , datis in eum finem prouentibus annuis quotidie pro anima ſua Auguſtiſſimum miſſæ ſacrificium ſolemni ritu decantari. Atque & iam voluit horas canonicas , & diuina , officia myſteria deinceps in eadem Eccleſia , eodem modo quo ſolerent in monaſteriis alternis videlicet cantibus recitari , nondum enim in his partibus inualuerat ille mos , quem aliquot ante annos Damaſus Pontifex Maximus inuexerat , poſteaque Pipinus Rex , in intimam Galliam, Roma tranſtulit , cum Auenione dudum viguiſſet. Nec verò mirùm Deum voluiſſe illa prærogatiua Eccleſiam Auenionenſem decorare , quo donante , aliquot poſtea ſeculis exactis , Auenione à Ioanne primum Epiſcopo Auenionenſi , tum ſummo Pontifice eius

nominis

S. *Magnus omnia ſua tradit Eccleſiæ.*

Moritur S. Magnus.

Conſtruit Monaſterijs Auenioni & commendat Monachis Lerinenſibus.

Commendat ſe orationibus Monachorũ.

nominis vigeſimo ſecundo & fundatore noſtræ Eccleſiæ, excogitatus & inuentus eſt ſalutaris vſus, Deiparam virginem, ter in die ad tintinabuli ſonitum ſalutandi, quem poſtea morem vniuerſa ſuſcepit Eccleſia. Decennium circiter interea fluxit, quo nunquam deſtitit prudens Paſtor, ad illam ſe horam comparare, in qua beati ſunt ſerui illi quos Dominus inuenit ſic facientes. Mori non timebat, quia bonum nouerat ſe habere Dominum nec viuere curabat, qui cum Chriſto eſſe totis viſceribus concupiſcebat. Itaque expectãs horã in qua terreſtris Domus habitationis huius diſſolueretur, aſſiduè exercebat ſe iis operibus, quibus viam Domino nouerat præparari. Tandemque cum extremum ſibi diem inſtare ſentiret, aduocato clero, coactoque populo, de ſua ex hoc ergaſtulo diſceſſione, cum illis ſermonem habuit, de vitæ huius periculis, de vanitate infeliciſſimi ſæculi, de vitandis peccatis, de fœlicitate ſanctorum, poſtremò de ſucceſſore deligendo illos admonuit, cooptauitque in ſuum locum ſanctum Veredemum qui propè vrbem in heremo vitam Angelicam claramque miraculis agitabat. Sciebat enim prudens Paſtor, nihil eſſe morte certius, nihil incertius tempore ipſo moriendi. Quare creber in oratione peruigilabat, corpus ieiuniis macerabat, totus in rerum cœleſtiũ contemplationem diffundebatur, atque animũ diurnis variiſq; curis diſtractũ, nocturna meditatione collectũ refouebat. O Præſulẽ omni veneratione digniſſimum, qui vtramque vitam ita complexus eſt, vt nunquam à diuinarum rerum contemplatione negotium, aut à negotiis contemplatio læderetur. Nam quanto magis honorificentia celebratur, tanto ſummiſſius de ſe exiſtimabat, ac ſuperbiæ patriæ accenſus deſiderio, magis cœleſtis, quã terrenæ patriæ manſionem appetebat. Hæc ſunt Chariſſimi omni veneratione percolanda, hæc toto animi affectu, non ſolum retinenda, verum etiam imitanda. Sanctorum, igitur operum plenus Diuus Agricolus, condito teſtamento ſanctiſſimam virginem omnium bonorum ſuorum in ſua æde reliquit hęredem. Seruos quibus de more vtebatur manumitti mandauit, plena libertate donari, atque eum maximè qui mẽſæ Epiſcopali adminiſtrabat: nec multo poſt venerabilis ſenex ſenſit aduentantem Dominum in cuius beneplacito conquieſcens, ſumma animi corporiſque quiete dormienti ſimilis, & placido veluti ſomno ſoporatus, animam reddidit creatori, quæ carnis compage ſoluta, haud dubiè in æternæ claritatis abyſſum abſorta eſt, & ſempiternæ beatitudinis gaudia penetrauit, quarto nonas Septembris, anno Domini ſeptingenteſimo, exeunte ætatis ſuæ ſeptuageſimo, initi Pontificatus quadrageſimo, Childeberto ſecundo Francorum Rege, Sergio ſummo Pontifice. Qui tunc ſenſus animorum, qui motus extiterint? qui populi aduentantis concurſus? quæ lachrimæ? quæ ſuſpiria? nouit qui piarum affectionũ omnium auctor eſt, & parens Deus. O diem illum tibi Præſul ſanctiſſime ſanctiſſimum, ſed non minus triſtem, & acerbum tuis, quam lætum & iucundum tibi. Quantum detrimentum quarto nonas Septembris Auenio, quantam illo die iacturam ciuitas feciſti? Periit Auenicæ ciuitatis columen, periit qui periclitantibus ſalutem, calamitoſis opem, laborantibus præbebat quietem. Quare parantur exequiæ deducitur ſacrum pignus ad ædem Deiparæ virginis, effunditur ciuitas in Baſilicam, omnis ætas, ſexus omnis, flebili lamentatione parenti optimo duci, atque æternæ ſalutis auſpici Agricolo nititur parentare, atque ei publicè ſupplicare. Tandẽ frequentiſſimo conuentu maxima cum pompa, & veneratione, corpus ſanctiſſimum ad ſepulchrum delatum fuit, & ſicut ante migrationem è corpore obnixè petierat, in facel-

Quotidie præparat ſe ad exitum vitæ.

In extremis concionatur clericis & Laicis.

Declarat ſucceſſorem.

Condit teſtamentũ hæredemq; conſtituit Eccleſiã.

Excedit è vita.

700.

Sepultura mãdatur in Eccleſia S. Petri.

lo ſancti Petri, eo in loco qui nunc capella Roſarij nuncupatur ad templum diuæ Mariæ de Dominis, vbi cratis ferrea quæ nunc inuiſitur cum inſcriptione eiuſdem honorificè conditum eſt. Huius ergo Diui Agricoli cuius patrocinio res noſtræ nituntur imitatores ſimus ac æmuli, huius ſanctimoniam ſectemur & quam pietatem ſin minus imitatione conſequi poſſumus, ſtudio & labore certè ad eam proximè accedamus. Quare mirum non eſt quanta fuerit erga hunc Diuum Agricolum huius populi olim ſanctimonia, cum tot tantaque in his partibus extarent eius nomini dicata ſacella. Extat ſacellum quoddã propè Rupem Mauram huic Diuo Agricolo dicatum, ad quod ſingulis diebus Sabbati confluit magna multitudo populi, qui ab omni morborum genere, atque ab inſidentium dæmonum agitatione, precibus meritiſque Sancti Agricoli liberentur, quæ quidem res quotidiano miraculo cõprobantur, & Reuerendiſſimi Archiepiſcopi viſitationis acta publica, autenticè teſtantur. Exinde factum eſt, ſumma populi pietate in Beatum, Agricolum ſoboleſcente Eccleſia, quam intra vrbis mœnia, ſuis ſumptibus exigendam curauerat, eius nomini conſecraretur, & haberetur in poſterum, prima inſignis Parræcia, nomine ſancti Agricoli tutelaris ornata. Cui Ioannes vigeſimus ſecundus, ſummus Chriſti Vicarius, annuos prouentus aſſignauit, anno Domini, milleſimo tricenteſimo vigeſimo primo. Neque tamen iacuit ibi obrutus Auenionenſis Theſaurus, nec lapis qui operuit Agricolum, ſpem pauperum, præſidium inopum, perfugium miſerorum, ſolatiumque contexit. Sed noua ſemper in dies ciuitas accipit incrementa, cum illius ope, & auxilio ſemper conſeruetur. Norunt huius ciuitatis ciues quoties cum periclitarentur, & magnis vndique circumſepti eſſent calamitatibus erexerit, arcẽdo quidem hoſtes crudeliſſimos, atque potentiſſimos ab huius vrbis mœnibus. Norunt Ciues quoties Diuus Agricolus ab imminenti clade ſuos deffenderit. Norunt quoties tela intenta iugulis ciuitatis extorſerit. Norunt quoties iam faces accenſas ad huius vrbis incendium protulerit, comprehenderit, extinxerit. Senſere ciues eius auxilium, cum perniciosa quædam lues graſſaretur, qua cum cædem ciuibus, interitum patriæ, inſidias vrbi molirentur hoſtes, vt à quibus non poterat eſſe tuta ciuitas propter nimiam peſtis graſſationem, ignibus tuti eſſe cœpere ciues. Multa in poſterum liberalitas pontificia huic loco contulit, ad maius obſequium, maioremque gloriam diuinæ Maieſtatis. Atque ante omnia cum ſacroſanctæ reliquiæ ſancti Agricoli, eiuſque glorioſiſſimi patris magni, in Cathedrali Deiparæ templo colerentur, facta Pontificis iuſſu ſolemnis lypſanorum permutatio eſt. Annoque eodem trãſlata ab æde ſancti Agricoli ad Cathedralem oſſa Sanctorum Donati, maximi & Veredemi Epiſcopi Auenionenſis viciſſimque à Cathedrali, ad Diui Agricoli, corpora ſanctorum magni patentis eiuſque beatiſſimæ prolis deportata, & ſumma omnium ordinum veneratione recondita in arcula lignea inaurata, vbi aliquot annos honorificentiſſimè aſſeruata, tandem ad annum Chriſti milleſimum quadringenteſimum quinquageſimum octauum, Die ſeptima menſis Septembris, per Pontium Epiſcopum Vaſionenſem Vicarium generalem, iuſſu Alæni Cardinalis vltimi Auenionenſis Epiſcopi ſub maiori altari decenter appoſita, inibi maxima omnium ciuium religione, in dies frequentata, haud vulgaria identidem beneficia populo largiuntur, cum nunquam deprecantibus abfuerit, nec ritè petentibus aliquid, vnquam deuexauerit. Nam illis calamitoſis temporibus, ſæpè ſæpius cœleſtis fax viſa eſt, quæ circum vrbis mœnia errabat, vt ſceleratos ciuitatis hoſtes, ab impugnanda

Auenionenſis deuoti S. Agricoli.

Multa fiunt miracula in Eccleſia ſuo nomine dicata.

Corpora S. Magni & Agricoli tranſferuntur.

S. Agricolus liberat Patriam

gnanda patria,illis facibus deterreret. Quod quidem miraculum,licet de illo nulla monimenta fidem faciant,tamẽ huic Diuo Agricolo,tota Ciuitas adſcripſit.Cui enim frugum,fructumque reliquorum perceptio, & conſeruatio debetur. Cui glorioſam Caroli III. victoriam contra Albigenſium impetum propulſandum,populus detulit?Cui ſalubritas ciuitatis, aëris moderatio adſcribetur? niſi huic Diuo Agricolo, cui non ſolum omnia præclara facinora, mandare debemus, verum etiam ſumma cum gloria prædicare. Verum enimuerò quis non credet nos in cœlis habere interceſſorem, quem in terris habuimus Patronum. Eſt experta ſæpius Ciuitas eum viuere in cœlis quem vitæ & ſalutis æternæ olim moderatorem habebat, & venerabatur in terris. Huius auxilium ſenſerunt, qui febri æſtuque iactabantur, qui à dæmonibus vexabãtur:aliique quam plurimi,qui ab extremis mundi partibus,ad eius ſepulchrum, tanquam ad portum tutiſſimum confugiebant.Quocirca hinc factum eſt, vt augeſcente in beatum Agricolũ populi pietate,baſilica ſit in eius honorem ſummo ſtudio conſtructa,atque conſecrata, Quare tanta cum animi propenſione populus proſequutus eſt,vt eum in patronum optimum, & protectorem ciuitas elegerit. Tacebóne quoties cum terra eſſet aridiſſima, atque ſiccatiſſima. Cum in ſupplicatione ſolemni ſanctiſſimum illius caput efferretur maximi imbres è cœlo demiſſi ſunt, & redditæ ſunt vberiores ſegetes.Tacebóne illud præclarè factum poſteritati planè memorandum,quod actum fuit Anno Domini milleſimo quadringenteſimo octuageſimo (vt illius rei monimenta multis teſtibus conſignata teſtantur) Pontificatus verò ſanctiſſimi in Chriſto patris Sixti,diuina prouidentia Papæ quarti,anno Decimo, lite mota & conteſtata inter capitulum inſignis Eccleſiæ ſancti Agricoli ex vna parte,ac Dominos conſules eiuſdem ciuitatis ex altera ſuper quibuſdam territoriis,prædiis ac poſſeſſionibus exiſtentibus in territorio Auenionenſi antiquitus dicto de Camino, nunc de Caſſaneis, die octaua menſis Iulij, cum ad locum contentioſum veniſſent Vicarius vrbis,Conſules, curia ſancti Petri, Officiales, capitulum prædictum, atque alij quam plurimi viri ſpectatæ fidei, Ecce duas Ciconias, quæ territorium adiere, atque huc, illuc volitantes, locum vbi agrorum termini occludebantur roſtro patefacere, mox reſeratis defoſſes inuenire.Quare acclamantibus omnibus eo prodigio, ciuitas intellexit, quo ſtudio Diuus Agricolus animas ſibi creditas è cœlo tueatur,qui de temporibus ſuæ Eccleſiæ bonis fuerit ita ſollicitus, qui quod ſuum erat apertè declaraſſet.Ingruit aliquando tanta Ciconiarum tempeſtas, vt ciuitatem Auenionenſem magnis incommodis opprimeret, vaſtabant agros Ciconiæ,vrbem peſtiferis ſerpentibus quibus veſcebantur inficiebant: quod cum ſerperet infinitum malum propter tantam Ciconiarum vaſtitatẽ, maneretque in dies latius attoniti cœperunt omnes ciues hærere atque quid conſilij capiendum, eſſet ignorare, quod cum vidiſſet Diuus Agricolus, vt hanc ciuitatem cui maxima impendebant pericula liberaret, atque ab imminenti illarum auium clade vindicaret, anathemate Ciconiarum illud agmen infeſtiſſimũ expulit.Hinc factum eſt,vt in huius rei recordatione, Ciconiam pro inſignibus huic diuo Agricolo populus detulerit.Vnde porrò factum arbitramini,cum vniuerſa Gallia bellorum ciuilium incendio conflagrãte, hęreticiſque impunè omni barbarie immanitateque graſſantibus, omnes penè Ciuitates Regni,vel hęretici Lue inficerentur,vel occuparentur à ſacrilegis, templa Deo dicata euerterentur,violarentur ſacra omnia, atque in miſerandam redigerentur ſolitudinem, ſola Ciuitas Auenionenſis incolumis, & ab

Conſtruitur Eccleſia eius nomini.

Varia miracula poſt mortem operatur.

Ciconia opprimentes ciuitatẽ Auenionen. profligantur.

Interuentus S. Agricoli, Auenio liberatur ab hæreticis.

omni contagione prauitatis hæreticæ, vna propemodum inter omnes incta-
ta permanſerit : ſenſit patrocinium ſanctorum tutelarium afflictiſſima Ciui-
tas, ſanctiq́ue imprimis Agricoli patroni ſui neque enim aut ſilere debemus,
aut obliuiſci poſſumus quæ hoc calamitoſo ſæculo vidimus ipſi, & quæ vni-
uerſa Gallia, vnius ferè vrbis fœlicitatem, integritatemq́ue mirata conſpe-
xit. Siquidem anno ſalutis 1573. die decima atque vndecima menſis Iulij
in inſula cómitatus venenteſſini, aliiſque in locis quam plurimis, ſangui-
neæ pluuiæ deciderunt, quæ nos cladium imminentium admonerent. An-
no verò ſequenti ſeptuageſimo quarto, cum iam periculoſiſſimas conſpira-
tiones ciuitas euaſiſſet impunè : Iamq́ue aliam atrociſſimam omnium
proditionem machinarentur hæretici, viſa fuit fax ſplendidiſſima ad muros
Auenionenſes, quæ totam vrbem circuibat, militibus, ciuibuſq́ue primariis
permultis, qui tum in vigilia verſabantur videntibus, mirant buſq́ue : & qui
viderunt pleriq́ue viuunt adhuc. De quo prodigio, & ſi aliud certum non
habemus niſi portendiſſe conſpirationem quæ paulo poſt nouo miraculo
inopinatorum imbrium, inuſitata inundatione decidentium, detecta, & clau-
ſa fuit, cum iam pleriq́ue armati in domibus intra vrbem conſpirati, alij ex-
tra muros comparati, ad portam penè vrbis adſtarent, piè tamen arbitramur,
eaq́ue vox eſt omnium illa communis fuiſſe ſanctorum tutelarium vrbis,
ſanctiq́ue potiſſimùm Agricoli opportunè iudicium, diuina clementia ſui
famuli precibus meritiſq́ue fidelium ciuium ſaluti & commodis inuigilante.
Quæ nobis ergo ſpes eſſe debet, quæve fiducia dilectiſſimi fore vt ſanctus
Peroratio ad Auenionẽſes. Agricolus, hanc vrbem ſibi creditam tueatur & defendat. O Auenio felici-
ſima, ô vrbs fortunatiſſima, quæ talem præſidem, ac Protectorem habere
meruiſti, & quæ tantis ſeditionum ſcopulis illius ope, & auxilio ſis conſerua-
ta. Agite nunc fratres, tanti Patris ſectemur ad immortalem gloriam im-
preſſa veſtigia: tunc enim nos germanos filios complectetur, cum virtutum
ſuarum delineatam in nobis imaginem recognoſcet, nunquam adfuit inuo-
catus, nunquam abſurduit imploratus, vt impetremus eius orationis ſuffra-
gium, ne deſeramus conuerſationis exemplum: nemo ipſum ſequens aberrat,
ipſum rogans non deſperet, ipſum cogitans non formidet, ipſo tenente non
corruit, ipſo protegente non metuit, ipſo ſequentes non ſuccumbat. O Paſtor
huius gregis ſanctiſſimè, qui iam in mõtibus Iſraël, in paſcuis vberrimis paſ-
ceris, ſis memor ouium tuarum, quæ errant in conuallibus vbi mundi tempe-
ſtatibus & procellis iactãtur. Hic ille eſt dilectiſſimi fratrum amator, hic qui
multũ orat pro populo ſuo, & vniuerſa Ciuitate ſua peculari ſibi patrocinio
commendata, qui nos in iſtius vitæ agone fideliter decertantes, ſecum in tre-
mendo mortis articulo, deducet in cœlum triumphantes præſtante Domino
noſtro Ieſu Chriſto, à quo omne datum optimũ & omne donum perfectum,
qui ſemper eſt glorioſus in ſanctis ſuis, cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcu-
la ſæculorum. Amen.

Annotatio Vinc. Saler.

CORpora Sanctiſſimorũ Epiſcoporũ Auenionenſium Magni & Agricoli
Patris & Filij, in duobus Archis plumbeis incluſa vſque ad hæc tẽpora
quatuor vicibus tranſlata leguntur, creſcente ſemper deuotione populi Auc-
nionenſis, quarum duæ primæ habentur ſupra in vitæ hiſtoria. Tertia ve-
rò facta fuit à Reuerendiſſimo Domino Carolo Contamiſſa Epiſcopo
Carrotenſi & Vicelegato Apoſtolico quarto Idus Auguſti anno trigeſimo
nono ſupra milleſimum quingenteſimum, & collocata in Eccleſia ſuo no-
mine

mine dicata ſub maiori altare in præfatis Archis plumbeis exiſtentia. Præſenti verò anno duodecimo ſupra milleſimum ſexcenteſimum cupiente capitulo Canonicorum præfatæ Eccleſiæ parrochialis ampliare Chorum & magnificare altare maius & in omnibus pro poſſe (maxima ad hæc pulſi deuotione) ornare Eccleſiam facta eſt tranſlatio à Reuerend. Domino Stephano Dulci Archiepiſcopo Auenionenſi octauo Calendas maij, & in nouo altari quam honorifice collocata. At non his contenta ſancta Auenionenſium Religio præfatas archas plumbeas in quibus ſacra pignora incluſa aceruantur in nouas Archas argenteas, ſumptu maximo ac ſplendidiſſimè elaboratas includere laborat, vt ipſi vidimus & relatu Canonicorum, præcipuéque Reuerendi domini Iacobi Melani viri ſolertis & actiui percepimus. Quibus bene precamur. Porrò ſanctus Agricolus naſcitur Auenioni, anno Domini 630. Anno verò ætatis ſuæ quartodecimo, Domini verò 644. fit monachus in Inſula Lerinenſi, in quo permanſit per ſexdecim annos & aſſumptus eſt ad ſedem Epiſcopalem Auenionenſem anno ætatis ſuæ trigeſimo, Domini verò 660. Rexit itaque Epiſcopatum annis quadraginta & moritur anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo, Domini verò 700.

VITA ET INCLYTA MARTYRII BELLA rubentis atlhetæ Chriſti, Aygulphi Archimandritæ Lerinenſis, & ſociorum eius Monachorum ex variis manuſcriptis perantiquiſque codicibus dicti cœnobij compilata triumpharunt anno ſalutis ſexcenteſimo ſexageſimo.

PROOEMIVM.

Sept. 3.

SI deuotè & attentè animaduertimus fratres chariſſimi, cùm fidelium geſta in Eccleſiis recitantur, perſpicuum eſt, martyres dici, non ſolum qui pro Chriſti fide certauerunt, ſed eos etiam qui pro conſtantia Iuſtitiæ & veritatis (quæ Deus eſt) ſanguinem ſuum fuderunt ſicut prophetas in veteri teſtamento feciſſe didicimus qui (vt Apoſtolus inquit) Ludibria & verbera experti ſunt: inſuper, & vincula & carceres lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt. *In nouo etiam quamplurimos legimus variis ſuppliciis affectos non tantum ob fidei confeſſionem quam amore iuſtitiæ & veritatis ſicut de beatiſſimo Baptiſta Ioanne: quo inter natos mulierum nemo maior ſurrexit manifeſtum eſt quem propter iuſtitiam & veritatem ab Herode crudeliſſimo rege capite truncatum ſacra Euangelij narrat hiſtoria:* Herodes enim metuebat Ioannem ſciens eum virum ſanctum & iuſtum cuſtodiebat & audito eo multa faciebat: *Sed quia arguebas eum Ioannes propter fratris vxorem quam duxerat decolatus eſt, vnde etiam fideles ſuos* Dominus alloquitur *dicens, beati qui perſecutionem patiuntur propter Iuſtitiam. Et ne Eccleſiæ ſuæ futuri paſtores inſtante tempore perſecutionis timerent eos ſui exemplo admonet dicens:* Ego ſum paſtor bonus, & paſtor bonus animam ſuam dat pro ouibus ſuis. *fecit quod docuit & formam appoſuit cunctis paſtoribus imitandam quam qui igne charitatis accenſi ſequuti ſunt non timuerunt minas iniquorum hominum nec ſæua lacerantium verba carnificum, ſed alacriter ſemetipſos pro grege ſuo & cuſtodia mandatorum Dei hoſtiam viuam &* Deo placentem *offerentes ſacrificium* Domino *in odorem ſuauitatis ſunt effecti. Vnde meritò ſummis præconiis laudum religioſè ab Eccleſia venerantur: Inter quos numerandus eſt, & debita veneratione pietate colendus, Cœnobij* Lerinenſis *Abbas & Martyr*

Ad Hebr. c. 11

Mar. cap. 6.

Matth. cap. 5.

Ioan. cap. 10.

Aygulphus, qui ſuccenſus charitatis ardore Iuſtitiæ & veritatis amore maluit ſubire mortem quam vitia perpeti, pro Chriſti enim Eccleſia animarum, videlicet ſalutem occubuit dum ſatageret eas de funeſti Tartari faucibus liberaret, cuius memoriam plenam virtutibus & laude dignam prout in quibuſdam geſtis monaſterij Lerinenſis in quo præfuit reperimus pro ſtante Domino narrare incipiemus: permittentes autem quod ſcriptorum eſt Antiquorum prædicare genus & natale ſolum quomodo illuc aduenere, ac demum qualiter proprio effuſo cruore inuictus ad palmam martyrij peruenire proſequemur.

VITÆ HISTORIA.

Cœpit regnare ann. Dom. 631.

TEmpore igitur quo Gallorum populis Dei gratia regnabat Dagobertus, oppidum erat in Gallia Bleſium nomine, cuiuſdam montis Ligeriſque fluminis vicinum, quod vbertatem non paruam ſumptui regio ciuibúſque præſtans amœnitate ſua aeriſque temperie ad commanendum Regem cum optimatibus attrahebat, cuius loci beati Aygulphi Abbatis & Martyris parentes exſtitere, qui licet amplo bonorum ſenſu (quod in mundo pro ſummo familiæ decore habetur) non abundarent: moribus tamen & vitæ ſanctitate excellebant carentes autem per aliqua tempora coniugij ſui fructu Domini exorabant clementiam, quatenus eorum vota dignaretur exaudire & prolem concedere, non ad eorum ſenectæ ſubſidium tantum quam vt diuinis obſequiis manciparent. Quorum Deus pia vota ſuſpiciens filium hunc elegantis formæ largitus eſt, qui poſtmodum vitam cœlibem ducentes hunc ſolum inſtruere ſatagebant, vt bonis apud Deum & homines polleret moribus apparentibus itaque in teneris annis imbuendus litteris, traditus breui tempore in Grammatica, Rhetorica, Dialectica, omniumque ſcientiarum genere ita viguit quod ingenij ſui perſpicacitate parentes ſimul & patriam decoraret, qui dum adoleſcentiæ annos attigiſſet & membra eius luxuria titillaret, hanc mortiferam animæ peſtem ieiuniorum medicamento fugabat. Eccleſiam Dei aſſiduè frequentabat diuinis intentus officiis, vt ſi quando perciperet quo inſtituto vitæ ſuæ curſum dirigeret: Illud tamen propheticum auribus eius inſonuit, *Sacrificium laudis honorificabit me & illic iter quo oſtendam illi ſalutare Dei.* Hoc autem ad ſalutem ſuam perpendens eſſe prouinciatum heremum concupiuit, feciſſétque ſatis ni parentes & tenera ætas obſtitiſſent. Eo námque tempore erat beatæ memoriæ Leodebundus Abbas monaſterij ſancti Aniani, quod in ciuitate Aureliana vario eſt opere conſtructum. Idem venerabilis pater non immemor ſanctitatis illius patris ſanctiſſimi Mauri & bonorum vitæ morum quos in Gallia monachis ſucceſſoribus hæreditario iure dereliquerat, diuino inflammatus ardore ſtudebat, quantum poterat ordinem propagare monaſticum, qui dum pro colligendis animabus idonea loca ſolicitè perquireret, vallem quandam admodum placidam, & lata planicie amœnam aquiſque irriguam reperiens, ad regem Clodoueum Dagoberti Regis filium ſe contulit rogaturus: Magnum, quem Floriacum vicini nuncupabant ad conſtruendum monaſterium largiri dignaretur. Cuius petitioni Rex ſatisfaciens multa etiam donaria ad monaſterium conſtruendum, quod Floriacenſe modo dicitur impertitus eſt. Completo itaque monaſterio vndique ad virum Dei confluebant homines, vt illic Domino militarent, inter quos fuit eximiæ ſanctitatis monachus quidam nomine Mummulus qui humilitate deiectus patientia ſufferens manſuetudine præditus, omnibuſque virtutibus pollens totius in

Patria S. Aygulphi.

Pſal. 49.

Cœpit regnare an. Domin. 646.

ſe congre

in ſe congregationis prouocabat affectum. Quem vir Dei Leodebundus præfati Monaſterij ordinis Abbatem, qui cum cauſaretur tanti ponderis non poſſe ferre onus, eum beati Petri Apoſtoli conſolabatur ſermone dicentis, Chariſſimi, ſubditi eſtote ſenioribus veſtris & iterum humili animi ſub potenti manu Dei in vos exaltet in die viſitationis, & item admonet vt virium noſtrarum imbecillitatem in Deo ponamus, dicens. Proiicite omnem ſolicitudinem veſtram in eum, ipſi enim cura es de vobis. Tali Ergo adhortatione munitus nouus paſtor Mummulus gregem Monachorum ſibi commiſſum in Dei & proximi charitatem conatur accendere & de die in diem religionis feruorem in eorum cordibus innouare. Quorum vitæ ſanctitas adeò vigebat in Floriacenſis Monaſterij nomen flores fructuſque boni odoris per totam Galliam ſpargere. Quod audiens beatus Aygulphus orbatus parentibus quo liberiùs euaderet (optabat enim ſæculi nexibus abſolutus pro Chriſto militare) omnia quæ poſſidebat in pauperum ſuſtentationem largitus eſt, & ſic nudus viam crucis ingreditur, & quod mente iam tractauerat opere impleuit, quem venerabilis pater ſuſcipiens eiuſque animi votum cognoſcens intra Cœnobij clauſtra perduxit, taliſque exordio affatus: Eſt tibi ô fili neceſſarium propriis abrenunciare deſideriis ne valeas cum cæteris fratribus domini adimplere præceptum dicentis. *Qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam & ſequatur me*, & illud *qui non renunciauerit omnibus quæ poſſidet non poteſt meus eſſe diſcipulus*, in quibus præceptis & lege domini nouus Tyro meditabatur die ac nocte, ita vt in cœnobialis inſtitutionis obſeruatione nulli ſecundus haberetur. Cui etiam imbre tanta ieiuniorum auſteritas, orationum vigiliarumque aſſiduitas, ne illius conuerſatio cunctis miraculo foret. Cuius progreſſum de virtute in virtutem cernens beatus Mummulus immenſas Deo laudes referebat, quod tam dignum in ſuo exordio fundationis Cœnobio Floriacenſi virgultum præparaſſet. Tranſactis poſtmodum aliquot annis cum beati viri Aygulphi nomen & ſanctitatis eius præconium paſſim diffunderetur ille popularis auræ impatiens hominum conſortia euitabat, timebat enim ne Chriſtus merita illius in hoc mundo aſcriberet. Volens autem dominus lucernam non ſub modio, ſed ſuper candelabrum poni dedit fidelem ſeruum ſuper familiam ſuam, vt tribueret ei in tempore tritici menſuram. Nam Monachi ſancti Aniani ciuitatis Aureliæ odore vitæ eius affecti ad eum peruenerunt, poſtulantes vt ſuper eos paſtoris officio per aliquot dies fungi dignaretur, quorum petitioni haud acquieſcens victus tandem obedientia & charitate aſſenſum præbuit. Qui ſuſcepti agens curam regiminis, fratres ſuos ad promerenda æternæ vitæ gaudia monitis & diſciplinis animabat regularibus. Tanta etiam in pauperes affluebat largitate quod cum tantam fermè illam prouinciam valida fames aggreſſa eſſet plurimique hac calamitate deperirent omnibus Eccleſiæ theſauros rebus quoque Monaſterium in opere tam pio iam expenſis, à quotidiana fratrum alimonia (licèt per modica) vix abſtinebat. Cuius munificentia cum ad regis Clodouei aures peruenisſet ne ipſe tantæ auxilium præſtaret calamitati aurum & argentum, quibus rex Dagobertus pater eius Eccleſiam ſancti Dioniſij Martyris prope Pariſios honorificè decorauerat ablatum vna cum muneribus regiis viro Dei largitus es dicens, accipe quæ tibi affero, pater ſancte, ne indigentibus ſicut melius noueris valeas ſubminiſtrare. Multi

Mummulus Abbas Floriacenſis. Petri. 1. ca. 5.

S. Stygulphus fit monachus Floriacenſis.

Matt. ca. 16. Luc. cap. 14.

S. Aygul. præficitur Monaſterio ſancti Aniani.

Aymoinius de geſtis frãc. lib. 4. cap. 41.

quoque viri Curiales hoc pietatis exemplo permoti plurima impertiti ſunt cum verò eius ſanctitatis odor altiora progrederetur Monachi Lerinenſes vitæ illius flagrantia & religionis obſeruantia quæ tunc Galliis agebatur permoti cum communi totius Monaſterij aſſenſu ad beatum virum peruenerunt humillimis precibus rogitantes ne patris officio eis fungi dignaretur & errantes Monachos ſine paſtore doctrina ſua congregaret: Nam etſi illud Lerinenſe Monaſterium multa antiquitus floruit ſanctitate. Ita vt eius magiſterio permulta ſint inſtituta cœnobia: attamen ea tempeſtate malo dæmone illic excitante diſcordiam res eius miſerè vacillabant. Quos beatus Stygulphus placidè ſuſcipiens cognitis vaſtationibus & eorum viuendi moribus, fratres (inquit) melius eſt quod vnum è vobis ſeruorem cuius imperio & auctoritati ſubiiciamini eligatis. Nam mens veſtros mores conuenire perpendo. Erat tunc in Gallia ſicut prædiximus omnis regularis diſciplinæ cuſtodia, quam Maurus beatiſſimus Chriſti famulus cœnobiis derelinquerat. Videntes igitur Lerinenſes fratres beati viri animum ad ſua vota non poſſe inclinare, iterum atque iterum repetentes obnixiùs inſtabant petitioni, ne abſque eo ad ſua triſtes repedarent. Permotus tandem ille precibus & charitate, quin Deus eſt prius à rege præfato, cuius affectu plurimùm erat deuinctus (cuius ſenatus extitit ſententia in hoc) abeundi voluntate permiſſa valè ſuis faciens curialibuſque viris qui eum ob virtutum ſuarum merita diligebant ad cœnobij Lerinenſis fratres inſtituendos iter aggreditur, quos perhumanè in Chriſti amore ſuſcipiens priùs cœpit dirupta renouare habitacula & fratres qui aberant ad monaſterium reuocare qui omnes ab eo benedici gaudebant, plurimi tunc illuſtres genere mundi huius illecebroſa conuerſatione contempta ad eum confluebant, Caſtella, vicos ſimul & prædia ſua largientes ne abruptis ſæculi anexibus Chriſto ſecuriùs deſeruirent. Quibus ille tanquam ſapiens medicus animarum refrigeria miniſtrabat & corpore ſtudens non tantum præſentibus mederi langoribus, quantum etiam futuris obuiare incommodis. Priùs euulſis radicitus priſtinorum malorum ſentibus diuini amoris ſemina & proximi poſt Deum in eorum cordibus omni ſtudio curabat inſerere. Docebat eos præterea mundi huius odire falſam & temporariam dulcedinem iuxta quod beatus Apoſtolus Ioannes, inquit. *Nolite, Chariſſimi, diligere mundum neque ea quæ in mundo ſunt, ſi quis diligit mundum non eſt charitas patris in eo. Quoniam omne quod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt & concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ.* Vnde paucis elapſis diebus congregatio angelicam ducens vitam in terris ita in cœleſtibus diſciplinis viguit ſicut Monaſterium ante floruerat. Cernens itaque pater gregem ſuum quæ retro ſunt obliuiſci & ad æterna totis niſibus anhelaret immenſas Chriſto laudes perſoluebat quorum ſanctum conuerſationem nobilium etiam virgines æmulari cupientes ſanctum virum toto cordis affectu deprecaturæ conuenerunt vt eis Monaſterium in quo Illibatam ſeruare quam celeſti ſponſo deuouerant Virginitatem poſſent deputare, quorum deuotioni annuens beatus Aygulphus cœnobium in loco qui Arlucus dicitur conſtruxit ſeu reparauit propoſuitque eis ſanctimonialem virginem nomine Angariſmam Bleſenſem, quam cum aliis virginibus à Galliis venire iuſſerat. Videns autem humanum ſalutis inimicus domini gloriam ad animarum ſalu-

Suſcipit regẽdo monachos Lerinenſes.

Ioan. 1. cap. 2.

Angariſma fit Abbatiſſa.

rem:

lutem in Inſula Lerinẽſi à qua erectus erat augeri & nequitię ſuę minui fraudes cõtra virum Dei tanquam leo rugiẽs quoſdam velut membra ſua excitauit. Duo namq; monachi in collegio erant Columbus videlicet & Archadius qui vitæ arctioris quæ ducit ad vitam ſemitam ſemper odio habentes carnis illecebroſa per abrupta vitiorum præcipites ſectabantur, quorum proteruam mentem diabolus magis magiſque impellens ad malum eos meminiſſe cogebat præſentis vitæ deliciarum, necnom libertatis quibus antea fruebatur, immittebat etiam ante eorum mentium oculos ſtrictiores vitæ diſciplinam quæ amara valde illis erat lõgas vigilias, ſilentium Inuiolabile quotidianum ieiunium clauſtrum perpetuum voluntatis propriæ abnegationem, alienę ſequelam miniſque cruciabantur prioris ritæ recordationem quam in ſpiritu libertatis commeſſationibus, ebrietatibus, cubilibus & impudicitiis egerant. Quæ omnia ipſis ſub beati patris Aygulphi magiſterio conſtitutis videntes omninò non licere, immò per arctam viam etiam inuitè incedere oportere: Clanculùm à Monaſterio vt praua quæque perpetrarẽt more quo ante beati viri aduentum ſolebant diſceſſerunt. Quibus poſt aliquos dies ad clauſtrum reuerſis ſanctus Pater quem illorum facinora latere non poterant dixit: Nolite dilectiſſimi nolite ſic inſtitutis regularibus aduerſari: nam veſtra conuerſatio hæc non ſpiritus ſed carnis eſt ducens ad interitum teſtante Apoſtolo, *ſi ſecundum carnem vixeritis moriemini*, ſpiritu ergo ambulate & deſideria carnis non perficietis. Quod ſi vultus aſſequi mundum fallacem quem pro dominoſe mel reliquiſtis abominari vos oportet cum oblectationibus ſuis quia omnium eſt ſentinà vitiorum. In mundo hoſtis ille peſtifer dominatur impudentium libidinum qui vniuerſum ferè mundum ſuis mancipauit legibus. Cauete vobis, fratres dilectiſſimi, & dignũ in vobis ſpiritus ſancti præparate habitaculum. *Nam ſi quis templum Dei*, ait Apoſtolus, *quod eſtis vos violauerit diſperdet illum dominus:* Et Dauid *perdes inquit, omnes qui fornicantur abs te.* Illi autem operarij totiùs iniquitatis filij Beliar tam pij patris monitionem velut atri fellis amaritudinem percipientes rixarum fomenta in congregatione ſuſcitabant vt à ſancto propoſito reuocarent, quos pater ſanctus in Dei ſeruitio informabat qui peruerſæ ſuæ voluntatis finem aſſequi cum valentes malorum ſuorum ficta pœnitentia & correctione tradere paſtorem (Iudæ proditoris inſtar) nitebantur vt percuſſo paſtore ſicut ſcriptum eſt diſpergerentur oues gregis. Interea Columbus non columbina ſed coruina & viperea mente paucis ſecum aduinctis coniuratione facta, irruit cum Archadio tumultuoſè in innocentes qui ſancto paſtori adhærebant, vt quem flectere non poterant ſaltem cordis & mentis vexationibus conturbarent. At Innocentes illi pauidi & tremebundi vt iniquorum manus effugerent ad beatiſſimi Baptiſtæ Ioannis oratorium cucurrerunt animas & corpora ſua domino commendantes. Tunc beatus Aygulphus intrepidus & velut columna immobilis, & conſtans acceſſit, & quo malorum vota tenderent ſolerter animaduertẽs non tam præſentibus mederi langoribus vt prudens medicus quam futuris ſtuduit animarum obuiare periculis, qui ſerena facie, hilarique vultu eorum pectoris cupiens ſedare furorem, ne violaretur diſciplina regularis, ait? O dulciſſimi nimiumque amantiſſimi filij vnde hæc tam dira turbatio quę veſtros tam inſanè agitat ſenſus? quænam nebula mentis veſtræ ſerenitatem obnubilauit? quæ tam læthalis peſtis veſtros animos infecit? quid violatis fœdus quod in hac Inſula nos ex diuerſis mundi partibus adunauit? tuum, diabole, tuum eſt hoc malum qui pacis & charitatis Impa-

Duo Pſeudomonachi inſurunt in S. Aygulphum.

Obſeruantia Monachorum Lerinenſium.

Viri doloſi aufugium è Monaſterio.

Galat. cap. 5.

Corin. cap. 3.

Pſal. 172.

Zacha. c. 13.

Coniuratio contra Innocentes.

tiens quibus cœleſtis illa patria exuberat diſcordiæ originem inueniſti, idcirco à ſolij tui culmine in profundum laci decidiſti. Diſcite, chariſſimi effici quod dominus ait, *eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ*, & iterum, *diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Virtutum omnium dilectiſſimi humilitas eſt maxima ſine qua ad cœleſtes triumphos nemo admittur, hæc pacem nutrit, patientiam generat, fugat rixas, dilectionem amplectitur & odit omne malum. Cúmque ſe violarem omnibus facit omnium in ſe prouocat affectum, hanc facite vobis amicam & curate tanquam vnicam poſſidere & inuenietis requiem animabus veſtris. Quoniam ego deſideriis veſtris in hanc Inſulam veni ſatisfacturus ſi rixarum atque diſcordiæ quæ intra vos ſunt me arbitramini auctorem ſicut à nautis Ionæ factum eſt, de me exigite ſortes, mihi enim vtilius eſt à vobis longius abeſſe quam præſens veſtris cruciari moribus, hæc beato viro loquente nequiſſimi illi facinora ſua ad tempus corrigere ſimularunt, proſtratíque ſolo veniam precabantur, quos pater ſanctus (licet non falleret lingua doloſa) in Chriſti dilectione amplectens ſanctorum collegio omni cum charitate ſtudebat adunare, domini adimplens præceptum dicentis: *benefacite his qui oderunt vos & orate pro perſequentibus & calumniatibus vos.* Sed illi æſtuãtes pleno corde veneno ad innoxium effundendum ſanguinem conſuluerunt vt vnus eorum Archadius ſcilicet à cœnobio clandeſtinè diſcedens manu collecta peſſimorum, quod iniquè apud ſe contra verum Dei tractauerant opere impiè complerẽt interea pſeudomonachus Columbus inſidioſè inſiſtebat velut callidiſſimus draco peruigil, ſi poſſet aliquos à beati viri cõtubernio dimouere vt vir ſanctus diuerſimodè vndequaque agitatus, inter tot mala deperiret. At infœlix illæ ſuæ mentis deceptus malignitate Archadio mandauit in relictis fatellitibus confeſtim ipſe ad Inſulam repedaret. Beatus autem Aygulphus futuræ præſcius perſequutionis à ſanctis monitionibus & precibus ad Deum pro iniquis non deſiſtebat, ſed pro viribus eorum lenire furorem nixus eſt inquiẽs: fratres Deus eſt qui nos facit in domo ſua vnanimes habitare, ſed quonam pacto charitatis humanitatíſque vinculo tenemur, ſi inimicitias & ſimultates in alterutrum diabolo inſtigante ſeruamus? ſcitis quia viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos quia abominabitur eos dominus: hæc dicente ſancto paſtore ecce Archadius ficta humilitate veniens & ſceleribus commiſſis vultu triſtitiam ſimulans ante eum quaſi veniam rogaturus prouoluitur, quem beatus Aygulphus omni dolo diabolicáque pertinacia inebriatum cernens à monaſterio veluti incurabile mẽbrum) iuxta beati patris benedicti præceptum) eliminauit. Fratres verò illius mentis perdita haud dignoſcentes vecordiam paſtorem ſanctum obnixius rogitabant vt denuò in collegio reciperetur, quibus ille afflatu diuino ſciens quid eſſet in homine, inquit: Leonem atrociſſimum quem beatiſſimi patris Honorati fugauit oratio vlterus admittere cauendum eſt ne totum gregem inficiat. Sinite prauos dilectiſſimi, qui diſſipant in hoc mundo viam ſalutis, quoniam repentinus eos iuueniet interitus. At Infœlix ille Archadius ignominiam expulſionis æquè non ferens è ſuarum peſſimarum adinuentionum (vt ſperabat) aſſequi finem non valens ſanctus tamen monitis adhuc minus acquieuit: ſed mente vt erat proterua è Monaſterio iterum diſcedens ad peſtiferum quendam virum comitem Vticæ* Mummulum nomine ſe contulit nam illius contubernium antea plurimum deuinctus erat qui quæ ſibi euenerant cuncta ſubdolè propalauit, dicens: O votorum meorum ſingulare refugium ſcito nos

Iona cap. 1.

Matth. cap. 5.

Pſal. 67.

Pſal. 54.

Prouerb. cap. 29.

* *Ciuitatis vulgo vſus eſt.*

Monaſterij

Monaſterij collapſa reſtaurare volentes hominem quendam Aygulphum nomine à Gallis venire fecimus, qui noſtros viuendi mores priſtinos volens immutare cuncta ſubuertens diſſenſiones ad iuuicem & læthales excitauit rixas. Quin etiam vt iudicio ſuo liberè de Eccleſiæ theſauris diſponat me alióſque qui fortè videbantur aduerſari è Monaſterio turpiter eiecit. Cui ille audito nomine theſaurorum (erat enim auaritæ facibus ardens) ego inquit ad Inſulam maturè veniam, & quem dicis ſacrilegum percontabor, quem poſtea veniẽtem beatus Aygulphus à longè proſpectans obuiauit intrepidus exemplo Chriſti dicénſque eum ad Eccleſiam poſt breuem orationem lauto conuiuio reficere curauit, etſi ex Audœno Epiſcopo iam cognouerat inſidias quę ipſi parabantur atque inter epulas annuæ ſalutis ad eum ſermonem habuit factũque eſt vt quem velut ferocem lupũ ſuſciperat ad ſe euenientẽ in ouem manſuetiſſimam Chriſti ſermone redigeret: diſcumbẽte autem viro Dei cum comite & aliis conſpirationis ſociis, ecce Archardius malignorum præſidio inſtar Iudæ fultus, Monaſterium cum clamoſis, furibundiſque vocibus ingreditur, cuius inſidias per Eudonem Monachum Chriſti famulus deprehendens domini imitatus exemplum ad eum proceſſit dicẽs. Scio, dulciſſime filj, ſcio ad quid veniſti, quieſce iam in pernicię animæ tuæ malignari, An neſcis quoniam qui malignantur exterminabuntur? & deducet eos dominus in puteum interitus? quibus verbis peſtifer ille commotus velut ſi fellis amaritudinem percepiſſet famulum Dei comprehendi, ligari cruciariq́ue fuſtibus per omnia membra iuſſit. Atque in obſcuriſſimo carcere arctari, quæ omnia vir Dei haud immemor dominicæ paſſionis lubentiſsimè ſufferebat, dicens: *quid retribuam tibi domine Ieſu Chriſte, qui pro me iis amariora pertuliſti? Calicem ſalutaris accipiam & nomen tuum aſſiduè inuocabo.* Incluſo viro Dei in ergaſtulo plagiſque liuido nondum tamen eſt peſsimorum ſatiata rabies, ſed veneno adhuc vipereo pleni comprehenderunt eos qui ſancto paſtori adherebant & ſuppliciis affectos eodem carceri manciparunt quos videns athleta Chriſti Aygulphus gratias domino referebat, dicens: Quoniam in te ſperaui domine innocentes & recti adhæſerunt mihi vt & ipſi quaſi oues affligtæ me paſtorem percuſſum comitentur ad mortem qua propter te afficimur toto die ne repellas ſeruos tuos in finem qui voluntariè nomini tuo ſicut oues occiſionis ſacrificamur: Et conſolans eos dicebat ſuſtinete fratres & commilitones mei, dabit enim Deus his quoque finem, facietque nos in paucis dignos fierj cęleſtibus regnis, vbi ſunt gaudja ſine fine manſura, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec mens vlla hominum penetrare poteſt. Ad ea ergo, dilectiſſimi, Chriſtum ducem noſtrum ſequentes per opprobria contumeliáſque feſtinemus quanquam non ſint condignæ paſsiones huius mundi ad futuram gloriam quæ legitimè certantibus promittitur: tamen ſperemus in eo qui ait *qui mihi miniſtrat me ſequatur, & vbi ſim ego illic ſit & miniſter meus.* Roborati ergo ſic diuinis eloquiis milites Chriſti cum inter noctis illius tenebras domini aduentum in hymnis & orationibus præſtolarentur, ecce Michael Archangelus apparuit illis in ergaſtulo, dicens: Confortamini puſillus grex, & nolite timere, complacuit enim patri veſtro dare vobis per martyrij palmam regnum Dei, quibus dictis diſparuit. Tunc athletæ Chriſti & alloquutione Angelica & viſione conſolati, agonem ſuum domino lachrymantes præ gaudio in pſalmis & orationibus commẽdabant. Quos audiẽs vnus eorũ qui ſuper ſanctos cuſtodias obſeruabat pietate motus, carceribus tectum patefecit,

Eudo Monachus inſidias detegit.

Pſal. 36.

S. Aygulphus capitur, verberatur, carceri traditur.

Pſal. 115.

Carcerantur alij Monachi.

Pſal. 24.

S. Aygulphus ſolatur conceptiuos.

Michael Archangelus apparet eis in ergaſtulo.

noctéque ſilenti eos inire fugam hortatus atque precatus eſt: at ſancti gratias quidem egerunt eius humanitati, ſed minimè parent conſilio, dicētes? ſi viuimus domino viuimus atque ſi morimur domino morimur, ſiue viuimus ergo aut morimur ſemper domini ſumus, claro autem die Archadius totius mali huius caput ad ergaſtulum venit vt blandis, ſed fictis verbis mœſtitiáque ſimulata ſanctorum volens compati lāgoribus & lenire dolores, at vnus ex illis Trucarius nomine impudentiam eius non ferens iuſto dolore commotus, quod ſuggerebat animus in faciem ei obiicit, dicens, Archadi frater doleo te imitatione filium eſſe Satanę qui cum in exitium omnes impellat etiam conſolator vult videri. Doleo te, inquit, fratrem eſſe Iudę proditoris, qui inſtar illius pro ficto oſculo ſermones profers blanditiis quidem mellitos, ſed ſuccis venenatis refertos. Sed perfricta frons cum animi crudelitate coniuncta obiurgatione non retunditur. At miſer Archadius nec quidem his confuſus perſtat in ſententia & alia via ſe proditorem non eſſe nec effeciſſe quod fecerat oſtendere nitebatur. Nam circa horam tertiam iterum veniens cibos detulit adhortatúrque ſanctos vt membra & Ieiunio nimióque cruciato iam defeſſa reficerent, cui beatus Aygulphus etſi interno langore fatigatus: tranquilla tamen mente reſpondit nunquid num his diebus ieiunia ad horam nonam vſque protrahit regularis inſtitutio? An ignoras regularem diſciplinam debere occaſione nulla violari? At ille iniquus videns ſuam animam charitatem nihil iuuare ad animi ſui celandam vecordiam, quæ ſanctis viris appoſuerat, pocula amouit, & ad horam canonicam refectio dilata eſt, quæ cum adueniſſet pariter orant pro Archadio & ſic ab eo oblatum capiunt cibum. Porrò beatus paſtor oues ſibi creditas diuini verbi pabulo reficiebat dicens, commilitones mei optimi & chariſſimi orate pro calumniantibus & perſequentibus vos, vt exaltet vos dominus in die viſitationis. Nam ſi regi noſtro Chriſto compatimur in hoc mundo cum eo ſimul in cœlo conregnabimus. Interea autem Vticæ ille comes quem dicimus ſimulans ſe illis quæ fiebant offenſum à Monaſterio iam receſſerat, ſed tertiā die rediens cruenta auaritia totus incēſus cucurrit ad carcerem & à beato viro pecunias quas eum habere truculentus Archadius finxerat extorquere volens aiebat: profer theſauros quos apud te eſſe didicimus & à vinculis te tuoſque concaptiuos liberè abire permittam. Cui beatus Aygulphus aurum & argētum cunctáſq; opes nec non Monaſterij prouentus tibi oſtendā: & ambas manus expādens ſuper concaptiuos ſocios: En (inquit) in his & aliis qui in Monaſterio ſunt & Chriſti pauperibus theſauri conſiſtunt. Nam victum veſtitúmque habentes contenti ſumus, vnde noxias fallacéſque opes mundi omnes deteſtamur. Ad quam vocem infremens ille tyrannus ad reliquos cœnobij fratres voce furibunda ſe conuertit. Exhibite mihi (proclamans) numnos quos vna cum paſtore veſtro detinetis alioquin acerbis doloribus horridiſque tormentis vos ſimul cum eo perdam. At illi nos (inquiunt) ſub beatiſſimi patris Benedicti norma & beati Aygulphi magiſterio conſtitutos nihil proprium habere omninò decet: ſed omnia omnibus ſunt communia. Tunc ſacrilegus ille cordis ſui cæca cupiditate deceptus Monaſterium omne cum ſatellitibus ſuis ac ſi barbarorum præda eſſet populatus eſt. Poſtquam autem diſceſſit beatus Aygulphus & cæteri pro voluntate Archadij & Columbi cuſtodiebantur in ergaſtulo, vbi ad decem dies eorum corpora conficiebantur: filij autem Satanæ Columbus videlicet & Archadius

Nolunt ieiunia regularia violare ſancti.

Theſauros inquirit comes vticenſis.

Timot. 1. c. 6.

Monaſterium depræ datur.

Archadius, timentes ne ſua deteſtando facinora vbique innoteſcerent & ad aures regias peruenirent, inuito conſilio ſeruos Dei noctu naui imponere cum ſatellitibus, & in remotioribus partibus trucidare decreuerunt. Tunc beatus Aygulphus Chriſti mox hoſtia futurus iniquorum vota prænoſcens ſociorum animos ne inter tormenta deficerent ad conſequendam martyrij coronam hortabatur, dicens, erigite commilitones mei corda veſtra ad cœleſtes triumphos, & conſtantes eſtote, quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei ſine fine manſurum. Nauigantes igitur inter noctis tenebras, iam Chriſti oues occiſionis effecti ceperunt & hymnos laudes Domino cum lachrymis decantare: Gratias tibi Domine, quia tranſuexiſti nos per aquam nimiam & mare rubrum, & deduxiſti nos in gloriæ tuæ refrigerium. Mane verò facto viri religioſi qui in monaſterio remanſerant veſtigiis beati Aygulphi adhærentes cum ſceleſtos homines nuſquam reperiſſent ad carcerem cucurrerunt, vbi Chriſti martyres minus inuenientes ſuſpiriis gemitibúſque ad inuicem lamentabantur. At carnifices nefandi poſtquam in altum ratem deduxerunt tanta in eos naufraga inopináque tempeſtas exorta eſt, quod per quadraginta dies (dictu mirabile, non portus nec locum in quo Dei victimas trucidarent valuerunt apprehendere: Martyres verò Chriſti tantam aeris intemperiem mariſque æſtus cernentes omnipotentis hominum ſupplices offerebant laudes, dicentes: Deus qui glorificaris in conſilio ſanctorum tuorum & dominaris poteſtati maris motum fluctuum & elationes maris digneris comprimere, vt ſerui tui in lumine vultus tui ambulent, & in nomine tuo exultent toto die, quoniam gloria virtutis eorum tu es, audientes autem Sathanæ miniſtri ſeruos Dei ſacras laudes perſoluere, ira frementes & ſi ad terras euaderent ſibi valere timentes, & ſanctorum innocentiam & ſuam crudelitatem patefactum iri formidantes horum linguas iugulo tenus euelli mandant: At illi vehementiori voce cantúque ſonoro iubilabant, Deo dicentes, *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Miſeri verò pſeudocuculli, non hoc tanto viſo miraculo conuerſi, immò in deterius ſunt aduerſi ſanctorum oculos iubent perfodi, ne quem laudare abciſſa lingua valebant perfoſſis oculis cernerent, nihil efficis, nihil proficis, ſæua crudelitas. Nam Deus omnipotens qui ſeruos ſuos elingues fecit eloqui, effoſſis etiam oculis viſum præſtitit: vnde clara voce Deum magnificabant dicentes: *Ad te Domine leuauimus oculos noſtros qui habitas in cœlis.* Verum ne hoc quidem ſigno Arcadij & Columbi peſſimorum rabies viperalis deſtitit, ſed in Pharaonicam duritiem perſiſtentes indumentis ſeruos Dei ſpoliari iubent, vt vel ſic membrorum ſuorum nuditate qui atrociſſimis tormentis vinci non poterant ſuccumberent. At beatus Aygulphus quem diuina virtus ſtabilierat tranquilla mente ait, an ignoratis dilectiſſimi vt qui Chriſtum induunt, eos poſſe deturpare nihil: cumque procelloſis fluctibus vndique iam iam ſe obtuere viderentur. Columbus & Archadius peſſimi in profundum peccatorum ſuorum venientes contemnebant. Sed beatus Aygulphus pro eorum ſalute ingemiſcens & Domini volens implere præceptum, dicentis: *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, & gaudete cum maledixerint vobis homines, & exprobauerint, & perſecuti vos fuerint.* Orauit ad Dominum: *Ne tradas, Domine Ieſu Chriſte beſtiis animas confitentes tibi quas pretioſo ſanguine redemiſti, & pauperum tuorum ne obliuiſcaris in finem, vt pauper & inops timeant nomen tuum:* Cum ſic autem permultos dies

Naui imponẽ tur ſancti.

Act. cap. 14.

Diuinitus retardantur eo natus impiorum.

Pſal. 88.

Sanctorum linguæ preẽduntur.

Pſal. 50.

Oculis orban tur.

Pſal. 122.

Nudantur ſancti.

Luc. cap. 6.

Pſal. 75.

iactati eſſent, beatus Aygulphus ſignum crucis furentibus vndis oppon ens ceſſauit tempeſtas, tandem appulerunt ad inſulam quæ vocatur Capraria huius ſinus retinebat maximum examen monachorum, ad quos diuertentes feria quinta ante Paſcha quæ cœna Domini dicitur benigniſſimè atque humaniſſimè ſunt excepti, vt ſic dicam decet monachos à monachis: cognita enim prolixa eorum tribulatione qua longiſſimè & infœliciſſimè vexati fuerant feſtinabant eos recreare quibus poterant modis. Illis ibidem morantibus ſacratiſſimus aduenit Paſchæ ſolemnitatis dies, in qua cum miſſarum officium celebraretur infœliciſſimus & flagitioſiſſimus omnium hominum Columbus infulis diaconis aptis officio adopertus, tanquam diaconus miniſtrauit. Conſpicuus humanis, ſed peroſus diuinis, inſuper cum ad id loci ventum eſſet, quo corporis & ſanguinis Chriſti ſacramenta percepturi oſcula ſibi inuicem libant, ille infœlix & impurus non dubitauit à ſe ſic crudeliter mulctatis oſcula porrigere: non Columbina ſed certè coruina aut prorſus canina. Beatus porrò vir Aygulphus cum ſociis ſuis cum ſumma exultatione Deo gratias quas poterant referebant, non modo pro ſua recreatione quantum pro immenſa fratrum ad quos Chriſtus eos adduxerat charitate: expleta autem paſchali feſtiuitate Columbus Epheſum proficiſciſcitur, vtpote homo ſæculi ſæcularibus negotiis ſeruiturus. Interim ſanctum Aygulphum cum reliquis ſanctis in eodem monaſterio dimiſit, præcipiens vt ſemel reuerſurum ibi operirentur. Eo abſente tantam beato Aygulpho Dominus verbi gratiam contulit vt auditores & expleret abundè, & tamen ad audiendum auidos & alacres dimitteret, qui enim gratiam ei dederat, vt ſine lingua poſſet eloqui, etiam addidit gratiam, vt gratius audiretur. Reuerſus autem Columbus ab Epheſo ſanctos viros à Monaſterio abſtractos rurſus naui imponit, & cum ſuſtuliſſent à portu & aliquid ſpatij proceſſiſſent, conuenerunt nauem ab Africa venientem, in quam victimas futuras Chriſti imponunt, quibus beatus Aygulphus charitate feruidus pro ſalute animarum dicebat. Cogitate dilectiſſimi bonitatem & longanimitatem ſalutémque veſtram operamini, & nolite ſecundum duritiem cordis veſtri & cor impœnitens Iudæ proditoris exemplo theſauriſare vobis iram in die reuelationis iuſti Iudicij Dei, ſed renouamini ſpiritu mentis veſtræ & cogitate vocationem veſtram. Nam ſicut Apoſtolatum ille proditor adeptus, ita & vos religionem. Ille enim omnium quæ mittebantur diſpenſationem, vos autem in ſacris miniſteriis famulatum ſanctum. Cauete ergo chariſſimi, ne in veſtram perniciem dicatur qui miniſtrat indignè æternum ſibi parat interitum. Protrahente verò ſic beato viro ſermonem, illi filij gehennæ Columbus & Arcadius animæ ſalutem inſtar Cain & Iudæ deſperantes dentibuſque in ſanctos frementes, iterum oculos linguáſque tygride refricatis doloribus radicitus eradicarunt. Poſt longam autem nauigationem inter Corcycam & Sardiniam inſulas ad quandam aliam ignobilem (ſicut datum erat ei in mandatis) ad Amaritinam ſeu Amatunam nomine interiacentem applicuerunt, in illámque deſcendentes ſacrarum victimarum carnifices iniquorum finire vota parauerunt, quibus beatus Aygulphus, ſinite, rogo vos, ſinite nobis cœlum videre, vt ſpiritus ad Dominum qui creauit eum dirigatur, tendénſque ad ſidera palmas ait: Omnipotens Deus qui Iſraëli populo prophetas dediſti, vt in ſpiritu fortitudinis præceptis tuis aduerſantes arguerent, quos impij occiderunt

Appellunt inſulam Caprariam.

Ecce oſculum Iudaicum.

Applicant inter Corcycam & Sardiniam

Oratio S. Aygulphi.

runt per medium ſecando Eſaiam in Iudæa ſub Manaſſe Rege, & omnis populus Ægypto lapidibus obruendo Hieremiam & reliquos variis tormentum generibus extinguendum, quibus te domine pro morte defluenti gloriam dediſti ſempiternam, ſic protector noſter aſpice Deus & ſuſcipe nos holocauſtum in odorē ſuauitatis. Hodie enim propter iuſtitiam & veritatem morte afficimur & ſicut tuis fidelibus prædixiſti trademini à parentibus & fratribus, ita & nunc certi quod capillus de capite noſtro nō peribit: Sic ergo prolixiùs orantibus ſanctis animáſque domino commendantibus tandem à loco orationis ſurgunt & cum omni fiducia & alacritate inter verba orationis dominicæ laudis ſpiritum emiſere de vaſculis carnis ſub die tertio nonarum ſeptembris. Porrò vnus eorū Briconius nomine Scapham nactus vnde ſe ſubduxit, nec ſine diuino nutu ne ſanctorum ſcilicet paſſio occulta maneret à longéque ſtans ſancti Abbatis vtraque brachia diſcerpi ſociorúmque membra euaginatis enſibus dilaniari plorans proſpexit, animáſque eorum Angelicis choris comitantibus ingredi cœli gaudia: qui tantæ gloriæ conſortem eſſe peroptans à cymba iterum deſcendere plurimùm conabatur, ſed flante vento ex aduerſo ſine velis aut remige quod dictu mirum eſt ad Inſulam Lerinenſem peruenit, quod diuina voluntate geſtum eſt ne corpora pro Chriſto neci oblata debito honore priuarentur, eius enim relatu & modus perpeſſionis in notitiam fidelium peruenit & corpora ad noſtram conſolationem reuelata ſunt atque ad fines noſtros reducta: fas autem eſt credere non priuari fraterna gloria quem non non timor à martyrio retraxit, ſed Deus ob vtilitatem reſeruauit: peruento autem Briconio Inſulæ portui Lerinenſis occurrit ei venerandus vitæ beatus Rigomirus ſancti Aygulpi ſucceſſor, cum omnibus fratribus quibus ſancti paſtores Aygulphi & ſociorum efferos cruciatus rubénſque martyrium referens magnus cœnobij fratribus inducitur luctus, & quanquam omnes atrociſſimis ſanctorum tormentis triſtarentur cœtibus tamen candidatorum martyrium eos congaudere minimè diffidebant, poſt gemitus & tormenta beatus Rigomirus ad Abbatiſſam Angariſmam cuius ſupra habetur deſtinauit vt ſanctimonialis fœmina eiuſque ſorores beatiſſimi Aygulphi & ſociorum agonem Briconio referente didiſcerent, quæ audientes per tot acerba & inaudita tormenta ad cœlos migraſſe ſpiritus ſui amantiſſimi patris pias riganteſque effundebant lachrymas gemitibus & ſuſpiriis neſcientes imponere finem. Cui Briconius, nobis, inquit mater dolendū non eſt, immò gaudendum, quia ad cœlos vt vidi aduocatum coram Deo præmiſimus. Poſt ergo lachrymas longóſque gemitus illa cum ſuo comitatu ſororum, vna cum Briconio ad Monaſterium Lerinenſe nauigarunt, & vna cum beato Rigomiro de requirendis ſanctorum martyrum corporibus conſulunt. Exacto igitur rigido hyemis tempore ad locum ſacrarum victimarum qui delegati fuerant apparatis nauibus Briconio cuncta ſciente duce nauigarunt. Qui ad veneranda buſta deuotè accedentes intacta penitus repererunt. Ac ſi tunc præſentis vitæ curſum expleuiſſent. Aderat inter eos Monachus qui cum Aygulphus ab impiis in Monaſterio torqueretur brachij ſanitate fuerat deſtitutus. Is ſanctorum martyrum deuotè membra contingens illicò ſanitatem recepit: tunc omnes præ gaudio lachrymantes concinebant, dicentes; Cognouimus domine miſericordiam tuam & ei verſus eſt in gaudium luctus noſter. Colligē-

Pro obſeruātia regulari occubuit S. Aygulphus.

Conſulūt pro recuperandis reliquiis.

Monachus brachij ſanitatem recipit.

tes tandem corpora ſanctorum martyrum in ſportellis honorificè vt poterãt condiderunt: vnde tanta odoramentorum fragrantia ſecuta eſt, quod nauis aromatibus onuſta vel roſis crederetur & floribus, nauigantes inde ſexta decima maij luce Domino fauente ad Cœnobium Lerinenſe applicuerunt, proſpiciens autem ſanctimonialis fœmina puppes iam littoribus Lerinenſibus propinquate(hoc enim præcognouit)non paucis comitata ſororibus exire obuiam ſanctorum reliquiis feſtinauit, quæ poſtquam venerabilium martyrum ſacrata corpora donata eſt contingere, roſida oſcula miſta mœſtis gemitibus ſacris imprimere non ceſſabat artubus pro gloria tantorum patrum, grates referens altiſſimo aderat interea ibidem monialis quæ Glauconia dulce lumen amiſerat oculorum quod deoſculando ſæpius brachium dextrum beati Aygulphi recepit. Cuius miraculi gratia pium certamen ſanctáque emulatio excitata eſt: Nam ſanctimonialis fœmina beati viri corpus ſibi dari obnixè poſtulabat, cui Abbas à filiis, inquit, patrem ſeparare non decet & illa benè mihi enim pater prius exſtitit non me à cunabulis ſancti monitis & diſciplina plena informauit, neque ſibi in Chriſto filiam ſemper habuit,cuius etiam ſanctæ obedientiæ obſequens Galliam dómeſticóſque penates reliqui ne ab eius patrocinio longius abeſſem, & Abbas à Galliis precibus noſtris proficiſcens ad nos deuenit ne ipſe nos in filios nos verò ipſum in patrem haberemus. Cernens itaque Abbatiſſa ſuum non poſſe aſſequi deſiderium date nobis, inquit, ſaltem vel brachium quo ſoror hæc ſanata eſt concedit. Rigomirus quod illa tanto deuotionis affectu poſtulabat, quod poſtea graſſante vaſtatione illarum partium ad Lerinenſe cœnobium relatum eſt. Interea languidorum & infirmantium miſta multitudo littus Inſulæ occupat quorum ſanitates præſtitas ſuffragio ſanctorum martyrum ſi ſigillatim enarrare volumus, non erit modus in pagina, è multis ergo pauca in medium afferre non erit inconueniens vt non credentibus aut fortè neſcientibus ſint manifeſta. Vir quidam à materno partu tibiam læuam dextera breuiorem haberet. Ita vt adiunctis ad latera baculis vix incederet: ductus autem ad ſanctorum corpora oratione que facta plantis æqualibus proſiliuit. Quædam etiam mulier elephantino morbo faciem habebat oppreſſam. Iamque oculos amiſſura fauebat que ad Monaſterium veniens precibus fuſis deoſculatiſq; ſanctorum artubus ſanitate priſtina eius facies decorata eſt. Quædam etiam matrona filium mutum peperit, qui per decenium ita permanſit donec ad Monaſterium ductus meritis ſanctorum loquelam recipit cuius mater vehementi gaudio ſuffuſa ad extrema vitę deducta eſt,ſuper quamB.Aygulphi Melotem imponentes quaſi è ſomno euigilans coram omnibus ſurrexit, oppreſſiſque à dæmonibus curabantur ſimiliter à quacunque infirmitate detinerentur implorato ſanctorum ſuffragio incolumes ad propria repedabant, vt verè probaretur quia mirabilis Deus in ſanctis ſuis nec modo deuotis ſibi & diuina per ipſum beneficia poſcentibus pater beatus aderat, ſed ipſi etiam perſecutori ſuo opem tulit. Columbus enim concinator & auctor cædis eius,cum ea nocte quod diem martyrij eius ſequitur in lectulo ſe quietis cauſa repoſuiſſet, mox ei aſtitit vir Dei cur immeritum,ſed tãtis offeciſſet malis & innoxiorum ſanguinem fudiſſe cum obiurgatione inquiſiuit. Atq; his dictis guttam fuſi ſanguinis tulit eáque in pectore & dorſo eius circulum pinxit. Tum miſer ille tremebundus corruit ad pedes eius rogauit

Tranſlatio S. Aygulphi die 16. Maij.

Claudus ſanatur.

Mulier à morbo elephãtino curatur.

mutus loquitur.

Viſio terribilis Columbo offertur.

rogauitque inuictam & ſolitam mãſuetudinẽ & pietatem eius ne ipſum tanto ſceleri obnoxium diuino iudicio reſeruaret. Eius precibus flexus vir beatus alterum expunxit, circulum alterum abolere noluit, dicens, id fidei non poſſet donec apud Clodoueum regem & Ebroinum maiorem domus publicumque Francorum iudicium ei remedium afferetur. Quod etiam factum eſt. Nam iuſſu regis quæſitus & comprehenſus in vnicula coniectus eſt la- *Colũbus dat*
taque in eum ſententia diris pœnis affectus,& tandem interfectus eſt. Poſſu- *Pœnas atroci-*
mus autem haud obſcurè per ſanguinem martyrum fuſum intelligere, inno- *tatis ſuæ.*
centiam vim paſſam iuſtam expetere vltionem effigiem circuli ſanguine expreſſam ineuitabilem diuini iudicij animaduerſionem:geminũ circulum pectoris & dorſi præſens & futurum ſupplicium:alterius circuli abolitionẽ æternæ pœnæ remiſſionẽ ſancti viri precibus ei impetratã alteri⁹:permanſione necem temporariam qua affectus eſt:etſi enim ſancti impetrans perſequutoribus ſuis ne in æternum puniantur: ac nolunt tamen prorſus impune abire quod vel in Deum vel in proximos ſceleratè admiſerè. Peccauit Dauid ſanctus Rex atque à propheta eo nomine reprehenſus,peccaui,inquit,Domino: moxque audire meruit,Dominus trãſtulit peccatum.Et tamen quot ille modis poſtea propter illud peccatum afflictus & vexatus ſit, norunt qui ſacras literas non ignorãt hoc eo facit vt nos quoque tametſi per ſacerdotes ſimus à peccatis abſoluti, haudquaquam pœnas nos euaſuros ſentiamus,niſi ita vt par eſt Deo & hominibus qui à nobis læſi ſunt ſatisfaciamus:Deus enim ait de ſeruis ſuis:qui tangit vos tangit pupillam oculi mei.Immò verò etiam honore afficiamus eos in quibus per fidem & bonorum operum exercitia Chriſtum habitare cognoſcimus, vt quandoque audire mereamur illam dulciſonam vocẽ, *Venitè benedicti Patris mei.* Celebrata tamẽ dierũ ſeptem feſtiuitate *Zach.2.*
hymnis & canticis ſpiritualibus condiderunt monachi venerabilium martyrum corpora cum odore nimio & honore in baſilica almi patris Honorati vbi præſtantur beneficia poſcentibus animarum & corporum. Paſſus eſt autem beatus Aygulphus Abbas & Martyr cum triginta & eo amplius monachis ſociis circa annum Domini ſexcenteſimum ſexageſimum,tertio nonas Septembris ſedente in ſede Petri pontifice Vitaliano ad laudem & gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui viuit, & regnat Deus benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

HYMNI IN LAVDEM S. AYGVLPHI
Abbatis & ſociorum Martyrum Dioniſij Faucherij Monachi Lerinenſis. Ad veſperas & laudes

Patris Aygulphi celebres canamus
Hac die lætis animis triumphos,
Orbe qua victor meruit ſubacto
Scandere cœlum
Legibus ſacris monachos vagantes
Dum ſtudet ſanctus cohibere clauſtris
Demum his obſtat ſtudijs maligna
Arte repugnans.
Archadi mentem ſimul & Columbi
Vrget infandis odiis patrine,
Audiant eius monitus iniquo,
Corde ferentes.
Hinc bonos prauis ſatagunt loquelis
Ad ſuas ſenſim reuocare partes
Vt viam ſecum Phlegetontis amplam.
Ingrediantur.
Vnde corruptis aliquot ſuperbi
Clarius Dirum retegunt venenum
Et virum ſanctum ſocioſq; cæco.
Carcere claudunt.

Ad Nocturnum.

VT queant laxis miseros habenis
Liberè sæuis cruciare pœnis
Aduocant ad se ex Vtica profectum
Vrbe tyrannum.
Auri & argenti hic cupidus flagranti,
Corde conceptos, furiatus ignes.
Euomit terrens, monachos reuelent
Aurea lucra.
Sanctus obscuris, tenebris retentus;
Gratias egit Domino sodoles,
Admonens forti tolerent paratas,
Pectore pœnas.
Carceris demum latebris reductos,
Nullus vt nosset scelus hoc nefandum,
Longius latum mare transfretantes,
Morte trucidant.
Sed priùs limbis penitus receptis
Atque perfossis oculis sacrata
Inde crudeles laniant cruento
Membra dolore.
His tamen nullis potuit satelles
A Dei sanctos cohibere laude
Vnde laudantes Dominum beata
Pace quierunt.
Deinde iter flectunt monachi petentes
Insulam testes vbi sunt necati,
Atque Lerinam redeunt reperta
Ossa ferentes.
Te Deum patrem genitamq; prolem,
Spiritum sanctum, pariter precamur,
Nostra vt illorum meritis queamus,
Soluere vota. Amen.

Alij Hymni in festiuitate sancti Aygulphi Abbatis & sociorum martyrum ex antiquato membrano breuiario Ecclesiæ Lerinensis M.S. desumpti in primis vesp.

PAnga Lerinensis Chori lætitia
Laudibus immensis martyrũ præmia
Qui fulti lætantur cœlica gloria.
Fideles qua præmiantur.
Aygulphum stirps pia dudum progenuit
Castrum in Gallia Blesense meruit
Ipso progenito infernus horruit
Eius more precognito
Fit omnibus lenis iam plenus gratia
Succurrit egenis largiens propria
Virtutes eligit atque per omnia
Terrena cuncta negligit.
Prece præ nimia virtutibus ratis
Pro salutis via moribus probatis
Agregatur gregi Mumoli abbatis
Atque verè Christi legi.
Christi zelatorem ordinis lilium
Elegit pastorem Leri cœnobium
Mundana gaudia ferens in odium
Saluandi dat remedia.
Te summa Deitas supplices poscimus
Vera sit charitas qua se recolimus
Et duc per semitas tuas quo tendimus.
Vbi verè in habitas. Amen.

Ad Nocturnum Hymnus.

SIderi celso olimpi supremi
Incliti gesta martyrum triumphi
Modula voce menteq; suaui
Concio prome.
Dogmate dudum sacro prepollentem
In Dei sanctum diros reformantem
Altera ruens pars gregis perperam
Extemplo sæuit.
Splendida cœli terebrato visu
Non minus vissu diuino tuitur
Semota lingua inclita virtutum
Merita pandit.
Vt cruciatu pari crucientur
Consortes sancti sanctos comitantur
Sanctos consortes vir sanctus hortatur
Ouanter pati.
Perfide gregis Columbe Lerini
Tu complex atrox infœlix Archadi
Quid ab improbis meruere probi
Tam dirè cedi.
Sit Deo patri decus victoria
Genitæ proli virtus & gloria
Consolatori simul per immensa
Perpetim sæcula. Amen.

Ad Laudes, Hymnus.

MArtyrum gemma præfulgens
Pullis Sathanæ fraudibus
Da pius reis indulgens
Aygulphi frui laudibus.
Vera cum nititur lege
Reformari cœnobium
Eius irruente grege

Iram

Iram incurrit vilium.
Vincti cæſi deo grati
Hic fauenteſq́, torquentur
Linguis ac viſu priuati
A ſuis morti traduntur.
Martyres Chriſti milites
Supplices cunctì precemur
Vt veræ vitis palmites
Effecti ſurſum lætemur.
Vni, trinóque Domino
Sit ſempiterna gloria,
Qui vitam ſine termino
Nobis donet in patria.
Amen.

In ſecundis veſperis Hymnus.

AVgulphi pangat ſacrati, nitorem Eccleſia
Decore ritè vallati, res geſtaq́, nimia
Eius vitæ regulati adſint Iuſti lilia.
Sumpſit legis orthodoxæ decus laudis varium.
Eius ætas gloriosè prompſit ratum brauium
Lætè, mirè, curiosè aufer vanum gaudium.
Chorus martyrem Lerinus elegit Deo gratum
Necat error Columbinus conſcius mira paſſum
Ignis obumbrans diuinus, aſſumit neci datum.
Eius cohors triumphantis gemens haurit certamen
Regis alti præpotentis egreditur velamen
Gregis vincit iubilantis, in æthere ſolamen.
Vnda lauat corpuſcula ſanguinis orbatorum.
Amputarunt nouacula, bis linguas afflictorum
Benignè ſumunt oſcula, à capite tortorum.
Surſum corda ſuſpendentes, in cœlum conſpiciunt
Vitam dextram præſtolantes, ſiniſtram deſpiciunt
Spiritum tandem vomentes, iter vitæ rapiunt.
Trinitati ſit gloria, firma iubilatio
Illi decus victoria, excelſa laudatio
Regnanti cuncta per ſæcula, in ſuperno ſolio. Amen.

Paſſio ſanctorum Avgulphi Abbatis Lerinenſis & ſociorum martyrum monachorum à R.P. Domino Dioniſio Faucherio monacho Lerinenſi ſincerè verſibus conſcripta.

MArtyris Aygulphi inſignem cantare triumphum
Cogito, debilibus, ſed noſtris viribus impar
Eſt onus, ingenium grandi ſuperante puſillum
Materia, ergo meis Aygulphe beate faueto
Nixibus, optatis vt nunc mea cymba feratur
Flatibus ad portum, grauius ne pondus ad ima
Obruat infirmam, fer opem, viréſque miniſtra,
Vt tua cum fuerint noſtra referente camœna
Cognita geſta animi, atque tepentia corda inerti

A ſomno euigilent, ne in veſtibus, atque cucullis
Relligionis opus ſummum conſiſtere credant,
Sed tua condiſcant veſtigia ſancta ſecuti
Per crucis opprobium & longos, variósque dolores
Quærere cœleſtem flagranti pectore vitam.
Paruula, ſed meritis diues Lerina coruſcans
Protulit innumeros homines pietate, probíſque
Moribus inſignes, qui religionis amore
Delitias carnis vaníque fugacia mundi
Gaudia ſpernentes patriæ melioris honori
Orbis opes, rerum vſus popularis & auræ
Plauſus, affectúſque pios teneróſque parentum
Poſthabuere ſuas ſola in cœleſtia curas
Transferre aſſueti, & Chriſti iuga ſancta ſubire.
Tempore ſed labente furor gentilis iniqua
Bella mouens ſacram longè, latéque vagando
Lerinam petit, & tam multa clade fatigat,
Sedibus vt propriis monachi ceßiſſe coacti
Huc illúcque vagi errarent ſine legibus vllis,
Hinc iam degeneres ſenſim vitæq; prioris
Obliti veteris normæ vix vlla tenebant.
Signa, ſed Aygulphi celebris vulgata per orbem
Fama volans, certo hoc populos ſermone replebat,
Hunc fore, qui egregia ornatus probitate ſalubris
Doctrinæ imbueret ſincero dogmate mentes.
Qui à teneris armis vitæ cœleſtis amore
Concepto, mundi fugiens fallacis amicas
Delitias, Chriſtum ore pio reſonabat, & illum
Mente gerens alias pellebat pectore curas.
Huic vni intendens optata ſilentia clauſtri
Ingreditur, ſancta & montis præcepta Caſini
Seruat, & inde breui ſupremum tempore culmen
Vitæ cœleſtis ſtudio prendiſſe frequenti
Fertur, & hinc lapſis rebus ſe adeſſe putarunt.
Hi queis mens melior fuit, & magis æqua voluntas,
Si talem, tantúmque virum ſibi iungere poßint,
Qui monachis præſit, ſparſos & vbique requirat,
Cœnobij reparet cultum, lapſámque ruinam
Erigat, vt veteris normæ renouata recurſet
Relligio antiquam referens ſpeciémque, decúſque.
Conuenere igitur tali & ſermone beatum

Affari cœpere virum: Pater optime noſtræ
Cladis & indigni noſtri miſerere doloris.
Inſula Lerina eſt, ſanctorum habitatio dudum,
Nomine Honorati magnum celebrata per orbem,
Quæ tot feruentes pietate viros tulit, vt non
Sidera tot radient cœlo fulgente ſereno,
Barbarus hoſtis in hanc infeſta frequentius arma
Mouit, & illatis damnis & cladibus inde
Vexati toties, tandem ceßiſſe coacti
Sunt monachi, extorréſque modo ſine lege vagantur
Sollicito tanquam pecudes paſtore carentes.
Et quia quæ mage ſunt ſibi noxia noſtra requirit
Ad mala procliuis natura, & adire ruinam
Sponte ſolet ſenſim per lata & amœna viarum
Ingreßi, immemoréſque ſui, vitæq; prioris
Tonſura & ſterili monachos ſe nomine iactant.
Vnde pater petimus votis inflectere noſtris
Afflictiſque velis tandem ſuccurrere rebus.
Hoc ratio poſcit, iubet hoc tibi Chriſtus, & iſta
Relligio mentiſque tuæ pia vota requirunt.
Quid decet ecce magis te, quam vt conceſſa talenta
Diſtribuens duplices, lucra & duplicata reportans
Vocem audire queas Chriſti inuitantis amicam:
Euge, age ſerue bone, æternæ intra gaudia vitæ?
Nec cauſeris onus tanquam graue, nam tibi Chriſtus
Qui dedit eloquij & doctæ tibi munia linguæ,
Suggeret & vires, & ſuggeret omnia ſancto
Apta miniſterio, nec enim diffidere fas eſt,
Vt tibi non adſit, & quæ oportuna videntur,
Abnuat, & fautor non ſit pius ipſe labori.
Dixerat, at paucis reſponſum reddidit heros,
Viribus impar onus noſtris imponitis, vnde
Vos precor eligite ex vobis, qui hanc ſumere curam
Nouerit, illi inſtant, ſanctúmque virum vſque fatigant,
Dum precibus flectant, atque in ſua vota trahentes
Rege Dagoberto qui gallica regna tenebat,
Permittente cui magno coniunctus amore
Extiterat, ſecum abducunt. Magno inde fauore
Acceptus monachis collapſa habitacula primum
Erigit, hinc reliquos cœpit reuocare vagantes.
Queis hilari vultu redeuntibus obuiat vltrò,

Et blando amplexu fouet, affectúque paterno:
Ad meliora trahens verbis hortatur amicis,
Vt fugiant vani fallacia gaudia mundi,
Chriſti & ſanctorum veſtigia ſancta ſequentes,
Anguſtum per iter cæleſtia regna requirant.
Ergo pater monachos placido ſic ore monendo
Influit in ſenſus caſta & præcordia ſenſim,
Hinc terrena pio patriæ cæleſtis amore
Omnia contemnunt, totam in cæleſtia curam
Tranſmittunt. Quid opus verbis? iam clara per omnes
Fama volat populos, & iam iam prædia multi,
Iam multi caſtella ferunt, miti ore precantes
Illius exemplo inſtitui, normamq; doceri,
Qua blanda valeant ſuperata carne beatam
Tranſigere hanc vitam, & demum conſcendere cœlum.
Virginei inſuper hũc cœtus adiiſſe feruntur,
Vt quæ præclaris mundo natalibus ortæ
Extiterant, thalamos carnis tedaſq; iugales
Oſæ, nobiliora iſtis connubia poſcunt,
Aſſidua Chriſto ſe virginitate vouentes.
Exorant igitur patrem ſibi clauſtra iuberet
Conſtrui, vt incluſas diuina lege paterno
Affectu inſtrueret, ſponſi & cæleſtis amore
Illecebras carnis & blandimenta doceret
Vincere, vt accenſa noctúque diuq; lucerna
Optatum Chriſti aduentum expectare liceret.
Cui deſiderio pater annuit, indeq; læto.
Laudans corde Deum ſanctam illis præficit vnam,
Quæ à teneris annis Chriſto ſacrata pudorem
Virgineus ſeruans cæleſtem ducere vitam
In terris conſueta pio ac feruente regebat
Has ſtudio, vigili cura, exemplíſq; monendo.
Interea antiquus ſerpens liuore maligno
Percitus aſſuetas pridem conuerſus ad artes
Non tulit hanc ſpeciem, & ſecum ſic impius inſit:
Ergo ne me tandem cœptis deſiſtere victum?
Hoſpes Honoratus illis me ſedibus olim
Expulerat, ſæuos ſuperarat & arte dracones,
Angelicam inſtituens homines ibi ducere vitam,
Vi vt raperent cœlos, quibus en ego pulſus ad ima
Decidi, & æternas cogor perſoluere pœnas.

Hoc ego

Hoc ego iniquo animo tolerans agitante furore
Viribus intentis ſtudui hanc turbare quietem,
Bella mouens illis quæ barbarico hoſte miniſtro
Obiicerent mortem, fidei aut diſcrimen obirent.
Hinc deſerta diu manſere loca inde fugatis
Chriſtigenis, & ſenta ſitu ſqualoreq́ turpi
Soricibus ceſſere & aranea pendula tignis
Omnia complerat latè, iam tunc ibi nulla
Vox humana Deum laudans audita ſonabat
Garrula, ſed ſummo ſtrepitans in culmine cornix.
Atque hulula & repetens feralia carmina bubo.
Nunc quidam Aygulphus veniens renouare vetuſta
Cœpit, & inde procul iam iam reuocare fugatos
Inſtituit priſcam & viuendi inducere formam.
Ergo ne tanta audent Galilæi, vt ab æthere pulſum
A terris etiam temerè me extrudere tentent?
Virgineas acies animis ardentibus in nos
Armauere etiam, Veneris ne dulcia blandæ
Præmia noſſe velint, cedantq́ cupidinis arcus,
Atque faces teneris ſexu atque ætate puellis,
In cruce tanta illis iam iam fiducia creuit.
Sed ſaxo incepti pigeat, doleátque repertis
Conſiliis, mentiq́ ſedet ſententia fixa hæc.
Nempe alios inter duo ſunt, qui noſtra ſequentes
Iuſſa, queant iſtum nobis præſtare laborem.
His inimica piis diſcordia ſemper amica
Extitit, & leges vitæ integrioris iniquo
Vſque ferunt animo, carnis mundiq́ caduci
Delicias adamant, per iterq́ incendere latum
Aſſueti ſcelera intrepidi ſectantur in iſtam
Non aliis melius poſſim committere curas.
Hæc ait & noctis genitam iubet ire Megeram,
Quæ Arcadij mentem ſtimulat, mentemq́ Columbi.
Illa citò, tu prompta gradu impia iuſſa capeſcens
Auribus illorum intentis aſsibilat hydris
Illi Gorgoneis infecto corde venenis
Stare loco nequeunt, veluti cum percitus æſtro
Bos fugit huc, illucq́ furens ſi fortè latens hoc
Diſcurſu valeat grauior miteſcere pœna.
Sic illi inuidiæ cœto carpuntur ab igne, &
Impatiente animo patris pia iuſſa ferent

Nec vigilare volunt, nec ieiunare, nec illis
Clauſtra placent, quibus eſt cordi effrenata voluptas.
Inde fugam arripiunt, vitiis carniſque petulcis
Senſibus indulgent, iubet vt male ſana voluntas.
Vt ſolet immundus canis ad vomitum, atque lutum ſus
Conuerſi ad quam ſunt ſoliti traducere vitam.
Sed quia non ſatis eſt illis ſua ſola ruina,
Clauſtra petunt rurſus, quibus obuiat ille benignus.
Arguit, hortatur veterem hunc deponere morem.
Sed noua non poterat meditari mens vetus, vnde
Mentitum lachrimis oſtendunt ore dolorem,
Hos quaſi pœniteat ſcelerum, ſed corde premebant
Atroces iras, quibus illum perdere certant.
Inſtabiles igitur furia ſtimulante malignis
Artibus intendunt animos, placidamq́ quietem
Aggreſsi turbare alios nituntur iniquas
Ad partes traxiſſe ſuas. Iam tota furente eſt
Hoc monſtro permixta domus, totámque pererrat.
Monſtri huius furiale malum, monachóſque fideles
Vt (quia non poterant ſanctum flexiſſe rebelles)
Hoc inſperato ſaltem terrore fatigent)
Arcadius paucis ſibi iunctis atque Columbus
Inuadunt, ſubito ſanctis terrore ſubactis
Occupat oſſa tremor, trepidi hinc ad templa recurrunt
A Chriſto auxilium petituri, vt corpore tuti
Atque animo poſsint illi ſeruire quieto,
Cladibus auerſis promiſſa & ſoluere vota.
Mente ſed intrepida ſanctus faciéque ſerena
Adueniens damnis præſentibus atque futuris
Prouiſurus adeſt, tantum, & ſedare furorem
Exoptans verbis illos affatur amicis:
Quæ rogo tanta (inquit) veſtras turbatio mentes
Tam ſubitò inuaſit chariſsima pignora peſtis?
Quæ tam dira animos veſtros infecit? & vnde
Tam denſis nebulis nunc pectora veſtra repente
Perturbata furunt? Quid fœdera ſancta ſtudetis
Rumpere, diuerſis quæ nos è partibus vnum
In corpus iunxere, animus, concórſque voluntas
Vt foret in nobis Chriſti & iuga ſancta ferentes
vnanimes viuamus ei, Sed hoſtis iniquus
Hanc (video) ſecuit glaciem, has exſuſcitat iras.

Inuidia

Inuidiæ, atque odij zelo tabeſcit & illuc,
Vnde miſer cecidit, nos poſſe euadere non fert.
Vos ſed Apoſtolicis armis obſiſtite fulti,
Ne vos incautos ſecum in nigra tartara ducat.
Aſtutos ſerpens mites, humiléſque modeſtos
Eſſemonet, grata vos ſimplicitate columba
Propoſuit vobis iſthæc exempla magiſter
Chriſtus, & hæc ex ſe nobis imitanda reliquit.
Quæ veſtris ſi ſint fixa hæc documenta medullis,
Quo magis indignos, viles humiléſque putatis,
Hoc mage vos puris extollent moribus, atque
Cæleſtem dignos facient apprendere palmam.
Nam vilis de ſe fugitat reputatio rixas,
Et modicis contenta gradus primáſque cathedras
Et quæcumque alij cupiunt præluſtria vitat.
Hæc pacem nutrit patientia mitis alumna
Eſt huic & charitas, odit mala cuncta fugátque.
Hanc igitur retinere precor ſatagatis amicam,
Quæ eſt animis veſtris placidam paritura quietem.
Si deſideriis veſtris placiturus ad iſta
Acceſsi loca, rixarum ſi me eſſe putatis
Veſtrarum auctorem, quid ego hic moror? Ecce libenter
Hinc cedam, melius multò eſt mihi longius inde
Viuere quam veſtris cruciari moribus vltrò.
Talibus illo orante fero ſub pectore bilem
Rodebant taciti, & vultu ſimulante dolorem
Mentitam veniam proſtrati corde doloſo
Poſcebant, quos ille licet prætendere noſcet
Inſidias tamen vt Chriſto obſequeretur, amico
Hos animo amplexus, voce affectúque paterno
Hortatur, ſi fortè illos auertere cæptis
Poſſit, proque odiis illis benefacta rependens
Nititur inſanum his ſtudiis placare furorem.
Sed miſeri ſæuo interius graſſante veneno
In peiora ruunt, nihil proficiente medela,
Vis morbi incutitur grauior, moti vnde malignum
Conſilium captant inſontem dedere morti.
Arcadio vt clam diſcedat prouincia ceſsit,
Vtq; ſatellitibus diris hinc inde coactis
Hoc redeunte queant facinus patrare nefandum,
Interea tanquam draco peruigil ipſe Columbus

Inſtaret,ſi fortè alios diuertere ſano
A grege prævaleat patre & paſtore relicto.
Quod quia non illi ex animo ceſsiſſe videtur,
Arcadius revocat,miſſoq́ ſatellite mandat
Aduolet.At ſanctus peſtiſq́,maliq́ futuri
Præſcius elicitis ſacro de fonte loquelis.
Contendit ſi fortè animos mollire proteruos
Poſsit at Arcadius,ſic illo orante repente
Improviſus adeſt,iterum ſimulator iniquus,
Vt veniam ficta depoſcat voce,feroxq́
Mente nefas agitat,cuius fallacia paſtor
Acta videns ſanis non cenſuit amplius illum
Miſcendum gregibus,ſcabiem ne fortè timendam
Affricet incolumi approprians malè ſanus ouili,
Aut tanquam eſuriens Lupus inſidietur oueſq́
Diſpergens rapiat,ſumptos fundatq́ labores.
Ergo licet obſtent fratres quibus agnita non eſt
Mens eius mala,fixa manet ſententia patris.
Infœlix tunc bile tumens in pectore virus.
Contectum manifeſtè aperit,mentíſque feroces
Auſus.Ergo abiens illinc vtraque profectus
Adducit ſecum comitem,ſæuúmque tyrannum,
Cui quondam nexu fuerat deuinctus amoris.
Plurima mentitus multis ficto ore querelis
Inſimulat iuſtum,quaſi imparitate nouarum
Rerum,pace domum rupta conturbet,ad aurum
Adiiciens animum ſocios & ſe ædibus ipſis
Expulit,vt facile rebus potiretur inultus.
Ille vbi facta fuit theſauri mentio,auarus
Mentem cuius amor ſemper ſceleratus habendi
Auri & ſacra fames ſtimulis cogebat ad omne
Ire nefas,cupidè velox iter arripit illuc.
Cui pater intrepidus venienti occurrit,& illum
Amplexu accipiens ad templum duxit,& inde
Prandia lauta loci pro captu iuſſa parantur.
Inter quæ ſacra verba ſonant,quibus imbuit aures
Attentas hominis,iam lex diuina ferocem
Patre loquente lupum vertiſſe videtur in agnum,
Tanta ſacri vis eſt,ingénſque potentia verbi.
Interea Arcadium referente Eudone propinquum
Armatámque manum paſtor bonus audiit,inde &

Chriſti.

Chriſti exempla ſequens illi obuius aduenit vltrò,
Inſanúmque monens miti eſt ſic ore locuutus:
Fili,quid moliris?ait,quid præſtruis,vnde eſt
Pernicies ventura tibi,iterúmque ſupremus.
Quo ruis infœlix?quo te mala ſueta reuoluunt?
Quæ tanta infrænes animos dementia cœpit?
Neſcis,ô neſcis quantam tibi congeris iram,
Summa nempe die,quando manifeſta patebunt
Corda,anceps gladius qui regis ab ore profectus
Obuia quæque metet,mundúſque horrore pauebit.
Impius ille pio patris ſermone furorem
Concipit ingentem,veluti ſi ſulphura flammis
Addas,hinc tumidum rabies abſcondita pectus
Exagitat,famulúmque Dei iubet inde ligatum
Verberibus cædi grauiter laniante flagello,
Et cæſum deinceps obſcuro carcere claudi.
His toto cæcis detentus corde tenebris
Exorat Dominum,mentiſq́, in luce per vmbras
Verſans ore refert & caſto pectore grates,
Quod Chriſti calicem fuerit dignatus amarum
Sumere,iuſtitiæ & cauſa tolerare dolores.
Sed nondum rabies horum ſaciata quieſcit,
Inuadunt ſocios,propius qui hærere ſolebant
Illi,vt eos ſimilis damnatos pœna fatiget.
Carceris ergo eadem vinctos clauſura coercent.
Quos pater vt vidit,tendens ad ſydera palmas
Sit tibi Chriſte(inquit) laus,ſit tibi gloria, honórque,
Qui inſontes ſocias,nobis qui fœdere ſancto
Semper adhæſerunt,ſacríſque audire parati
Legibus in cœlum ſua iam tranſmittere dudum
Vota ſolent.Mea tu cum ſis fiducia ſolus,
Hæc tua Chriſte mihi ſolamina gratia præſtat,
Vt propter te me ad mortem comitentur euntem,
Accipe Chriſte igitur ſacra quæ libamina læti
Offerimus,conſerua animos,ſit victima fluxu
Corpus,& obſirma caro dum cadit hoſtia mentes.
His dictis illos verbis ſolatur amicis,
Et ne tormentis cedant pia pectora firmat.
O mihi luce magis chari,optatíque ſodales
Stare animo fortes,conſtantia nempe virilis
Eſt opus impendens nec vos præſentia mortis

Terreat hæc citò vos facient tormenta beatos,
Et tutam vobis parient ſine fine quietem.
Nonne breui præſtat pœna hac æterna mereri
Gaudia, quam mundi vitæq́; fugacis amore
Quærere perpetuos vario ſudore dolores?
Ergo ſi mortis breuia hæc compendia ducunt,
Cœleſtem ad vitam, quæ illi condigna putetur
Paſſio, quæ celerem curſu volucrémque ſagittam
Vincit? At in cœlum rectos attollite vultus,
Chriſtus vbi ſecum dixit nos eſſe futuros,
Si illi conſtantes erimus fidiq́; miniſtri.
Sic ait, aſt illi inter denſas carceris vmbras
Firmatis animis ſacrum Pæana canentes
Aduentum Chriſti ſitibundo corde manebant,
Cum ſubito cœli demiſſus ab arce Michaël
Angelus obſcuras cœleſti luce tenebras
Effugat, atque illis miti eſt ſermone loquutus:
Nuntia læta fero, grex pone puſille timorem,
Complacuiſſe Deo noris tibi præmia regni
Æterni dare pro modici mercede doloris.
Dixerat, & radens alis fulgentibus auras
Per tenues clarum celſumq́; petiuit Olympum.
Læti igitur viſu Angelico affatúque beatam
Mortem expectantes hymnis precibuſq́; pudicis
Commendant Domino inſtantem conſtanter agonem.
Cúmque is cui data erat cuſtodia carceris, illos
Audiſſet noctu veniens hortatur vt inde
Aufugiant affectu animi commotus, at illi,
Si morimur, Domino morimur, ſi viuimus, illi
Viuimus & vitam, mortémque ſacrauimus illi.
Dein lucente die Arcadius ſimulanter ad artes
Conſuetas rediens vultu referente dolorem
Illos alloquitur tanquam miſeratus eorum
Sortem ſcilicet vt ſceleris non eſſe putetur
Auctor verum ex his eadem quos vincla premebant
Vnus ait, frater, quid opus ſermonibus iſtis?
Nam quid ad exemplar Iudæ eſt expreſsius vſquam
Qui veræ pacis falſa ſub imagine Chriſtum
Tradidit iniuſtis iuſtum propriumq́; magiſtrum
Ille ſuam fraudem cernat licet eſſe retectam,
Inſtat adhuc tamen, hanc iſto velare colore,

Arcadius nomine.

Prandia vt ipſe ferat, propriis manibuſq; propinet,
Læua velut panem monſtret, manus altera ſaxum
Occultet, feriátque canem male fida voracem.
Cui ſanctus languens tranquilla mente: memento
Frater (ait) quod vox dum tertia tangitur vmbra
Linea, léxque iubet quam nos violare nefas eſt,
Prandia diferri, & ieiunia ducere in horam
Nonam. Tum verò ille ſuas non poſſe latere
Proſpiciens artes, ſecum abſtulit impius eſcas,
Vt diuturna fames feſſos vrgente dolore
Deficiente cibo ſenſim macerando necaret,
Hinc fidus paſtor diuinæ pabula legis
Commiſſis ouibus hortando ritè miniſtrat,
Hoſtibus ex animo vt parcant, & mente benigna
Non mala pro opprobriis, imò benefacta rependant,
Proq; illis Dominum contrito corde precantes
Pauca ferant alacres patriæ cœleſtis amore,
Atque ducis Chriſti veſtigia ſancta ſequentes
Participes eius fieri mereantur honoris.
Interea ex Vtica qui venerat vrbe tyrannus
Quem torquet ſtimulans auri inſaciata cupido,
Hunc adit inquirens, vbi nam congeſta lateret
Theſauri vis, quam Arcadius dicebat ab illo
Ablatam quam ſi monſtraret, apta paterent
Limina & obſcuris tenebris exire liceret.
Cum ſociis: cui ſanctus ait, noſtra ecce ſupellex
Iſthæc eſt (vinctos monſtrans) prouentus, opeſq; in
Iſtis conſiſtunt, aurum, argentum, atque caducas
Orbis diuitias contemnimus, vtq; nocentes
Et quæ multorum ſint nutrimenta malorum
Deteſtamur, vt id nobis ſatis eſſe putemus,
Si minimè victu & vili careamus amictu.
Sæuus ad hæc verba infremuit, reliquoſq; minaci
Voce petit monachos, & vbi ipſa pecunia quærit
Condita ſeruetur, flagranti & corda furore
Incenſus clamore domum & tota atria complet,
Intentatq; minas turbata fronte feroces,
Ni manifeſtarent auri argentiq; talenta,
Cum paſtore gregem totum ſimul eſſe necandum.
Attoniti tremuere illi, nihil eſſe cuiquam
Dicentes proprium, fore ſed communia cunctis

Omnia,pauperibus nec enim licet vlla latenter
Poſſediſſe aiunt,prohibente hoc lege beatus
Quam pater Aygulphus Benedicto auctore frequenter
Nos docuit.Tunc is cupiens ſatiare voracem
Ingluuiem,iunctis eadem,quos vexat Erynnis,
Prædandíque furor cupidos veſanus agebat,
Aggreditur ſpoliare domum,prædámque repertam
Qualemcunque ferens proprios petit inde penates.
Crudeles tunc Arcadius ſociúſque Columbus
Dæmonis,vt veri furia ſtimulante miniſtri
Ne ſua iam tandem ſcelera hæc manifeſta pateſcant
Conſilium tractant ſanctos transferre,procúlque,
Vt lateat cædes,inſontes dedere morti,
Cum terras igitur iam nox obſcura teneret,
Et caperent primam mortalia membra quietem,
Illi nec ſomnos capiunt,nec corde quieſcunt,
Immanes,ſed enim verſant ſub pectore curas,
Aptáque cernentes data tempora nocte ſilenti
Carceris eductos clauſtris horrentibus ipſos
Impoſuere rati ſanctos ſecum atque cruentos
Carnifices horum cædem patrare patratos.
Et iam clara dies ſpargebat lumine mundum,
Cum monachi Aygulpho ſemper qui hærere ſolebant,
Aedes crudeli videre ſatellite nudas.
Tunc trepidi magno perculſi corda tremore
Squalentes adeunt obſcuri carceris vmbras,
Quas vbi patres vident vinctis ſociíſque vacantes,
Attoniti gemitus mœſta & ſuſpiria fundunt,
Nec lachrymis reperire queunt finémve,modúmve.
Interea Aygulphus fratres hortatur,vt alto
Contemnant animo tormenta breueſq́ dolores,
Cæleſti vt poſthæc valeant gaudere triumpho,
Per modicæ,& penè compendia prendere cœli
Gaudia,fælicem & vitam ſine fine manentem.
Mens humana(inquit)latitans in mole caduca
Corporis,atque ſuo grauiter ſub pondere ſudans,
Non niſi per luctus grauia & tormenta tenaces
Has luteæ carnis feces eradere nouit,
Vt purgata poli æternos mereatur honores,
Ictibus & multis lapides tunduntur,vt ampla
Ex his conſurgant conſtructa palatia regum.

Quare

Quare forti animo vobis conſtate benignus
Ipſe Deus dabit his pœnis grauibus cito finem.
Compoſita ergo rate & vento inuitante ſecundo
Explicitis velis remis, quò ritè paratis
Nauigio celeri tenebroſa nocte per vndas
Arripiunt iter, at ſancti pia vota pudicis
Teſtantes lachrymis elata voce pioq́.
Corde Deo læti cantant præconia laudum.
Gloria laus & honor tibi ſit Deus, atque poteſtas,
Qui per aquas nimias vectos varioſque labores
Optata tandem æternáque quiete fouebis.
Poſtquam altum tenuere graui tum murmure Pontus
Miſceri cœpit, Boreas bacchatur & Auſter
Sœuit hiems, ſurgens fluctus, ſtridénſque procella
Impediunt cœptos curſus, terramq́ vetabant
Prendere, qua Chriſto iam membra dicata trucident.
Inſuper à fundo grauiter freta mota fremebant,
Et piceæ nubes æthræ conuexa repente
Obducunt, rutilant ignes crebri, omne remugit
Cœlum, iam ſœuam minitantur & omnia mortem.
Chriſti autem teſtes mœſta formidine pulſa
Aeris obſcuram faciem vndarúmque videntes
Horrendos motus tempeſtatémque furentem,
Conſuetis ſeſe Pſalmis ſolantur & hymnis.
O rex quem cœlum, tellúſque ſubacta tremiſcit,
Quique poteſtati Pelagi dominaris & vndis,
Inſanos dignare pater componere fluctus,
Vt tibi cantemus referentes munia laudum,
In queis noſtra omnis ſita gloria honórque decúſque
Carnifices iſtis commoti vocibus iram
Concipiunt, (nam ferre nequit benefacta malorum
Mens mala, cui ſemper probitas inimica fuiſſe
Noſcitur, hinc ſtudio mentis ſœuire malignæ,
Aggreſſi his linguas iugulo tenus ore reuellunt.
Sed nihil efficiunt, Chriſto reparante loquelam
Pſallentes repetunt, aperi Deus ora tuorum
Seruorum, vt laudum præconia ſoluere digna
Poſſimus, mentíſque piæ pia vota referre.
Talibus auditis tortores vocibus immò
Pectore conſpirant Larua exagitante furorem,
Hiſque oculos fodiunt, valeant ne cernere cœlum

Vt quorum nequeunt à laude Dei ora tenere,
Hos ſaltem prohibere queant ad ſydera vultus
Ferre demum viſu ne deficiente tueri
Poßint,his quaſi luminibus diuina poteſtas
Cernatur,tanta hos mentis veſania vexat.
Verum à quo illis eſt fandi conceſſa facultas
Præciſis linguis,ab eo eſt indulta videndi
Confoßis oculis,quid enim non poſſe putetur.
Ille ſator rerum verbo qui cuncta creauit?
Ergo ad eum cum voce manus atque ora leuantes
Cæleſtes iterant cantus:ſuſtollimus,aiunt,
Ad te oculos noſtros,nutu qui ſydera torques
Aſtra ſuper reſidens orbis machinámque gubernas.
Tunc ſanctos ſtatuunt nudos,hos poſſe pudore
Vinci credentes quos atrox pœna dolorq́,
Vincere non potuit,blando quos ore beatus
Exhortatus ait:num deturpare putatis
Qui Chriſtum ſemel induerint?& mente reuoluens
Quæ perfecta ſuis dominus mandata dediſſet,
Ad cœlum rurſus oculis manibúſque leuatis
Ardenti pro illis animo bona verba precatur:
Atque manum crucis inſtar agens ſurgentibus vndis
Oppoſuit(mirum)ſubito & maris ira quieuit,
Tanquam ſi flammis iacias ardentibus vndas,
Tanta crucis virtus ſacriq́ potentia ſigni eſt.
Inſani tandem optata tellure potiti
Arcadius ſceleri intentus paritérque Columbus
Patre hortante ſibi caueant cæleſtis & iram
Iudicis euadant,memori & ſua vota frequenter
Mente reuoluentes ſtatuant deſiſtere cœptis
His moti grauiora iterant tormenta quouſque
Impia carnifices ipſorum vota ſequentes
Corpora ſanctorum gladiis lanianda pararunt.
Inſula nempe illis hanc anſam ignota ferebat,
Ne cedes cuiquam facile innoteſceret.Inde
Hos rogat Aygulphus cœli vt conuexa tueri
Permittant,nec enim vultum velamine cingi
His opus eſt,quibus ad mortem mens vltrò parata eſt,
Scilicet vt cœlum aſpiciens ſu per aſtra feratur
Spiritus hinc ſitiens patriæ melioris honores
Hos patrem æternum exorans ſermonibus inſit:

O Pater

O pater omnipotens celſi moderator Olympi,
Cui mare, cui tellus, ſæui famulantur & æſtus,
Quem metuit Pluton, prognatæ & nocte ſorores,
Tu errantes populos tranſmiſſis vatibus olim
Dum reuocas tua iuſſa ſimul ſanctoſq; Prophetas
Spernentes alios lapidum vi alióſque ſecantes,
Atque alios aliis diris cruciatibus atræ
Expoſuere neci dura ceruice rebelles,
Digna, ſed his breuibus pro pœnis præmia vitæ
AEternæ tribuis, ſic nos pater aſpice clemens,
Quos per aquas nimias longis erroribus actos
Crudeles ob iuſtitiam legéſque paternas.
Hi commoti odiis ſimul & crudelibus auſis
Dedere nos morti conſpirauere cruentæ.
Accipe ſancte pater noſtra hæc holocauſta, caduca vt
Dum caro cæſa cadit, ſuperas euectus ad auras
Spiritus ipſe tuo aſpectu ſine fine fruatur.
Dixerat interea iunior Briconnius inde
Se abduxit mortem metuens lyntremq; latenter
Ingreſſus, trepidante animo obſeruabat iniquos.
Tortores ſceleri accinctos, dum brachia verſis
Expediunt manicis celeres, theciſq; repoſtos
Educunt enſes, patris obtruncántque lacertos
Primum, dein ſociorum innoxia membra trucidant.
Corpora trunca iacent, fuſoque cruore rubeſcunt
Littora, dum interea Briconius alta profundo
Indigna hæc cernens, ſuſpiria pectore ducit,
In cœlumque oculos tollens gemebundus amaro
Hoc animo ſecum voluit, tum cernit aperto
Aethere fœlices animas ſe inferere cœlo,
Angeliciſq; choris illas comitantibus aulæ
Cœleſtis penetrare ſinus, auditáque toto eſt
Vocibus immixtis dulcis ſymphonia cœlo
Eſſe horum conſors cupiens conatur adire
Littora, ſed fruſtra nixus compellitur inde
Diuerſus ſine velo & remige flantibus Auſtris
Lerinæ inuitus portum ſedémque redire.
Quod non abſque Dei credendum eſt numine geſtum,
Paſsio ſanctorum ne alios celata lateret,
Et ſine honore etiam ne membra inhumata iacerent.
Ergo vbi Lerinam Briconius appulit atque

Sanctorum conſpecta oculis tormenta referre
Cœpit, & inſignes ſuperato ex hoſte triumphos,
Tum varios animi affectus vidiſſe liceret.
Ad lachrymas cogebat amor, qua triſte carere
Supplicium ſociis, ſed & hoc gaudere iubebat
Certa fides gemitus luctuſq; vetabat amaros,
Vtpote qui educti mortis de carcere vitam
Fœlicem nacti, potirentur luce perenni.
Cum mœrore igitur pugnabant gaudia, nec iam
Scire queas vtram ad partem victoria ceſſit.
Dein ſtatuunt Briconio iter monſtrante requiri
Corpora ſanctorum, meritis & honoribus illa
Lerinam tranſlata ſacris ſeruare ſepulchris

ANNOTATIO VINC. SALER.

Ne mireris, benigniſſime lector, veritatiſque feruidus amator, ſi in ſupra adductis actis S. Aygulphi abbatis ſacri aluearij Lerinenſis, & ſociorū Martyrum tranſlationem corporis ſanctiſſimi Patriarchæ Benedicti Abbatis ac eiuſdem ſororis ſcholaſticæ, olim à nonnullis auctoribus inſertam ac interiectam, nunc in iſtis expunctam & eliminatam omnino cernas, id certè non aliqua animi mobilitate, ſed rectis argumentis, & rationibus ab aliquibus in medium adductis præſtitum eſt: nam vt aliquos prodamus, Leo Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis & monachus Caſſinenſis ſcriptorum annalium eiuſdem monaſterij, locupletiſſimis teſtimoniis, & obſignatis ſummorum Pontificum ac Imperatorum tabulis aliiſque argumentis contra huiuſmodi tranſlationem diſſerit, planéque affirmat ſanctiſſimi patris Benedicti corpus in monaſterio Caſſinenſi reconditum indeque tranſlatum nunquam fuiſſe, præcipuéque id docet libro 2. capite 45. Tum Annaliſta Baronius (vt ex his quæ hic ſubiecimus videre potes (validiſſimis rationibus à probabili coniectura deductis, corpus ſancti benedicti nunquam à monachis Caſſinatis cuſtodia deſtitutum fuiſſe, nec alibi furtim tranſlatum non obſcurè innuit. Demum nouiter Reuerendus Matthæus Lauretus Ceruarienſis Hiſpanus Abbas ſancti Saluatoris de Caſtellis in ſuo libello quem edidit de vera exiſtentia corporis ſanctiſſimi Patris Benedicti in Caſſinenſi Eccleſia aperto marte expanſiſque in altum vexillis in arenam deſcendens, conſtanter probat, neque à beato Aygulpho, nec à quoquam alio corpora ſancti Benedicti & ſororis Scholaſticæ vllo vnquam tempore è Caſſino ſublata fuiſſe, vt ex his quæ ex dicto libello hauſimus hic infra poſita cernere vales. Abeant ergo qui huiuſmodi translationis impoſturam actis ſancti Aygulphi inconcinnè intermiſcent, accipiántque & legant pro reſponſo præfatum libellum, de vera exiſtentia corporis ſancti Benedicti in Caſſinenſi Eccleſia.

Baronius

De S. Aygulpho Abbate & martyre Cardinalis Baronius in Annal. Eccle. Tom. 8. Anno Chriſti 664. Vitaliani Papæ X. Conſtantis Imperatoris 23. Hoc anno Clodoueus 2. Francorum Rex diem obiit.

SEd antequam de ſucceſſoribus Clodouei agamus, dicendum eſt de his quę vltimis eius regni temporibus contigerunt, præcipuè verò de martyrio Aygulphi Abbatis, quod & ſi neſcitur quo anno acciderit, tamen eo planè tempore, quo defuncto Erconualdo magiſtro domus Clodouei ſubrogatus eſt Ebroinus, ex antiquis ſcriptorum monumentis cõſtat ipſum Aygulphum Abbatem Lerinenſis cænobij vna cum ſociis regulæ Monaſteriæ obſeruantiſſimis occiſum eſſe dolo pſeudomonachi Columbi, in ipſum verò lege actum à Clodoueo & Ebroino Magiſtro domus, quæ hæc omnia quidẽ cum ad tertium Clodoueum referri non poſſint, cùm iam ante illius regnum Ebroinus probetur fuiſſe necatus, vtique ad ſecundum hunc Clodoueum referenda ſunt. De quibus antequam agamus, ſciẽdum eſt, quod Aygulphi acta docent, quibus & alij complures ſcriptores adſtipulantur, ipſum miſſum à Mummulo Abbate floriacenſi Caſſinum ad auferendas inde ſacras reliquias ſancti Benedicti Abbatis: addunt alij[a] & ſcholaſticæ ſororis eius à Cenomanis vel Aurelianenſibus eſſe ſublatas. Id cum plerique tradant, haud conſentiunt tempore, cum alij ad Martini Papæ Pontificatum, alij ad Deodati tempora referant. At alij ſunt innumeri qui contradicunt, adeò vt etiam diplomata afferant Romanorum Pontificum, id teſtantia, cuius probationis genere nec careat pars aduerſa. Sed refugit animus, tandẽ coactus ſum cõtrouerſię huius ſpinetum adire, quod horret, vel è longè ſpectare: prætermiſſis igitur omnibus his, ac ſi non extarent, perplexitatum ambagibus, reuocata ad ſuum principium queſtione, modò tantum quid ſuadeant coniecturæ, velut è ſpecula attentiùs contemplemur, non vt quid verum ſit definiamus, ſed tantùm quid veriſimile cõſideremus. Certum eſt à Longobardis Caſſinẽſe cœnobium deuaſtatum: ſed rogo te, num Monachis illis Caſſinenſibus Romam migrantibus, quibus cura fuit menſuram quoque panis, & vini ſecum ferre, nulla fuit ratio ſacrorum oſsium ſanctiſsmi Benedicti, & ſi non ſecum aſportandi ſaltem occultandi, vel cuſtodiendi ea alicuius monachi anachoreticam vitam illic ducentis aſsiſtentia? ita planè ſenties: neque enim fas eſſe videtur exiſtimare tam ſacra pignora Benedicti atque ſcholaſticæ illic fuiſſe penitùs abſq; cultu aliquo derelicta à Monachis Caſsinenſibus Romæ degentibus: cùm videamus exẽplis, quoſuis etiam regularis diſciplinæ ſolutiſsimos Monachos, ſuiipſorum inſtitutoris memoriæ tenaciſsimos eſſe, vt pro ea cõſeruanda paratiſint vitam quoque profundere. Certè quidem quãdo Petronax Brixianus ad inſtaurandum locum perrexit, aliquos ibi reſidere inuenit, pro vt idem Paulus[b] Diaconus docet, vel ſi velimus nimia obſcitantia ſtertiſſe omnes, vt abſque cultu veneranda lypſana dereliquerint: quo modo transferre ea Romam ad Lateranenſe cœnobium in mentem potuit non veniſſe, tot preterlabentibus annis? quod cum eos non feciſſe conſtet, planè bene cultum tunc & cuſtoditum fuiſſe locum illum, aliquando reſtituendum, argumento eſt. Rurſum verò, ſi innotuit Gallis, & iis magnopere exultantibus, corpus ſancti Benedicti, floriacum eſſe tranſlatum: cur non floriacum, ſed Caſsinum à Francorum principibus, & aliis innumeris vndique confluẽtibus. Poſt hæc frequentes fuerunt, pietatis ergo peregrinationes ſuſceptæ? quam autem frequens, & celeberrima ex toto pene orbe, ex tranſalpinis verò potiſsimùm, peregrinatio

s. Aygulphi martyrium.

[a] *Paul. diac. lib. 6. cap. 2.*

Efficaces rationes corpus S. Benedicti haud penitus deſtitutum.

[b] *Paulus, diacon. lib. 6. cap. 40. nou. edit. plant.*

ad Caſsinum montem fuerit, quæ ſuis locis inferius dicenda erunt, aperte
a *Paul. diac. lib. 6. cap. 1. vel 2.* docebunt, ſunt hæc, quæ (vt diximus) coniectura opinari nos admonet. Scimus tamen antiquiorem omnium Paulum [a] Diaconum qui hoc ſæculo vixit & Monachus in dicto Caſsinenſi cœnobio diem extremum clauſit, quæſtionem ita dirimere, vt dicat tranſlata oſſa fuiſſe, remanſiſſe verò, redactas in puluerem carnes: ſicque idem intelligit quod ait inferius dum agens de reſtitutione Monaſterij Caſſinenſis facta per Petronacem corpus ipſum ſancti Benedicti illic eſſe abſque dubitatione teſtatur: cuius auctoritas apud me plurimùm valet. Vtcumque ſit venerari fideles piè ſanctéque corpus integrum, vbi tenuis tantum puluiſculus habeatur alicuius ſancti, quod eiuſdem ſit virtutis cuius & integrum corpus, docet Gregorius Nazianzenus in Iulianum. Sed de his hæc ſatis, redeamus ad necem ſanctorum Monachorum Aygulphi ac ſociorum. Cùm enim ex Floriacenſi Monaſterio ad præfecturam Lerinenſis Monaſterij vocatus eſſe, in quo collapſa Monaſtica diſciplina videretur, inuidiam incurrit, & odium pſeudomonachorum illic degentium Columbi atque Archadij: qui ipſum cum eius ſociis primum vinciendum curarunt, & in carcerem coniiciendum, inde verò ad eorum ſupplicium ignobilem Inſulam delegerunt inter Corſicam atque Sardiniam conſtitutam, vbi poſt linguæ abſciſſionem, & erutionem oculorum capite truncati ſunt. Sed eorum corpora comperto facinore, in Lerinenſem Inſulam relata, atque cum honore ſepulta fuere, nefandus autem Columbus ſceleris architectus à Rege Clodoueo poſt alia tormenta necari iuſſus eſt. Hæc ſummatim ſatis dixiſſe de Aygulpho eiuſque ſociis martyribus: ſed iſta pluribus eorundem acta martyrum. Relati ſunt iidem inter ſanctos Dei martyres tabuliſque Eccleſiaſticis [b] adnotati atque annua memoria nobilitati: Hæc Baron.

Martyrium S. Aygulphi & ſoc.

b *Martyr. Roman. die. 3. ſeptem.*

Reuerendus Pater Matthæus Lauretus Ceruarienſis Hiſpanus Abbas ſancti Saluatoris de Caſtellis in ſuo libello de vera exiſtentia corporis S. P. Benedicti in Caſſinenſi Eccleſia, hæc habet de ſancto Aygulpho Abbate & Martyre. cap. XIII. ſecundæ partis vbi ex profeſſo agit de tranſlatione S. Benedicti.

Aſſerunt præterea Adreualdus, & ſocij, Beatum Martyrem Aygulphum, corpora ſancti Benedicti, & Scolaſticæ è Caſſino in Galliam tranſtuliſſe: quod ſi falſum eſſe demonſtrabimus, ruet profectò huius tranſlationis commentitia narratio. Hoc autem ex ipſa temporum ſic deducitur. Tabulæ Monaſterij Lerinenſis, cuius Abbas fuit Beatus Aygulphus, eius paſſionem conſignatam habent tertio nonas ſeptembris anni domini ſexcenteſimi ſexageſimi: quibus aſſentitur Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium Romanum, ipſo eodem die. Martyrologium verò Floriacēſe teſtatur tranſlationem Sancti Benedicti factam fuiſſe eodem ipſo anno quinto idus Iulij. Hęc autem ſimus ſtare non poſſe, patet euidenter ex actis eiuſdem ſancti Aygulphi, in quibus aſſeritur, beatum Aygulphum multum ante Paſcha, dolo & factione Archadij & Columbi captum fuiſſe, atque vſque ad diem obitus ſui ita permanſiſſe. Anno igitur ſexcenteſimo ſexageſimo, non potuit ſanctus Aygulphus corpus ſancti Benedicti transferre. Imo ſi demus Beatum Aygulphum non fuiſſe paſſum eo anno, ſed ſequenti, vel biennio poſt, non potuit anno ſexcenteſimo ſexageſimo venire Caſſinum ad tollendum corpus ſancti Benedicti. Teſtantur enim eius acta, & alij ſcriptores id ab eo factum, dum adhuc eſſet Monachus Floriacenſis, poſt eam verò tranſlationem magnum ſibi apud Galliæ Regem, & aulicos ſanctitatis opinionem comparaſſe: deinde

Anno 660.

Boſc. pag. 409

de Lerinenſes Monachos ſpirituali patre deſtitutos Regem conueniſſe, Abbatem ſibi ab eo dari poſtulantes, Regem verò habito cum proceribus de eligendo Abbate concilio ſanctum Aygulphum Lerinenſibus Monachis præfeciſſe. Vniuerſa hęc non potuerunt fieri in inſtanti: Proficiſcitur de hinc ſanctus Aygulphus Lerinum, vbi peramanter à Monachis exceptus diutiùs quietè & pacificè, verbo & exemplo illuſtris, eidem cœnobio præfuit. Poſtea delecta in S. virorum Archadij & Columbi rabie & malitia, B. Aygulphus blandiſſima oratione peruerſos illorum animos ſtuduit emollire: cuius verbis ſe aſſenſum præbuiſſe ſimulantes, per totum vnius anni ſpatium furorem ſuum compreſſerunt. Cumque conceptum in ſanctum virum odium intra cordis latebras continere vlteriùs non valerent, in apertam perſequutionem prorumpentes. B. Aygulphum, & quoſdam alios, ei adhęrentes monachos, aggrediuntur, manuſque ſacrilegas in eos iniicientes, naui impoſuerunt, marique ſe committentes, per multos dies marinis fluctibus huc illucque iactati tandem in die cœnæ domini ad Inſulam Caprariam appullerunt: vbi vſque ad reditum Columbi ab Epheſo, ſub cuſtodia permanſerunt. Poſt cuius reditum iterum ſancti viri naui imponuntur, atque ad Inſulam Amathunam, in qua decolati ſunt, deportantur. Ex his omnibus ſimul collectis, facilè apparet ſanctum Aygulphum anno ſexcenteſimo ſexageſimo nequiuiſſe reliquias Beati Benedicti è Caſſino in Galliam transferre, vt vult Martyrologium Floriacenſe cum tunc temporis fuerit iam carceri mancipatus, vel ſaltem Abbas Lerinenſis conſtitutus. Vidit argumentum hoc Adreualdus, cúmque illud diſſoluere nequiret, conatus eſt ſubterfugere, ſcribens de Beato Aygulpho in libro de tranſlatione ſancti Benedicti cap. 3. ad finem, quæ ſequuntur. *Námque eum bonis polleret moribus, & in Monaſterio Lerinenſi ob bonorum ſtudiũ operum peteretur aliquantiſper, exempli gratia remorari: à contrariis religioni diuinæ inſidias perpeſſus, ad palmã vſque martyrij peruenit. Cuius etiã paſſio penes nos habetur.* Vides Adreualdi fraudem? Aliquantiſper tantam exempli gratia Beatum Aygulphum apud Lerinum remoratum fuiſſe docet: cùm tamen ex illius actis conſtet, ipſum Abbatẽ Lerinenſem creatũ diutiùs ibidẽ permanſiſſe? Profectò his verbis Adreualdus propoſitæ difficultati tacitè reſpondere ac ſi diceret. Non repugnat B. Aygulphum quinto Idus Iulij anni ſexcenteſimi ſexageſimi, Diui Benedicti reliquias Floriaci detuliſſe & eodem anno tertio nonas ſeptembris Martyrium ſubiiſſe, quia apud Lerinẽſe cœnobium aliquantiſper tantùm, exempli gratia remoratus eſt. Suppreſſit ergo Adreualdus veritatem, at nullo modo eſt excuſabilis, cùm acta B. Aygulphi legerit: hoc enim eſt, quod vbi ſupra dicit: cuius etiam paſſio penes nos habetur. Dicimus igitur ſanctum Aygulphum eo anno, quo Floriacenſes aſſerunt non potuiſſe corpus ſancti Benedicti transferre, ac per conſequens falſum eſſe, quod in eorum Martyrologio de tempore huius tranſlationis legitur. *Boſc. pag. 3. 4.*

Caput. XIIII.

Antequam hinc digrediamur, annotandum videtur in actis Beati Aygulphi, quod de ſancti Benedicti tranſlatione conſcriptum reperitur. Ego quidem cum Eccleſia Catholica eundem Beatum martyrem veneror, colo & adoro, eiuſque paſſionem credo, atque recipio verum quia noui in multorum geſtis ſanctorum, non pauca inuenire caſtigatione digna: ideo in his Beati Aygulphi actis, fiunt mihi valdè ſuſpecta, quæ de tranſlatione ſan-

cti Benedicti referuntur, tanquam ſint ab eo quopiam ſuperaddita & adiecta. Quod patet ſi legas ſic. Denique omni varia virtutum gratia inſtructus videbatur, eiuſque tuendæ & conſeruandæ gratia, quod de Beato viro ſcribitur, meditabatur die, ac nocte in lege domini: In cui⁹ ſanè exercitatione vſq; adeò profecit, vt non ſolùm eius prouinciæ hominibus, ſed etiam exterius doctrina eius admirationi eſſet, hinc verò, licèt ille nihil tale curaret, magna apud Regem, & aulicos ſanctitatis opinio beato Aygulpho comparata fuit. Cúmq; ea fama increbreſceret, & dignus videretur qui ſuper candelabrũ poneretur, monachi Lerinenſes eò aduenium ſpiritalem patrem ſibi dari poſtulantes, &c. Decurrit profectò huius orationis fluxus ſuauiter, nec aliquis apparet defectus, cum tamen ea, quæ de S. Benedicti tranſlatione ibi dicuntur, penitùs ablata ſint, ac expuncta. Certè non leue argumentũ eſt ad probandũ vel ſaltẽ dubitadũ ea, quę de tranſlatione S. Benedicti in his actis habẽtur, nõ fuiſſe à primario eorũ auctore ibi deſcripta, ſed ab alio poſtea ſuper inducta: quòd Adreualdus, qui acta paſſionis B. Aygulphi legit, vt ſupra vidimus: non adducit in confirmationem huius tranſlationis acta iſta, quæ magnæ ſunt auctoritatis: vt planè appareat, verba illa de tranſlatione, tempore Adreualdi non fuiſſe adhuc appoſita actis B. Aygulphi. Preterea narrata perbreuiter, in prædictis actis Diui Benedicti tranſlatione, verba iſta ſubnectuntur, extat hac de re libellus conſcriptus, ad quem tanquam ad notum & cognitum remittit lectorem. Primus autem qui libellum de tranſlatione S. Benedicti conſcripſit creditur fuiſſe Adreualdus. Cuius tempore iam extabant Beati Aygulphi acta, vt idem ipſe teſtatur. Probabile ergo fit valdè, totum illud de tranſlatione ſancti Benedicti adiectũ fuiſſe Beati Aygulphi actis ab aliquo Adreualdo recentiore, vel ſaltem non fuiſſe in actis, quæ Adreualdus vidit & legit: appareret etiam colluſio quædam in acta Aygulphi & Adreualdi libellum, dum alter alterius mentionem facit, quibus omnibus attentis, verba illa de tranſlatione ſancti Benedicti actis Beati Aygulphi inſerta redduntur de adiectione valdè ſuſpecta. Neque ex hoc quod Eccleſia Catholica acta Beati Aygulphi (quod attinet ad eius martyrium) recipit, & approbat, infertur recipere, & approbare quæcunque in eis continentur: ſicut enim Paulus quando dixit Athenis, in ipſo viuimus, mouemur & ſumus, ſicut & quidam veſtrorum Poëtarum dixerunt: Ipſius enim & genus ſumus, quod ex Arato Poëta deſumptum eſt, noluit approbare vniuerſa Arati Poëmata, & alia exempla ſimilia. Sic Eccleſia Catholica recipiens ſanctorum Patrum libros non intelligitur approbare, ſi quæ in eis reperiuntur minùs rectè dicta. Acta ergo B. Aygulphi recipiuntur quidem ab Eccleſia quoad paſſionem & martyrium eius, non autem quo ad id, quod de Beati Benedicti referunt tranſlatione.

Ex cap. 15. eiuſdem.

ETſi quæ hactenus dicta ſunt videntur ſufficere, ad reiiciendam & connumerandam S. Benedicti tranſlationem inter eas fabulas, quæ ementito nomine, in hiſtorias tranſſiſſe videntur: tamen ſi his addamus, quæ Adreualdus in lib. de tranſlatione cap. 5. & 6. narrat, ſtatim cuique ſenſato ac prudenti viro, fabuloſa videbuntur ferè vniuerſa. *Boſc. pag. 6.* Aſſerit enim Aygulphum oſſa, & cineres ſanctorum Benedicti, & ſcholaſticæ vnius ſportulæ ſinu incluſiſſe: atque ſic abſcondita ſecum detuliſſe. Quod figmento ſimile eſſe, nemo non videt: oſſa enim & cineres duorum cadauerum humanorum vnius ſportulæ ſinus non capit. De illis duabus viſionibus, ſeu apparitionibus quas eodem tempore

tempore factas refert alteram Papæ, Aygulpho alteram, quid dicam? De Longobardis à Pontifice in adiutorium vocatis ad inſequendos eos, qui ſacra illa pignora deferebant, quid addam? certè fabula de anima Traiani precibus B. Gregorij ab inferno liberata probabilior multò videtur iis, quæ de tranſlatione ſancti Benedicti ab Adreualdo ſunt ſcripta, adducit author multas alias rationes, & infra, vlterius qui de hac tranſlatione ſcribunt, adeò interſe diuiſi ſunt atque diſſecti, vt tot ferè ſint modi referēdi, quot ſcriptores, nec leue eſt argumentum falſitatis: tam varia eiuſdem rei narratio. Tandem concludit ca. 16. dicens, colligamus tandem vela, & vniuerſis à nobis ſuperius adductis, prudenter attentis, & conſideratis, hanc concluſionem firmiſſimè teneamus, ſcilicet corpus ſanctiſſimi patris Benedicti è caſſino monte nunquam fuiſſe tranſlatum. Hæc Matheus Lauretus.

Porrò pythagorico ſilentio non obuoluendū duco, hac noſtra adhuc ętate venerabilia lipſana ſancti & inuicti patris Aygulphi trigintaque trium monachorum Lerinenſium martyrum ſociorum eius in ſacro alueario Inſulæ Lerinenſis & infra ſolidam turrim in ſacello ſanctæ crucis venerabiliter cū reliquis ſanctorum reliquiis aſſeruari in quadam capſa ſeu Archa lignea deforis depicta rubeo colore cum hac inſcriptione: *Hæc ſunt corpora ſanctorum Aygulphi & ſociorum eius.* Cranium verò & oſſa ſacra capitis Reuerendi præfati athletæ Aygulphi Abbatis, in ſtatua eleuata è pectore ſurſum argentea magnificè elaborata & inciſa in habitu pontificali cùm mitra variis lapilis ornata reconditum inibi cuſtodiri, hac nota circum ſignatū: Hoc caput beati Aygulphi Raymondina Tombarella & Iacobus filius eius de Nicia monachus Lerinenſis fecerunt fieri: & ego Ioannes Calio feci anno 1452. die 22. Maij. Hi non infimæ familiæ Nicienſis ciuitatis extitere oriundi vti inſignia opere encauſtico appoſita docent: extant enim bipartita & in vna parte piſcis aureus in campo vltramarino ſeu cœleſti, in altera arbor viridis in campo aureo continetur: qui certè pij deuotique pectoris indicium poſteris relinquentes meritò orationum ſuffragiis adiuuari meruerunt, nam monachi Lerinenſes tanti muneris non immemores pro ipſorum & parentū ſuorum animabus annua anniuerſaria ſoluerunt, vti claret ex mortalogio perantiquo dicti cœnobij Lerinenſis Inſulæ.

Ad diuinum auxilium implorandum, vt opere impleamus quod in hac ſacra Inſula Lerinenſi profitemur, hæc ego Dominus Vincentius Barolis, Salerna meditatus in ſopore meo sū in ſancto Aygulpho Abbate & martyre dum in obſeruantia inſtitutorum regularium nimis vrgerer die. 6. Ianuarij. anni. 1610. & exaudiuit me Dominus, conſolatus ſum.

Primò igitur dicatur pſal. *Deus miſereatur noſtri*, cum *gloria &c.* deinde *ſo. Apprehēdite diſciplina.* ℟. *nequando iraſcatur Dominus & pereatis de via iuſta.* ℣. *mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.* ℟. *vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas.* ℣. *Memor eſto congregationis tuæ.* ℟. *quam poſſediſti ab initio.* ℣. *Domini exaudi.*

Oremus.

DEus in te ſperantium fortitudo qui Beatiſſimo famulo tuo Benedicto abſtracto, à mundi huius turbinibus, ſpiritum gratiæ tuæ, ad cōdendam regularem vitæ monaſticę normam infudiſti & tibi ſoli in ea militare iuſſiſti, pro cuius regularis obſeruantiæ zelo glorioſi martyres Aygulphus Abbas

Lerinenſis ſociiq́ue eius permiſerunt ſibi linguas radicitus abſcidi, oculos erui, & capita truncari, eiſq́ue ſumma tua ſolita dementia indulſiſti, verba vitæ ſine lingua prædicare, ad cœlos oculos attollere, concede nobis quæſumus famulis tuis, vt mandata regularia quæ lingua noſtra loquitur, bonis operibus conuerſatio noſtra exequatur, & per viam tibi placitæ obedientiæ per quam illi illæſi inceſſere, nos præclaris eorum meritis adiuti in offenſo pede, per ſemitam diſciplinæ regulans priſcæ inſtitutionis Lerinenſis, incedere valeamus, vt tua adiuuante gratia aliquando ſempiternis eorum gaudiis admiſceri mereamur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tibi obediens fuit vſque ad mortem, mortem autem crucis, cum quo & ſpiritu ſancto viuis & regnas Deus per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

De ſancto Verano ſiue Veranio Epiſcopo Vencienſi & Monacho Lerinenſi, Annotatio Vinc. Saler. floruit circa annos domini.449.

Septemb. 10. DE ſancto Verano Epiſcopo ciuitatis venciæ in Gallia Narbonenſi propè Varum fluuium ex Monacho Lerinenſis Inſulæ, filio autem ſancti Eucherij Epiſcopi Lugdunenſis, & fratre Salonij Epiſcopi, penè nil reperi, cum eius acta non extent, niſi ea quæ hic infra habentur de Monaſterio olim eius nomini dicato, tum quæ adducuntur in vita & notationibus ſancti Eucherij patris ipſius, 16. nouembris, & Salonij fratris eiuſdem die. 28. ſeptembris, quæ videas, & his adde quæ hic ſequuntur, ex Ioannis Sauaro Claromontenſis commentario Epiſtolę quintę decimæ lib. ſeptimi Sidonij Apollinaris datæ ad Salonium Epiſcopum fratrem Verani: ait enim ad extremum Veranus Vencienſi reddatur ciuitati, Martyrologium Vencienſis Eccleſiæ: In Galliis ciuitate Vencienſi depoſitio beati Verani Epiſcopi Vencienſis qui fuit Monachus Inſulæ Lerinenſis, diſcipulus beati Hilarij Abbatis dictæ Inſulæ, & poſtea Epiſcopi Arelatenſis, qui beatus Veranus ſepultus eſt in eadem Eccleſia Venciẽſi in Sarcophago marmoreo in pariete defixo, qui multis virtutibus & miraculis claruit, ac de nobili proſapia ortus, in pace quieuit quarto idus ſeptembris. Vetus codex cœnobij Lerinẽſis in quo nomina ſunt Epiſcoporum Abbatum, & Monachorum qui ex Lerini gremio in diuorum numerum ſunt agregati ſic habet: *Sanctus Veranus Vencienſis Epiſcopus, ſanctus Lambertus Vencienſis Epiſcopus*, qui duo inter Lugdunenſes Epiſcopos numerantur, & malè. Fuit autem iſte Veranus illuſtris genere, & virtute, vt dictum eſt filius Eucherij Senatoris, & tria in ipſo notatu digna, inueniuntur, nempè quod fuit filius Epiſcopi frater Epiſcopi, & ipſe Epiſcopus, tum obſeruandiſſimus ſedis Apoſtolicæ, & tenaciſſimus deffenſor iurium Eccleſiaſticorum. Quo tempore autem claruerit, elicitur, ex actis ſancti Eucherij patris eius, & fratris Salonij, nempè, circa annos domini quadraginta nouem ſupra quadringentos. Venerãda eius lipſana honorificè aſſeruantur in Eccleſia Cathedrali Vencienſi prouinciæ Narbonenſis, vbi ſacrum eius caput ſeu Cranium reconditum in ſtatua è medio pectoris eleuata, ex argento fabricata & in aurata habetur, cum hac inſcriptione. *Hoc eſt caput beati verani Epiſcopi Vencienſis fabricatum per magiſtrum Laurentium de Pardis aurifabrum anno domini 149*. die. 10. octobris.* Et vt fama fert elaboratum fuit iuſſu Reueren. domini Raphaelis Hiſpani Epiſcopi Vencienſis. Porrò præfactæ ciuitatis Vencienſis clerus & populus quot annis celebritatis eius feſta ſolemniter recolunt anniuerſaria, quarto idus ſeptembris cum maximo applauſu & deuotione. Aliquid aliud certi vſque modo non habemus, cùm eius vitæ acta non extent.

Martyrolog. Vencien. Eccleſiæ.

Tabula Lerinenſ.

449.

De Monaſterio S. Verani.

Et quia

Et quia (vt prætaxatum eſt) hucvſque nobis non eſt conceſſum, neque in excuſſis, nec in manuſcriptis codicibus, acta ſancti ac multùm venerandi Verani Epiſcopi ex Monacho Lerinenſe inuenire. Non diſſonum ab inſtituto putamus noſtro, ſi ea quæ de ſuo nomini olim dicato celebri cœnobio, dum alia à nobis inueſtigarentur ſe præſentarunt hic promantur, quibus & præſens ſua mortalitas, & futura non ignoret poſteritas, qua ſedula deuotione priſca præceſſorum ſedulitas erga cultum ſanctorum fuerit propenſa excitando eorum memorias, variæque donaria, ac munifica munera cõferendo, vt ex ſummariis aliquarum donationum hic tibi propoſitis intelliges. Nam vt antiqua cartularia docent Anno ab incarnato Dei verbo milleſimo quinto, indictione tertia, currente ſeptimo idus Decembris, præſidente in Aytenſi ciuitate domino Stephano Epiſcopo, electus eſt in Vencienſem Epiſcopum Dominus Durantus, Monaſterij ſancti Euſebij Abbas, qui Durantus, quia rudes & totius boni ac religionis ignaros homines terræ illius nouerat, quendam fratrem prædicti cœnobij Monachũ nomine Pontiũ comitẽ ſibi adſciuit. Qui venientes & flumen nome Lupum in tranſmeãtes inuenerunt Eccleſiam Beatę Mariæ Dei genitricis quã quondã magnus Carolus Rex ædificauerat, & magnis donis ditauerat quã etiam ipſa antiquitas Deauratã cognominauit, nũc vaſtã deſertam, incultam & ſolo æquatam. Hunc itaque locum idem Põtius monachus ſibi elegit, quia iuxta mare erat, & omnia conueniẽtia, vtpotè habitabili loco cernebat, propè etiam Eccleſiam (nempè Vencienſem) Domini Epiſcopi Duranti præſcindens ergo Pontius immanẽ lignorum ſiluam, inuenit oratorium ſancti petri iuxta Eccleſiam ſanctæ mariæ, & beati Ioannis Baptiſtæ, atque beati confeſſoris verani. Accedenſq; ad principes regionis illius expetiit ab eis, vt liber fieret locus ab omni cõditione clericorũ ac laicorum Protinus Raimbaldus & Lambertus proceres terræ, accerſentes dominum Epiſcopum Durantum omnibus modis hoc fieri decreuerunt, vnde ſępè dictus Epiſcopus cognita procerem voluntate ſcripto ſuo confirmauit, vt quemadmodum quondam Rex Carolus liberam ſtatuerat Eccleſiam hanc, tam ab omni Epiſcopali grauamine quam etiam clericali, ac laicali ſeruitio ſic domino concedente perpetuo conſiſteret: & Dominus Conſtantinus nobili familia ortus Abbas primus eiuſdem Monaſterij eſt electus qui omnia collapſa reparauit & ſanctè gubernauit, multóſque monachos inibi congregauit, & varia donaria ab hominibus: nam anno domini milleſimo duodecimo feria ſexta idus Auguſti. Nobilis petrus cum vxore ſua Ermengarda cogitantes de animę ſuæ mercede, vt mererentur illam vocem benignam audire quam dominus dicturus erit, *venite benedicti patris mei percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi:* & aut glorioſiſſima genitrix Dei maria intercederet pro ipſis ad dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt cum hac vita migraturi eſſent ſuſcipi mererentur inter angelos ſuos pro ipſius amore dederunt domino Deo beatæ Mariæ quæ vocatur Deaurata, & beato Verano, quæ fuere conſtructæ Eccleſiæ à piiſſimo Carolo imperatore Longobardorum, ceu patrocinio Romanorum in comitatu Vencienſi, ſcilicet dederunt vineam quæ iacet iuxta flumen Cagnæ, & mare, cum ædificibus ſuis, & aliam vineam ſupra pontem iuxta Maluanũ, aliamq; iuxta Eccleſiam, cum manſo vno in vico qui vocatur Varo, cum ſuis depẽdentiis dederunt (inquam) hæc Monaſterio ſupradicto S. Verani, & Abbati ſuo Conſtantino ſucceſſoribuſque ſuis, cum imprecatione vt ſi quis, ipſi vel alia perſona contra hanc donationem vllam calumniam intulerit, iram Dei omnipotentis incurrat, & cum Datan & Abiron, & Iuda ſit

1005.

S. Maria Deaurata fit Monaſterium ſancti Verani.

Eximitur ab omni iuriſdictione.

1012.

damnatus & ſepultus inferno,&non ſit Epiſcopus nec ſacerdos qui illum poſit abſoluere,& hæc donatio firma & honorificata permaneat omni tempore vſque in ſempiternum, quam oblationem ipſe offerens cum vxore ſua manu propria ſignarunt,& teſtes firmare rogarunt.Qui nobilis Petrus,& vxor eius Ermengarda poſt quatuor annos,noſtræ ſcilicet redemptionis anno milleſi-
1016. mo ſexto decimo,miſericordia qua ſemper affluebant,& piis viſceribus, quæ erga præfatum Monaſterium, ſub tenore verborum præcedenti oblationis, eidem contulerunt aliam poſſeſſionem iacentem inter flumen Lupi, & Maluanam & flumen Cagnæ,& mare, & territorio de Circlo, & Canadello, vt Abbas conſtantinus, & Monachi præſentes & futuri perpetuis temporibus poſſiderent,horum deuotum animum & alios imitare non piguit, nam anno vigeſimo nono ſupra milleſimum feria quarta 8.Idus Aprilis,eadem ferè verborum forma egregius vir Saramannus, & vxor eius Bonafanta filiæque eorum cogitantes de animabus ſuis dederunt ſanctæ Mariæ ſanctóque Verano & Monachis eiuſdem Monaſterij,iuxta fluuium Lupi,ſeptem modiatas terrę cultæ,in loco qui dicitur Puteus: tum vineam aliámque terram in loco nominato Herba:Cartámq; donationis ipſi firmarunt & teſtes firmare rogarũt.
1030. Anno verò trigeſimo ſupra milleſimum,ſupra nominatus Pontius Abbas antea Monachus ſancti Euſebij defuncto Conſtantino preceſſore ordinatus eſt Abbas Monaſterij ſancti Verani nonis Auguſti, qui Eccleſiam rexit, ſemota omni inquietudine ſanctè in magna pace, cui ſecundo anno ordinationis ſuæ à proceribus loci facta eſt ei inſignis oblatio,quam hic integram in amãtium antiquitatis gratiam referimus.

Sacroſanctæ Dei Eccleſiæ quæ eſt conſtructa in comitatu Vencienſe, & eſt conſecrata in honore ſanctæ Deigenitricis Mariæ, & ſancti Ioannis Bapptiſtæ, & ſancti Petri Apoſtoli, & ſancti Verani confeſſoris Monaſterio quod ſitum eſt,iuxta mare prope fluuium Lupi ante Caſtrum Caſſinæ, vbi & venerabilis Pontius Abbas præeſſe videtur.Nos quidem in Dei nomine Leotgerius & vxor mea Odila,& infantes noſtri Raimbaldus ſcilicet & dominus Epiſcopus Petrus, nec non & Roſtagnus iuuenis Deo propitio ſana mente integróque conſilio,metuentes caſum humanæ fragilitatis, ne nobis repentina mors obueniat, placuit & placet animis noſtris,vt aliquid de rebus propriis noſtris Deo deberemus offerre,& prædicti Monaſterij Abbati, vel Monachis ibid.Deo dignè famulãtibus donare,ſicuti & facimus.Dum priſcarum enim legũ ſanxit auctoritas vt quicunque rem ſuã in quẽlibet cedere,donare, tradere,trãsfundereque voluerit,hoc per ſeriẽ ſcripturarũ auxiliante domino laudabiliter plenius debeat corroborare.Ideóque nos iam dicti Leotgerius & vxor mea Odila,& filij noſtri Raimbaldus videlicet, dominus Petrus Epiſcopus,nec nõ & Roſtagnus iuuenis,prędictis Eccleſ.ſanctæ Deigenitricis Marię S.Ioannis Baptiſtæ,ſancti Petri Apoſtoli,& ſancti Verani confeſſoris,Pontio Abbati aut Monachis ibidem Deo ſeruientibus, tam præſentibus quam futuris,ſub hac verò deſcriptione pro remedio animarum noſtrarum, vel genitoris noſtri, & genitricis quas dominus omnipotens per interceſſionem omnium ſanctorum,& orationes Monachorum abſoluere dignetur peccata eorum.Res noſtras cedimus,donamus,tradimus atque transfundimus quę ſunt in comitatu Vencienſe, in territorio de Caſtro qui nominatur Cagna, quæ mihi Odilæ,ex Marchione Guillielmo,& Atalis Comitiſſa obuenit,Eccleſiis ſupra ſcriptis, & terra in circuitu eius, ſic terminata eſt, ad exemplum viſu hominis: in vineis, campis, hortis, occlatis, terris cultis, & incultis,pra-

tis, pratis, ſilliis, & garriciis, arboribus pomiferis, & impomiferis, montibus, vallibus, aquis aquarumque decurſibus, cum omnibus finibus earum. Eſt autem inter conſortes de vno latere fluuius qui nominatur Lupus: de alio, riuus Maluanus: & de vno fronte, mare magnum, de alio frote mons qui eſt ſupra Eccleſias ſicut demergit aqua in imo, vel ſi qui alij conſortes ſunt. Quantum ergo infra ipſas terminationes nos habemus, & quantum nobis obuenit, vel obuenire debet, totum & integrum donamus atque tranſfundimus, cum omnibus fundis poſſeſſionibus cœnobio ſupra ſcripto, & Abbati Pontio & ſucceſſoribus ſuis, vt teneant vel poſſideant omnes habitantes in ipſo cœnobio commemorato, cum omni ſtipulatione interpoſita, omni firmitate ſubnixa. Sanè ſi quis nos aut vllus homo, aut vllus de propinquis parentibus noſtris, aut vlla ſuppoſita vel ſubrogata perſona, qui contra donationem iſtam, ire aut inquietar, vel irrumpere voluerit, ira Dei incurrat ſuper eum, & cum Iuda traditore participationem habeat, & Datan & Abiron, & cum illis qui dixerunt domino Deo, deſtruamus eum de terra viuentium. Et poſtea auri optimi libras duodecim componat, & ante omnes præſides firma ſtabilique permaneat omni tẽpore. Facta eſt iſta donatio in menſe Februario anno ab incarnatione domini milleſimo trigeſimo ſecundo in 1032.
dictione XV. Signarunt Leotgerius, & vxor ſua Odila & infantes ſui Raimbaldus & dominus Epiſcopus Petrus & Roſtagnus qui donationem iſtam ſcribere fecerunt & teſtes firmare rogauerunt, manus illorum firmat, Pontius Morrofius F. Brocardus F. cũ vxore & infantibus. Ricaldus F. Bouetus F. Odila F. Pontius Arbertus F. Iſnardo teſte. Guillielmo teſte. Accelana vxor Raimbaldi F. Aycardus F. Alfantus F. Bermondus F. Andreas Epiſcopus F. ſcripta per manus Pontij monachi atque Abbatis.

Eodem anno qui ſupra, & ſecundo Cal. Decembris in natali S. Andreæ 1032.
Apoſtoli, nobis Guido & vxor eius Bliſmoda, & infantes, Obertus & Guilliermus dederunt Eccleſiis monaſterij ſupradicti, Pontióque Abbati, & Monachis, aliquas terras & vineas in comitatu Glandatenſi, in villis quæ dicuntur Tudonum & Reueſtum, vt admodo ab habitatoribus prefacti cœnobij ſancti Verani in perpetuum tenerentur.

Sequenti vero anno milleſimo trigeſimo tertio in menſe Maij, illuſtris 1033.
Lambertus & vxor eius Auſtrudis & filij ſui Fulco & Guillielmus ſemper viſcera pietatis geſtantes, derelinquerunt præfacto cœnobio & Abbati Pontio quaſdam poſſeſſiones cum domibus ſuis quas poſſidebant iuxta ſæpè dictum Monaſterium.

His donationibus non contenti idem verè ingenuus & pius Lambertus, & Amicus germani fratres. Tum Raimbaldus & Roſtagnus ſimul fratres & vxores illorum principes & proceres regiones illius, vt per interceſſionem ſeruorum Dei à pondere peccatorum liberarentur, & in cœleſtibus cum ſanctis ſocietatem haberent, dederunt domino Pontio Abbati Monachis & ſucceſſoribus ſuis, qui in Monaſterio quod ſitum eſt in Comitatu Vencienſi iuſta Caſtrum nominatum Cogna, diuina futuris temporibus peregerint, ipſum locum cum Eccleſiis in eo conſtructis, videlicet Eccleſiam ſanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ dicebatur ab antiquis deaurata, tempore piiſſimi Caroli Regis conſtructa, nec ne Eccleſiam ſancti Ioannis Baptiſtæ & ſancti Petri Apoſtoli, & ſancti Verani Confeſſoris, & aliorum ſanctorum honoribus ſunt conſecratæ, cum vineis, pratis, campis, decimis, aquis, &c. Prohibentes ſuo ſcripto, ne aliquis homo ſuæ præſumat ſubiicere dictioni, nullúſque

Rex, Princeps, Episcopus super Abbatem siue Monachos ibidem Deo famulantes,aliquam dominationem agere præsumat.Huiusmodi autem donationis cartam quinquaginta personæ propriis firmarunt manibus, in quos nobiliores extiterunt ipsi donatores& parentes eorum,tum dominus Petrus Episcopus Sistaricensis,Aldebertus Episcopus Antipolensis,Andreas EpiscopusNicensis,& ipse Pontius Abbas.

1036. Anno verò trigesimo sexto supra millesimum, idé nobilis qui supra Amicus nomine dedit præfato Abbati & Monasterio domum cum vineis, campis, terris &c. in villa quæ cognominatur Cagna in loco qui dicitur *Isclaveneris*. Aliis porrò & variis donariis auctum fuit Monasterium sancti Verani Episcopi præfati, sub magisterio venerabilis Pontij Abbatis, qui præuidens eidem cœnobio in futurum,ipsum cum omnibus quæ habebat, Monasterio sacræ Insulæ Lerinensis commendare atque venire curauit, vti ex sequenti Chirographo claret.

Donatio monasterij.S.Verani, facta monasterioLerinensi.

In nomine domini nostri Iesu Christi.Ego Pontius Abbas monasterij sancti Verani cum concilio omnium monachorum meorum, & cum concilio domini Duranti Episcopi Vencienſis cunctorúmque Canonicorum suorum & cum concilio Raimbaldi atque Lamberti & Amici(hi enim erant fratres, & proceres vt supra vidisti.) Dono Deo & sanctæ Mariæ genitrici eius, sanctóque Honorato monasterij Lerinensis atque Abbati eiusdem loci Aldeberto(fuit iste primus huius nominis)cunctísque monachis tam præsentibus quam futuris ibidem assiduè Deo militantibus, monasterium sancti Verani in quo positus sum Abbas, quod situm est in Pago Vencienſi cum omnibus appenditiis suis, prædicto monasterio Lerinensi pro inclita religione ipsius loci, trado & firmiter concedo, vt deinceps habeant, & perpetuò absque inquietudine aliqua,vel contradictione possideant, & hanc donationem religiosissimo Lerinensi monasterio facio, ne locus ipse sancti Verani post obitum meum, pristini nominis dignitatem valeat amittere, quam habuit hactenùs à Tempore Caroli magni regis Francorum, qui illud construxit & donis suis ditauit, sed permaneat in eo pristina dignitas iuuante Christo, & cum Lerinensi Monasterij adiutorio. Dominus Durantus Vencienſis sanctæ sedis Episcopus voluit, & manu sua firmauit. Aldebertus Episcopus Antipolitanus firmauit.Andreas Nicensis Episc.firmauit.Raimbaldus, Lãbertus Amicus Principes firmarunt. Brocardus F. Aycardus F. Lotgerius & Raimbaldus de sancto Laurentio firmauerunt.Lãbertus F.Sanè quis hanc donationem aliqua occasione infringere vel voluerit, ac Monasterio Lerinensi auferre conatus fuerit,auctoritate Apostolorum Petri &Pauli,& nostra excommunicationi perpetuæ, (nisi resipuerit ab hac nequitia)submittimus.

1050. Facta est autem hæc carta, anno ab incarnato Dei verbo millesimo quinquagesimo Indictione secunda. At verò memoratus Pontius Abbas rexit præfactam Ecclesiam omni semota inquietudine in magna pace, confectusque senio rogauit ad se venire dominum Aldebertum (primum scilicet) Abbatem Lerinensem,& præsente Domino duranto Episcopo Vencienſe, ac voluntati eius assentiente, se ipsum Ecclesiamque suam Lerinensi monasterio obtulit, Episcopi scripto manum dante ac confirmante hæc acta sunt in loco eiusdem Monasterij sanctæ Mariæ, & sancti Verani,octauo Kal. Augusti:indictione octaua,concurrente sexta,anno Dominicę incarnationis, mil-

1055. lesimo quinquagesimo quinto tempore & anno creditur deffunctum esse venerabilem Petrum Abbatem, & Monasterium Lerinẽse possessionem sancti

cti Verani cœnobij adeptum eſſe quæ, vt memoriæ comendarentur in futuro, Guillielmus Truanus Lerinenſis monachus iuſſu Domini Aldeberti primi, Abbatis, ſcriptis commendauit, poſtmodum verò anno ſcilicet ſexageſimo ſecundo ſupra milleſimum, ingenuus iam ſupra nominatus Raimbaldus princeps, pro redemptione animæ ſuæ & parentum ſuorum dedit ſanctæ Mariæ ſanctoque Honorato, Abbati ac cūctis monachis in Monaſterio Deo militantibus præſentibus & futuris, Monaſterium ſancti Verani quod ſitum eſt in pago Vencienſi cum omnibus pertinentiis ſuis totam illam, ſcilicet partem quam ibi videbatur habere: iam enim ſupra annū 1050. ipſemet firmauerat donationem factam à Domino Pontio Abbate, Monaſterio ſacræ Inſulæ Lerinenſis. 1062.

De ſancto Florentio Abbate Lerinenſis Monaſterij, cuius feſtum notatur die 22. Septembris.

QVamquam nullum non moueris lapidem, in huius Abbatis Florētij inqueſtigandis actis, tamen nihil reperi vſquam, neque in manuſcriptis Lerinenſibus, quicquid dicat Arnoldus in ſuo Martyrologio Monaſtico die 27. Iunij, in quo & diem tranſlationis eius ponit, neque in typis excuſſis codicibus: Benè hac die agitur de alio ſancto Florentio presbytero in Martyrologio Romano in hęc verba, in pago Pictauienſi ſancti Florentij presbyteri: Baronius in notis. De quo hac die Vſuardus, pluribus de eo Petrus in cathalogo lib. 8. cap. 107. peruenit vſque ad tempora Theodoſij ſenioris, hæc ille: ſed nihil ad noſtrum Florentium Abbatem Lerinenſem, cuius acta ſicut & plurimorum aliorum ſanctorum Lerinenſium deperdita, dolemus. Indices tamen perantiqui manuſcripti cœnobij Lerinenſis conſtanter habent. S. Florentius Abbas Lerinenſis, quo tempore claruerit non liquet. *Septemb. 22.*

Vita Sancti Ioannis Reomaenſis Abbatis, & monachi Lerinen. vt habetur in peruetuſto M.S. Codice: floruit circa ann. Domini 530.

VIr per omnia prædicandus Ioannes, nullique ſuo tempore ſecundus, ortus in territorio vrbis Lingonicę nobili genere, patre Hilario, matre verò Quieta: puer literis imbuēdus traditur. Cùm autem fuiſſet annorū viginti inuitis parentibus ſæculo valedixit, ac in remoto loco villæ, propriis manibus cellam & oratorium conſtruxit: vbi adiunctis ſecum duobus pueris, ſoli Deo vacabat. Inde verò ad perfectiora tendens, in deſerto quod ſub axe Lingonico iacet, cum dictis pueris ſe contulit, & primo ibi in paruo tugurio habitauit. Creſcente autem numero diſcipulorum ad eum cōfluentium, timuit ne plębi dominando, periculum potiùs elationis incurreret, quàm vitæ meritum acquireret. Quocirca cum duobus prænominatis ſociis nocte fugiens, perluſtrauit Galliæ Monaſteria: tandemque perueniens in Inſulam marinam, Monaſterium Lerinum petiit, ibique receptus, diſtrictiſſimè vixit, ac ſanctiſſimè inter cœnobitas illos conuerſatus eſt. *Baron. & alij 28. Ian.* *Patria & parentes.* *Vale dicit Mundo vitā ſolitariā eligens.* *Clàm fugit ne præficiatur multitudini.* *Fugiens peruenit Lerinū.*

Hic igitur poſtquàm anno & menſibus ſex delituiſſet, per vniuerſam patriam quæſitus, à quodam, qui de Galliæ partibus aduenerat, vix agnitus propter habitus ſui vilitatem, inuentus eſt. Cognito autem eo, monachi Lerinēſes, quem priùs fama celebrem reddebat, veniam ſuæ ignorantiæ humiliter petierunt, quod ei inter iuniores locum dediſſent. Interim reuerſus agnitor ille ineffabile gaudium de inuentione beati Ioannis reportauit. Quod cùm Gregorius piæ memoriæ Lingonienſis Epiſcopus intellexiſſet, duas conſcri- *Eius humilitas.*

Reuocatur ad ſuos filios per D. Gregorium Lingonien. Epiſcopum qui deſiit ab humanis ann. 541.

pſit epiſtolas, vnam per duos Patres, Domino Abbati Lerinenſi trãsmittens, qua virum Dei rogabat ſibi reſt itui : alteram verò Abbati Ioanni, qua cum reuocauit ad ſuos: terrendo eundem quòd eſſet ante tribunal iuſti iudicis Chriſti reddituru rationem, ob ſui loci deſolationem, ac fratrum diſpertionem. Regreſſus igitur vir Dei, non tam illi patriæ, quàm ſuis filiis multum attulit gaudij, ac breui ſpatio reformauit Monaſterij diſciplinam.

Oratione occidit baſiliſcũ.

Cùm ergo indicto deſerto Iornodorenſi preeſſet, fratres nimiam patiebãtur aquæ penuriam, cui incommodo quærentibus remedium, nunciatur, eodem loco antiquitus fuiſſe puteum multæ profunditatis, quem vulgaris iniuria, & temporum vetuſtas nimia lapidum obſtruxerat congeries. Serpens verò baſiliſcus in eodẽ putei loco habitabat. Sanctus verò Dei plenus fide, prior ad locum accedens, raſtro fodere cœpit, ac alij iuuantibus putei oſtium aperuit, & ſerpentem oratione interemit: ex quo puteo copia aquę in præſens vſque hauritur.

Mater ſua eum viſitat.

Per idem tempus Mater ſua, magno eũ videndi tenebatur deſiderio, quod cum per fratres ei eſſet ſignificatum primò tenuit, ſed poſteà ne fidem Matris videretur velle contemnere, eam admiſit, ac tranſiens ante eam cum reuerentia, parumper obtutibus eius ſeipſum exhibuit moxque diſceſſit, rogans per miniſtros, ne in hac re ampliùs moleſtaretur, quia deinceps ſe eum nullatenus viſuram in preſenti vita, prædixit.

Fur quidam diuinitus cogitur reſtituere ablatas ſecures.

Alio quodam tempore cum fratres ligna tæderent in ſylua caſu admonaſterium reuerſi reliquerunt ſecutes ſuas incœpti operis loco, quas quidem ſuperueniens inuentas furatus eſt. Poſteà fratribus id ſuo patri referentibus, ille iuſſit eos lectioni vacare, & exiens ad prædictũ locum, ibidem intentiſſimè orauit. Fur igitur reuerſus, ad pedes ſancti viri corruit, ſecures reſtituit, & veniam cõmiſſi criminis humiliter expoſtulauit, aſſerens ſe ante reſtitutionem de nemore exire non potuiſſe.

Demoniacus curatur. Item alius.

Eidem ſancto Dei mirabilis effugandorum dæmonum collata eſt poteſtas, quouſque in viuis manebat. Vnde & filium clariſſimi Nicaſij obſeſſum, cùm propè tranſiret, & ille proclamare non poſſe diutiùs tolerare Ioannis Abbatis preſentiam, ad Deum acceſſit, & oratione ſanauit. Aliũ quoque mutum obſeſſum curauit, qui vſq; ad obitum in monaſterio poſtea laudabiliter vixit & perſeuerauit.

Secundinus patritius diuinitus caſtigatur.

Quodam tempore litteras ſuas ad Secundinum Patricium miſit, quibus cuiuſdam pauperculi cauſam egit. At ille, ſpreta eius commendatione, litteras in terram proiecit & pedibus conculcauit. Sed non defuit Dei vindicta. Nam toto corpore tanto tremore ac pauore ſubitò concutitur, vt intelligeret, ob tanti viri contemptũ ſe iſta mala perpeti. Mox igitur per internuncios humiliter veniam deprecatur, & tandem impetrata ſibi per ſanctum complens,

Curatur.

ſanatur.

Mira eius benignitas in pauperes.

Plurimos quoque infirmos, miſſis eulogiis mortis faucibus eripuit. Quodam enim famis tempore, dum egentium caterua ad ſanctum confluereret, & ipſe omnibus miſericorditer ſubueniret, miniſter eius ſuperueniens, ei indicauit, tantum non ſupereſſe frumenti, quantum omnibus ſufficeret. Mox pius pater vas iuſſit pauperibus impleri, capiens plus minus modios quinquies quinos, cætera quæ reſtabant, in vſus fratrum reſeruari. Cùm ergo turba egenorum per aliquot tempus ex eo aletur, euenit vt quidam iuxta morem mendicaret. Sanctus autem conſuetam menſuram dari iubet egenti. Miniſter verò reſpondit nihil in vaſe exiſtere, ſed totum pauperibus erogatum.

Quo

Quo audito, ſanctus oculos in cœlum attollit, & genu flexo orauit dominum. Qui ſurgens ab oratione, iubet miniſtro, vt fideliter alimenta deferat ingenti pergens ergo miniſter, vas quod prius vacuum reliquerat, repletum reperit, & pauperi conſuetam menſuram dedit. *Pro pauperibus ſibi alimenta cœlitus adminiſtrantur.*

Vir quidam religioſus Sequanus nomine, audita fama ſancti Ioan. Abbatis, more patrum, quadam nocte à partibus Magnimontenenſis aduenit, & baſilicam ſancti Ioan. oraturus latenter intrauit. Quod vbi vir Dei diuina reuelatione intellexit, iubet miniſtro, vt dato ſigno ſodales excitet, quia frater Sequanus abſconditæ fores Eccleſiæ penetrans orat. Abeuntes ergo fratres ad Eccleſiæ fores, famulum Dei errantem inuenerunt, cui hoſpitalitatis officium deuotè perſoluerunt. Obiit autem ſanctus Ioannes Abbas anno ætatis ſuæ centeſimo vigeſimo: Cuius oculi non caligauerunt, nec dentes damna pertulerunt, nec eius memoria lapſa eſt. Sepultus quotidie nihilominùs viuit miraculis. *Fœlix obitus eius.*

Gregorius Turonen: de gloria confeſſorum cap. 87.

FVit in Tornodorenſi pago in parochia Lingonicenſi vir ſanctitate præcipuus, Ioannes Abbas, iuxta ſui nominis Ethimologiã diuina gratia pręuentus. Denique fertur quia cum monaſterium ædificare vellet quod Reomaus nuncupatur: Et fratres nimiam aquæ pecuniam paterentur, reperit puteum immani profunditate altum, vbi peſſimus ſerpens Baſiliſcus habitabat. Hic itaque diuina inuocatione perempto ſerpente, ac mundato puteo, puteum potabilem fratribus reddidit: de qua aqua & nos cum Lugdunum pergeremus à fratribus illius monaſterij benignè ſuſcepti, cauſa miraculi hauſimus: cuius etiam hauſtu plurimi frigorici curantur. Fertur & prefato viro tale miraculum. Quidam fratricida pro enormitate criminis ferreis circulis alligatus, præceptum habuit vt ſeptem annis loca ſanctorum peragrando circuerit. Hic cùm Roma veniſſet reuelatione diuina comperit, non aliter ſe poſſe abſolui niſi ad ſancti corporis reliquias Ioannis Reomænſis Abbatis perueniret. Hic ergo paſſim luſtrando loca, tandem deuenit ab Baſilicam, vbi haud longè à Monaſterio ſacratiſſimum corpus eius locatum eſt. Ibique orationib⁹ & vigiliis incubans, vinculis omnibus abſolut⁹ eſt: vixit vir hic iuſtus & vir religioſus, ſicut legiſlator Moyſes centum viginti annis, cuius nec oculus caligauit, nec dens motus eſt: fuit autem inſtitutor viri memorabilis de quo in ſuo loco narrabimus. Hæc Greg. Turon.

De ſancto Anatolio, ſeu Antiolio Epiſcopo & Monacho Lerinenſi, multum à Sidonio Apollinari celebrato, eiuſque Sychrono, qui claruit anno Chriſti. 484.
Annotatio Vinc. Saler.

HIc 7. Cal. Octobris adducti authoritate Illuſtriſſimi Baronij quædam ſcripta, ex eiuſdem Annal. libris deprompta, tanquam ad inſtitutum noſtrum ſpectantia exarare curauimus (agebat enim in 6. Tomo de ſancto principio Epiſcopo Sueſſionenſi, & filio Lupo eius ſucceſſore aſſerens eos Monachos Lerinenſes) quæ poſtmodum egregius vir Ioannes Sauaro Claromontanus Senator, vti erronea & abſurda reiecit in cõmentario epiſtolæ quartæ decimæ libri octaui Sidonij Apollinaris, quæ omnia certè miſſa fecimus, cum nullatenùs ad noſtram Lerinam attineant. Attamen epiſtolam ipſam cum aliquibus annotationibus præfati Claromontani, hic tibi ſubiicimus ne quis in poſterũ in eundem impinguat lapidem, & quia ſummas *Septemb. 25.*

ſanctorum patrum Lerinenſium proſequitur laudes & maximè Anatolij, ſiue Antiolij Epiſcopi, & Monachi Lerinenſis, cuius nulla adhuc extabat in albo Lerinenſis indicis memoria, tum quia dictis teſtimoniiſque aliorum, aliena refelluntur menda, ne quis forſan noſtrum extimaſſet commentum, non enim, vt iam diximus, aliena noſtro damnamus facta iudicio.

Sidonius Domino Papæ Principio ſalutem. Epiſtola. 14. lib. 8.

IAm diu nobis Papa venerabilis, & ſi nec dum veſter vultus aſpectus, tamē actus inſpectus eſt. Namque ſanctorum diffuſa laus meritorum ſtringi ſpatiis non eſt contenta finalibus. Hinc eſt quòd quia bonæ conſcientiæ modus non ponitur, nec bonæ opinionis terminus inueniretur. Quæ loquor falſa cenſete, niſi profeſſioni meæ competens aſtipulator acceſſerit, ſatis in illo quondam cœnobio Lerinēſi ſpectabile caput Luporum concellita, Maximorumque, & parcimoniæ faltibus conſequi affectans Memphiticos, & Palæſtinos archimandritas, is eſt Epiſcopus Antiolius: cuius relatu, qui pater vobis, quique qualéſque vos fratres, qua morum prærogatiua pontificatu maximo ambo fungimini: cui patri quondam videlicet vos habenti, vix domus Aaron Pontificis antiqui meritò comparetur: quem licet primum in medio plebis eremitidis ſanctificationis oleo legiferi fratris dextera perfuderit, filios eius in ſimilis officij munia vocans tamen ipſius ſuper Ithamar, & Eleazaro fœlicitatem, Nadab, & Abiu fulminibus afflati decolauêre: quorum quamlibet interemptorum credamus abſoluendas animas, punitas tamen ſcimus eſſe perſonas. Vos verò tractaturi paginam altaris nihil vt audio affertis ignis alieni, ſed comitantibus victimis, charitatis caſtitatiſque fragrantiſſimum incenſum in thuribulis cordis adoletis.

Vide notata infra.
Id eſt, Abbates.
Remenſi & Sueſſionenſi.
Id eſt, inter Monachos Lerinenſes.
Leuit. cap. 8.
Exod. c. 28. & 29.
Leuit. 8. & 10.
Num. 3. Paral. 14.

Ad hoc quoties iugum legis ceruicibus ſuperbientium per vincula prædicationis aſtringitis, tunc Deo tauros ſpiritualiter immolatis, quotiens conſcientiæ luxuriantis fœtore pollutos, ad ſuaueolentiam pudicitiæ, ſtimulis correctionis impellitis, hircorum vos obtuliſſe virulentiam Chriſtus ſibi cōputat, quotiens hortantibus vobis in quocunq; compuncto culpas ſuas anima lachrymabiliter recordata ſuſpirat: quis vos ambigat paria Turturum, aut binos pullos columbarum, qui duplicem ſubſtantiam vtriuſque hominis noſtri tam numero quam gemitu aſſignant myſtico litaſſe ſacrificio? quotiens veſtro monitu obeſum quicunque corpus æſtuantémque turgidi ventris aruinam crebro ieiuniorum decoquendus igne torruerit, nulli dubium eſt, vos tunc ſimilam frictam in quadàm continentiæ ſartagine conſecraturos, quotiens aliquem mentis perfidæ figmenta ponentem, ſanam reſpondere doctrinam, fidem credere, viam tenere, vitam ſperare, ſuadetis: quis vos dubitet in huius emendatione conuerſi, qui iam ſit liber ab hæreſi, liber ab hypochriſi liber ab ſchiſmate, purgatiſſimum propoſitionis panem cum ſinceritatis & veritatis azymis dedicaturos? poſtremò quis neſciat quidquid legis diebus figuraliter immolabatur in corporibus, quod totum id gratiæ tempore manifeſtè vos offeratis in moribus? Atque ideò grates vberes Deo refero, quod ſecundùm veſtræ paginæ qualitatē, facilè agnoſco Antiſtitem ſuprafactum de vobis cum magna dixerit, maiora tacuiſſe. Quapropter nemo dubitauerit, qui bonus es cum indicaris, & melior cum legeris, te eſſe optimum cum videris. Megetius clericus veſtri gerulus eloquij, rebus ex ſententia geſtis, quia tuorum apicum detulit munera, meorum reportat obſequia: quem ſaltem iuuiſus voto, quia rem forſitan non valemus, per quem obſecro impenſè, vt ſitim noſtram frequenter literis literatis, ambo ger

Leuit. cap. 1. 2. 3. 6. & 7.

Anatalium ſcilicet.

bo germani, tu frequentiùs, irrigetis. Sed ſi difficultas itineris interſiti reſultat optatis, vel aliquoties pro ſupplicibus, ſupplicate. Maius eſt autem ſi nobis tribuere dignemini, raris interceſſionibus ſalutem, quam ſi crebris affatibus dignitatem. Vale Memor noſtri eſſe dignare, domine Papa.

Annotatio Vinc. Saler.

Ecce vt præmiſimus, notatiunculam in præfata Epiſtola ex verbis commentarij Claromontani, excerptam, præ oculis tibi quaſi Lucernam, vt verum te cernere valeas hic proponimus, quæ ſic ſe habet: Papæ Principio id eſt Epiſcopo Sueſſionenſi, ſancti Remigij germano qui concilio Arauſicano ſecundo, & Carpentoratenſi ſubſcripſit, acta conciliorum, Sigebertus in chro. 486. clarent in Galliis, Remigius Remenſis, & Principius frater eius Sueſſionēſis Epiſcopus. Vide Hinemarum, & ex eo Floardum in vita ſancti Remigij, Patruus fuit Lupi Sueſſionēſis ſuiq; ſucceſſoris. Hinemar. ibid. non pater nec Lupum illum ſecum in Lerinum duxit, vt ex hac Epiſtola non intellecta Baronius commentus eſt, anno dom. 463. Tom. 6. *Luporum concellita.* Concellitā vocat concellaneam Anatolium, id eſt cum Lupo & Maximo Lerinenſium Cellularum cohabitatorem, à quibus Cellulani Lerinenſes Monachi vocātur concellita autem lupi ex Maximi Anatolius intelligendus, non Principius, nam cum dicit Luporum, id eſt Lupi Tricaſſini: Maximorum, id eſt Maximi Regienſis Epiſcopi, pluralis numeri pro ſingulari, familiaris eſt enim huiuſmodi formula loquendi Sidonio. vt Epiſtola. 8. lib. 3. non idcircò Brutos torquatóſque non pariunt ſæcula mea, & Epiſt. 14. lib. Cornelios oratores, & Auſonios poetas, lib. 7. in concione, Paulis, Antoniis, Hilarionibus, Epiſt. 8. li. 8. Quid Serranorum æmulus & Camillonum, & ne videatur in leges regularum commiſiſſe de quibus Seruius in arte lib. 2. Illud ſcire debemus, quod ſi proprium eſt, quod vnius eſt, numerum tantum recepit ſingularem, neque enim poteſt res vnius in pluralem cadere idem tamen Tertul. in Apolog. Vnde qui armati palatium irrumpant omnibus Stephanis atque partheniis audaciores. Caſſiod. lib. 8. Epiſt. 12. mittit & Liguria Tullios ſuos, quæ loquendi ratio Cæſarem Baronium virum magnum in maximum errorem induxit, qui ex hocce Sidonij loco collegit in Martyrologio Romano, ſeptimo Cal. octobris, duos fuiſſe huius nominis Lerinenſes anachoretas, vnum Tricaſſinum, alterum Lugdunēſem Epiſcopum, Lupi Tricaſſini in Lerino ſucceſſorē, quæ res à vero longè aberrat, quod tamen vt adſtruat Sidoniis verba in Euchariſtico citat, quæ prima fronte errori patrocinari videntur.

Monachi Lerinenſis dicti cellulani.

Vita ſenis iuueniſque Lupi.

Illa tamen benè atque integrè diſpuncta expungent omnem errorem, & illud commentum explodent, vt abſonum omninò & prorſus erroneum, ſic.

——*Quæ ſancta Capraſij*
Vita ſenis, iuueniſque Lupi.

Vbi loquitur de ſene Capraſio, & Lupo iuuene, ſcilicet Tricaſſino, qui æuo ſenis Capraſij iuuenis erat, quodque tollit omnem dubitationem, Lupus Lugdunenſis non numeratur in albo Epiſcoporum qui, ex Lerinenſi eremo ad Epiſcopatus peruenerunt, longéque poſt Lupum Tricaſſinum fuit, quod ex eius hiſtoria, & Catalogo Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcoporum liquet. Hæc Sauaro. Additur inſuper quod idem Annaliſta in notis Martyrologij Romani 25. ſeptembris ponit Lupum filium ſancti Principij Epiſcopi Sueſſionenſis, Epiſcopum Lugdunenſem, & in Annalibus, Tomo. 6. anno Chriſti. 507. fol. 581. littera D. Collocat eundem Lupum Epiſcopū Sueſſionēſem ſucceſſorem

patris: quæ res tres videtur conſtituere Lupos Epiſcopos in Galliis nempè Tricaſſinum Sueſſionem, & Lugdunenſem, quem Lupum Lugdunenſem idem Baronius etiam in ſecunda editione Martyrologij prętaxata die ſeptembris putat fuiſſe Monachum Lerinenſem, dum ait in notis de eodem Beda, Vſuardus, Ado, cæteriq́ue recentiores: cùm autem hic dicatur, ex anachoreta factus Epiſcopus Lugdunenſis illum putamus qui in Inſula Lerini, poſt Lupum Trecentem exercuit vitam Monaſticam.

Lupus Lugdu. Monachus Lerinenſis.

De Salonio Epiſcopo in Gallia & monacho Lerinenſi, qui floruit circa annos Domini 485. Sidonius Salonio S. Epiſtola 15. lib. 7.

Septemb. 28. QVoties Viẽnam venio, emptum maximo velim, vt te fratremq́ue communem colonum, ciuitatis habitatio plus haberet, qui mihi non amore ſolùm, verum etiam profeſſione ſociamini: ſed & ille imputationem meam prætextu frequentatæ ſuburbanitatis eludit per quam efficitur, vt nobis, nec præſens ipſe, nec reus ſit & tu habes, quo te miſerim excuſes, quia te diu poſſidet vix recepta poſſeſſio, quicquid illud eſt, iam venite, hac deinceps condictione diſceſſum impetraturi, vt aut viciſſim redeatis, aut ſeriùs. Namq́ue licèt rari poſiti ſtrenuos impleatis Agricolas, tunc verè propriam terram fœcundabitis, ſi Eccleſiam quam plurimum colitis, plus colatis. Vale.

Annotatio.

Vt quis fuerit iſte Salonius ex his quæ reperire valui clarius euadat, notatiunculas ex Ioannis Sauaro comentario huius epiſtolæ inferam: ait enim in verbo tituli, Salonio.] Salonij meminit Gennadius cap. 63. in Eucherio, & in Saluiano ca. 83. vterque ad Salonium ſcripſit Eucherius in lib. 1. inſtructionũ ad Salonium, qui vix dum decem natus annos eremum ingreſſus, inter illas ſanctorũ manus non ſolũ imbutus, verùm etiã enutritus ſis ab Honorato patre, illo, inquam primum Inſularum, poſtea etiam Eccleſiarum magiſtro: cùm te illic beatiſſimi Hilarij tunc inſulani tyronis, ſed iã nunc ſummi pontificis, doctrina formaret, per omnes ſpiritualium rerum diſciplinas, ab hoc etiam te conſummantibus ſanctis Viris Saluiano atque Vincentio, eloquentia pariter ſapientiaq́ue præminentibus. Ex his ſancti Eucherij facilè intelligis, quis iſte Salonius fuerit, primùm Lerinenſis monachus, poſtea Epiſcopus. Saluianus autem in prefatione ad Eccleſiam Catholicam ad Salonium Epiſcopum. Quæris à me, ô mi Saloni charitas mea, decus noſtrũ atq; ſubſidium, item in fine habes, ô mi Saloni charitas mea, item. Vale decus noſtrum atque ſubſidium, fuit Saluiani antea in Lerino diſcipulus. Viennam. (quidem ex his verbis, Salonium viennenſem Epiſcopum crediderunt: Epiſcopum fuiſſe clarum eſt, Viennenſem nõ fuiſſe claro clarius, nec ab Adone in albo Epiſcoporum numeratur, fratremq́ue communem.) id eſt Veranium qui Salonij frater erat, Saluianus in Epiſtola ad Eucherium tam illum ornent à quo ſunt geniti, vbi de Salonio & Veranio. Iſidorus de viris illuſtribus cap. 16. de Eucherio ad Soloniũ & Veranium fratres Epiſcopos, & dialogus Salonij ad Veranium fratrem, is etiam vt dictum eſt decimo huius, Lerinenſis monachus, iiſdemq́ue præceſſoribus quibus frater inſtitutus fuit poſtea Epiſcopus. Eucherij Lugdunenſis filios, idẽ Eucherius, & Saluianus videntur inuehere cùm tamen Ado treuirenſis Gallæ vxoris meminerit, conſortiæ & Tulliæ tantum 16. Cal. Decembris. Vnde aliqui filios ſpirituales fuiſſe ſuſpicantur. Profeſſione ſociamini.) Profeſſionis nomen ſatis indicat Salonium & Veranium religioſos fuiſſe & poſtmodum Epiſcopos vt dictum eſt Gennadius in Eucherio diſſeri.

Videas in Eucherio die 16. Nouembris & Siluiano inſequenti.

diſſeruit etiam ad perſonam filiorum Salonij & Veranij poſtea Epiſcoporum obſcura quæque ſanctarum capitula ſcripturarum erraſſe, qui Viennenſem Epiſcopum prædicarunt Salonium ſuper docui, non minus errare, qui Lugdunenſem prædicant paucis docebo. Tabulæ Lugdunenſis Eccleſiæ, Eucherij ſucceſſorem, Salonium vocãt, non eſt quod his tabulis fidem adhibeas, multi enim irrepſerunt in album, vt hic Salonius poſt Eucherium, nec non Veranus poſt Salonium, & poſt Veranum Deſiderius, poſt eum Patiens, qui ſucceſſor fuit Eucherii, reliqui ex hoc albo expungendi ſunt, & ſuis Eccleſiis quibus præfuerunt reponendi. Deſiderius Viennæ reddatur, vel adſtipulante Beda in Martyrologio 10. Cal. Iunij. Salonius Genuæ reddatur, Vſuardus quarto Cal. octobris. Ciuitate ianuis ſancti Saloni Epiſcopi, & confeſſoris, Ado. Genua ciuitate depoſitio Salonij Epiſcopi. Et ſi in Martyrologio Rom. Salomonis legatur, & Petrus Equilin. lib. vndecimo cap. 263. Salomon ſcribat, in Martyrologio Bedę Solonis, in M.S. Carthaſiç Salonis: tamen idẽ vbique eſt cum hoc noſtro Sidoniano qui nec ineptè vocatur, Salomus & Salomo, qui in parabolas Salomonis & Eccleſiaſtem elegans opus conſcripſit, hoc ipſo nomine ſui cognominis inuitatus in modum dialogi, interloquutores, ipſe Salonius, & frater eius Veranius. Interfuit Sinodo Arauſicanæ eidémque ſubſcripſit, videas infra ſexto decimo Nouembris de ſancto Eucherio ex Baronio deprompta, & ſcias ipſi Salonio in hoc tractatu non apponi inſigne Titulum ſancti, vel Diui, hoc prohibente cenſura magiſtri ſacri palatij Apoſtolici in Bibliotheca Margarini, vbi ait, in Salonio in titulo paginæ, & in inſcriptionibus, & deinceps in toto opere, tolle nomen Diui quod Salonio præfigitur, nam etſi eruditione, & ſanctitate magnus fuerit, nondum tamen Eccleſia titulum iſtum ei tribuit. Et poſt præfationem Margarini, hæc addẽda mandat eadem cenſura, ſcilicet Salonium fuiſſe Epiſcopum certũ eſt, at fuiſſe Viennenſem Epiſcopum magnis argumentis in dubium reuocat Baronius Tom. 6. Annal. Anno. 441. cap. 12. Adde inſuper quicquid dicant ſuper citati à Sauarone, hunc Salonium valdè diuerſum eſſe à Salomone Ianuenſi qui vt fertur primus fuit Epiſcopus eiuſdem ciuitatis vicinus temporibus Apoſtolorum, Salonius autem in Galliis Epiſcopus fuit, vt manifeſtat Epiſtola eius & collegarum ad ſanctum Leonem. Baronius in notis Martyrologij putat hunc Salonium Epiſcopum Lugdunenſem ordine vigeſimum primum ſucceſſorem ſancti Eucherij de quo tabulæ Epiſcoporum Lugdunenſium quas deſcripſit Democharis, accipe & appendicem adductam poſt Eucherium à doctiſſimo Iacobo Seuertio in ſua hiſtorica Chronologia antiſtitum Lugdunenſium: ſic enim habet poſt Eucherium adſequitur Salonius identidem creditus à nonnullis Archiepiſcopus Lugdunenſis: qui dum Salonius appellatur apud Sarazinum, atque Campegium ſeorſum, dicitur Saloinus Democharis, & Salomus Paradino ex ſuis quibuſque tabulis pro cuius aſſertione in Lugdunenſi Eccleſia, magna eſt controuerſia priore loco eum haud extitis ſe Ludunenſem Archiflaminem inducitur primo ex commentariis ſancti Eucherij Lugdunenſis Archiepiſcopi, qui multa paſſim dicauit, ad Salonium & Veranum fratres Epiſcopos (ait) Fuit ergo Salonius Epiſc. degẽte Eucherio, adeóq; alibi quam Lugduni, quia duo in eadem ciuitate ſub iiſdem annis pręeſſe non potuerunt, veluti probè argumẽtatur Baronius in Annalibus Tom. 6. an. 441. Leonis Papæ anno 2. Hinc nonnulli addicunt eum Viennenſi Eccleſiæ, quod ad ipſum Viennam ſcripſerit Sidonius Apollinaris. At præterquam quod

Infra in S. Eucher. 16. nouemb.

Iacobus Seuertius in Chronologia.

6. 2. cap. 14.

Lib. 7. Epiſ. 15.

eundem Sidonius Epitheto Epiſcopi non inſignat: huic inſuper decreto aduerſari videtur, & taciturnitas Democharis in Catalogo Archiepiſcoporum Viennenſium, & vetutiſſimum teſtimonium Gennadij de Saluiano Maſſilienſi præsbytero, qui deuouit ad Salonium librum vnum, (inquit) atque expoſitionis extremæ partis Eccleſiaſtis ad Claudianum Epiſcopum Viennenſem, librum vnum qui quidem Claudianus ex Trithemio eſt idem quod Mammercus Viennenſis Epiſcopus, & Claudiani poetæ ac presbyteri Viennenſis frater. Cùm igitur ipſi Claudiano Viennenſi fuerit Synchronus Salonius, iſte ſimul Viennenſis præſul dici non potuit, propterea Doctiſſimus Sauaro Sidonij Commentator, Salonium redit Genuæ, eóque refert Vſuardum, qui in Martyrologio ſcribit. Ciuitate Ianuis S. Salonij Epiſcopi? Attamen certè ex mutatione vrbis ſeu nomenclaturæ ac ſæculi minimè indicati, licet inferrè & dicere, alio tendere hiſtoriam Vſuardi, etiamque per ſimilem locum ac diem Martyrologij Bedæ, qui abſque certo diſcrimine ponit, in Gallia Saloni Epiſcopi. Vt nimirum Salonius Genuenſibus attribui ritè non poſſit cuius ſententiæ potiſſima ratio eſt, quia Baronius in ſuo martyrologio eadem loca exponit ſub variata voce. Salomonis Genuenſis Epiſcopi & confeſſoris, ergo verius, Salomon, & non Salomus Genuæ ſedit. Itaque, ad ſunt ancipites valdè editiones verùm tandem dicam. Siſtus Lenenſis in Bibliotheca ſacra eundem Salonium reponit Eccleſiæ Viennenſi quem diſertè inſcribit Epiſcopum Viennæ, cum multis eius quæ ibi extant operibus editis ad an. 450. vbi præterea inſeruntur libri tres Saluiani Maſſilienſis Epiſcopi ſub anno 480. ex præfato Trithemio, vtique miſſi ad Salonium Epiſcopum Viennenſem, cuius, nomen & Cathedram obiter renouat Genebrardus in Chronologia. Sed ad extremum recentior Baronius eam Viennenſem Salonij ſedem in dubium vocat planè, quod Ado Viennenſis, dum recenſet Viennenſes Epiſcopos hunc ignorauerit, adeóque pars negans, demum redire cenſetur, etenim præterquam quod Ado eiuſmodi ſuum anteceſſorem in Chronico pretermittit. Baronius quoque dicit Tomo 6. Leonis Papæ. 10. quidem tres inſigniores Galliarum Epiſcopos nomine cæterorum ſcripſiſſe ad Leonem Pontificem maximum anno 449. nimirum Ceretium, Salonium atque Veranum: attamen vbinam fuere antiſtites non affirmat. Reuera certè de Salonio nihil habet breuiarium Lugdunenſe, poſteriore autem loco Salonium aliquem è diametro potuiſſe Eucherio ſucceſſiſſe, etiam non obſtante Salonio Viennenſi, duplex eſt probabilis coniectura; & pendet ex eo, quod imprimis à pari argumento legimus duos Synchronos Burchardos præfuiſſe iiſdem Eccleſiis Lugdunenſi ac Viennenſi Archiepiſcopos, necnon conſtitiſſe vna in concilio Anſano ſcilicet anno ſal. 1025. veluti nos recens collegimus ex vetuſtiſſimis manuſcriptis, qui inſcribuntur. Tituli antiqui Eccleſiæ Matiſconis. Deinde ratio altera inde fuit, quod credere fas ſit Salonij translationem, ex priore ſede ad Lugdunenſem, eueniſſe poſt Eucherij deceſſum, ſicuti apud Democharem legimus Ioannem 63. pictauenſem Epiſcopum, poſtea effectum Lugdunenſem Archiepiſcopum & alios pariter, vt in vſu quotidiano eſt; maximè quia ſuperius negans propoſitum pedem ſatis fixum alibi Salonio non ſtatuit, & fortaſſis oculos mentis in alterutram hanc ſententiam coniicit Baronius dum in ſuo Martyrologio ad partem aientem inclinat cum tabellis citatis præſertim ſi ſanctus Eucherius obierit, non poſt annos 463. Sed ante mortem Valentiniani Imperatoris, ſeu an. 454. ex priſcorum voluminibus. Quippe Leo Papa primus naturæ ſatisfecit an. 460. ad quē

Tom. 2. c. 29. *Cap. 67. in Tom. 1. Ieronimi.* *28. Septemb.* *Die citato & Tom. 7. annal.* *Super parabol. & Eccleſiaſtic. Salem. in Bibliothec. Margarini Tom. 6.* *Et octo alij libri in Biblio. Tom. 3.* *Sub an. 485.* *fuitque Salonius primum Monachus Lerinenſis & doctus.* *In 6. etate, ad an. 396. & 458.* *Tom. 2. ca. 26.* *28. Septemb, ſub Salomone Citatis ſupra in Eucherio.*

Salonius

Salonius literas exarare potuit,ſedēs Lugduni ab anteriore ſeptennio vt minimum,quia tamen non etiam liquet apertè de iſta poſteriore ſententia,eam ob cauſam nec expungimus omninò, nec in album, & ordinem extollimus Salonium. Sed interea meritò lectorem de ipſius hiſtoria certiorem factum voluimus in iſta epitome maiorem verò poſt hac lucem, ſi tempora dederint,expectamus.Hęc Seuertius.Vide vt anceps remaneat ſedes Salonij.*Opera Salonij require in bibliotheca Margarini Tomo primo, & vide cenſuram indicis librorum expurgandorum.*

De Saluiano Epiſcopo Maſſilienſi & Monacho Lerinenſi: Ado Viennen. Epiſcopus in breuiario Chronicorum ætate ſexta an. domini 458. temporibus Clodouei Francorum & Burgundionum Regis.

SAluianus presbyter apud Maſſiliam humana & diuina literatura inſtructus, inter alia quæ ſcripſit, ad Claudianum presbyterum Viennenſem librum vnum expoſitionis extremæ partis in Eccleſiaſtem. Hæc ille

De eodem Saluiano Epiſcopo Maſſilienſi Trithemius de ſcriptoribus Eccleſiaſticis.

SAluianus Maſſilienſis Eccleſiæ præsbyter vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus,& in ſæcularibus literis ſufficienter inſtructus, Epiſcoporum ſui temporis magiſter,ſcripſit ſermone ſcholaſtico,& aperto multa,&varia opuſcula, de quibus ſubiecta feruntur. Ad Claudianum Epiſcopum Viennenſem plures ſcripſit Epiſtolas ſale ſapientiæ conditas. Ad Marcellum presbyterum. De bono virginitatis lib. 3. De preſenti iudicio lib. 5. Ad Claudium Viennenſem Epiſcopum lib. 1. In extremam partem Eccleſiaſtes lib. 1. Homelias ad Epiſcopos factas lib. 1. Homilias plures ad populum lib. 1. Aduerſus Auaritiam lib. 4. Ad Salonium Epiſcopum lib. 1. Ad principium Geneſis Hexameron lib. 1. Epiſtolarum ad diuerſos lib. 1. De ſacramentis quoque lib. 1. *Salonij ſcilicet & Verani in Inſula Lerinenſi.*

Alia quoque multa edidit quæ ad notitiam meam minimè venerunt.Claruit ſub Zenone Imperatore anno domini quadringenteſimo octuageſimo. Hæc Trithemius. *An. domini* 480.

Gennadius verò præsbyter Maſſilienſis, de illuſtribus Eccleſiæ ſcriptoribus cap. 67. de eodem Saluiano Epiſcopo Maſſilienſi.

SAluianus Maſſilienſis Eccleſiæ præsbyter,humana & diuina literatura inſtructus,& vt abſque inuidia loquar, Epiſcoporum ſanctorum Salonij & Veranij magiſter,ſcripſit ſcholaſtico & aperto ſermone multa:ex quibus iſta legi.De virginitatis bono ad Marcellum præsbyterum libros tres. Aduerſum Auaritiam libros quatuor. De preſenti iudicio libros quinque:& pro eorum merito ſatisfactionis ad Salonium Epiſcopum librum vnum, & expoſitionis extremæ partis libri Eccleſiaſtici ad Claudium Epiſcopum Viennenſem librum vnum. Epiſtolarum librum vnum & in morem Græcorum à principio Geneſis vſque ad conditionem hominis compoſuit verſu quaſi Hexameron lib. vnum. Homelias Epiſcopis factas multas.Sacramentorum verò,quantas nec recordor,viuit vſque hodie in ſenectute bona.Hæc Gennadius.

Idem ferè refert Honorius Auguſtodunenſis deſcriptoribus Eccleſiaſticis cap. 67.

Meminit etiam eiusdem Saluiani deplorantis Gallias Illustriss. Baronius in suis Annal. Ecclesiastı. Tom. 1. Anno. Christi 406. Innocentij Papæ S. Archadij & Honorij temporibus.

QVam verò soluta esset in Galliis magna ex parte Ecclesiastica disciplina, corruptísque moribus exundantibus vndique vitiis, eædem prouinciæ meruerint tradi barbaris deuastandę Saluianus Massilienſis Episcopus pluribus docet: viuebat ipse temporibus his, ob oculos habens, quæ ab oculis excuterent iugiter lachrymas, nouus planè sui temporis Hieremias. Nam hæc de suis Aquitanis in primis. In omnibus quipe Galliis (inquit) sicut diuiSaluianus de recto iudic. li. 6. 7. tiis Aquitani primi fuere: sic vitiis: hæc satis. Vide tu reliqua in ipsomet Saluiano libro de recto iudicio sexto & septimo. Subdit deinde Baronius, ipsius Saluiani deplorationem vastationis per Vuandalos Africæ: porrò (inquit) qui ista deplorat Saluianus magni nominis Episcopus, sui temporis fuit, laudatúrque ab Eucherio Episcopo Lugdunensi, simul cum Vincentio, quos sanctos viros eloquentia & doctrina eminentes fuisse tradit, in præfatione ad libros de quæstionibus veteris ac noui testamenti, quos ad Salonium inscripsit, ad quem etiam Saluianus eosdem suos commentarios dedit, fuit autem ipse Salonius Viennensis Episcopus. Hæc Baronius.

Annotatio Vincen. Salern.

QVod incertum sit dicere Salonium Viennensem Episcopum, videas hic supra in ipso Salonio die 28. septẽbris, quod autẽ fuerit Saluianus Monachus Lerinensis clarum est etiam ex his quæ à Gennadio adducuntur dum Saluianum appellat sanctorum Episcoporum Saloníj & Verani magistrum: tum ex sancto Eucherio li. 1. instructionũ ad Salonium dicente. Ad hoc etiam te consummantibus sanctis viris Saluiano atque Vincentio eloquẽtia pariter sapientiáque præeminentibus, vtique in Lerinensi Insula, vt dictum est in Salonio, fuit enim Saluianus discipulus sancti Honorati, atque sanctæ conuersationis eius chariſſimus, vel teste sancto Hilario in sermone funebri de sancto Honorato dicente, vt non immeritò egregius & in Christo beatissimus Saluianus presbyter charorum suorum vnus in scriptis suis dixerit, &c. Opera Saluiani require Tom. quinto Bibliothecæ veterum patrum & de me glosas, & notas marginales.

Dedicatio Ecclesiæ sacræ Insulæ Lerinensis.

Octobris 4. DEdicatio seu Cõsecratio sanctarum Ecclesiarum sacræ Insulæ Lerinẽsis, videlicet Ecclesiæ, sanctæ Dei genitricis Mariæ dictæ de Pietate, & Ecclesiæ maioris S. Patris nostri Honorati, tum capellę sanctæ crucis infra turrim, vno die quarto nonas, scilicet octobris, eodémque anno millesimo octuagesimo octauo per Reuerendum Abbatem Aldebertum secundum solemniter fœlicitérq; peracta fuit, vt ex manuscriptis membranis codicibus, & traditione obseruationeque moderna colligitur, & sciendum quòd in pluribus diplomatibus summorũ Pontificum, inueniuntur hæ Ecclesiæ Lerinenses, hoc insigni titulo insignitæ nempè, sacrosanctę Ecclesiæ Lerinẽsis monasterij, simúlque in antiquis oblationibus semper legitur, dono, siue cedo sacrosanctis Altaribus & Ecclesiis, sanctæ Mariæ sanctíque Honorati Monasterij Lerinensis. Plura si requiris vide in Aldeberto secundo anno pretaxato.

Vita

Vita ſancti Apollinaris Epiſcopi Valentiæ in Gallia Narbonenſi ex Monacho ſacræ Inſulæ Lerinenſis ex manuſcriptis & vetuſtis membranis deſumpta. Floruit hic Pontifex beatiſſimus circa annos domini 494. Gelaſij Papæ anno tertio Anaſtaſij & Theodorici Imperatorum temporibus.

Octob. 5. Patria ſancti Apollinaris.

BEatus Apollinaris Valentiæ Vrbis Epiſcopus apud Viennam & natus & inſtructus eſt, qui nobili genere ortus, conſpicuus natalium titulos mentis faſtigio ſublimauit, dum paſtoris cura gregem ſibi creditum paterna gubernatione foueret, multis eum conſtat emicuiſſe virtutibus. Itaque accidit vt quidem ex officio Sigiſmundi Regis nomine Stephanus qui ſupra omnem dominationem Fiſci principatum gerebat, defuncta eius coniuge ſororem vxoris ſuæ præmortuæ ſibi illicitè coniugij conſortio copularet qua de re ſancti Apoſtolici viri Auitus & Apollinaris ſynodalem inſtitutionum ſeruantes cum reliquis pontificibus inſimul congregati ipſum Stephanum ſacra communione priuari ſanxerunt. Tunc Rex diræ inſaniæ furore permotus beatiſſimos Pontifices acerrimè inſidias prætendendo iniuriari non deſinebat. Sed Apoſtolici viri minas terreni Regis minimè formidantes imperiis cœleſtibus ornati ita ſe iuſtitiæ vinculo nexuerunt, vt quæque ſupplicia iiſdem inferrentur ac ſæua paſſionum tormenta tolerarent. Viſum enim illis eſt, vt in oppido ciuitatis Lugdunenſium quod nuncupatur Sardinia pariter tanquam exilio deputati auxiliante Deo comitarentur. Videns verò rex ille conſtantiam illorum eſſe incorruptibilem præcepit, vt Pontifices qui ibidem pariter reſidebant ad propria reuerterentur. Sed quia beatiſſimus Apollinaris in condemnatione Stephani perſeuerans videbatur ipſum primum ſtuduit obſeruare in quo loco manſitaret. Dúmque vir Dei morarum ſpatia neceſſitatis cauſa ſuſtineret, ab ardente æſtu fluenta Rhodani ſic repefacta ſunt, vt à ſitientibus ex eo aqua potari non poſſet & quia nullus puteus nec fons vnde aqua hauriri poſſet ibidem reperiebatur, beatiſſimus vir Dei firmans ſe ſpiritu ſancto confert ſe ad locum à Deo ſignatum & ſecretius præcepit ſuis ſarculum exhibere, quo exhibito oratione impleta ait ad eos in nomine patris, & filij & ſpiritus ſancti hunc locum aperite. Hoc facto mox annuente illo, qui aquas ſeruare iubet in corde terræ fons exortus eſt: & quandiu beatiſſimus Pontifex ibidem moratus eſt beneficio omnipotentis Dei aquam ſibi placitam ſemper habere promeruit. Poſt diſceſſum verò eius fons exſiccatus eſt. Cumque Rex ille virum illum ſanctum nec videre vellet, nec audire, ſed magis inſidias prætendere ſtudens. Illicò contigit vt rex ipſe vim febrium incurreret, ita vt potiùs funebris quam vitalis eſſe crederetur. Tunc Regina fidei radiis accenſa alacri feſtinatione peruenit ad locum vbi beatiſſimus Pontifex reſiderat & feruida deuotione petebat, vt ipſius interceſſione dominus ſuus Rex incolumitatis donum recipere mereretur. Sed vir Dei eundi famulatus omnimodis denegauit, tandem precibus fletibuſque victus cucullam eius ſibi conceſſit, quæ contribuente Deo ſuper virum ſuum fiduciali conſtantia firmáque fide fuiſſet expanſa ſtatim effugata infeſtatione febrium ſoſpitalis munus emeruit. Factum eſt autem & nauali itinere Arelatem deſcenderet, vt ſubitaneis celeris Rhodani fluctibus periclitaretur nauis quæ tamen fuit eo dormiente ſecura, cumque euigilaſſet quendam puerum Aliphium nomine à dæmone obſeſſum & quendam presbyterum ſimiliter à maligno ſpiritu vexatum liberauit. In Arelatenſi autem ciuitate à viro Dei Cæſario & ciuibus honorificè valdè receptus eſt. Inde verò

Excommunicant ſiſcalem regis Sigiſmũdi.

Oratione ſua à deo obtinet fontem aquæ viuæ.

Cucullã habitus eſt monachalis quo ſemper vſi ſunt Lerinenſes.

exigentibus cauſis Maſſiliam adiit, expeditiſque omnibus per quæ aduenerat tantum ſpatij remeandi à ſupradictis locis Valentiam conſecutus eſt, in proprióque Epiſcopo mundum quem ſemper contempſerat morte precioſa reliquit.

Ex antiquo manuſcripto ſucceſſionum Antiſtitum Valentientium à Reuerendiſſimo domino Petro Andrea de Leberon Epiſcopo Valentiæ nobis communicato. Vincent. Salern.

VRbs Valentiæ anno ſalutiferæ redemptionis quinto decimo ſupra quadringenteſimum à Gothis capta fuit & exinde à vera fide aliena vſque
480. ad tempore beati Apollinaris miræ ſanctitatis ac ſigniferæ virtutis viri primi huius vrbis Epiſcopi. Ordinatus enim fuit circa annos domini 480. cuius ſedes pontificia fuit in Eccleſia ſancti Ioan. Baptiſtæ & Euangeliſtæ quæ nunc ſancti Stephani protomartyris titulo nuncupatus, in eius ſanctitas cum per annos triginta quatuor Deo & hominibus illuxiſſet cœlos clariſſimus & admirabilis petiit tẽpore Clodouei primi Francorũ Regis Chriſtianiſſimi poſt cuius glorioſiſſimum exitum & beatæ eius animæ obſequiis angelorum in cœlum aſcenſum Eccleſiam Valentienſem Maximus ſanctitate & virtutibus pollens rexit ſepultúſque fuit beatus Apollinaris in Eccleſia ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli in ſuburbio Valentiæ. Ex inde verò tempore Dam-
Prima tranſlatio S. Apollinaris. berti Epiſcopi Valentinẽſis (qui ſextus fuit ab ipſo Apollinari) creſcente multitudine filium maxima cum deuotione quia Eccleſia S. Stephani protomartyris auguſtior & celebrior erat reliquiæ beati Apollinatis ab Eccleſiæ Apoſtolorum Petri & Pauli ad eandem baſilicam beati Stephani ſumma cum veneratione, concurſúque populorum tranſlatæ ſunt & ibi honorificè reconditæ. Non videtur hic ſilentio tegendum factum mirabile ſucceſſum: nam circa annos domini ſexageſimum vltra milleſimum præſulante in præfata ſede Valentienſi domino Reimegario periucundũ illud miraculum de puero muto à natiuitate Paſtorello nomine nam cum in Eccleſia beati Stephani ab hebdomadario Veſpertinæ laudes incoharentur, vt vſque ad canticum angelorum excluſiuè, (*Alleluya ſcilicet*,) ventum eſſet mutus à natiuitate meritis beati Apollinaris primam vocem emittens cum toto choro *Alleluya* decantauit. Ex quo præfatus venerabilis Reimegarius tanti miraculi claritate excitatus, corpora ſanctiſſimorum martyrum Fœlicis Fortunati & Achillei ab eorũ ſepulchris ſumma veneratione in Eccleſiã beati Stephani trãſtulit ac iuxta corpus beati Apollinaris honorificè repoſuit. Anno verò milleſimo nonageſimo quarto corpus eiuſdem ſancti Apollinaris tranſlatum eſt ſecundo ab Eccleſia ſancti Stephani in Baſilicam maiorem ſuo nomine inſignitam, & in maiori altari collocatum vbi cum ſummo decore permanſit & veneratione vſque ad hæc vicina tempora Caluinianæ hęreſis quo & baſilicæ ſolo æquatæ, & ſacra lipſana ſanctorum voracibus conſumpta ſunt flammis.

Mutus à natiuitate loquelam obtinet.

Secunda trãſlatio.

Petrus in Cathalogo cap. 272. lib. 11. die 5. Octobris.

APollinaris Epiſc. in Galliis ciuitate Valentia 3. nonas Octobris quieuit, cuius vita virtutibus inſignis fuit, & mors nihilominùs ſignis & prodigiis decoratur, vt dicit Ado in ſuo Martyrologio, de quo cõſtanter tabulę Lerinenſes, ſanctus Apollinaris Epiſcopus Valentiæ & monachus Lerinenſis.

Ado Viennenſis in chronicis ætate ſexta anno 492.

AVitus quoque Viennẽſis Epiſcopus eloquentia & ſanctitate præcipuus & eius frater Apollinaris Valentiæ Epiſcopus miraculis inſignis Iſicij

Senatoris

ſenatoris primum viri poſtea viennenſis Epiſcopi duo luminaria clariſſimi filij.

Baronius in annalibus anno Chriſti 494. Gelaſij Papæ. III. Anaſtaſij & Theodorici Imperatorum temporibus.

APollinaris mater Audentia dicta eſt, vt de virginitatis laude ad ſororem ſcribens auitus ipſe teſtatur.

Idem annaliſta anno Chriſti 509. Simmachi Papæ XI.

AD Catholicam igitur Eccleſiam tranſiens Sigiſmundus Burgundionum Rex nihil antiquius habuit, quam vt ditionem ſibi ſubiectam æquè ab Arrianorum pollutione purgare & alia cuius rei gratia celebrari voluit concilium Epaunenſe, cui præfuit ſanctus Alcimus Auitus eiuſque ermanus interfuit Apollinaris Epiſcopus Valentinus æquè celebris ſancti G, ſiquidem inter ſanctos abſcriptus colitur annuatim tertio nonas Oct tates. obri

Hymnus ad Veſperas.

Exulta cleri concio,
Gaude plebis deuotio
Apollinaris gratia
Fœlix plaude Valentia.
Hunc ſancta generoſitas,
Generoſaq́, ſanctitas
Dignum fecit ſplendeſcere
Pontificali ſidere.
Honeſtæ vitæ merita
Mundo ſignis exhibita,
Declarauêre populis
Famam beati præſulis.
Regis vxor obtinuit,
Quod rex ipſe non meruit:
Nam per veſtis ſuffragia
Vis eſt ablata febrium.
In vno trino gloria,
Sit laus non tranſitoria,
Qui ſublimauit inclytis
Apollinarem meritis. Amen.

Ad laudes Hymnus.

O Quàm fœlix ſuffoſſio
Potum negante fluuio,
Qua donum Chriſti cernitur
Et vir ſanctus reficitur.
Dum tumet vnda fluminis,
Vento furente turbinis,
Mox cuncta fiunt proſpera
Tranquillitate libera.
Præſul paſſus iniuriam
Sua ſponte dat veniam,
Exoluens pœnæ ſubditum
Malignum fugat ſpiritum.
Columnarum proceritas
Et cæreorum claritas
Teſtantur vitæ præſulis
Coruſcare miraculis.
In vna trino gloria,
Sit laus non tranſitoria,
Qui ſublimauit inclytis.
Apollinarem meritis. Amen.

De ſancto Eucherio Epiſcopo Lugdunenſi & Monacho Lerinenſi ex Martyrologio Adonis Archiepiſcopi Treuirorum floruit circa anno Domini 441.

NAtale ſancti Eucherij Epiſcopi Lugdunenſis admirandæ fidei, vitæ & doctrinæ viri, qui ex nobiliſſimo ſenatorum ordine ad religioſam vitam habitumque conuerſus diu in agro ſuo ſuper fluuium Durentiam intra ſepta ſpeluncæ ſponte concluſus Chriſto ſeruiuit ieiuniis & orationibus vacans, defuncto autem Pontifice Lugdunenſi cùm vniuerſa Eccleſia iuxta morem à ſe antiquitus obſeruatum triduanis ieiuniis & obſecrationibus qui gu- *Nouem. 16.* *S. Eucherius in ſpelunca degit.*

bernationem eiuſdem Eccleſiæ ſuſcipere deberet, ſibi poſceret à Domino reuelari cuidam puero apparens in viſu angelus Domini: eſt, inquit, Senator quidam Eucherius nomine ſuper fluuium Durentiam recluſus in ſpecu qui relictis omnibus quæ poſſidebat ſecutus eſt Dominum, ad hunc deducẽdum pergite, & vobis paſtorem illum cõſtituite, quoniam à Deo eſt electus, quod eum puer ſenioribus diluculo retuliſſet, omnipotenti Deo cunctis fratribus congregatis gratias egerunt: miſſoque cùm clericis ad præfatum locum Archidiano qui tunc Eccleſiæ curam gerebat, inuenerunt eum ſicut eis Dominus reuelauerat, eumque illi Archidiaconus rem propter quam venerat indicaſſet, cœpit cum iuramento dicere, ſe non voluntariè de ſpecu egreſſurum, nec eum eo niſi ligatus duceretur, iturum. Cumque diu talia repeteret Archidiaconus effracto muro ſpeluncæ educit eum, & iuxta quod ipſe iurauerat vinctum perducit Lugdunum, quem pari animo vnoque conſenſu clerus & populus ſibi eligens Sacerdotem in Pontificali cathedra ſolemniter collocauit. Huius vxor Galla in ſancto habitu Deo ſpeluncam eius ingreſſa omne illic vitæ ſuæ tempus in ſtudio religionis exegit duæ ipſorum filiæ quarum vna conſortia, altera Tullia vocabatur, virginitatis gratia & ſignorum gloria claruerunt.

Inuitus venit ad Epiſcopatum.

S. Iſidorus Hiſpalenſis de viris Illuſt. cap. 15.

EVcherius Epiſcopus elegans ſententiis, ornatus in verbis edidit ad Hilarium Arelatenſem Antiſtitem heremi deſerta petentem vnum opuſculum de laude eiuſdem heremi luculentiſſimè & dulci ſermone dictatum, in quo opere laudamus doctorem & ſi pauca pulchra tamen dicentem: breuitas enim (vt quidam ait) laus eſt, interdum in alia parte dicendi in vniuerſa eloquentia laudem non habet.

Gennadius de Illuſtribus Eccleſiæ ſcriptoribus cap. 63.

EVcherius Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſcripſit ad Valerianum propinquum ſuum, de contemptu mundi & ſæcularis Philoſophiæ Epiſtolam vnam ſcholaſtico ſermone & rationabili: diſſeruit etiam ad perſonam filiorum Vrani & Saloni poſtea Epiſcoporum obſcura quæque ſanctarum capitula ſcripturarum: ſed & Caſſiani quædam opuſcula lato tenſa ſermone anguſto verbi reſoluens tramite in vnum coëgit volumen, aliaque tam Eccleſiaſticis quam monaſticis ſtudiis neceſſaria, moritur ſub Valentiniano & Martiano principibus.

Annotatio Suffridi Petri Leonardienſis Friſij V. I. L.

AD Valentianum ita vulgatus codex manuſcriptus, codex Martinianus habet ad Vranum quam lectionem hoc loco veriorem eſſe ſuſpitio mouet, quod Vranus infra repetatur in filiis ſuis, ſed cum hac ſuſpicio tenuior ſit nos nihil mutamus.

Ado verò in ſuis Chronicis, ætate ſexta, anno 452.

EVcherius Lugdunenſis Epiſcopus ſatis in diuinis ſcripturis eruditus moritur, hic etiam inter alia opera Caſſiani quædam opuſcula lato tẽſa eloquio anguſto tramite in vnum coëgit volumen.

Ioannes Trithemius de ſcriptoribus Eccleſiaſticis.

EVcherius Epiſcopus Lugdunenſis in Gallia, vir doctus & monachorum diſciplina à iuuentute imbutus ingenio promptus, & ſermone compoſi-

tus.

tus vita & conuerſatione Deo & hominibus gratus, quippe qui multos & verbo & exemplo ab iniquitate auertit,ſcripſit plura egregiè volumina: Sed ad noticiam meam adhuc pauca peruenerunt,reperi enim tantum iſta. De contẽptu mundi lib. 1.Expoſitionis Diuinorum nominũ lib.1.Ad filios Salonium & Veranium lib. 1. Epiſtolas quaſdam ad diuerſos lib. 1. Formulas ſpirituales. Epitomes caſſiani lib. 1. Ad Hilarium Epiſcopum de laude heremi lib. 1. Claruit ſub Theodoſio iuniore anno Domini 440.

Marcellinus comes in Chronico Ioanne & Varanno Conſul.

EVcherius Lugdunenſis Eccleſiæ Pontifex multa ſcripſit tam Eccleſiaſticis,quàm monaſticis ſtudiis neceſſaria.

Honorius Auguſtudonenſis in cathalogo de Eccleſiæ ſcriptoribus, cap. 63.anno.440.

EVcherius Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcopus diſſeruit Soloni & Vranio Epiſcopus obſcura quæque ſanctarũ capitula ſcripturarum:ſed & ſcripta Caſſiani longo ſermonè diſtẽta breuiter coarctauit,ſub Valentiniano floruit.

Petrus Achillinenſis in Cathalogo lib.10.cap.67.

EVcherius Epiſcopus apud Lugdunum ciuitatem claruit tempore Valentiniani ſecundi imperatoris:hic nobili ſenatorum genere ortus habitu religionis aſſumpto ſæculoque relicto,dudum in agro ſuo ſuper flumẽ Durentiam in ſpelunca recluſus Chriſto Domino ſeruiebat.Defuncto vero Lugdunenſi Epiſcopo,dum clerus & populus pro diuina voluntate requirenda, triduo ex more,ieiuniis & orationibus inſtarent reuelatur eis à puero Eucheriũ ſenatorem eligendum qui in tali degebat ſpelunca.Ad quem illi Archidiaconum & cleros miſerũt vt eum adducerent,qui cauſa eorum aduentus cognita iurauit ſe ſpontè inde non egreſſurum:vnde effracta clauſula antri, ipſum inuitum & renitentem eduxerunt, & ductum Lugdunum in Epiſcopum ordinauerunt:cuius vxor Galla cum duabus filiabus ſuis,ſcilicet Conſtantia & Iulia * ad ſpeluncam ſancti Eucherij acceſſerunt & ibidem incluſæ de cæte- * *Conſortia & Tullia.*
ro Deo ſeruierunt, ipſe autem vir Domini poſtquam impleuit miniſterium Chriſti ad Chriſtum migrauit, decimo ſexto calendas Decembris. Hic ad quendam Varianum ſuum propinquum de contemptu mundi & ſæcularis Philoſophiæ Epiſtolam ſcholaſtico ſermone conſcripſit, ſanctarum etiam ſcripturarum obſcura quæque capitula diſſeruit,vt dicit Gennadius.

Vincentius Beluacenſis in ſpeculo hiſtoriali lib.20.cap.20.

POrrò ſanctus Eucherius Lugdunenſis & Hilarius Arelatenſis quos eodem tempore cum ſancto Germano Altiſſiodorenſi floruiſſe iam ſupra diximus:ambo viri nobiliſſimi fuerunt & eloquentiſſimi.Eucherius ex nobiliſſimo Senatorum genere inter ſpeluncam incluſus reuelante angelo Pontifex factus eſt,cuius natalis eſt ſexto decimo calendas Decembris. Hilarius multos ſermones ad populum ſplendidiſſimos compoſuit, cuius natalis eſt tertio nonas Maij:Sancti verò Honorati decimo ſeptimo calendas Februarij.

Illuſtriſſimus Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis, tomo quinto anno Chriſti 433. Sixti Papæ ſecundo,Theodoſij & Valentiniani temporibus.

SIquidem Proſperi admonitione illud in primis factum eſt,vt Caſſiani ſcripta cautius legerentur & corrigerentur,potiſſimùm verò collationes ipſę, quæ cum valde proficuæ eſſe cognoſcerentur vitam Chriſtianam excultiorem ſectantibus nec pro medela ipſos haurire ex eis venenum contingeret à nonnullis emendatę fuiſſe reperiuntur, primùm quidem omnium præſtitit ſanctus Eucherius Lugdunenſis tunc Eccleſiæ Presbyter cum Caſſiani opera compendiosè ſeligens, quæ vtilia viderentur in epitomen acuratè redigit

haud enim dubium à Catholico viro nō niſi Catholica ſelecta fuiſſe. Teſtatur id quidem Gennadius & ipſe Maſſilienſis Presbyter, qui ſanctitatis titulo ſuum Caſſianum ſic exornat his verbis. Sed & ſancti Caſſiani quædam opuſcula lato tenſa ſermone idem Eucherius Anguſto verbi reſoluens tramite in vnum coëgit volumen. Hæc Gennadius eiuſdem farinæ cum Caſſiano qui ne diceret æroribus cōfutatis Eucherium expurgando contraxiſſe opera Caſſiani, latum ſermonem circumordiſſe prætexuit.

Gennad. de ver. Ill. c. 63.

Idem Baronius Tomo ſexto anno Chriſti 441. Leonis Papæ XII. Theodoſij, & Valentiniani imperatorū tēporib⁹ dū agit de concilio Arauſicano in Gallia Narbonēſi hæc ait.

SVb Cyri conſulatu celebratum legitur cōcilium Arauſicanū, quod autem ad Synodi locum pertinet, erat Arauſicana vbi collecta fuit ciuitas in Gallia Narbonenſi. Nobilis quidem iſta dicenda Synodus, clariſſimorum antiſtitum illuſtrata corona, de quibus ſingulis proximè paucis dicturi ſumus. Reperiuntur in hac Synodo vnde triginta ſanciti canones ad Eccleſiaſticā diſciplinā, atq; iura ſpectātes, ab Epiſcopis Galliarū Narbonēſis, & Lugdun. quindecim numero ex eis Arauſicanā ciuitatem ex more conuenientibus. Florebant quidem dictæ Galliarum Prouinciæ, ſi quæ aliæ Chriſtiani orbis oræ, his temporibus, Epiſcopis æquè ſanctiſſimis, atque doctiſſimis, quorum ſolerti vigilantia in ſuo permanebant robore leges Eccleſiaſticæ. Qui enim primo loco huic Synodo ſubſcriptus habetur Hilarius, ipſe ille eſt celebris Arelatēſis Epiſcopus, qui antehac presbyter, (vt dictum eſt) vna cum ſancto Proſpero Aquitano Epiſcopo inſectatus eſt Pelagianos, & aduerſus Maſſilienſes presbyteros atque alios impugnantes S. Auguſtini ſcripta ſtrenuè inſurrexit, de quo pluribus ſuo loco agendum erit. Atqui ſecundo loco ſubſcriptus nominatur Claudius Epiſcopus, neſcitur cuius fuerit ciuitatis antiſtes. Rurſum verò qui huic itidem Synodo interfuiſſe reperitur Eucherius, ipſe eſt qui fama celebris vixit eodem tempore Epiſcopus Lugdunenſis, cuius meminit Claudianus in libro de ſtatu animæ cum ait: haudquaquam tamen Eucherium prætermiſerim mihimet, viuentem doctrina & præſentaneis coram diſputationibus cognitum, non porrò nunciis, aut lectione compertum: qui ſcilicet viridis æui, maturi animi, terræ diſpuens, cœli appetens, humilis ſpiritu arduus meritò, ac proinde ingenio ſubtiliſſimus, ſcientia plenus, eloquij profluus, magnorum ſui ſæculi Pontificium longè maximus, editis in rem fidei multiiugis variorum operum voluminibus, ad populum quoque his ſuper ſtatu animæ concionatus eſt, &c.) ſed hic rogo, ſiſte gradum, lector & conſidera, quod cum ipſe Claudianus, (vt vides) de Eucherio agens, citet conciones ipſius ad populum habitas, quę non extant: in eam ſententiam facilè mecum ibis, vt eiuſdem Eucherij ſint homeliæ illæ, quæ falſo nomine inſcribūtur Euſebij Emiſſeni cum alioqui haud dicendum ſciamus, illas omnes eſſe Eucherij, cùm inueniantur aliquæ eſſe Hilarij Arelatēſis, Fauſti vero Regienſis aliquæ: porrò alias à Lugdunenſis planè Eccleſiæ concionatore, eas eſſe dictas, martyres Lugdunenſes, de quibus agit, & alia plura demonſtrant, nec non Eucherij ipſum dicendi genus: nam in perſuadendo efficacem fuiſſe, Sydonius docet, dum ſingulorum ferme Patrum in ſcribendo proprietates notat in Epiſtola ad Claudianum. Sed & id ſuadent argumēta perſonæ accommodata: vt pote qui monaſticā vitam exercuit, & Lugdun. Eccleſiārexit, & ad monachos, & ad populū eum eſſe cōcionatū oportuit, cuiuſmodi duplicis generis cædem homiliæ eſſe noſcuntur. Cùm igitur ex concionibus habitis de martyribus Lugdunēſibus Lugdunēſis Eccleſiæ Antiſtitem ſe eſſe ſignificet & homi

Conc. Arauſican.

De Hilario claudio & Eucherio Epiſcopis.

De S. Eucherio Epiſcopo Lugdunenſi. Claudianus de ſtatu animæ lib. 2.

Homiliæ Eucherij falsò attributæ Euſebio Emiſſeno.

Sidon. lib. 4. Epiſt. 3.

& homiliæ ipſæ ſtylum referant S. Eucherij, & argumenta rerum ipſum itidem probè demonſtrent, & tempora quo auctor vixit eundem annuncient: etenim in recens obortas hæreſes Neſtorij & Eutichetis idem inuehitur:cùm hæc inquam,tot in vnum concurrant Eucherij, quis de his dubitandi amplius locus reliquus eſt? Redditis ergo his quæ Maximi eſſe noſcentur, ſeu aliorum (non hic de ſingulis nobis agendum) ſuis auctoribus, vindicentur egregiæ conciones ab iniuſto & impio poſſeſſore Euſebio Emiſſeno cuius nomine citari conſueuerũt, quid cũ auctore græco homiliæ, quæ latinæ noſcuntur eſſe cõſcriptæ?qui cum homine Arriano,quæ omni ex parte pietatem redolent conciones? Quid denique auctor Gallicanus cum Syro, & Lugdunenſes martyres cum Emiſſenis?Sed vnde adeò portentoſum putandum prodiiſſe commentum,& monſtroſam adeò eſſe impoſturã obortam?Potuit ſanè fefelliſſe librariũ imprudentem,vt ſub cuius auctoris titulo reperit initiũ codicis obſignatum, cæteta omnia quæ in eo continerentur,eidem putaret tribuenda eſſe auctori: nemo eſt qui ignoret, qui antiquorum codicum habet vſum,ſæpe ſæpius ſolere contingere,vt non vnum,vel duos, ſed & tres, quatuorve,& amplius habeat idem volumẽ diuerſorũ auctorum tractatus,& aliquos ex illis inueniri ſub nomine vnius auctoris exſcriptos:vt niſi quis oculos Lynceos habeat ſæpè accidat,vt inſcripto auctori tribuatur,quiquid inferius eodem codice continetur. Cùm alioqui & facilè contigiſſe potuerit,vt in corroſo conſumptoque nimia vetuſtate codice, litteris labefactis, legerit librarius,Euſebius,pro Eucherius. Non patiãtur amplius,rogo, mei Lugdunenſes,tantum ſuum ipſorũ theſaurum theca latronis includi, ſed iuſtiſſima vindicatione,ſuæ eſſe Eccleſiæ intelligentes,eaſdem rurſum edẽtes,eiuſmodi iuſtum ipſis affigant titulũ,ac veluti ſigillo conſignent:Homeliæ S.Eucherio Epiſcopo Lugdunenſi & monacho Lerinenſi reſtitutæ,falsò hactenus æditæ titulo Euſebij Emiſſeni. Eſſent his alia inſuper addẽda, ſed in his diutius immorari non patitur ratio inſtituti. Sed ſicut indignãdum eſt,tam diu ſanctiſſimi viri diuitias,ſub titulo ſceleſtiſſimi Arriani palàm expoſitas,ita dolẽdum eas omnes haud integræ reperiri, qui enim tum monachus, tum Epiſcopus in eo dicendi genere annis plurimis verſatus eſt, longè plures oportuit dixiſſe cum ad monachos tum ad populum conciones:excidiſſe quidẽ nonnullas, Claudianus certiſſimam fidem facit,dum quam ipſe citat ex Eucherij homiliis,omninò deſideretur.At(quod non prætermitendum eſt)ex eodem habes auctore in quo redarguas perperam factam Gẽnadij editionẽ Suffridi, apud quam legitur Eucherius presbyter Lugdunenſis ſcriptor Eccleſiaſticus, cùm dicendus ſit Epiſcopus,vt habẽt aliæ Gennadij germanæ editiones. Porrò & hinc datam ex codicis errore Honorio occaſionem errandi conſtat,cũ ponat duos Eucherios Lugdunẽſes,alterũ præsbyterum,Epiſcopum alterũ,amboſque ſcriptores Eccleſiaſticos,cũ tamẽ etſi duo Eucherij cognitio habeatur,vt ſuo loco dicendum eſt inferius, vtrũque tamen fuiſſe Epiſcopũ conſtat, præter hũc de quo eſt ſermo .Scimus & alium hoc ſæculo vixiſſe Eucherium virum clariſſimum,quem data ad eum Epiſtola plurimũ laudat Sidonius Apollinaris:ſed teſte Gregorio Turnonenſi occiſum cum conſtat à Victorio duce tempore Euarici Gothorum Regis. Alium inſuper fuiſſe ſcias Eucheriũ itidem Senatorẽ virũ inſignẽ,ſed bigamũ,haud idoneũ habitũ qui ſacri ordinis militiæ nomen daret, cuius meminit idẽ Sidonius in cõcione habita in electione Simplicij Epiſcopi Bituricenſis poſt plurimos annos cùm iam ipſe Sidonius eſſet Epiſcopus,& Eccleſię Lugdu.nõ amplius Eucherius,ſed Patiens

Reſtituenda S. Eucherio ſua Homilia.

Vnus tantum & non duo Eucherij Lugdunenſes.

Sidon. lib. 3. Epiſtola. 8. Grego. Turon. lib. 2. cap. 20.

præesset Antistes: vt intelligas procul abesse, vt ille fuerit postea factus Episcopus Lugdunensis, magisque congruere, eum iungere cum Eucherio illo ad quem extat, Sidonij epistola, quam vt dici possit eundem postea creatum fuisse Lugdunensem Antistitem. Cæterum ipsum S. Eucherium, de quo est sermo, fuisse coniugio obligatum, & ex eo genuisse viros sanctissimos, eosdémque postea Episcopos, quos primum monasticis voluit imbui disciplinis, tum ex Gennadio tum etiam ex eiusdem Eucherij scriptis possumus intelligere. Ipse enim Gennadius dum de Eucherio agit, hæc ait. Disseruit etiã ad personam filiorum, Verani* & Salonij postea Episcoporum obscura quæque sanctarum capitula scripturarum. Fuisse hos quidem Germanos fratres, eiusdem Eucherij, inscriptio Commentariorum in Genesim & in libros Regum demonstrat. Cognoscit Veranum suum filium, ipse sanctus Eucherius, dum ad eum scribit librum de spiritalibus formis: æquè & Salonium suum fatetur natum in præfatione ad posteriorem librum institutionum, & cum perorat: eius enim exordio hæc habet de bene instituta vita Salonij: dignum namque est (inquit) quacunque cura ingenium tuum reparari, qui vix dum decem annos natus heremum ingressus, inter illas sanctorum manus, non solum imbutus, verum etiam enutritus sis ab Honorato patre, illo, inquam primo Insularum, postea Ecclesiarum magistro: cum illic beatissimi Hilarij tum Insulani tyronis, sed iam nunc summi Pontificis doctrina formaret per omnes spiritualium rerum disciplinas: ad hoc etiam te postea consummantibus summis viris Saluiano atque Vincentio eloquentia pariter & sapientia præeminẽtibus viris, &c. Sed & ipse etiã Saluianus ad Eucheriũ, ab eo ambos esse genitos tradit: cum tamen non ignoremus ab aliis eos creditos filios spirituales Eucherij, qui eum coniugatum nescierunt.

Eucherij filij.

Gennad. c. 63

** Veranij. Verannij.*

Salonius ingreditur Lerinum.

Saluianus & Vincentius magistri Salonij.

Eucherius ex Monacho Lerinensi Episc. Lug.

Scimus & ipsum, de quo igitur sanctum Eucherium in eandem Lerinensem Insulam se contulisse, illicque & in alia proxima Insula monasticam vitam exercuisse testatur. Idem Sidonius in carmine Eucharistico ad Faustum scripto, nec non Hilarius tradunt autem proximum aliam illam Insulam esse Leronem Lerinæ propinquam. Sed & eiusdem eremiticam vitam Ecclesia preconio celebrat, dum eius agens natalem diem hæc ait: Eucherius ex nobilissimo Senatorum ordine ad religiosam vitam habitúmque conuersus diu inter septa speluncæ sponte conclusus, in orationibus & ieiuniis Christo seruiuit. Et quæ sequuntur.

Hilarius in vita S. Honor.

De Salonio Episcopo.

Qui huic itẽ Arausicanæ Synodo Salonius reperitur interfuisse Episcopus, eidemque esse subscriptus, cuiusnam Antistes fuerit, haud exprimitur. Scimus in Saluiani inscriptione ad suos libros de recto iudicio, quos ad eundem Salonium scripsit nominari Salonium Episcopum Viennensem. Verum Ado, eiusdem Ecclesiæ Præsul, cùm exactè recenset omnes Viennenses Episcopos, Salonium penitus ignorauit: à tempore enim Constantini magni in hanc diem hos enumerat Viennensis Ecclesiæ successores Episcopos, Paschasium, Claudium, Nectarium, Nicetium, atque Marmercum. Inficias tamen non iuerimus fuisse Salonium & eius fratrem Ecclesiæ Viennensis studiosissimus, vt Sidonij epistola ad Salonium data significat verbis illis ad finem positis: licèt ruri positi strenuos impleatis agricolos, tunc verò propriam tertã fœcũdabitis, si Ecclesiã quam plurimùm colitis, plus colatis. Scimus in tabulis duplicis indicis Episcoporum Lugdunensi à Demochare editis, post sanctum Eucherium poni Salonium, & post eum Veranum Episcopos Lugdunenses. Sed si Salonius Lugdunensis fuit Antistes, quomodo huic Synodo

Sidon. lib. 7. epist. 16. vet. edit.

subscriptus

ſubſcriptus habetur, cui etiam Eucherius eiuſdem Eccleſiæ præſul interfuit? Nunquid duo vnius Eccleſiæ Epiſcopi? procul id abfuit ab Eccleſiaſticis legibus ipſo Nicæni Concilij decreto vitante: Sicut eadem ratione dixerimus, longius abeſſe, vt qui vltimo fermè loco Cæſarius ſubſcriptus habetur: ſit ille magni nominis Epiſcopus Arelatenſis: nam eidem Eccleſiæ qui hoc tempore præerat Epiſcopus Hilarius, huic Synodo præfuit: imo nec ſtatim poſt ipſum ſedit Cæſarius, ſed Rauennius, & poſt Rauennium Eonius & poſt eum Leontius, cui tandem eſt ſubrogatus Cęſarius. Scimus præterea eundem creditum Salonium cum eo qui dictus reperitur deprauatè Salamonius Epiſcopus Genuenſis.

Interfuerunt etiam huic concilio, maximus Taurinenſis Epiſcopus Conſtantinus Vapingenſis Eccleſiæ Præſul, Auguſtalis quoque Epiſcopus & alij. Tot igitur clariſſimi Antiſtites Synodum Arauſicanam, licet paucorum Epiſcorum numero congregatam, reddidere in omnibus celebrem, & illuſtrem. Porrò vt tot inſignes doctrina, & ſanctitate viri in eiſdem Prouinciis inuenirentur, id præſtitiſſe videtur celeberrimum Lerinenſis Inſulæ proximè adiacentis terræ Cœnobium ſanctiſſimorum Epiſcoporum ſeminarium de ipſa enim ſanctis germinibus fertili Sidonius Apollinaris in carmine Euchariſtico ad Fauſtum Epiſcopum Regienſem his meminit verſibus.

De cœnobio Lerinenſi.

Sidon. car. 16.

Fratribus inſinuans, quantos illa Inſula plana
Miſerit in cœlum montes: quæ ſancta Capraſij
Vita ſenis, iuuenisq; Lupi: quæ gratia patrem
Manſit Honoratum: fuerit quis maximus ille,
Vrbem tu cuius Monachus, Antiſtes & Abbas.
Bis ſucceſſor agis, celebrans quoque laudibus illis.

Eucherij venientis, iter redeuntis Hilarij.] De eiſdem meminerunt S. Eucherius, & Cæſarius Epiſcopus Arelatenſis cum eiuſdem celebrat laudes cœnobij Lerinenſis. Porrò non omnes conſtat enumeraſſe Sidonium, quem Salonium eiuſdem Inſulæ (vt modo vidimus) à puero accolam ſancti Honorati Abbatis alumnum prætermiſiſſe liquet: verum & certum eſt præteriiſſe Vincentium virum doctiſſimum, cognomine Lerinenſem, cuius alij meminerunt. Sed accipe ex ſancti Eucherij libro de eremi laude fragmentum, vbi agens de viris ſanctiſſimis eiuſdem Lerinenſis Inſulæ habitatoribus, hæc inter alia, poſtquam eſt proſecutus Inſulæ laudes, ad finem habet: digna quæ Honorato auctore fundata ſit, quæ tantis inſtitutis tantum nacta ſit patrem, Apoſtolici ſpiritus vigore & vultus honore radiantem, digna quæ illum ſuſcipiens ita emitteret: digna quæ præſtantiſſimos alat monachos, & ambiendos præferat ſacerdotes. Hæc nunc ſucceſſorem eius tenet Maximum, nomine Clarum, quia poſt ipſum meruit adſciri: hæc habuit reuerendi nominis Lupum, qui nobis illum ex tribu Beniamin Lupum retulit: hæc habuit Germanũ eius Vincentium interno gemmã ſplendore perſpicuam: hæc nũc poſſidet venerabilem granitate Capraſium veteribus ſanctis parem: Hæc nunc habet ſanctos ſenes illos, qui diuiſis cellulis Ægyptios Patres Galliis noſtris intulerunt. Hæc ex Eucherij cõmentariolo de laude Eremi ad Hilariũ ſcripto haud pridẽ Pariſiis cuſo ſolertia & opera Reuerẽdiſſimi Franciſci de Boleriis Epiſc. Foroiul. & Abbatis commendatarij Lerinenſis ad requiſitionem & inſtantiã monachorum maximè verò Reuerẽdi admodum domini Hieron. de Paniſio tunc Prælati ſacræ Lerinæ. At de clariſſimis viris, qui his temporibus in Narbonenſi Gallia floruerunt, & huic concilio interfuerunt, deque ma-

Eucher. lib. de lau. erem. Cæſar. ſerm. ad monachos.

S. Lupus Epiſcopus Tricaſſinus & Vincentius Lerinenſis fratres extitere Germani.

giſtris,& alumnis Lernenſium Monachorum hactenus,

De Salonio, Verano atque Ceretio.

Baronius in Annal.Eccleſ.Tom.6.anno Chriſti 449.Leonis Papæ,anno X.Theodoſij & Valentinia.Imperatorum temporibus,dum agit de epiſtola eiuſdem S. Leonis Papæ data ad Flauianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, vt in plena Synodo Epheſino legeretur, multis eam efferens elegiis (agit enim de verbi incarnatione) & firmans teſtimoniis hæc quæ ſequuntur de Salonio,Verano,Ceretioq; gallicanis Epiſcopis inſerit.

SEd accipe eadem(epiſtola ſcilicet S. Leonis) illud admiratione digniſſimum.Cùm eam deſcribendam accepiſſent occidẽtales, & inter alios Epiſcopi Galliarum,ex illis tres inſignioris nominis Antiſtites, Salonius, Veranus,atque Ceretius,cùm eam exſcripſiſſent,ipſum ab eis exaratum exemplar. Romam ad eundem ſanctum Leonem mittendum putarunt, ne quid minus à Prototypo in eo haberetur exſcriptum. Poſt enim multa de eadem epiſtola ab ipſis effuſa præconia,hæc habent : deprecamur, vt opus & præſentibus & futuris temporibus pro futurum, quod nos aſſeruandi ſtudio foliis mandare curauimus,ſanctitas veſtra percurrere,&ſi quid librarij errore defuerit,emẽdare dignetur:vel ſi ſalutarem lecturis omnibus paginam aliquo ſtudij veſtri accumulaſtis argumento,id ipſum addi libello huic,ſollicita pietate iubeatis: vt non ſolum plures ſancti Epiſcopi fratres noſtri per Gallias, verum etiam multi ex Laicis filii veſtri, qui epiſtolam iſtam magnopere pro veritatis manifeſtatione deſiderant,remiſſam ad nos, & ſancta manu veſtra emendatam tranſcribere,legere,& tenere mereantur. Hæc tres nominati Epiſcopi. Conſideraſtine in his,lector,candorem fidei Eccleſiæ Gallicanę,cum licet doctiſſimi eſſent Epiſcopi, eandem Encyclicã epiſtolam exſcribentes, maximè timerent, ne vel in apice vno à fide ſcripta à Romano Pontifice diſcreparent? Tantus enim apud eos vigebat erga ſupremum Antiſtitem cultus, & obſeruantia,vt ab ipſius decretis vel tenui linea declinare, ducerent eſſe ſacrilegiũ atque impium, ab omni prorſus hæreticorum labe illibata permanſit omniũ ore laudata Eccleſia Gallicana,cuius Antiſtes antiquæ gloriæ memores,tenaceſque priſtini comparati ſibi ex Catholica fide ſplendoris, non vt inſenſati Galatæ, ſed ſapientiſſimi Galli anteceſſores Epiſcopi ad numeros omnes, lineas atque apices concordes,& obedientes veritati: inhærentéſque Eccleſiæ Romanæ, retinentes quam à maioribus accepere Catholicam fidem, ne ab ea vel latum vnguem aberrarent,more maiorum, Prototypum conſulunt in archiuio Romæ ſeruatum,Hæc ille. *Annotatio Vinc.Saler.*

Apud S. Leonem poſt epiſtolam 51.

Magna cum laude huius Eucherii Epiſc.Lugdunenſis & monachi Lerinẽſis meminit Sidonius Apollinaris in epiſt. data ad Claudianũ præsybterum fratrem & coadiutorem S.Mamerci Epiſc, Viennenſis,qui Claudianus compoſuit libros, de ſtatu animæ quos Sidonio Epiſc.dicauit:vnde idẽ Sidonius in præfata epiſt. tertia libri quarti mirificis onerat & exornat ipsũ artificiosũ artificẽ Claudianum Laudibus,cui(inquit) moris eſt de ſingulis artibus cum ſingulis artificibus philoſophari:quare cõparat antiquis pręcipuiſq; philoſophis & artiũ auctoribus,tum ſanctis patribus,& doctoribus,peculiarẽ vniuſcuiuſque gratiam & donum huic vni ſoli attribuens, videlicet SS.Hieronimi inſtructionem,Baſilii magni correctionem & ſeueritatem, Auguſtini doctrinam, Eucherii ſollicitudinem, inquiens (vt Eucherius ſollicitat) ſcilicet Claudianus in volumine de ſtatu animę,quibus verbis ſubnectit Sauaro Clamõtanus in cõmentario eiuſdem epiſtolę:id eſt Eucherius Epiſcopus Lugdunen.qui omnes ad Inſulæ Lerinen.Eremũ inuitat,atque ſollicitat ad ſacræ

ſcripturæ

ſcripturę lectionẽ,& genus vitę emẽdationis,manifeſtè patet ex operib⁹ ſuis, de quibus Gennad.de viris illuſtribus cap.63. præter libros quos ille numerat ſermones habuit ad populum, qui inter homilias quæ circumferuntur, nomine Emiſſeni Euſebij interſperſi ſunt,quæ non ſunt Euſebij,nec omnes Eucherij, vt Baronius putauit, aliquando anno 441. Homelia enim quarta de paſcha,Maximi Regienſis eſt, cuius titulus præcedentes tres maximo vindicare videtur,quarum tamen prima, & tertia inter Cæſarij homelias inuenitur,quinta autẽ in veteri M.S. S.Germani Pariſienſis,cùm hoc titulo,Homelia ſancti Iſidori.Homeliam etiam ad Monachos 5 6.9. 10. & exhortationem ad plebem 1. Cæſario ad ſcribunt eius opera Homeliam de ſancto Maximo Fauſti eſſe Dinamius ſcribit in vita S.Maximi. Habuit & ſermones de ſtatu animæ,quos allegat Claudianus Mamercus lib.2.cap. 10. Illum commentarium in Geneſim, & in libros Regum ad Salonium & Veraniũm fratres Epiſcopos ſcripſiſſe, Iſidorus lib. de viris illuſtribus cap. 5. & Honorius cap. 15.tradidere,ſed in eo falſi ſunt:hæc enim non ſapiunt Eucherij ſtylum, nec à Gennadio ponuntur inter opera Eucherij,& quod his argumentum validius eſt,Caſſiodorum ſenatorem laudat in cap. 18. lib. 3. Regum, qui longè poſt Eucherium Epiſcopum Lugdunenſem fuit, hic enim vixit Valentiniano & Marciano A A.Ille Iuſtiniano & Theodorico Rege Italiæ & Gothorum, niſi is presbyter Lugdunenſis ſit Honorius. Hæc ille, qui in præfato commentario varias citat Homelias ſub Eucherij nomine, nempè Homil. 1. & 2. de Natiuitate.Homel.4. de Epiphania 4. ad Monachos,tum Homel. de lætaniis de quadrageſima. Homel. 4. in natali Apoſtolorum & Homel. 5. de ſancta Blandina, quæ conſequenter etiam præcedentes Eucherio vendicare videntur.Libet interim ea quę nouè à per docto Iacobo Seuertio in ſua Chronologia hiſtorica Antiſtitum Lugdunenſ. de ſancto Eucherio prodũtur hicreferre,ait enim num.20.ſanctus Eucherius è nobiliſſimo ordine ſenatorio oriundus ex Vſuardo in Martyrologio, poſtquam cum Galla vxore caſtitatem vouiſſet,in eremum ſeceſſit:ſed vacante ſolio,& celebratis Lugdunenſium præcibus erga Deum ac diuinis ſubinde reuelationibus ex infantis ore fluentibus de ipſo conquirendo,vi Lugdunum adductus eſt atque ſacratus Antiſtes. Res creditur geſta anno ad minus quadringenteſimo trigeſimo quinto tum quia Sigibertus eum ſtatuit ſub annis 435.& 436.Tum etiam quia cum multa in Eccleſiæ commodum perdoctè ſcripſerit poſt acceptum Pontificatum, Conradus Geſnerus in Anacephalæoſi operum eiuſdem dicit ipſum ſanctum Eucherium claruiſſe Lugdunenſem Epiſcopum anno quadringẽteſimo quadrageſimo,itemque Paradinus multi ſcriptores ei attribuunt fabricam Baſilicæ Apoſtolorum mox nuncupatam S.Nicetij. At certè vel primo ipſa cenſetur iam antea conſtructa conſecratáque ex dictis ſupra ſub ſanctis Albino & Sicario Archiepiſcopis, vel ſecundo horum præſulum corpora nondum illic tunc ſepulturæ mandata fuerant quando ipſi obiere, ſed verius eò tranſlata credentur poſt ſæculum Eucherij, ſi vera ſit iſtius Archipræſulis fundatio.Is quoque habetur fundator recluſorum Lugduni ex Sarrazino. Inerea duo de eodem adnotamus.Vnum eſt quod eremus ad quem primum acceſſit Eucherius,vocatur Inſulare Monaſterium Lerinenſe, ex ſententia Sidonij Apollinaris,atque Baronij ille autem ſitus eſt Abbatis ſancti Honorati Inſulæ Lerinenſis Graſſenſis diæceſis,qualem legimus conſcriptam tum apud authorem ligni vitæ,tum nuperrimè in Chronico manuſcripto Cluniacenſi, ex perlecto Diplomate Bonifacij Papæ octaui, directo ad Abbatem S. Honorati Le-

Iacob. Seuertius in Chronologia.

Anno domini 435.

Ordine Alphabeti. 440.

Lib.2.cap. 1.

Num. 14. & 19.

Fundationes S.Eucherij.

Lib. 8. *Epiſt.* 14.*lib.*9.*Epi.* 3.

Sub an. 441.

**Vide in fine huius hiſtoriæ Seuertij illam quam ad dimus notam.*

rinenſis ad annum (inquit) milleſimum trecenteſimum * quod eidem cœnobium Benedictus Papa ſeptimus donauit (addit locus) ſancto Maiolo Abbati Cluniacenſi & ſucceſſoribus ſuis ad annum milleſimum decimum quintum. Verum profecto, cæteri paſſim authores eundem eremum ad Aquenſes

In vita S. Eucherij fol. 299 ſec. 5.

phocenſis prouinciæ referunt. Nam reuera ſic loquitur ipſius ſancti hiſtoria in veteri breuiario tamerę: Ingreſſus Beatus Eucherius ſpecum ſitam in territorio Aquenſi in agro ſuo, quem montem Marcum appellabat ſuper fluuio

Mommars.

Durantiæ, &c. Sanè vix ſcio quonam pacto ad concordiam reuocanda ſit duplex hiſtoria ſic deprompta ex duobus locis diſparibus pro vnico Eremi ſitu. Etenim nonnulli teſtes oculati & accolæ, viri religioſi nobis aliquando af-

Lerinenſ Monaſteriũ quale & vbi.

firmare non dubitarunt, idem Lerinenſe cœnobium eſſe peninſulam ad mediterraneum mare poſitam ſub diœceſi Graſſenſi, Archiepiſcopatus Ebredunenſis in extrema illa Phocenſi prouincia: Sed diſtantem ab Aquenſi Archiepiſcopatu, etiamque à præfato fluuio Durantiæ, pluſquam bimilliaribus circiter triginta verſus ortum, veluti ex Topographicis etiam Planiſpheriis deprehendimus. Igitur credendum eſt vel ſolam poſteriorem narrationem inniti veritate, vel Eucherium prius Monachũ exercuiſſe in peninſula, deinde verò ſeceſſiſſe ad ſpecum montis Matri: quippe mos fuit antiquorum vitam Monaſticam profitentium, quod tandem è Monaſterio ad eremum aliquem pedem referrent ſicuti in Chronico Cluniacenſi M. S. Sæpius factitatum legitur inter religioſos eius ordinis. Poſtquam autem Beatus Eucherius ad Lugdunenſes profectus eſt, ſancta Conſortia ipſius filia, ante votum paternæ caſtitatis nata Eccleſiam ſuper ſpecu ædificauit, quo in loco obierat ſepulcráque fuerat Eucherij vxor. Tandem ergo, Paradinus malè aſſignat Lerinum in Inſula Barbara propè Lugdunum ad Ararim. Alterum connotandum eſt,

Petrus de natal. locis cit.

quòd Eccleſia quam idem B. Eucherius Lugduni cõſtituit, multis quidem viſa eſt dicata Apoſtolis Petro & Paulo determinatim: at reliqui eam putant dicatam Apoſtolis in genere, hoc eſt omnibus, & breuiarium cameræ Eccleſiæ Lugdunenſi ſimul ac vetus Martyrologium Eccleſiæ ſancti Petri Matiſconenſis addunt eam ſimul dicatam quadraginta octo martyribus. Nonnulli ſenes è clero dicunt ex traditione hauſtam inter plures ſententiam, quod tempore iſtius Eucherij ſedes Archiepiſcopalis tranſlata eſt ab ipſa Apoſtolorum Eccleſia ad ædem ſancti Stephani quæ opinio ritè cohærebit ſi perſuaſum ſit cuique Baſilicam Apoſtolorum fundatam eſſe ante Eucherij ſæculũ, aut ſaltem ab Eucherio duntaxat reſtauratã, ſeu priſtino ſplendori reſtitutam, poſt aliquod excidium. Alioqui ſtatim à fundationis tempore tranſlatio eiuſmodi facta eſſet, quod ſanè conſilium aduerſatur alteri firmæ opinioni: quæ eſt de ſede aliquo notabili ſæculo conſtituta in Eccle-

Concilia ad quæ acceſſit S. Eucherius.

ſia Apoſtolorum, ex accepta etiam traditione. Sanctus ipſe Eucherius primo adiit duo concilia Aurauſicanæ ciuitatis: vnum quidem anno quadringenteſimo quadrageſimo primo, & Alterum anno quadringenteſimo quadrageſimo tertio, ex Viguerij bibliotheca: vel anno 444. ex tomis ac indicibus conciliorum, vtrumque verò ſedẽte Romæ Leone Papa primo. Deinde interfuit quoque conciliis Carpentoractenſi anno citato 444. & Arelatenſi tertio an-

Tom. 4. ca. 2.

no 453. ex præfatis Tomis ac Demochare. Pro exitu capiundo aduertendum quod Ado Viennenſis ponit ipſum ſanctum Eucherium mortuum ſub annum quadringenteſimum quinquageſimum ſecundum (ſaltem ante annum

An. 452.

458.) quem ita vniuerſim citat Baronius in ſuo Martyrologio. Tum auctor Gennadius inſertus operibus diui Hieronimi concludit eundem diuum

Eucherium

Eucherium obiiſſe Valentiniano & Martiano regnantibus: qui certè Valentinianus Imperator diem extremum confecit anno ſalutis 454. & Martianus Anno quadringẽteſimo quinquageſimo ſexto, etiam ex præfati Baronij Annalibus, quo anno alius author Marcellinus in Martyrologio Baroniano meminit ipſius noſtri Eucherij. Verum profectò, vt extremum addam: idem Baronius in conſequente ſuorum annalium Chronico conſtituit alteram citatam Synodum, hoc eſt poſterius Concilium Arauſicanum, pręciſe anno quadringenteſimo ſexageſimo tertio Pontificatus Hilarij, anno tertio Imperij Leonis primi anno ſeptimo, & Childerico Francorum Rege an. quinto. Atque narrat apertè Baronius ſanctum Eucherium vtrique Arauſicano ſubſcriſiſſe, effertque elogium Claudiani in laudem Eucherij: en Chronologiæ diſcrimina. De fundamentis Baronianæ ſupputationis dum minimè inquirimus hic ſententiam non ferimus: ſed nos ſuam cæteráſque retuliſſe ſat eſt hac vice, donec certius aliquid coniectari poſſimus. Alius eſt Eucherius ille, qui eodem ſæculo occiſus legitur inſtantibus præliis Alarici Gotorum Regis, atque Honorij occidui Imperatoris, impulſatis vario ſeditionum motu Burgundionibus, & Gallis viginti aut triginta duntaxat annis antequam noſter Eucherius ſuum Epiſcopatum iniiſſet: de qua re Nicephorus, Calixtus 1. Gregorius Turonenſis & Genebrardus. Lugduni verò tunc non fuere duo Eucherij preſbyteri, docente alibi eodem Baronio dum extiterit vnicus iſte, dictus presbyter apud quoſdam de more illius temporis. In breuiario Lugdunenſi nuncupatur Eucherius in quo feſtum adnotatur 16. Cal. decembris, ſimulque in tribus ſupra citatis Martyrologiis. Hæc Seuertius.

456. 463. *Alius Eucherius.* *13. cap. 35. Hiſtor. Frãc. cap. 38. Chronol. an. 406. 411. l. 3. Tom. 6. & in Martyrolo.*

Notatio.

Interea eſt notandum quod ea quæ ſupra adducuntur à viro perdocto Seuertio in ſua Chronologia hiſtorica de ſubiectione ſacri cœnobij Lerinenſis Monaſterio Cluniacenſi, & ſancto Maiolo Abbati facta donatione, per Papam Benedictum ſeptimum, non poſſunt pluſquam turris in arenario extructa omnino ſubſiſtere, vti paucis docebimus: repetamus ergo ea quæ, ex Chronico, & diplomate mannuſcripto Cluniacenſi afferuntur, ait enim. Quod equidem Cœnobium (ſcilicet Lerinenſe) Benedictus Papa ſeptimus donauit (addit locus) ſancto Maiolo Abbati Cluniacenſi & ſucceſſoribus ſuis ad annum milleſimum decimum quintum. Diſcuſſiamus modo tempora & perpendamus an error ſit in Data. Benedictus Papa ſeptimus huius nominis, ex ſupputatione Baroniana eiecto Bonifacio inuaſore ſedis creatur Pontifex Romanus anno domini nongenteſimo ſeptuageſimo quinto, qui vbi ſediſſet annos nouem ex hac vita migrauit anno domini nongenteſimo octuageſimo quarto die 10. Iulij non potuit ergo iam è viuis ſublatus conceſſiſſe priuilegium & donaſſe ſacrum monaſterium Lerinenſe, Cluniacẽſibus poſt annos triginta & vnum, vt habet Data diplomatis manuſcripti, nempe ad annos milleſimum quintum decimum, cum etiam iam ſanctus Maiolus cui hæc donatio facta fuiſſe perhibetur, animam reſoluta carne cœlo redidiſſe beatam, anno ante præfatam Datam vigeſimo ſecundo elapſo, nempe currente ſæculo nono ſupra nongenteſimo nonageſimo tertio, ſed bene potuit ante hoc fieri nempe ab anno nongẽteſimo ſeptuageſimo quinto vſq; ad annũ nongenteſimum octuageſimum quartum quo tempore ipſo Benedictus ſeptimus ſedis Apo-

Tom. 10. annal. an. 975. 984. 993.

ſtolicæ habenas gerebat, & S. Maiolus Monaſterij Cluniacenſis ſedem Abbatialem gubernabat, fueruntque Synchroni. Vnde falſi arguitur Data Diplomatis, quibus prudens lector moneri debuit, nos interim non imus inficias olim ſacrum Lerinenſe cœnobium fuiſſe congreg. Cluniacenſis, vt fuſiùs dicitur in S. Odilone Abbate Cluniacenſe & aliquanto tempore Lerin. adminiſtratore ſupra primo menſis Ianuarij, ſed poſt S. Honoratum Archiepiſcopum Arelatenſem tranſpoſito.

EVCHERII

LVGDVNENSIS

ECCLESIÆ QVONDAM ARCHIEPISCOPI, THEOLOGI DISERTISSIMI.

Intelligentiæ ſpiritalis formula.
Inſtructionum libri duo.
Eiuſdem epiſtola paranetica, ad Valerianum ſuum.

REVERENDO PATRI GVLIELMO
Paruo, Trecenſi Epiſcopo, & Regiæ confeſſionis auditori,
Petrus Gerardus. S. D.

CVM ſic literis conſultum ſemper volueris, eximie præſul, vt abundè multi non in Philoſophia modo, ſed in omni diſciplinarum genere authorés reſtituti ſint, aut potiùs renati: ſic inquam cõſulueris, vt quantò quiſque conducibilior eſſet liber, tantò impenſiore cura inuigilaueris (dum bibliothecas Galliæ Italiæque perluſtras) hunc à ſitu ac carie vindicare, illum incognitum adhuc librariorum officinis, ingenti plerumque ſumptu redimere, deinde deſcribendum mandare. Ego ingenij non fuero ſatis grati, nec pudentis, niſi Eucherij Lugdunenſis Archiepiſcopi opuſcula, alioqui rara, quæ nuper tuo beneficio conſecuti ſumus, amplitudini tuæ ac nomini conſecrauero. Ea ſanè diuinorum ſcriptorum peritia qua præditus eſt Eucherius, hę perſpicacis animi dotes, ea denique paſtoris dignitas neminem magis expoſcebat, quam T.R.D. Siquidem par eſt, Epiſcopũ Epiſcopi, doctum docti ſuſcipere patrocinium aduerſus iſtos qui affectu, iudicio non item, dicunt dulce amarum, & contra, amarum dulce: ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem. Accedit, quod in publicum mittitur induſtria excuſus & informatus Claudij Cheuallonij hominis T.D. addictiſſimi, quique vehementer annixus eſt, vt quoad fieri poſſet, id exemplar, quod vnum tua liberalitate nactus erat, repurgaretur tot mendis quibus propemodum labefactatum erat: adhibitis etiam in hunc vſum vetuſtiſſimis. LXX. interpretibus, & aliorum codicum, quibus illa ætas aſſueuerat, tranſlationibus: quas nihil grauatè aſciuit, vt hac ratione ſuam diligentiam tibi approbaret, & bonis ſtudiis hæc quoque in parte prodeſſet. Nec interim minus gaudebat, quod apud Galliam noſtram Theologum diſertiſſimum, eundemque Lugdunenſem (quę patria huic cum illo communis eſt) cerneret veritati aſſertum, ac luce donatum. Dominus te ſeruet diu nobis & rei literariæ incolumen. Pariſiis xviij. Calend. Nouembr.

EPISTO

EPISTOLA EVCHERII
Lugdunenſis Archiepiſcopi.

EVcherius Verano filio in Chriſto ſalutem dicit. Formulas ſpiritalis intelligentiæ componendas, tibiq; mittendas pro ſtudio paternæ erga te ſollicitudinis exiſtimaui: quibus præceptis in omnia ſcripta diuina facilè ſe ad intellectum ſequax ſenſus intenderet. Nam cum littera occidit, ſpiritus autem viuificat: neceſſe eſt ad illa ſpiritalium interiora ſermonum ſpiritu viuificante penetrari. Vniuerſam porrò ſcripturam tam veteris inſtrumenti, quam noui ad intellectum allegoricum eſſe ſumendam, admonet nos, vel illud quod in veteri teſtamento legimus, Aperiam in parabolis os meum: loquar ænigmata antiqua. *Vel illud quod item in nouo teſtamento ſcribitur,* Hæc omnia locutus eſt Ieſus in parabolis ad turbas, & ſine parabolis non loquebatur eis. *Nec mirandum quod ſermo diuinus, Prophetarum, Apoſtolorúmque ore prolatus, ab vſitato illo hominibus ſcribendi modo multùm receſſerit: facilia in promptu habens: magna in interioribus ſuis continens: quia & reuera fuit congruum, vt ſacra Dei dicta à cæteris ſcriptis ſicut meritò, ita & ſpecie diſcernerentur: ne illa cœleſtium arcanorum dignitas, paſſim atque indiſcretè cunctis pateret ſanctumq; canibus, & margaritas porcis exponeret. Vt verò ad illius columbæ deargentatæ modum, cuius poſteriora ſpecie auri ſplendentis irradiant: ita ſcripturæ diuinæ prima quæque argento fulgerent, auro occultiora rutilarent: rectè itaque procuratum eſt vt illa eloquiorum Dei caſtitas, à promiſcuis cunctorum oculis, abdito ſuo, quaſi quodam velamine pudicitiæ contegeretur. Ac diuina optimè diſpenſatione prouiſum eſt vt ſcriptura ipſa tegeretur, cœleſtibus obumbrata myſteriis, ſicut ſecreto ſuo ipſa diuinitas operiebatur. Igitur cum in libris ſanctis oculus Domini, vterus Domini, pedes, arma etiam Domini ſcripta reperiantur, longéque abſit à Catholica Eccleſiarum fide, Deum corpore determinari qui ſit inuiſibilis, incomprehenſibilis, infinitus requirendum eſt, qualiter iſta per ſpiritum ſanctum figurali expoſitione referentur. Hic enim inueniuntur illa Dominici interiora templi, hic illa ſancta ſanctorum. Corpus ergo ſcripturæ diuinæ ſicut traditur, littera eſt: anima in morali ſenſu, qui tropicus dicitur: ſpiritus in ſuperiore intellectu, qui anagoge appellatur. Quam triplicem ſcripturarum regulam conuenienter obſeruat confeſſio Trinitatis, ſanctificans nos per omnia, vt integer ſpiritus & anima & corpus ſine querela in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, iudiciúmque ſeruetur. Sapientia mundi huius philoſophiam ſuam in tres partes diuiſit, Phyſicam, Ethicam, Logicam, id eſt naturalem, moralem, rationalem. Sed naturalem illam perti-*

nentem ad cauſas naturæ:quæ vniuerſa contineat. Moralem verò quæ reſpiciat ad mores. Rationalem autem quæ de ſublimioribus diſputans, Deum omnium patrem eſſe confirmet. Quam tripartitam doctrinæ diſtributionem non adeò abhorret illa noſtrorum in diſputatione diſtinctio: quia docti quique hanc cœleſtem ſcripturam ſiue philoſophiam ſecundùm hiſtoriam, ſecundùm tropologiam, ſecundùm anagogem diſſerendam putant. Quapropter hiſtoria veritatem nobis factorum ac fidem relationis inculcat. Tropologia ad vitæ emendationem myſticos intellectus refert. Anagoge ad ſacratiora cœleſtium figurarum ſecreta perducit. Sunt etiam qui Allegoriam in hoc ſcientiæ genere quarto in loco adiiciendam putent: quam geſtorum narratione futurorum vmbram prætuliſſe confirment. Hæc verò ipſa ſubiectis plenius manifeſtantur exemplis. Cœlum eſt ſecundùm hiſtoriam hoc quod intuemur: ſecundùm tropologiam vita cœleſtis: atque ſecundùm allegoriam baptiſmus: ſecundùm anagogem Angeli. Omnis autem diſciplina noſtræ religionis ex illo duplici ſcientiæ fonte manauit: cuius primam practicen, ſecundam theoreticen vocauerunt: id eſt actualē & contemplatiuam. Vnam quæ actualem vitam, morum emendationē conſummet. Aliamq́ in contemplatione cœleſtium & diuinarum ſcripturarum diſputatione verſetur: ergo actualis ſcientia in diuerſa ſtudia diffunditur. Contemplatiua autem in duas deriuata partes in hiſtorica diſputatione, & ſpiritalis intelligentiæ interpretatione conſiſtit. Sed his nunc remotis, formulas intelligentiæ ſpiritalis quas ſpopondimus præferamus: currentes per ſingulorum nominū figuras, quibus iſta in illo diuinæ lectionis inſerta textu accipi ſolent. Oremus itaq́ Dominum vt reuelet condenſa ſcripturarum ſuarum: vt proferamus quomodo de ſecretiore intellectu ſentiendum ſit.

DE IIS

DE IIS QVÆ APPELLANTVR MEMBRA DOMINI: VEL QVAE DE EO SIgnificantur.

De ſupernis creaturis.
De terrenis creaturis.
De animantibus.
De variis nominum appellationibus.
De interiore homine.
De iis quæ in vſu atq; in medio habẽtur.
De variis verborum atque nominum ſignificationibus.
De Hieruſalem, vel de aduerſis eius.
De numeris.

ERgo ipſas iam nunc nominum atque verborum ſignificantias ſecundùm quas vel maximè in allegoriam trahuntur: prout donum domini ſuggeſſerit: explicemus.

Oculi domini, intelliguntur in conſpectu diuino. *In Pſalm.* Oculi domini ſuper iuſtos.

Aures domini, cum exaudire dignatur. *In Pſalmis.* Et aures eius in preces eorum.

Os domini, ſermo ad homines, *in Propheta.* Os domini locutum eſt hæc.

Verbum domini, filius. *In Pſalmis.* Eructauit cor meum verbum bonum.

Brachium domini, filius, per quem omnia operatus eſt, *in Propheta.* Brachium domini cui reuelatum eſt?

Dextera domini, idem quod ſupra. *in Pſalm.* Dextera domini fecit virtutem.

Vterus domini, ſecretum ex quo filium protulit. *in Pſalm.* Ex vtero ante luciferum genui te.

Pedes domini, ſtabilitas æternitatis, *in Pſalm.* Et caligo ſub pedibus eius.

Veſtigia domini, operum ſecretorum ſigna, *in Pſalm.* Et veſtigia tua non cognoſcentur.

Greſſus domini, aduentus vel viſitatio domini, *in Pſalm.* Viſi ſunt greſſus tui Deus.

Arma domini, adiutoria eius in ſanctos. *In Pſalm.* Apprehende arma & ſcutum.

Scutum, protectio Dei, *in Pſalm.* Domine vt ſcuto bonæ voluntatis coronaſti nos.

Framea, vltio diuina in impios. *in Pſalm.* Effunde frameam, & conclude.

Arcus, intentio comminationis diuinæ. *in Pſalm.* Arcum ſuum tetendit, & parauit illum.

Sagittæ, præcepta diuina vel Apoſtoli. *in Pſalm.* Miſit ſagitas ſuas, & diſſipauit eos.

Gladius, vindicta vel ſermo domini, *in Apoſtolo.* Viuus eſt enim ſermo Dei, & penetrabilior omni gaudio ancipiti.

Romphea, idem quod ſuprà.

Tuba Dei, vox manifeſta Domini, *in Apoſtolo.* In iuſſu & voce Archangeli, & in tuba Dei.

Currus Dei, ſedes Dei, vel quadriformitas Euangeliorum. *in Pſalm.* Currus Dei decem millibus multiplex.

Virga Dei, regni ſignificatio: vel correptio diſciplinæ, *in Pſalm.* Virga æquitatis, virga regni tui.

Baculus Dei,ſuſtentatio conſolationis Dei,*in Pſalm.* Virga tua & baculus tuus,ipſa me conſolata ſunt.

Carbones, ignis charitatis aut exemplorum aut pœnitentiæ, *in Pſalm.* Cum carbonibus deſolatoriis.

Fumus,initia compunctionis futuræ,vel ipſius cõminationis Dei, *in Pſal.* Aſcendit fumus in ira eius.Item in aliam partem,Sicut fumus oculis noxius, id eſt vanitas.

Ignis,ſpiritus ſanctus,*in actibus Apoſtolorum.* Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis,ſeditque ſupra ſingulos eorum,& repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto.

Cœli, Apoſtoli ſiue ſancti, ideo quod Dominus habitet in eis, *in Pſalm.* Cœli enarrant gloriam Dei,

Nubes, Prophetæ ſiue ſancti: quia expluant verbum Domini; *in Eſaia.* Mandabo nubibus deſuper ne pluant.

Tonitrua,voces Euangelij,eo quod è cœlo intonent.*in Pſalm.* Vox tonitrui in rota.

Coruſcationes, ſplendores Euangelij, *in Pſalm.* Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ.

Fulgura,virtutes vel verba Ieſu Chriſti,*in Pſalm.* Fulgura multiplicauit,& conturbauit eos.

Throni,Angeli vel ſancti: vel ipſa regnandi poteſtas, *in Pſalm.* Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi.Item in aliam partem de diabolo:Ponam thronum meum ad aquilonem.

Sedes,idem quod ſupra,Angeli vel ſancti,quod in his dominus ſedeat, *in Pſalm.* Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam.

Sol,Dominus Ieſus Chriſtus:quia fulgeat terris,*in Salomone.* Ergo Sol iuſtitiæ non luxit nobis.

Luna,Eccleſia,eo quòd in hac mundi nocte reſplendeat,*in Pſalm.* Fecit lunam in tempora.

Stellæ,ſancti ſiue docti,*in Daniele.* Docti tanquam ſtellæ fulgebunt. Interdum & Angeli.

Nebula,velamentum myſteriorum Dei,*in Propheta.* Et nebulæ puluis pedum eius.

Caligo,diuinorum ſecretorum operimentum, *in Pſalm.* Et caligo ſub pedibus eius.

Abyſſus,profunditas ſcripturam,*in Pſalm.* Abyſſus abyſſum inuocat.

Ros,verbum Domini, ideo quod madefaciat hominum terram, *in Pſalm.* Sicut ros Hermon qui deſcendit in montem Syon.

Pluuia,præcepta vel mandata domini,eo quod terram, id eſt homines irrigent,*in Pſalm.* Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ.

Niues,pro candore iuſtitiæ, *maximè in pſalterio.* Lauabis me: & ſuper niuem dealbabor.

Grando,comminationes domini quibus contumaces euerberet,*in Pſalm.* Grando & carbones ignis. Item in aliam partem. Et occidit in grandine vineas eorum.

Pruina,abſtinentia,eo quod per hanc frigeſcat color corporis,*in Pſalterio.* Factus ſum ſicut vter in pruina.

Tempeſtas, perſecutionum vel tribulationum impetus, *in pſalterio.* Qui ſaluum me faciat à puſillo animo & tempeſtate.

Glacies

Glacies,durities peccatorum,*in Salomone*. Et ſicut in ſereno glacies:ita ſoluentur peccata tua.

Venti, animæ ſanctorum, *in pſalm.* Ambulauit ſuper pennas ventorum. Item in malam partem,*in Mattheo*.Flauerunt venti.

Aquilo,diabolus,vel homines infideles aut mali,*in Propheta*.Ab Aquilone exardeſcent mala ſuper terram.

Dexter,idem quod ſupra, *in Salomone*. Aquilo eſt ventus. Nomine autem dextri præſumat,tanquam boni: ſiue quod occidente, id eſt peccatum reſpicientibus dexter fiat.

Auſter,calor fidei,*in pſalm*.Sicut torrens in auſtro.

Aër,inanitatis enunciatio, *in Apoſtolo*. Sic pugno non quaſi aërem verberans,id eſt inania conſectans.

Tempora,opportuna diſtributio voluntatis diuinæ, *in pſalm*. Fecit lunam in tempora,

Ver,vitæ renouatio:vel per Baptiſmum: vel per reſurrectionem, *in pſalm*. Eſtatem & ver tu plaſmaſti ea.

Eſtas,venturæ iucunditatis præfiguratio,*in pſalmis*,idem quod ſupra.

Hyems, perſecutio vel tribulatio:*in Euangelio*.Vt non fiat fuga veſtra hyeme vel ſabbato.

Anni aliquando pro æternitate accipiuntur:vt ibi.Anni tui non deficient. Interdum pro breuitate vitæ. *in pſalm.* Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur.

Dies & nox,iuſticia & iniquitas:fides & infidelitas:proſpera & aduerſa. *in pſalm*.In die Mandauit dominus miſericordiam ſuam:& nocte declarauit.

Lumen & tenebræ ita maximè accipiuntur vt dies & nox, *in epiſt. Ioannis*. Qui diligit fratrem ſuum,in lumine manet,qui autem odit fratrem ſuum, in tenebris eſt.

Vmbra,protectio diuina,*in pſalm*.Sub vmbra alarum tuarum protege me.

Hora,quingenti(vt putant quidam)quando dies pro toto mundi iſtius ſęculo accipitur,*in epiſt.Ioannis*.Filioli,nouiſſima hora eſt.

Oriens,ſaluator, *maximè in Luca*.Viſitauit nos oriens ex alto.E*t in Zacharia*.Ecce vir:oriens nomen eius.

Occidens,vitæ melioris defectus,*in Propheta*.Occidit vobis ſol meridie.

Mane, lux actuum bonorum vel baptiſmo vel reſurrectione, *vt in pſalm*. Manè aſtabo tibi,& videbo.

Meridies,planè doctrinarum factorúmque claritas, *in Salom*. Vbi cubas in meridie,*in pſalterio*. A dæmonio Meridiano,id eſt manifeſto.

Veſpere, finis vitæ, vel ſæculi pœna, *in pſalm*. Ad veſperum demorabitur fletus:& ad matutinum lætitia.

Terra,homo ipſe,*in Euang*. Aliud cecidit in terram bonam. Item in aliam partem de peccatore. Terram edes omnibus diebus vitæ tuæ.

Arida,infructuoſi hominis caro,*in Salom*.Cooperire arida malitiam& doloſitatem.

Puluis,peccatores,vel carnis vanitas.*in pſal*.Sicut puluis quẽ proiicit vẽt⁹.

Lutum,peccatorum glutinum, *in pſalm*. Eripe me de luto, vt non infigar. Item in aliam partem,*in Ioan*.Lutum fecit,& liniuit oculos meos.

Montes,Dominus,Eccleſia Apoſtoli ſiue ſancti,à celſitudine virtutum, *in pſalterio*.Qui deſcendit in montẽ Syon. Item in aliam partem Propheta. Nequando offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos,id eſt hæreticos.

Colles,ſancti,ſed minoris meriti, *in pſalm.* Montes & omnes colles. Item in aliam partem,*in Euang.*Omnis mons & collis humiliabitur.

Valles, contritio cordis humilis, *in pſalm.* Et valles abundant frumento. Item in aliam partem,*in Propheta.*In valle filiorum Ennon.

Petra,Chriſtus,à firmitate,*in Apoſt.*Petra autem erat Chriſtus.

Lapis,interdum Chriſtus aut ſancti, *in pſalm.* Lapidem quem reprobauerunt ædificantes. Item in aliam partem. Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.

Ager,hic mundus,*in Euang.*Ager eſt hic mundus.

Campi, ſancti ſiue ſcripturæ diuinæ: eo quòd paſtum animarum præbeant,*in pſalm.*Campi tui replebuntur vbertate,item.In campo Thaneos.

Paſcua,refectio ſpiritualis,*in pſalm.*In loco paſcuæ ibi me collocauit.

Agricultura, ſancti qui excoluntur in Deum, *in Apoſtolo.* Dei agricultura eſtis.

Agricola,Deus,*in Euang.*Ego ſum vitis vera,& pater meus agricola.

Sulci,corda ſanctorum,*in ſpalm.*Sulcus eius inebrians.

Semen,diuina prędicatio,*in Euang.*Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuũ.

Meſſis,vbertas vel copia fidelium,*in Euang.*Leuate oculos veſtros, & videte regiones:quia albæ ſunt iam ad meſſem,& aliter. Et meſſis conſummatio ſæculi,ſicut meſſores Angeli.

Manipuli,fructus iuſtitiæ,*in pſalm.*Portantes manipulos ſuos.

Stipula,aridi ad fidem, vel inanes, *in Apoſt.* Ligna,fœnum,ſtipulam.*Et in Propheta.*Væ mihi:quia factus ſum ſicut qui colligit ſtipulas in meſſe,hoc eſt nullos boni operis fructus inueni.

Area,Eccleſia,*in Euang.*Permundauit aream ſuam.

Ventilabrum,examen iuſtitiæ Dei,*in Euang.* Cuius ventilabrum in manu ſua.

Triticum, ſancti vel electi Dei, *in Euang.* Congregauit triticum ſuum in horrea.

Hordeum,legis littera,*in Euang.*Eſt puer vnus hic qui habet quinque panes hordeaceos.

Paleę,peccatores.*in Euang.*Paleas autem comburet igni in extinguibili,*& Hieremias.*Quid palleis ad triticum,dicit Dominus

Zizania, ſcandala, vel malè viuentes,*in Euang.*Venit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizaniam in medio tritici.

Vinea,Eccleſia vel populus Iſrael,*in pſal.* Vineam de Ægygto tranſtuliſti. Item in aliam partem.Ex vinea Sodomorum vitis eorum.

Vitis,Chriſtus,*in Euang.*Ego ſum vitis vera.Item in aliam partem in cantico Deuteronomij, hoc quod ſupra.

Palmites, Apoſtoli vel ſancti, *in Euang.* Ego vitis vera, & vos palmites. Et in malam partem, *in cantico Deuteronomij.* Et palmites eorum ex Gomorra.

Vuæ,fructus iuſtitiæ,*in Eſaia.*Expectabam vt faceret vuam.Item in aliam partem vt ſupra.Vua eorum,vua fellis.

Botrus, Eccleſia ſiue corpus Domini, *in Numeris.* Eo quod Botrum inde portaſſent filij Iſrael.

Vindemia,conſummatio ſæculi,vel vindicta in populos, *in pſalm.* Vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam, *& Iohel.*Mittite falces:& vindemiate vineam terræ:quia maturæ ſunt vuæ eius.

Torcular,

Torcular,altare, ab eo quod ibi oblationes tanquam fructus conferantur. *In Eſaia.*Et torcular fodi in ea. Et aliter torcular, tribulationum preſſura: in qua fideles probantur.*in titulo Pſalm.*In finem pro torcularibus.

Fœnum,caro vel vana gloria.*in Eſaia.*Omnis caro fœnum: & omnis gloria eius,vt flos fœni.

Herba,iucunditas quædam proficientis animæ. *in Geneſi*, Producat terra herbam virentem.In malam partem.Mane ſicut herba tranſeat.

Flos,Chriſtus vel ſpecimen iuſtitiæ.*in Pſalm.*Iuſtus vt palma florebit.

Lilium,Chriſtus vel angelus,à candore iuſtitiæ.*in Salomone.*Ego flos campi,& lilium conuallium.

Roſa,martyres,à rubore ſanguinis,*in Salomone.* Sicut roſa germinat ſuper humida fluenta.

Violæ,confeſſores,ob ſimilitudinem liuidorum corporum.*in Cantico canticorum.*Flores in terra viſi ſunt.

Siluæ,gentiles.*in Pſalm.*Inuenimus eam in cãpis ſiluæ. De his ſiluis egreſſi ſunt duo vrſi,Veſpaſianus & Titus,reges romanorum,ad præceptum figurati Heliſei, poſt quadraginta duos annos aſcenſionis eius ad cœlos: qui iudaicos pueros comederunt.

Condenſa, opaca vel contecta ſcripturæ diuinæ. *vbi ſupra.* Et reuelabit condenſa.

Ligna,peccatores igni deputandi.*in Eccl.* Qui accendit ligna, periclitabitur in eis.Item in bonam partem,*in Pſal.*Erit tanquam lignum.

Radix,origo. *in apoſtolo.* Quaſi radix ſancta, & rami. Et in malam partem. *in Pſal.*Et radicem tuam de terra viuentium.

Arbor, homo,à fructu operum.*in Euãgelio,*Facite arborem bonam,& fructum eius bonum.Et in malam partem.Aut facite arborem malã:& fructum eius malum. Quidam in hoc teſtimonio arborem hanc voluntatem magis hominis quam ipſum hominem accipiendum putant. Congruit veritati vt voluntas in hoc teſtimonio magis quam homo accipiatur.

Ramus,ſucceſſio.*in apoſtolo.* Quaſi radix ſancta,& rami. Et in malam partem,*in Daniele.*Præcidite ramos eius.

Folium,ſermo doctrinæ,*in Pſalm.* Et folium eius non defluet. Et aliter folium,veſtitus & decor cum protectione diuinæ gratiæ.

Poma,ſanctorum in virtutibus fructus.*in Cantico canticorum,* Et manducet fructum pomorum ſuorum.

Palma,refectio vel victoria.*in Pſal.*Iuſtus vt palma florebit.

Cedri,excelſioris potentiæ viri. *vbi ſupra.* Vt cedrus Libani multiplicabitur.Et in malam partem,*vbi ſupra.*Et confringet Dominus cedros Libani.

Olea,ſanctus miſericordiæ abundans fructibus. *in Pſalm.* Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei.

Oleaſter,homo ſine fructu,vel gentilis.*in apoſtolo.* Si autem ex naturali exciſus es oleaſtro.

Ficus,ſynagoga interdum.*in Euangelio.*Et arefacta eſt ficulnea,*& in Abacuc.*Ficus non afferet fructum ſuum.

Malogranata,Eccleſia, quod de multis gentibus: ſiue quod diuerſas gratias habet.*In canticis canticorum.*Emiſſiones tuæ paradiſus malorum granatorum cum fructu pomorum.

Arundo,peccator, vel fragilis in fide.*in Euangelio.* Arundinem quaſſatam non confringet.Item arundo infirmum auxilium. *in Eſaia.* Quid confidis in

baculo isto arundineo Egypto?cui si quis incubuerit,conquassabitur, & perforabit manum eius.

Rubus, vt quidam opinantur, Mariæ virginis præfiguratio:eo quod quasi de humani corporis rubo saluatorem tanquam rosam emiserit:aut quod vim diuini fulgoris sensuum assumptione pertuletit. *In Exodo.* Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat quod rubus arderet, & non comburebatur.

Spinæ,interdum noxiæ diuitiarum curæ, animum suffocantes. *In Euangelio.*Aliud cecidit inter spinas.

Tribuli,aculei vitiorum vel tentationum.*in Genesi.*Spinas & tribulos germinabit tibi.

Fontes,baptismus.*in Psalm.*Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum.

Aqua,populi vel tentationes. *vbi supra.* Forsitan velut aqua absorbuissent nos.In bonam partem *in Hieremia.*Et dereliquerũt fontem aquæ viuæ.Aqua, doctrina,vt *in Esaia.*Qui sititis,venite ad aquam,id est ad doctrinam.

Torrens, persecutiones in Christianos. *in Psalm.* De torrente in via bibit. & in bonam partem. Torrentem voluptatis tuæ totum dabis eis.

Flumina, infidelium populi. *in Psalm.* Super flumina Babylonis. Item in bonam partem,Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, id est,gratiæ spiritus.

Lacus,infernus.*vbi supra.* Posuerunt me in lacu inferiori,id est, in loco in quo peccatores soli pœnali custodia detinentur.

Mare,sæculum siue populi.*in Psalm.*Hoc mare magnum & spatiosum.

Pisces, sancti inter peccatores. *in Euangelio.* Traxerunt plenum rete piscibus magnis.Item in malam partem.Malos autem foras miserunt.

Fluctus, tentationes. *in Psalm.* Omnia excelsa tua & fluctus tui super me transierunt.

Vnda,idem quod supra.*in Cantico Moysi.* Gelauerunt vndę in medio mari.

Insulæ,animæ vel Ecclesiæ Dei,quæ diuersis tentationum tunduntur fluctibus.*in Psalm.*Lętentur insulæ multæ.

Littus,finis sæculi.*in Euangelio.*Secus littus sedentes elegerunt bonos.

Arena,maris innumeræ,gentium multitudines. *in Genesi.* Et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli:& sicut arenam,quæ est ad oram maris.

Aues,sancti,quod ad superiora corde euolent.*in Euangelio.* Et fecit ramos magnos:ita vt possint sub vmbra eius aues cœli habitare.

Volatus,sanctorum excessus in deo,vel in scripturis intellectus.*in Psal.* Et volabo & requiescam.

Alæ duæ,duo testamenta.*in Ezechiel.* Vnum quodque duabus alis velabat caput suum.

Pennæ,scripturæ.*in Psalm.*Pennæ columbæ deargentatę.

Nidus,Ecclesia,aut requies excelsa sanctis. *in Psalm.* Et turtur nidum sibi vbi reponat pullos suos. Et aliter nidus bona conscientia: in qua bonarum cogitationum fœtus fouentur: atque in opera pariuntur: vt pro eo filij appellentur. *In Psalm.* Filij tui sicut nouuellæ oliuarum, in circuitu mensæ tuæ.

Pulli,sancti.*in Psal.*vt supra. Et in malã partem,*in Salomone.* Et pulli aquilarum deuorent eum.

Aquilæ,sancti.*in Euangelio,* Vbi fuerit corpus:illuc congregabuntur aquilæ.Et in malam partem.Pulli aquilarum deuorent eum.

Stru

Struthio, hæreticus vel philoſophus, quod quaſi cum pennis ſapientiæ tamen non euolat. *in Eſaia.* Et erit cubile draconum, & paſcua ſtrutionum.

Pelicanus, Dominus Chriſtus in paſſione: aut vir ſanctus ſolitudini deditus, *in pſalm.* Similis factus ſum pelicano ſolitudinis.

Coruus, nigredo peccatoris, vel dæmones. *in Salomone.* Effodiant eũ corui de conuallibus. Item in bonam partem *in Cantico canticorum* de ſponſo: Crines eius vt abies, nigri ſicut corui.

Perdix, diabolus. *in Propheta.* Clamauit perdix, & congregauit quæ non peperit.

Columba, Spiritus ſanctus: vel vir ſanctus. *in Euangelio.* Et vidit ſpiritũ Dei deſcendentem ſicut columbam. Item in aliam partem, *in Oζee.* Effraim columba ſine ſenſu, non habens cor.

Turtur, Spiritus ſanctus, aut vir ſanctus, aut intelligentia ſpiritalis. *in Canticis canticorum,* Vox turturis in terra noſtra audita eſt. Sed tunc columba ſpitus ſanctus dicitur, quando ſcripturæ ſacræ manifeſta diſſertio eſt. Tunc vero turtur ſpiritus ſanctus intelligitur: cum ſcripturæ altis atque obſcuris myſteriis eleuantur.

Miluus ſignificat (vt puto) rapacem vel elatum. *in pſal.* ſecundum Hebræos. Milui abies domus eſt.

Accipiter, interdum ſanctus, vt puto, rapiens regnum Dei. *in Iob.* Nunquid in ſapientia tua plumeſcit accipiter?

Nycticorax, Chriſtus vel vir ſanctus infidelibus deſpicabilis. *in pſal.* Factus ſum ſicut nycticorax in domicilio.

Paſſer, nonnunquam Dominus aut vir ſanctus. *in pſal.* Etenim paſſer inuenit ſibi domum. Et aliter paſſer de quo dicitur ad ſanctum: Tranſmigra in montem ſicut paſſer.

Gallus, Dominus, vt puto, aut ſanctus. *in Salomone.* Et gallus ambulans inter gallinas lætus, & *in Iob.* Quis dedit gallo intelligẽtiam? Et in alteram partem: Et aſportari te faciam ſicut aſportatur gallus gallinaceus.

Gallina, ſapientia ſiue Eccleſia ſiue anima. *in Euangelio.* Sicut gallina congregat pullos ſuos, ſub alis ſuis.

Veſpertiliones, idolorum monſtra tenebris dedita. *in Propheta,* Vt adoraretis talpas & veſpertiliones.

Scarabæus. *in Propheta.* Et ſcarabæus de ligno clamabit, vt putant quidam, de Domino.

Locuſtæ, populi. *in Euangelio.* Eſca autem eius erat locuſta & mel ſilueſtre.

Apes, forma virginitatis ſiue ſapientiæ. *in Salomone,* Vade ad apem, & diſce quam operatrix ſit. Et in malam partem *in Propheta.* Et api quæ eſt in Aſſur.

Muſca, diabolus. *in Salomone,* Muſcæ morituræ exterminant oleum ſuauitatis.

Beſtiæ, Diabolus vel homines feri. *in pſal.* Ne tradas beſtiis animam confitentem tibi.

Leo, Dominus. Vicit leo de tribu Iuda. Item in malam partem, Nequando rapiat vt leo animam meam.

Pardus, Diabolus, vel peccator moribus varius. *in Propheta,* Si mutabit Ethiops pellem ſuam: & pardus varietates ſuas &c.

Elephas, peccator immanis. *in Reg.* Et adducebant ad Salomonem ſimias & Elephantes.

Vrſus, Diabolus aut duces ſæui. *in Reg.* Et egreſſi ſunt duo vrſi, & comederunt eos.

Ceruus, *Chriſtus vel ſancti.* Sicut Ceruus deſiderat ad fontes aquarum

Lupus, Diabolus, vel hæretici. *in Euangelio.* Intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Item in bonam partem. Beniamin lupus rapax. Apoſtolum Paulum ſignificans.

Aper, Diabolus. *in Pſalm.* Exterminauit eam aper de ſylua.

Tygris, fœminæ mobilitas & interdum arrogantia. *in libro Iob ſecundùm Hebræos.* Tygris periit eo quod non habuerit prædam.

Rhinoceros, fortis quiſque vel in bonam vel in malam partem. *in libr. Iob ſecundùm Hebr.* Nunquid volet rhinoceros ſeruire tibi?

Monoceros, hoc eſt vnicornis. *in Pſalm.* Et dilectus quemadmodum filius vnicornium, id eſt ſingularis potentiæ: vel ſanctorum qui teneant vnicum Dei verbum. Et in aliam partem. Et à cornibus vnicornium humilitatem meam. Vnicornes hic ſuperbos, vel vnum teſtamentum habentes.

Onager, eremita. *in Iob.* Quis dimittat onagrum liberum? Poteſt & populus ille Iudæorum, onager dici: quia ſequitur in eodem libro. Et vincula eius quis ſoluet? Vincula vtique præceptorum.

Hinnulus, Chriſtus aut ſanctus propter gratiarum varietatem in Salomone. Similis eſto tu fratruelis meus Damulæ hinnulóque ceruorum

Dama, idem quod ſupra.

Lepus, timens Deum. *in Pſalm.* Petra refugium leporibus & herinaciis.

Herinacius, idem quod ſupra: vt Herinacij genus inualida, qui fecerunt in petris domos ſibi.

Vulpes, hæreticus vel diabolus vel peccator callidus. *in Euangelio.* Ite dicite vulpi illi.

Animal, homo carnalis. *in Apoſt.* Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei.

Iumentum, intellectu & eloquio carens. *in Pſalm.* Vt iumentum factus ſum apud te.

Equus, vir ſanctus *in Abacuc.* Qui aſcendis ſuper equos tuos. Et in malam partem. Fallax equus in ſalutem.

Mulus, irrationabilis quiſque. *in Pſalm.* Nolite fieri ſicut equus & mulus.

Aſinus, corpus vanum, vel populus gentilium *in Euang.* Et adduxerunt ad Ieſum aſinam & pullum eius: & eum deſuper ſedere fecerunt.

Aſina, caro vel plebs carens Dei notitia. *in Euang.* idem quod ſupra.

Camelus, diuites rebus ſæculi onuſti, vel moribus diſtorti. *in Euang.* Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam diuitem intrare in regnum cœlorum.

Tauri, principes populorum. *in Pſalm.* Tauti pingues obſederunt me.

Boues, Apoſtoli, qui ſuſcepto Chriſti iugo, vomere prædicationis mundum exarauerint. *in Pſalm.* Offeram tibi boues cum hircis.

Vaccæ, carnalibus vitiis pleni. *in Pſalm.* Inter vaccas populorum.

Vitulus, Chriſtus ſiue ſanctus. Tunc imponent ſuper altare tuum vitulos. Et in aliam partem. Circundederunt me vituli multi, hoc eſt laſciui

Sues, peccatores immundi. *in epiſtola Petri.* Et ſus lota in volutabro luti.

Arietes, Apoſt. vel Eccleſiarũ principes. *in Pſ.* Afferte Domino filios arietũ.

Oues, populi fideles. *in Euang.* Oues meæ vocem meam audiunt.

Pecora, ſimpliciores quique minus prædíti ratiocinãdi ſublimitate, *in Salo-*

mone

mone.Paſce animas pecorum tuorum.

Hirci peccatores ſiue gentiles.*in Daniele*.Ecce autem hircus caprarum veniebat ab occidente ſuper faciem terræ.Item in bonam partem.Offeram tibi boues cum hircis.

Capræ,iuſti interdum ex gentibus venientes. *in Salomone*. Capillatura tua ſicut grex caprarum quæ reuelatæ ſunt de Galaad.

Agni,Chriſtus,vel Apoſtoli,aut ſancti,*in Euang*.Paſce agnos meos.

Hœdi,peccatores.*in Euang*.Hœdos autem à ſiniſtris.

Talpæ,idola vel hæretici,qui non vident veritatem.*in Eſaia*. Vt adoraretis talpas,& veſpertiliones.

Canis, Diabolus, vel Iudæus, vel gentilis. *in Pſ*. Et de manu canis vnicam meam.Et in aliam partem,*in Eccleſ*.Melior eſt canis viuus leone mortuo. Hic leonem diabolum,canem verò gentilem vel hominem peccatorem accipiendum putant,quod ille ad fidem vel pœnitentiam poſſit venire, ille non veniat.

Ranæ, dæmones.*in Apoc*. Et vidi de ore draconis ſpiritus tres immundos in modum ranarum.Sunt autem ſpiritus dæmoniorum. Item ranæ hæretici qui in cœno viliſſimorum ſenſuum commorantes,vana garrulitate blaterare non deſinunt.

Formica,prouidus vel operarius.*in Salomone*.Vade ad formicam ô piger.

Vermis, Chriſtus pro humilitate aſſumpti hominis. *in Pſ*. Ego ſum vermis,& non homo.Item in aliam partem.Vermis eorum non morietur, id eſt ſiue ipſe vermis, ſiue eorum peccati conſcientia.

Aranea,humana fragilitas.*in Pſalm*.Et tabeſcere feciſti,ſicut araneam animam eius.

Serpens,Diabolus vel maligni homines.*in Euang*.Serpentes, genimina viperarum.Item in aliam partem. *in Euangelio*. Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto.

Draco, diabolus,vel apertus perſecutor. *in Pſalm*. Tu confregiſti capita draconis:dediſti eum eſcam populo Ethiopum.

Scorpio,Diabolus vel miniſtri eius.*in Euang*.Dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones.

Vipera,idem quod ſupra.*in Euang*.Serpentes genimina viperarum.

Homo, aut homo totus, aut mens: *vt in Geneſi*. Fecit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Et in malam partem *in Pſalm*.Exurge Domine non confortetur homo.Hoc eſt,caro vel Diabolus.

Vir,ſpiritus,id eſt mens.*in Apoſtol*. caput mulieris vir.Item vir in malã partem. *in Geneſi*. Bona facie valde virgo. quam vir non cognouerat, id eſt diabolus qui plerumque mentem cogitatione corrumpit.

Mulier, anima ſiue caro humana.*in Apoſt*.Caput mulieris vir.

Virgo,Eccleſia vel ſanctæ animæ.*in Apoſt*.Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.

Rex,Dominus.*in Apoſt*.Rex regum,& Dominus dominantium.

Regina,eccleſia.in *Pſalm*. Aſtitit regina à dextris tuis,Et item regina, anima imperans corpori.

Pater,Dominus.*in Prophet*. Et ero vobis in patrem,& vos eritis mihi in filios & filias:dicit Dominus omnipotens.

Mater, Eccleſia,vel Hieruſalem cœleſtis in Apoſtolo. Illa autem quæ ſurſum eſt Hieruſalem,libera eſt,quæ eſt mater noſtra.

Frater, Chriſtus vel proximus. *in pſal.* Narrabo nomen tuum fratribus meis

Soror, Eccleſia, Synagoga, vel Chriſti anima. *in Canticis canticorum.* Soror mea ſponſa.

Vir & vxor, Chriſtus & Eccleſia: intellectus ſpiritalis & hiſtoria ſcripturarum. *in Apoſtolo.* Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam.

Sponſus, Chriſtus, ideo quod à patre ab initio ſit promiſſus. *in pſalm.* Et ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.

Sponſa, Eccleſia, quæ vtique diuinis ſponſionibus ſit promiſſa. *in Canticis canticorum.* Veni à Libano ſponſa, veni à Libano.

Filius, populus credentium. *in Apoſtolo.* Iam non eſt ſeruus, ſed filius, quod ſi filius & hæres per deum.

Filia, anima fidelis ſiue Eccleſia. *in pſal.* Audi filia & vide.

Proximi, fide propinqui. *in Salomone.* Venite, manducate, & inebriamini proximi.

Amici, concordes in Deum. *in Euangelio.* Vos amici mei eſtis.

Senex, conſummatæ iuſtitiæ. *in Geneſi.* Et mortuus eſt Abraham ſenex, & plenus dierum. Et *in Salomone.* Cani ſunt hominis ſenſus, & ætas ſenectutis vita immaculata. Et *in alteram patrem de Salomone.* Cumque iam ſenex eſſet, deprauatum eſt cor eius.

Iuuenes alacres, in Deum. *in epiſtola Ioannis.* Scribo vobis iuuenes: quia fortes eſtis, & verbum Dei in vobis manet, & viciſtis malignum. Et in malam lam partem in Regum libro de Roboam. Derelicto conſilio ſeniorum, locutus eſt ſecundum conſilium iuuenum.

Paruulus, mente humilis & ſimplex. *in Euangelio.* Abſcondiſti hęc à ſapientibus & prudentibus: & reuelaſti ea paruulis. Item in alteram partem in Apoſtolo. Cum eſſem paruulus, loquebar vt paruulus.

Meretrix, anima peccatrix, quæ derelicto cœleſti viro ſuo, id eſt Chriſto, adulterinos de diabolo iniquitatis fructus concipit: *vt in Hieremia.* Facies meretricis facta eſt tibi.

Operarij, Apoſtoli vel prædicatores Euangelij: *vt in Euangelio.* Meſſis quidem multa: operarij autem pauci.

Paſtor, dominus. Ego ſum paſtor bonus. Item paſtor Apoſtolus. *in Euangelio.* Paſce oues meas.

Mercenarij, ſeruientes domino non pro amore tantùm diuino: ſed pro temporali retributione. *in Euangelio.* Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus.

Piſcatores, Apoſtoli vel doctores. *in Euang.* Faciam vos piſcatores hominũ.

Medicus, Chriſtus vel doctus *in Salomone.* Manſuetus vir, cordis eſt medicus, & item. Non egent ſani medico: ſed malè habentes.

Diues, fidelis abundans ſpiritalibus bonis. *in Apoſtolo.* Quia diuites facti eſtis in illo in omni ſcientia & in omni verbo. Et in malam partem in Euangelio. Væ vobis diuitibus.

Pauper, humilis. *in Euangelio.* Et erat quidam Lazarus pauper. Et item. Beati pauperes ſpiritu. In malam partem. *in pſal.* Quia pauperes facti ſumus nimis.

Veſtitus, habens baptiſmi vel fidei integritatem. *in Euangelio.* Et vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali.

Nudus, carens baptiſmi veſtimento, vel diuino adiutorio. *in Apocalypſi.*

Tu autem

Tu autem es nudus & miſer.Et in bonam partem,*in Euangelio*.Et reiecta,inquit Syndone,nudus profugit ab eis,id eſt nudus terrena facultate.

Viui,iuſti.*in pſal.* Placebo domino in regione viuorum. Et in alteram partem.Et laudaui magis mortuos, quam viuentes,*in Eccleſiaſte.*

Mortui,peccatores vel infideles. *in Euangelio.* Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos.Et in bonam partem.Beati mortui qui in domino moriuntur.Item. Et mortui eſtis:& vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.

Cadauera, fidelium corpora, *in propheta.* Et impleam omnem vallem Ioſaphat cadaueribus mortuorum.Item in aliam partem. Poſuerunt caduera ſeruorum tuorum.

Sepulchrum, corpus peccatoris mortuam vitiis animam intrinſecus retinens:*vt in Euangelio*.Quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis: quæ foris parent hominibus ſpecioſa:intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum.

Homo interior, anima rationalis, *vt in Apoſtolo.* In interiore homine habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris.

Caput Chriſtus,*in Apoſtolo*.Caput viri Chriſtus.

Vertex,ſummitas iuſtitiæ: *vt in Salomone.* Coronam enim gratiarum accipiet tuus vertex.Item in aliam partem. Verticem capilli perambulantium in delictis ſuis.id eſt ſummæ nequitiæ.

Capilli,ornatus iuſtitiæ vel ſenſus,*in Euangelio*.Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt.

Oculi,intellectus fidelis ſimplex,*in Euangelio*.Veſtri autem beati oculi qui vident.E*t in Euangelio in malam partem*:Si oculus tuus nequam fuerit.

Aures,obaudientia fidelis:*vt in Euang*.Et aures veſtræ quia audiunt.

Nares,ſpiraculum fidei bonarúmque virtutum : *vt in Iob* : Et ſpiritus diuinus in naribus meis. Et in malam partem *in Iob* : De naribus eius procedit fumus,id eſt diaboli.

Fauces, iudicium intellectus : *vt in libro Iob.* Et fauces meæ nonne ſapientiam meditantur?Et in malam partem.Raucæ factæ ſunt fauces meæ.

Os,ſermo ipſe:*vt in pſalm.*Os iuſti meditabitur ſapientiam.

Lingua,idem quod ſupra.*in pſal.*Et lingua eius loquetur iudicium.

Manus,opus,*vt in pſal.*Et laui inter innocentes manus meas.

Dextera,opera bona:*vt in Euangelio*.Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua.

Siniſtra,opera non bona.*in Euangelio*.Idem quod ſupra.

Pectus,arcanum intelligentiæ : *vt in euangelio.* Diſcumbebat ſuper pectus domini diſcipulus quem Ieſus amabat plurimùm.

Venter,capacitas rationis.*in Abacuc.* Venter meus turbatus eſt intra me.

Renes,interiora ſenſus:*vt in pſalm.* Inſuper & vſque ad noctem erudierunt me renes mei.

Lumbi,fortitudo animi:*vt in Apoſtolo.* Accingite lumbos mentis veſtræ.

Vmbilicus, appetitus concupiſcentiæ, *in Iob.* Et virtus eius ſuper vmbilicum ventris eius,Sic per vmbilicum,fœminæ genitalia ſignificat:vt per lumbos,virorum.

Adeps, pinguedo gratiæ diuinæ, *vt in pſal.* Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Item in malam partem adeps craſſitudo malitiæ : *vt in pſalm.* Adipem ſuum concluſerunt.

Oſſa,firmitas animæ:*vt in pſal.* Omnia oſſa mea dicent Domine quis ſimilis?Et in malam partem, *in libro Iob.* Oſſa eius vt fiſtula aeris.

Viſcera,affectus pietatis & miſericordiæ. *in Apoſtolo.* Si qua viſcera & miſerationes.In alteram partem in Actibus Apoſtolorum de Iuda. Diffuſa ſunt viſcera eius.

Pelles,ſignum mortalitatis,*vt in Geneſi.*Et fecit eis pelliceas tunicas.

Sanguis,operatio carnalis,*vt in pſal.*Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ:& item.Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt.

Caro,homo exterior,*in Apoſtolo.*Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem.

Genua,confeſſio humilitatis:*vt in Cãtico.*Et nunc flecto genua cordis mei. Aliquando virtus fidei: *vt in propheta*: Reliqui mihi ſeptem millia virorum qui non curuauerunt genua ante Babel.

Pedes,curſus vitæ, vel ſtabilitas mentis vel fidei:*vt in pſalmo.* Stantes erant pedes noſtri.Et in malam partem in propheta.Cur claudicatis vtroque pede? &, Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.

Calcaneum,ſupplantatio vitiorum: *vt in Geneſi.* Ipſe tuum obſeruabit caput: & tu illius calcaneum.Et in malam parte. Leuabit contra me calcaneũ.

Greſſus,profectus operum:*vt in pſalm.*Perfice greſſus meos in ſemitis tuis.

Veſtigia,ſigna virtutumt,*vt in pſalm.* Vt non moueãtur veſtigia mea. Et in alteram partem, *in Salamone.* Et tranſiit vita noſtra (ſcilicet impiorum) tanquam veſtigium nauis.

Stola,indumentũ baptiſmi vel fidei.*in Euang.* Citò proferte ſtolã primam.

Cilicium,pœnitentiæ teſtimonium,*in Euangelio.* Olim in cilicio pœnitentiam egiſſet.

Cingulum,ſpiritalis operis ad cunctos,*in pſal.*Et præcinxiſti me lætitia.

Calciamenta,præparatio pacis: *vt in Apoſtolo.* Calciati pedes in præparatione Euangelij pacis.

Arma interioris homini, *in Apoſtolo.* Induti loricam iuſtitiæ,& ſcutum fidei,& galeam ſalutis,& gladium ſpiritus,quod eſt verbum Dei.

Panis, Chriſtus vel ſermo domini: *vt in Euangelio.* Ego ſum panis viuus.

Vinum,idem quod ſupra,*in Salomone.*Et bibite vinum quod miſcui vobis.

Oleũ, miſericordia vel ſanctus ſpiritus,*vt in pſal.*In oleo ſancto meo liniui eum.Item in aliam partem. Oleum peccatoris non impinguet caput meum, id eſt adulatio.

Porcina,peccata,*in pſal.*Saturati ſunt porcina.

Azymum,ſine fermento malitiæ, *in Apoſtolo.* In azymis ſinceritatis & veritatis.

Similago,puritas mentis, & fortitudo charitatis: *vt in Leuitico.* Si autem anima offeret munus ſacrificium Deo; ſimilago ſit munus eius.

Subcinericium,humilitatis oblatio:*vt in Geneſi.*Feſtinanter conſperge tres menſuras ſimilaginis,& fac ſubcinericia.

Lac,mentis ſinceritas: *vt in Epiſtola Petri.* Rationales ſine dolo lac concupiſcite.Item in aliam partem. Lac vobis potum dedi, non eſcam, nondum enim poteratis.Hic lac,exiguitas ſenſus.

Coagulatio,vitiis concretum:*vt in pſal.* Coagulatũ eſt ſicut lac cor eorum.

Sal,condimentum ſapientiæ:*vt in Euangelio.*Vos eſtis ſal terræ.

Mel, dulcedo præceptorum Dei: *vt in pſalm.* Quam dulcia faucibus meis eloquia tua domine ſuper mel ori meo. Item aliter in Salomone. Inueniens mel, manduca quod ſatis eſt: ne forte ſatiatus euomas, id eſt, altiora te ne quæſieris.

Fel,

Fel, amaritudo malitiæ: *vt in Pſalm.* Dederunt in eſcam meam fel.

Acetum, aſperitas corruptæ mentis, *vt in pſalm.* Et in ſiti mea potauerunt me aceto.

Pix, inquinamentum & nigredo delictorum: *vt in Salomone.* Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea,

Sicera, confectio quædam nequitiæ. *in Euang.* Vinum & ſiceram non bibet.

Calix, Domini paſſio, *vt in pſalm.* Calicem ſalutaris accipiam.

Merum, ſinceritas iudicij aut veritatis, vel calor fidei, *vt in pſalm.* Vini meri plenus mixto.

Fex, vltimum iudicium: *vt in pſalm.* Veruntamen fex eius non eſt exinanita.

Cibus, ſermo vel voluntas Domini: *vt in Euangelio.* Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui me miſit patris.

Potus, idem quod ſupra: *vt in pſalm.* Torrente voluptatis tuæ potabis eos, id eſt ſpiritu ſancto. Item in aliam partem. Non eſt regnum Dei eſca & potus.

Promptuaria, cordis receptacula: *vt in cantico Deuteronomij.* Et in promptuariis timor.

Pera, victus ſollicitudo. *in Euang.* Non pera in via.

Sacculus, theſaurizatio in Deum. *in Euang.* Facite vobis ſacculos qui non veteraſcant. Et in aliam partem. Sacculum communem poſſideamus, id eſt auaritiam.

Pecunia, verba diuina: *vt in Euang.* Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis.

Vellus, populus: *vt in pſalm.* Et deſcendit tanquam pluuia in vellus.

Linum, ſpiritalis fortitudo vel candor: *vt in Exodo:* Porrò filiis Aaron tunicas lineas parabis.

Vtres, vaſa humani corporis. *in Euang.* Vinum nouum in vtres nouos mitti.

Farina, opus bonum, vel ſcientia, *vt in Euang.* Abſcondit mulier in farina ſata tria.

Mola, vitæ conuerſatio: *vt in Euang.* Duæ mollentes in mola. Poſſunt & duo teſtamenta, lapides molares ſignificare, per quos molere diſcerent ſuum triticum veteris inſtrumenti, vt in farinam Euangelij conuertatur.

Hæc igitur nomina cum in textu ſacræ lectionis occurrunt, ita vel maximè vt exprimimus, à peritioribus accipienda traduntur, licèt in diuerſas plerumque ſignificationes pro perſona vel tempore, vel loco exeant, atque in figuras loci congruas pro ratione allegoricæ interpretationis erumpant. Nam & abyſſus intelligitur, ſicut ſupra diximus, profunditas ſcripturarum. Et item abyſſus, aquæ immenſitas. *in Geneſi.* Et rupti ſunt fontes abyſſi magnæ. Item abyſſus, ineffabilia Dei iudicia. Iudicia tua, abyſſus multa. Item abyſſus infernus. Aut quis deſcendit in abyſſum? id eſt Chriſtum de mortuis reuocare.

Item abyſſus corda hominum facinoribus tenebroſa. Abyſſus dixit, non eſt mecum, ſcilicet ſapientia.

Ignis ſicut ſuperius memoranimus, accipitur ſpiritus ſanctus, & item ignis charitas. Circumſepta eius ignis flammæ eius. Ignis tribulatio. Igne nos examinaſti ſicut igne examinatur argentum. Ignis ira. Et conſumam eos igne iræ meæ, dicit Dominus. Ignis voluptas. Omnes adulterantes ſicut clibanus ignis corda eorum.

Vmbra, vt indicauimus, ſignificatur protectio diuina: Item vmbra aliquan-

do peccata.Sedentes in tenebris & vmbra mortis.Vmbra aliquando pœna:*vt in Iob:* Vbi vmbra mortis & nullus ordo.Et quia vmbra non longè est à re cuius est vmbra,ita & mors non longè est à pœna quæ infert mortem:vmbra aliquando est delectatio peccatorum: vt in Iob de diabolo. Sub vmbra dormit in secreto calami & locis humentibus.

Et rursum vnam rem multa significant. Duo testamenta quod duo lapides illi molares possint significare, memorauimus. Et item duo testamenta, duo Cherubin in exodo.Duo animalia in Abacuc.Duæ tabulæ lapideæ in Exodo. Duo montes ænei in Zacharia:de quorum frutetis myrthinis & obscura opacitate egrediuntur quadrigæ cum equis ruffis,nigris, albis, & variis. Sed has tam multimodas significationes in singulis persequi nominibus: non solum laboris immensi.Verumetiam impossibile arbitrati sumus.Nunc ergo ad eum interpretationis modum atque ordinem quem paululum pro necessitate disputandi interrupimus,reuertamur.

Cophini, Apostoli. *in Euang.* Et tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos.Item in aliam partem. Manus eius in cophino seruierunt,id est in seruitute vel tribulatione quam Egyptij intulerunt.

Cathedra,doctrina:*vt in Psalm.*In cathedra seniorum laudent eum.Item in aliam partem .Et in cathedra pestilentiæ non sedit,id est in doctrina hæreticorum.

Scabellum humiliatorum subiectio, *vt in Psalm.* Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Statera æquitas,vel diuinæ gubernationis potentia,*in Esaia.* Et librabit in pondere montes & colles in statera.

Cinis, humanæ fragilitatis inanitas: *vt in Eccles.* Quid superbit terra & cinis?

Olla, prosapia. *in Psalm.* Moab olla spei meæ, id est,qui de Ruth, moabitide Christi secundùm carnem prosapia descenderit.Item in aliam partem olla tribulationis excoctio descenderit.*vt in Propheta.*Et vidi ollam succensam & facies eius à facie Aquilonis.

Lampades,animæ iustitia fulgentes.*vt in Euang.* Et parauerunt Lampades suas.

Lucerna,Ecclesia vel anima,*vt in Euang.*Sint lumbi vestri accincti, & lucernæ ardentes. Aliquoties lucernæ opera bona.Sic luceat lumen vestrum: vt videant opera vestra bona.

Modius,corpus humanum,vel legis littera, vel populus Iudæorum. *vt in Euang.*Nemo accendit lucernam & ponit eam sub modio.

Candelabrum,Ecclesia,vel corpus Domini, aut sancta scriptura,*vt in Propheta.*Et vidi à dextris altaris candelabra duo ardentia.

Mensa,altare,vel refectio spiritalis: *vt in Psalm.* Parasti in conspectu meo mensam.

Claues,adapertio scientiæ spiritalis: *vt in Luca.* Væ vobis legisperitis:quia tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis: & eos qui introibant, prohibuistis:Item clauis iustitiæ misericordiæ,pietatisque virtutes, *vt in Euang.*Et tibi dabo claues regni cœlorum.

Seræ,regulæ aduersùm impios diuinorum præceptorum. *vt in Psal.* Quoniam confortauit seras portarum tuarum.

Ascia,persecutio prauorum,*vt in Psal.*In bipenne & ascia deiecerunt eam.

Bipennis,geminata afflictio,*vt in Psalm.*idem quod supra.

na uis

Nauis, Eccleſia, *in Euang.* Nauicula multis in medio mari iactabatur fluctibus. Solet & homo nauicula dici: vt nautæ, cogitationes hominem gubertes aduertantur.

Retia, prædicatio, *vt in Euang.* Emittere retia in capturam.

Trabs, peccatum grauius, *vt in Euangelio.* Eiice primum trabem de oculo tuo.

Feſtuca, peccatum leuius, *in Euang.* Et tunc videbis eiicere feſtucam de oculo fratris tui.

Laqueus, Diabolus, *in pſalm.* Laqueos parauerunt pedibus meis.

Funes, ſors vel hæreditas, *in pſalm.* Funes ceciderunt mihi in præclaris. Itē funes peccata. Vę qui trahitis peccata velut funem longum. Et, Funes peccatorum circumplexi ſunt me.

Rota, orbis, aut vita humana, *vt in pſalm.* Vox tonitrui tui in rota. Et item. Deus meus pone illos vt rotam, id eſt, volubiles vel inſtabiles effice eos in malitia ſua.

Spongia, caua infidelitas Iudeorum, *vt in Euangelio.* Illi autem ſpongiam plenam aceto hyſſopo circumponentes obtulerunt ori eius.

Scala, ſanctorum profectus, *in Geneſi.* Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram: & cacumen illius tangens cœlum: angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam.

Scopæ, cura ſuperſtitionis per vanam gloriam. *in Euang.* Et veniens inuenit vacantem ſcopis mundatam & ornatam.

Margarita, doctrina Euangelica, vel ſpes regni cœlorum, *vt in Euangelio.* Inuenta autem vna pretioſa margarita: abiit & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.

Annulus, ſignaculum fidei, *in Euangelio.* Et date annulum in manu eius. *Item de hoc in pſalm.* Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui domine.

Chlamys, laudis ornatus. *vt in Salomone.* Chlamydes fecit viro ſuo. id eſt veſtimentum quod tanquam de duobus teſtamentis confectum ſit.

Aurum, interior ſcripturarum intellectus. *vt in pſalm.* Et poſteriora dorſi eius in ſpeciem auri.

Argentum, eloquia diuina, ſiue intellectus litteræ vel hiſtoriæ. *in pſal.* Eloquia domini, eloquia caſta: argentum igne examinatum.

Lapides pretioſi, Apoſtoli vel ſancti, ſiue ipſa opera virtutum. *vt in Apocalypſi.* Fundamenta muri ciuitatis omni lapide precioſo ornata.

Aes, vanitas, vel inanitas fidei. *in Apoſtolo.* Factus ſum velut æs ſonans. Item in aliam partem. Poſuiſti vt arcum æreum brachia mea. Hic æreum fortem vel firmum.

Ferrum, tribulatio, vel homo ipſe. *vt in pſalm.* Ferrum pertranſiit animam eius.

Plumbum, pondera peccatorum. *in Propheta.* Et iniquitatem ſuper talentum plumbi.

Fictile, fragilitas carnis. *in Apoſtolo.* Habemus theſaurum hunc in vaſis fictilibus.

Aedificare, bona opera facere, vel bene docere. *vt in Apoſtolo.* Si quis autem ædificat ſupra fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos.

Deſtruere, mala opera exercere, vel malè docere. *vt in Solomone.* Vnus ædificans, & vnus deſtruens.

Mundare, vitiis expurgare. *vt in Euang.* Tetigit eum dicens, Volo man-

dare,& confeſtim mundata eſt lepra eius,

Stare,in fide conſiſtere,*vt in Apoſtolo.*State in fide.

Ambulare,ad dominum contendere, *vt in pſalm.* Et ambulandum in dilatatione.

Sedere,in Deum humiliter præſumere, *vt in Euangelio.* Vos autem ſedete in ciuitate.

Iacere,aut vitiis aut tentationibus ſuccumbere,*vt in Euang.*Et inuenit eam iacentem in lecto.

Currere,in operibus bonis properare, *in Apoſtolo.* Sic currite,vt comprehendatis.

Vigilare,cuſtodiam cordis adhibere,vel in Deum ſurgere, *vt in pſal.* A vigilia matutina vſque ad noctem.

Dormire,tranſire,& apud Chriſtum requieſcere, *vt in pſalm.*Nunquid qui dormit, non adiiciet vt reſurgat? Et aliter dormire, peccatorum ſopore torpeſcere,*vt in Apoſtolo.*Surge qui dormis.

Aſcenſus,profectus in Deum,*vt in pſal.* Aſcenſus in corde eius.

Deſcenſus, defectus à Deo, *vt in Euang.* Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Hierico.

Via,Chriſtus, *in Euangelio.*Ego ſum via & veritas & vita. Et aliter via hominis,*vt in pſalm.*Vias meas enunciaui,& exaudiſti me.

Spatioſa, vitiorum illecebris dilatata,*vt in Euang.* Lata porta, & ſpatioſa via quæ ducit ad perditionem.

Arcta,diſtricta,vel tribulationibus preſſa, *vt in Euangelio.* Quam auguſta porta,& arcta via eſt,quæ ducit ad vitam.

Directa,præceptis Dei ordinata,*in Eſaia.*Rectas facite ſemitas eius.

Praua,à Dei præceptis deuia, *in Eſaia.* Erunt praua indirecta: & aſpera in vias planas.

Plana,obedientia præceptorum exæquata,*in Eſaia,*idem quod ſuprà.

Aſpera,in obedientiæ aſperitate horrida,*in Eſaia,* idem quod ſuprà.

A dextris, à parte iuſtitiæ, *vt in Euangelio.* Statuet ques quidem à dextris ſuis:hœdos autem à ſiniſtris.

A ſiniſtris,à parte iuſtitiæ,*in Euang.*idem quod ſupra.

Fouea,dolus,vel lapſus in mortem.*vt in pſalm.*Foderunt ante faciem meam foueam.

Puteus,Diabolus vel infernus, *vt in pſalm.* Neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum.*Et in bonam partem in Geneſi.*Ad puteum iuramenti,id eſt aquâ fidei.

Sanitas,mentis integritas,*vt in pſalm.*Clamaui ad te & ſanaſti me.

Languor,vitiorum morbus,*vt in pſalm.* Qui ſanat omnes languores tuos.

Lepra,peccatorum contaminatio, *vt in Euangelio.* Et confeſtim mandata eſt lepra eius.

Hieruſalem, Eccleſia vel anima,*vt in pſal.* Lauda Hieruſalem dominum. Et notandum quod quæcumque ad Eccleſiam generaliter conueniunt: hæc & ad animam referri poſſunt.

Syon,idem quod ſupra,*vt in pſalm.*Lauda Deum tuum Syon.

Filij Syon,filij Eccleſiæ,*vt in pſalm.*Et filij Syon exultent ſuper rege ſuo.

Filiæ Hieruſalem,idem quod ſuprà.

Tabernaculum,corpus domini, vel Eccleſia: *vt in pſalm.* In ſole poſuit tabernaculum ſuum.

Arca,caro dominica,vel corda ſanctorũ Deo plena, *vt in pſalm.*Tu & arca ſanctificationis

ſanctificationis tuæ. Item arca Eccleſia, vt intra quam ſaluandi clauduntur, *vt in Geneſi.* Remanſit autem ſolus Noe, & qui cum eo erant in arca.

Tabulæ duæ, vt puto, propter teſtamẽta duo, vel propter duo præcepta dilectionis Dei & proximi, *vt in Exodo.* Et dixit Dominus ad Moyſen. Excide tibi duas tabulas.

Lex, præcepta diuina, *vt in pſal.* Lex Domini immaculata.

Chirographum, conſcriptio hominis peccatoris cum diabolo per manum iniquitatis, *vt in Apoſtolo.* Chirographum peccati, quod erat contrarium nobis.

Pactum, confœderatio gratiæ diuinæ cum hominibus, *vt in pſal.* Vidi non ſeruantes pactum tuum.

Teſtamentum, confirmatio voluntatis diuinæ, *vt in Propheta.* Et confirmabo teſtamentum ſuper domum Iuda.

Præputium, vita gentilis, *vt in Apoſtolo.* In præputio aliquis vocatus eſt? non circuncidatur, id eſt, etiam qui ex gentibus ad fidem Chriſti venit, corpore non circuncidatur.

Circunciſio, expoliatio vitiorum, *vt in Apoſtolo.* Circunciſi eſtis circunciſione non manufacta in expoliatione corporis carnis.

Cornu, fortitudo vel regnum, *vt in lib. Reg.* Et exaltabit cornu Chriſti ſui.

Purpura, martyrii ſpecies per crucem, *vt in Exodo.* Omnis qui percipit corde, afferet initia Domino aurum, argentum, æramentum, hyacinthum, purpuram, coccum, netum, & byſſum.

Coccus, idem quod ſupra, vel charitatis ardor, vel crucis mentio, *in Exodo*, ſicut ſupra.

Hyacinthus, confeſſorum liuores. *in Exodo*, idem quid ſupra.

Byſſus, caſtitatis vel continentiæ candor, *vt in Exodo*, idem quod ſupra.

Superhumerale, operum ab humeris ſignificatio, *vt in Exodo.* Et fecerunt ſuperhumerale de auro & hyacintho & purpura & cocco, neto & byſſo retorta.

Rationale, doctrinæ vel rationis à pectore declaratio, *vt in Exodo.* Et fecerunt rationale opere textili ſecundùm opus ſuperhumeralis.

Poderis, doctrina ſecretior atque perfectior, *vt in Exodo.* Et fecerunt veſtimentum poderem, ſub vmbone opus textile totum hyacinthinum.

Lamina aurea in fronte, crucis in fronte præfiguratio, *vt in Exodo.* Et fecerunt laminam auream, & infrà. Scripſerunt (inquit) in ea litteras deformatas.

Item ſignaculum, ſanctitas Domini.

Tetragrammaton, id eſt, nomen Domini.

Templum Domini, corpus Domini, vel ſancti, *vt in Apoſtolo.* Vos eſtis templum Domini viui.

Altare, fidei altitudo. *in pſal.* Tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.

Sacrificium, oblatio iuſtitiæ. *in pſal.* Holocauſta medullata offeram tibi

Hoſtia, Chriſtus vel anima dicata Deo: *vt in Apoſtolo.* Oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis,

Myrrha, mortalitatis indicium. *in pſal.* Myrrha & gutta & caſia.

Vnguentum, diffuſa nominis Chriſti gratia, *vt in Salomone.* Vnguentum effuſum nomen tuum.

Sancta ſanctorum, interiora quæque myſteria Dei, vel regna cœlorum, *vt in epiſtola ad Hebræos.* Non in manufactis ſanctis Ieſus introiit exemplaria

verorum,ſed in ipſum cœlum,vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.

Sabbatum, requies ſpiritalis, *vt in Geneſi.* Et requieuit Dominus ab omnibus operibus ſuis.

Quadrageſima,figura præſentis vitæ ac laboris,*vt in Euangelio.*Et cum ieiunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus.

Paſcha,prænunciatio dominici tranſitus,*vt in Euangelio.*Ante diem feſtum paſchę ſciens Ieſus quia venit eius hora,vt tranſeat ex hoc mũdo ad patrem.

Quinquageſima , manifeſtatio futuræ beatitudinis vel remiſſionis , *vt in Leuitico.* Numerabitis ergo ſeptem hebdomadas plenas vſque ad alteram diem.Et infrà,id eſt,quinquaginta dies.

Iubileus,venturæ quietis ſignificatio,*vt in Leuitico.*Annus remiſſionis eſt: ſignum ſanctum erit vobis.

Ciuitas Dei,Eccleſia vel anima,*vt in pſal.*In ciuitate Dei noſtri.

Ciues,fideles,*vt in Apoſtolo.*Sed eſtis ciues ſanctorum,& domeſtici Dei.

Muri,munimenta ſcripturæ diuinæ , vel prophetæ, aut ſancti, *vt in pſalm.* Ædificentur muri Hieruſalem. Item in aliam partem. In Deo meo tranſgrediar murum.

Turres,apoſtoli vel perfecti quique,*vt in pſ.*Et abundantia in turribus tuis.

Portæ,ſcripturæ ſanctæ,vel iuſtitiæ,vel apoſtoli,aut angeli. *in pſal.* Et eleuamini portæ æternales. Item in aliam partem. Quia lata porta, & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad mortem.

Plateæ , beatitudo dilata ſanctorum , *vt in Apocalypſi.* Et plateæ ciuitatis aurum mundum tanquam vitrum perlucidum.

Fundamentum, Chriſtus vel fides. *in Apoſtolo.* Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere quam id quod poſitum eſt,quod eſt Chriſtus Ieſus.

Maceria, lex, vel angelorum cuſtodia , *vt in Cantico Eſaiæ.* Et maceria circundedi:& calamos affixi,& plantaui vineam.

Domus,anima in qua Chriſtus habitat, vel Eccleſia, *vt in pſal.* In domum Domini ibimus.

Cœnaculum,altitudo meritorum vel ſcientiæ. *vt in Euangelio.* Et ipſe vobis oſtendet cœnaculum magnum.

Oſtia,adapertio fidei,*vt in Apoſtolo.* Oſtium enim mihi adapertum eſt magnum & euidens.

Columna,firmamentum,vel ſtabilitas ſpiritalis, *vt in Apoſtolo.* Iacobus & Ioannes & Cephas,qui videbantur columnæ eſſe.

Paries,interdum ſtructura bonorum operum,*vt in Cantico canticorum.*Ecce hic retro poſt parietem noſtrum proſpiciens per feneſtras.

Feneſtræ,viſus & auditus,vel cæteri ſenſus, vbi ſupra. Proſpiciens per feneſtras.Item in aliam partem.Mors introiuit per feneſtras veſtras.

Gradus,ſpiritalis aſcenſus,*vt in pſal. titulo.* Canticum graduum.

Pauimentum,humiliatio vel afflictio animæ,ſiue in terrena declinatio,*vt in pſal.*Adhæſit pauimento anima mea.

Pſalterium,opera bona,*vt in pſal.*Pſalterium iucundum cum cithara.

Cithara,pectus deuotum:in quo tanquam nerui ſunt virtutes:hoc eſt ſpiritalia bona:*vt in pſal.*Exurge pſalterium & cithara,id eſt,opera cum fide,vel de ipſo Domino,reſurrectio carnis cum diuina virtute.

Decachordum,præcepta decem,vel geminati quinque ſenſus hominis exterioris cũ interiore,*vt in pſal.* In decachordo pſalterio cũ cantico & cithara.

Organum,homo,vel ille qui eſt aſſumptus à Domino,*vt in pſalm.* Laudate

cum.

eum in chordis & organo.

Tympanum,attenuatum corpus ieiunio,*vt in pſalm.*Laudate eum in tympano & choro.

Chorus,concordia,*in pſalm.*vt ſupra.

Tuba,vocis exaltatio in prædicatione diuina, *vt in prophetis*. Exalta velut tuba vocem tuam.

Cymbala, labia Deum confitentia, vel dilectio Dei & proximi, *vt in pſalm.* Laudate eum in cymbalis bene ſonantibus.

Iubilatio,clamor ſpiritali feruore expreſſior,*vt in pſalm.* Laudate eum in cymbalis iubilationis.

Ægyptus, mundus vel gentilium populus, *in pſalm.* Venient legati ex Ægypto.

Aethiopia,Eccleſia,ex gentibus congregata,*vt in pſalm.* Æthiopia præueniet manus eius. Item in aliam partem *in pſalm.* Dediſti eum eſcam populo Aethiopum.

Babylon,aut mundus,aut Roma,*vt in Apocalypſi.*Et Babylon magna,venit in memoria ante Deum dare ei calicem vini indignationis iræ ſuæ.

Inimici,diabolus vel vitia, *vt in pſalm.* Non confundetur cum loquitur inimicis ſuis in porta.

Fures, hæretici vel pſeudoprophetæ, *in Euangelio.* Omnes quoquot ante me,fures fuerunt & latrones.

Gentes,vitia ,*in Pentatheuco.* Cùm introduxerit te dominus Deus tuus in terram quam poſſeſſurus ingredieris, & deleuerit gentes multas coram te &c.

Pugna, certamen aduerſus nequitias ſpiritales: vel aduerſum vitia conflictus:*vt in Apoſtolo.*Sic pugno non quaſi aerem verberans.

Pax, carnis in bonum ſpiritúſque concordia, *vt in pſalm.* Rogate quæ pacis ſunt Hieruſalem. Item pax Chriſtus: *vt in Apoſtolo.* Ipſe eſt pax noſtra.

Victoriam, de diabolo vel de aduerſis triumphus, *vt in Apoſtolo.* Deo autem gratias: qui dedit nobis victoriam per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Brauium, conſummatorium præmiúmque meritorum: *vt in Apoſtolo.* Ad deſtinatum proſequor,ad brauium ſupernæ vocationis Dei.

Corona,æternæ gloriæ pro iuſtitia merces,*in Apoſtolo.* De reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.

Quoniam ſpiritualium profectuum conſummatio prouehit coronam,rectè horum quoque ſpiritalem nominum interpretationem corona conſummat: quæ tamen nomina vniuerſa complecti,arduum duximus: ſicut etiam illud, vt depromerentur cuncta quæ in vtramque partem gemina ſignificatione diffundunt.

SAne his nominibus abſolutis, numeros quoque breuiter digeramus,quos myſtica exemplorum ratio inter ſacratos celebriores effecit.

1 Hic numerus ad vnitatem deitatis refertur, *in Pentatheuco.* Audi Iſrael: Dominus Deus tuus,Dominus vnus eſt.

2 Ad duo teſtamenta, *in Regum lib.* Et fecit in Dabir duo Cherubim decem cubitorum magnitudinem.

3 Ad Trinitatem,*in Ioannis Epiſtola.* Tria ſunt quæ teſtimonium perhibent, aqua,ſanguis,& ſpiritus.

4 Ad quattuor Euangelia,*in Ezechiele.* Et in medio eorum ſimilitudo quatuor animalium.

5 Ad quinque libros moyſi,*in Apoſtolo.* In Eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui.

6 Ad diem ſextum,quo dominus hominem cum vniuerſis terræ animantibus fecit,*vt in Geneſi.* Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.Item paulò poſt.Et factum eſt veſpere & mane dies ſextus.

7 Ad diem ſeptimum,in quo perfectis omnibus dominus requieuit, *in Geneſi.*Et requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere quod patrarat.

8 Ad diem dominicum reſurrectionis, id eſt octauum, *vt in titulo pſalm.* In finem pro octaua.

9 Ad ſacramentum, quod hora nona dominus ſpiritum emiſerit, *vt in Euangelio.*Et circa horam nonam clamauit Ieſus voce magna.

10 Ad decalogum,*in pſalm.*In pſalterio decachordo pſallam tibi.

11 Ad apoſtolos, *vt in Euangelio.*Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc,Simon Petrus,&c.

14 Ad ſacramentum dominicæ generationis, *vt in Euangelio.* Ab Abraham vſque ad Dauid generationes quatuordecim.

15 Ad quindecim gradus templi.

16 Ad numerum prophetarum.

22 Ad ſacramentum diuinorum voluminum ſecundum literas Hebręorum.

24 Ad myſterium numeri ſeniorum,*vt in Apocalypſi.*Et ſuper thronos viginti quatuor ſeniores ſedentes.

30 Ad fructus fidelium coniugiorum, *vt in Euangelio.* Et dabunt fructum, aliud centeſimum,& aliud trigeſimum.

33 Ad myſterium ætatis qua dominus in carne verſatus eſt, *in Apoſtolo* (ſicut quibuſdam ex hoc videtur) Donec occurremus in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei in virum perfectum in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.

40 Ad quadrageſimæ ſacramentum, *vt in Euangelio.* Et agebatur ſpiritu in deſerto diebus quadraginta.

42 Ad numerum in eremo manſionum,vel ad numerum generationum quę ab Abraham ſunt vſque ad dominum Ieſum.

50 Ad pentecoſten, *vt in actibus Apoſtolorum.* Cum complerentur dies pentecoſtes.

60 Ad fructum viduis ſiue continentibus debitum,*vt in Euangelio.*Et dabunt fructum aliud ſexageſimum.

62 Ad numerum presbyterorum Moyſi, vel diſcipulorum quos dominus elegit,*in Euangelio.*Poſt hoc autem deſignauit dominus & alios ſeptuaginta duos & miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem.

100 Ad fructum martyrum ſiue virginum:*vt in Euangelio.*Et dabunt fructum aliud centeſimum. Hos igitur certos ſacratóſque numeros exempli tantum cauſa protulimus. Sunt verò præter eos plurimi vel penè omnes ſacrati: qui quomodo fiant,ipſe diuinæ lectionis ſcrutator iuuenies.

EXPLICIT.

Item

ITEM DE INSTRVCTIONIBVS LIBRI duo: de quæſtionibus difficilioribus veteris & noui Teſtamenti.

LIBER PRIMVS.

De Pentatheuco Quæſtiones, 43.
De regum libris. 6.
De prophetis. 8.
De Paralipomenon. 3.
De Salomone. 5.
De Marci. 2.
De Ioannis. 10.
De Actibus Apoſtolorum. 6.
De Apocalipſ. 1.
De Iob. 3.
De Pſalterio. 65.
De Euangelio Matthæi. 12.
De Lucæ. 9.
De Apoſtolo. 26.
De epiſtolis Apoſtolorum. 5.

Item liber ſecundus.

De nominibus Hebraicis.
De variis vocabulis.
De gentibus
De fluminibus vel aquis.
De ſolemnitatibus.
De veſtibus.
De beſtiis, vel repentibus.
De ponderibus.
De expoſitione diuerſarum rerum.
De locis.
De menſibus.
De idolis.
De auibus vel volatilibus.
De menſuris.
De Græcis nominibus.

EVcherius Salonio in Chriſto ſalutem dicit. Sæpe à me requiris multarum rerum abſolutionem quæ in diuinis voluminibus interpretem poſtulant. Colligam prout redierint in memoriam, quæ à te, mi Saloni, ſtudio cognoſcendi ſedulè copioſéque prolata ſunt: atque eis non ex meo ingenio, ſed ex illuſtrium doctorum iudicio: neque ex propria temeritate, ſed ex aliorum auctoritate reſpondebo: conſectans, non tam eloquij exultantis ambitum, quam neceſſariæ breuitatis modum. Sic enim & innumeris ſatisfieri inquiſitionibus tuis poterit, & mihi inſuper liberum erit aliqua extrinſecus, quæ cognitioni tuæ vtilia arbitrabor, inſerere, vt eſt illud, quod ſignificet Alleluia, Diapſalma, Amen: quid ſit cidaris, ephod, ſiclus, & cætera quæ vel in ſacris libris frequentata, vel maximè in Eccleſiæ vſupoſita, interpretationem requirunt. Hæc cum ſe legentibus, per totum ſcripturarum corpus crebrò offerant non abs re exiſtimaui ea tibi cum ſignificationibus ſuis in opere hoc quaſi coaceruata oſtendere. Dignum namque eſt quacumque cura mea ingenium tuum remunerari: qui vix dum decem natus annos, eremum ingreſſus, inter illas ſanctorum manus, non ſolum imbutus, verumetiam enutritus es ſub Honorato Patre: illo inquam primum inſularum, poſtea etiam Eccleſiarum magiſtro: cum te illic beatiſſimi Hilarij tunc inſulani tyronis, ſed iam nunc ſummi Pontificis doctrina formaret, per omnes ſpiritalium rerum diſciplinas: ad hoc etiam te poſtea conſummantibus ſanctis viris Saluiano atque Vincentio eloquẽtia pariter ſcientiáq; præeminentibus. His igitur tot ac talibus vſus magiſtris, ex me quoque minimo omnium audies quæ ſciſcitatus es in quibus iam nunc & interrogantem te, & me reſpondentem cognoſce. Vale in Chriſto.

De quæſtionibus difficilioribus veteris & noui teſtamenti: Et primo de Geneſi.

QVibus ſcripturarum teſtimoniis Trinitas approbetur, multifariè & multis id quidem ſignificationibus, per omnia ferè ſacra volumina declaratum manifeſtatumque diffunditur: ſed nos breuiter hoc in ipſo ſtatim diuinarum ſcripturarum demonſtremus exordio.

1 *In principio (inquit) fecit* Deus *cœlum & terram*, cui & illud à patre dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Omnia enim per filium operatus eſt: *quia omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Ferebatur autem ſuper aquas ſpiritus Dei, vtique ſanctus. Ecce habes & Deum patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum. Item aliud: *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Ecce Dominum, & verbum, & ſpiritum eius ſanctum. Item in Euangelio. *Item baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti.* Sed pater ingenitus, filius genitus, Spiritus ſanctus nec genitus, nec ingenitus: ne ſi ingenitum dixerimus, duos patres dicere videamur: ſi genitum duos filios: ſed potius qui ex patre & filio procedat velut quædam patris, filiique concordia. Neque verò apud nos poteſt ſine Spiritu ſancto iuſta eſſe concordia. Ideo ſpiritus, & charitas Dei, & donum Dei dicitur. Idem & diuiſor eſt gratiarum. Ergo pater ex quo omnia: filius, per quem omnia: ſpiritus in quo omnia: ſicut & amplius dicit. *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria in ſæcula ſæculorum.* Amen.

2 Spiritus Dei quomodo ferebatur ſuper aquas? Non per nauigationem, ſed per poteſtatem, dum creaturæ ſuæ ſupereminet regentis imperio.

3 Aquas vbi legimus à Deo factas? Etſi factas eas in exordio creaturarum non euidenter diuinæ lectionis textus expreſſit: à Deo tum factæ ſunt: nam & aliquanta alia quæ non ſcribuntur, quomodo intelligantur, de cæteris oſtenditur: ſicut & Apoſtoli baptizati intelligendi ſunt, cum baptizatos eos non penitus manifeſtet apertior ſcripturæ ſignificantia: licet quidam hoc intelligi illo velint teſtimonio quo ſaluator dicit, *Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet.* Et tamen de aquis à Deo factis, illud nos aliquatenus inſtruere teſtimoinium poteſt, quo dicitur. Separentur aquæ in congregationem vnam & appareat arida: quia ſcilicet non præciperet vt aquæ à terra quam fecerat, ſecernerentur: niſi & aquas ipſe feciſſet. Nec enim conſequenter in creaturarum ordine poſtea diſtingui iuberet, quod ipſe antea non creaſſet: & & hoc quidem ob id quod legimus, quia creationis eius manifeſtè Geneſis non tulit mentionem. Manifeſtius autem creaturæ huius Deum deſignat auctorem pſalmus ille qui dicit. *Quoniam ipſius eſt mare & ipſe fecit illud.*

4 Quid eſt quod dicitur, *Et vidit Dominus, quia bona ſunt valde.* Vidit, hoc eſt approbauit.

5 Quæ conſequentia eſt nominis vt ſcribatur, *Hæc vocabitur mulier, quoniam ex viro ſumpta eſt?* Etymologia quæ hic in latino non ſonat, in Hæbræo ſermone ſeruatur. Vir enim vocatur *iſs*, mulier *iſſa*. Quod enim adnectitur pulcherrimè recens cuſtodit tranſlatio, dicens. *Hæc vocabitur virago, quia ex viro ſumpta eſt.*

6 In quo Dei ſimilitudinem retinemus. In mente, id eſt in anima.

7 Paradiſus vbi eſſe definitur. Diuerſa ſuper hac re ſententia plurimorum

eſt ſen

eſt. Aliqui tamen hunc in terra definiunt: quod non potuerit niſi in terra habitare terrenus: quem tamen homini inacceſſibilem effici diuina virtute confirmant.

8 Eden in Geneſi quid accipimus? Sacratiſſimum ipſum ad orientem paradiſi locum.

9 Quid intelligendum eſt de illa arbore ſcientiæ boni & mali? In primisne (vt quidam hæretici interpretantur) malorum ita vt bonorum putur ex hoc conditor Deus. In arbore quippe illa, quæcunque erat, præceptum Dei intelligendum eſt: ſcilicet in cuſtodia præcepti, ſcientia erat boni: & in trangreſſione præcepti, ſcilicet erat mali. Ergo deguſtata arbore, id eſt præcepti lege tranſgreſſa, conſequebatur & pœna.

10 Quomodo accipiendum eſt illud quod nobis ſcriptura deambulantem in paradiſo Deum retulit? Dei in eodem loco præſentiam, hac deambulandi appellatione manifeſtat. Scripturæ enim mos eſt, quo facilè hominibus ad intelligentiam clareat: per humanas ſignificationes, diuinos motus effectuſque oſtendere: ſicut cum Dei brachium dicit, potentiam eius virtutémque deſignat: cum auribus, eo quod cuncta indubitanter audiat: cum oculis, eo quod indiſcretè vniuerſa proſpiciat: cum anima, eo quod perpetuum ſempérque viuat: aut quod auctore ipſo omnia viuificentur.

11 Cùm omnia Deus bona fecerit: nihilque non ab illo factum ſit: vnde malum? De priuatione boni: dum id quod in bonum auctor bonus protulit: in malum, à malè vtentibus deprauatur. In ipſa autem creaturæ ſubſtantia, nihil eſt quod rectè appellari malum poſſit. Porrò ea quæ putantur mala, id eſt ſerpentum, & cætera beſtiarum animantia, per inconuenientem naturæ modum efficiuntur vt noxia ſint. Venenum quippe quod mortem infert homini: vita ſerpentis eſt. Hoc modo & alia in aquis viuunt, quæ terræ expoſita moriuntur: atque è contrario viuunt alia in terra, quæ aquis immerſa depereant.

12 Quia totius ſubſtantia creaturæ, Deo auctore proceſſit: requiro quid de tenebris ſentiendum ſit? Quidam ex hoc ita diſputant: Silentium dicitur vbi ſonus nullus eſt, cùm tamen nullam ſilentij nouerimus eſſe ſubſtantiam: ſic & quia lucis præſentia, nullæ ſunt tenebræ: meritò tenebræ deputentur lucis abſentia. Cui opinioni congruere putant alij teſtimonium illud quò ſcribitur: *Tuus eſt dies: & tua eſt nox.*

13 Cùm nulla eſſe ignorantia apud dominum poſſit: quomodo ipſe in libri Geneſeos exordiis dicit dominus ad Adam: *Vbi es?* Hoc eſt dicere, Adam, quo receſſiſti? Non ergo vox iſta quaſi per ambigui ſciſcitatione quærentis eſt: ſed cum increpatione interrogantis. Et aliter ſermo hic non Deum veri inſcium: vel vbi eſſet Adam, oſtendit ignarum: ſed illud potiùs oſtendit, quod omnis ille qui peccat, velut iam erroribus ſuis deuius, & per delictum recedens à conſpectu Dei, notitia eius efficiatur indignus.

14 Quid eſt quod ait, *Maledicta terra in operibus tuis?* Hæc opera, non tam excolendi atque exercendi agri quam peccata intelligenda eſſe, quidam arbitrantur.

15 Quomodo intelligendum eſt quod dicit, *Et habitauit in terra Naid?* Naid, vel ſicut in hebræo habet Nod, inſtabilis dicitur. Ergo non terræ nomen eſt: ſed iuxta pœnam ſententiamque diuinam, vagum Cain fuiſſe, profugumque declarat.

16 Cùm ſuperius virum & mulierem nominibus ſuis vtrunque ſignaſſet, quid quod in ſequentibus dicit, *Virum & mulierem fecit eos: & benedixit eos: & vocauit nomen eorum Adam?* Adã interpretatur homo, hominis verò nomine, manifeſtum eſt tam virum appellari poſſe quam mulierem.

17 Quid eſt quod in annis Mathuſale. xiiii. anni per diligentem ſupputationem vltra diluuium deprehenduntur: eum octo tamen animæ in arca fuiſſe referuntur? Error in numero eſt: quippe cum in Hebræorum libris ita legatur, vt intra diluuij tẽpus hic quatuordecim annorum numerus expleatur.

18 Cùm dominus dicat, Erunt dies eorũ. cxx. anni: quomodo poſtea Abrahæ aliorúmque multorum vita & tempora vltra hæc ſpatia tenduntur? Quia ibi hic annorum numerus, agendæ potiùs pœnitentiæ quam vitæ fuerat attributus humanæ: intra quem præſcriptum numerum confeſſioni vacarent, vt diluuio non perirent. Aut ſi numerum illum ad humanam potiùs referri vitam placet: quia neque nunc amplius quam centum viginti annos viuere liceat: illud quod dictum eſt, *Erunt dies eorum centum viginti anni*: non in eos qui tunc continuo tempore ſubſecuti ſunt: ſed impoſteros promulgauit: quia non dixit, ſint: ſed erunt.

19 *Dilatet Deus Iaphet: & habitet in tabernaculis Sem.* Quid in hoc intelligendum eſt? De Iaphet: qui in lingua noſtra latitudinem ſonat: Gentium naſcitur multitudo: de Sem. Hebræi. Hoc ergo ſignificatum eſt, Dei ſcripturámque notitiam, eiecto Iſrael, à noſtris vindicandam. Notandum verò eſt tres Noe filios, tres poſt diluuium terræ partes occupaſſe. Sem namque poſteritas in Aſiam vel orientem: Cham in Aphricam vel meridiem: Iaphet cum parte Aſiæ in Europam ſeu occidentem perrexit.

20 Quid eſt quod dicitur in Geneſi, *De terra illa exiit Aſſur: & ædificauit Niniuen & Rabooth ciuitatem?* Non duas ſignificat ciuitates. Robooth namque plateas dicit. Eſt ergo ſenſus, Hic ædificauit Niniuen & plateas ciuitatis.

21 Quomodo occurrendum eſt arguentibus quod Abraham fratris ſui Aran filiam ſibi in matrimonium iunxerit? Reſpondebo quod quæ à domino adhuc tunc non fuerant lege interdicta, non putabantur illicita.

22 Quid fuit vt Iudæis (quod neque nos abſque verecundia ſciſcitamur) ſignum in illa verecundiore corporis parte poneretur? Poſcebat quidem, mi Saloni, tantarum profunditas quæſtionum, ordinata ac ſpatioſa diſputatione nos propoſitis ſatisfacere: & pro meritis reddere ſingulis velut quandam immorandi dignitatem. Sed quid agimus, quibus feſtinato opus eſt tam multa properantibus? Exhibenda prolatis à te rebus eſt nuda & circunciſa reſponſio. Itaque ad hoc quod nunc requiris, agnoſce quod nihil turpe in ipſa creatione conditis hominibus videri poteſt: quippe cum omnium compagem membrorum, totumque hominem Deus finxerit: deinde nec incongruum fuerit vt generatio illa ſignum in parte membri genitalis acciperet: per quod generationis ipſius promebantur exordia. Cæterùm, ſecundùm interiorem intelligentiæ ſenſum, per hanc circunciſionem ſecretioris partis corporis, illud præfiguratum eſt, quod ſecretius.

23 Scribitur in Geneſi, *Tentauit Deus Abraham*, quaſi ignorabat dominus, an fidelis Deo Abraham foret, niſi eum manifeſtanda rei probatione tentaſſet? Non quia fidem eius Deus ignoraret, tentauit Abraham veri exploratione: ſed idcircò tentatus eſt, vt tentatus iuſtificaretur.

24. Quomodo Iacob dicit, *Vidi Deum facie ad faciem: & ſalua facta eſt anima mea*: cum in Euãgelio legatur, *Deum nemo vidit vnquam?* Aut quomodo Moyſes cum Deo facie ad faciem, tanquam cum amico locutus ſcribitur? & rurſus idem dicit ad Dominum, *Oſtende mihi gloriam tuam?* Quia Iacob vel Moyſes, non in ipſa maieſtatis ſuæ gloria Deum viderunt: ſed per ſubiectam diuinæ poteſtati ſpeciem viſibilis creaturæ, quæ humanis poterat apparere conſpectibus. In ea autem ſubſtantia maieſtatis in qua eſt: quomodo Deus à mortali adhuc homine videretur: cum ipſe ad Moyſen dicat, *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet?* Hac ergo ratione, vtrumque teſtimonium verum eſt.

25 Quod eſt quod ait, *Ipſe eſt ana, qui inuenit Iamim in deſerto, cum paſceret aſinos Sebeon patris ſui?* Iamim latinè maria interpretatur, id eſt, aquarum congregatio: quod ſtagnum, rem in eremo haud dubiè difficilem, ipſe repererit. Indicat Iamim & aſinos qui de onagris, eius inſtitutione naſcuntur. Sunt qui exiſtiment quod permixtione diuerſorum inter ſe animalium, ipſe primus, vt muli vel mulæ naſcerentur, inuenerit.

26 Quæ ſunt illa primogenita, quæ Eſaü vendidit Iacob fratri ſuo? Prior & maior pars primogenitis debebatur vel in honore: vel in hæreditatis ſucceſſione: vel in gratia paternæ benedictionis: ſicut ipſe Iacob, Ruben, inquit, primogenitus meus, prior in donis, maior in imperio. Et in lib. Deuteronimij de primogenito ſcribitur, *Dabitq; ei, ſcilicet pater, de iis quæ habuerit, cuncta duplicia.* Iſte eſt enim principium liberorum eius: & huic debent primogenita. Vnde & Iſaac benedictionem ſuam ad Eſaü putauerat primogeniti iure referendam.

27. Quid his reſpondendum eſt, qui ob vxores multas, incontinentiam patribus vel patriarchis noſtris obiiciendam putant? Primum quod tunc nondum lege prohibitum quia conſuetudo erat, crimen eſſe non poterat. Deinde quod illa tunc pro loco, vel pro tempore non improbabilia apud Deum fuerint. Pro loco, ſicut & in vna domo in altero angulo aliquid fieri à quolibet Domino præcipitur: quod in alio nequaquam fieri permittitur. Pro tempore verò, quod rudi adhuc ſæculo præceptum fuerat, *Creſcite & multiplicamini*, nunc verò iubetur vt & qui habent vxores, tanquam non habentes ſint: non quod iuſtitia varia ſit: ſed tempora mutabilia: quæ pariter ire non poſſint: & diuerſis quibuſque temporibus, vel diuerſis locis diuerſa congruant, neceſſe eſt. Poſtremò quod in his ex voluntate Domini ſub ſpecie geſtorum præſentium fuerit quædam prænunciatio futurorum.

28 Quod eſt quod dicit, *Et ecce vitis in conſpectu meo: & ecce in vite tres ſundi?* Tria flagella vel tres propagines indicantur ſub hac trium enunciatione fundorum.

29 Loquitur ad Abraham Deus, quod à quarta progenie de terra Ægypti reuerſuri eſſent filij Iſraël, & quomodo poſtea Moyſes ſcribit: Quinta autem progenie aſcenderunt filij Iſraël de terra Ægypti? Si genealogiam ſecundùm Leui tribum requiras: quatuor progenies pro filiorum ſucceſſione numerabis. Si tribus Iudæ ordo replicetur: quinque generationum ſucceſſiones inuenies, quam quam in Hebræo, vt indicat Aquilæ ſtudioſiſſimi tranſlatoris editio, non habeat: quinta generatione aſcenderunt, ſcilicet armati, aſcenderunt filij Iſraël de terra Aegypti.

30 In ſcripturis frequenter legimus. Et dixit Dominus. Iſtud diſce quomodo accipiendum eſt. Dicere Dominus vel loqui ſcribitur, ſiquãdo ad ſancto-

rum aures,expreſſorum(qui ſæpè ab aliis non auditur)facit ſonitum peruenire verborum:aut cum aliquis admonitione ſiue reuelatione nocturnæ viſionis inſtruitur:vel certè cum ea quæ agi vult Dominus, ſanctorum cordibus, vt agantur, inſpirat: ſecundùm illud, *Audiam quod loquitur in me Dominus Deus.*

31 Dicit Dominus ad Moyſen:*Poſteriora mea videbis.* Quid hic intelligendum eſt? Quàm poſteriora diuinorum operum in Chriſto,poſtremis manifeſtanda temporibus: vel in ſpiritu viſurus eſſet in poſteris ſuis.

32 Quæ referenda ſunt inquirentibus quam ob cauſam Deus vni tantùm genti per Moyſen legem dederit: atque hanc ipſam multa iam ſæculi ætate tranſcurſa? Quàm non Iudæis tantùm lex illa prolata ſit,quæ omnibus gentibus conſtitutione naturalis legis inuaſcitur:Apoſtolo hoc etiam confitmante atque dicente:*Cum enim gentes quæ legem non habent:naturaliter quæ legis ſunt, faciunt, eiuſmodi legem non habentes,ſibi ipſi ſunt lex,quia oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.* Atque idcirco non ſero Dominus legem innocentiæ in decem verba collegit:cuius iam inſitam vim pectoribus humanis origo præceſſerat, nec tardè eam ſaxeis tabulis rurſus inſcripſit, quam iam antea paginis cordis inſculpſerat. Etenim ante hanc Moyſi legem habebat natura legem ſuam:& Deum,mundi vitæque auctorem agnoſcere poterat:& per hoc diligere in promptu erat:&iuſtitiam erga proximum,dilectionemque ſeruare:in quibus mandatis duobus omnis lex pendet & propheræ. Igitur & illud ante iam nouerat:*omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite eis, in quo eſt lex & Prophetæ.* Et vt hoc etiam exemplis probemus: ante hanc legem litteræ,per illam naturæ legem Abel iuſtus agnoſcitur, Enoch rapitur, Noe eligitur, Abraham pater gentium nuncupatur. Quamobrem hanc Moyſi legem non ſero eſſe prolatam, præcedens efficit lex naturæ, per quam multi Deo probabiles extiterunt.

33 Quis eſt ille digitus Dei quo legis tabulæ leguntur inſcriptæ? Digitus Dei hic accipiendus eſt ſpiritus Dei.

34 Quam ob cauſam in ſacrificiis mel prohibetur offerri? Quia ſecundùm interiorem ſenſum reſoluti blandimentis deliciarum,aut dulcedine voluptatum,non poſſunt myſterij Dei eſſe participes. Hinc eſt igitur quod etiam paſcha Domini cum amaritudine comedi iubetur: quia ſit ſemper auſtera deſtructio veritatis. Oportet ergo abſque vllo adulationis ac voluptatis melle noxio,ſalutares nos Deo hoſtias ſemper offerre,& dicere, *Ergo inimicus vobis factus ſum verum dicens vobis.* E contrario admiſceri in omnibus ſacrificiis ſal iubetur:ſcilicet vt omnia quæ ad Chriſti honorem cultumque offerimus, ſalem rationis ac diſcretionis ſemper accipiant.

35 Quid propriè ad vſus pertinebat ſacerdotum:quidve ad leuitarum? Ex iis quæ populus offerebat,primitiæ fugum cæterarumque rerum, ſacerdotibus:decimæ verò Leuitis deputabantur:de quibus tamen decimis,decimę ſacerdotibus debebantur.

36 Vniuerſa quæ Dominus condidit,bona valdè ſunt,& quomodo in lege quædam animalia vocantur immunda? Vt reliqua taceam quæ ex hoc dici poſſunt:immunda appellata ſunt eſui,non creatione. Horum enim in cibum vſus pro quibuſdam figuris,diuina interdictus lege cognoſcitur.

37 Cùm munda & immunda animalia diuina per Moyſen lege diſcreta ſint: quomodo etiam ante diluuium, de his quæ in arcam recipienda erant, immunda appellantur animalia? Moyſes inſpirãte ſpiritu ſancto, Pentatheuci

ſcriptor.

ſcriptor & conditor eſt. Et quia in Leuitico de mundis & immundis animalibus erat proferenda diſcretio: etiam, *in Geneſi*: quia vtriuſque libri idem auctor eſt: eadem animalia appellauit immunda.

38 Quæ de veteri teſtamento relinquere, vel quæ obſeruare debemus? Debemus obſeruare mandata quæ ad corrigendum vitam moreſque pertinent: relinquere autem cerimonias rituſque ſacrificiorum, qui figuras, atque vmbram futuris tunc rebus prætulerunt.

39 Quid reſpondebimus obiiciẽtibus, quam ob cauſam Deus ſacrificiis veteribus repudiatis, nouis delectatus ſit? Nihil enim corrigi affirmãt, niſi quod non rectè factũ putetur. Spatioſa quæſtio: ſed nos pro neceſſitate breuiter reſpõdebimus, quod non ideo Deus videri poſſit mutabilis: quia hęc pro temporum opportunitate mutata ſint. Nam & non annius temporibus, & vitæ ſpatium variatur ætatibus. Nec idcircò quæ iſta inſtituit diuinæ prouidentiæ ratio variatur: nec agricolæ ſi æſtate aliud, hyeme aliud in exercendo agro iuſſerit agricultura, ratio mutatur: non quod is ſui videatur eſſe diſſimilis qui facit: ſed tempus quo facit. Præcipit ergo Deus quæ apta ſint ſuis quibúſque temporibus: ſicut etiam hic de ſacrificiis præcepit, non cauſa ſuæ delectationis, ſed humanę (vt cętera) vtilitatis: & ideò verus eſt dominus: quia bonorum noſtrorum non indiget. Sed & hæc ipſa ſacramentorum commutatio, ne noua, & ſubitò putetur aſſumpta: prædicta iamdudum propheticis atque diuinis vocibus fuerat, quibus dicitur. *Non accipiam de domo tua vitulos: neque de gregibus tuis hircos.* Poſtremò vt breuiter concludamus cur diuerſa ſibi ſacrificia Deus voluerit offerri: quia aliis ſacramentis Chriſtum prænunciari oportuit cum venturus eſſet: aliis annunciari oportuit cum veniſſet.

40 Balaam ille gentilis quid eſt quod prophetaſſe ſecundùm fidem ſacræ comprobatur hiſtoriæ? Vt multis innoteſceret modis veritas: dum vſquecunque prolata, etiam per infideles annunciatur: & vt hoc ex gẽtibus prophetante, ſignum hoc eſſet gentibus credituris. Nam & Heliu in Iob libro de futuris haud dubiè multa prædixit. Et Caiphas de domino ac ſaluatore noſtro in Euangelio prophetauit.

41 Cùm in Deuteromio ſeptuaginta tãtum animæ cum Iacob Aegyptum deſcribantur ingreſſæ: quomodo poſtea in Actibus Apoſtolorum introiſſe Aegyptum quinque & ſeptuaginta animæ referuntur? Conſtat quidem eo tempore quo Iacob ingreſſus eſt Aegyptum cum Ioſeph filiiſq; eius Effraim & Manaſſe 70. animas tãtum fuiſſe: ibi verò vbi 75. animarum numerus refertur, quaſi per anticipationem, etiam nepotéſque Effraim & Manaſſe numerãdus putauit: quos poſtea in Aegypto natos, diuinæ relatio lectionis oſtẽdit.

42 Quid reſpondendum Iudæis obiicientibus teſtimonium illud, *Maledictus omnis qui pendet in ligno?* Maledictum eſſe hominem qui in ligno pendebat, ſcilicet noxium, non innocentem. Neq; enim innocentiæ poteſt eſſe maledictum, pœna peccati. Etenim ſi Mardochæus præparato ligno appenſus, ſententiam regiæ crudelitatis expleſſet: num quidem eum hi nunc dignum hac maledictione iudicarent: aut Machabei atque alij quos ſcriptura morte ſimili indigniſſimè teſtatur afflictos, nunquid apud eos pro maledictis haberentur? Quapropter ſaluator noſter à morte redempturus hominem: ita crucem non refugit, vt mortem. Igitur in minoribus non calumnientur, cum propatientia domini nos etiam in maioribus gloriamur. Nec mirum ſi dicatur patibulum ſubiiſſe, quem nos etiam ad inferna deſcendiſſe fatemur. Qui cum proprium ipſe peccatum non habuerit: ſuſcepit tamen mortem de peccati

maledictione venientẽ:atque idcircò pependit in ligno, vt nos delicto quod in ſigno fuerat perditionis admiſſum,ligno appenſus abſolueter.

1 In Iob qualiter accipiendum eſt quod ſcriptura commemorat aurum Ophir? Regio eſt Ophir in Indiam tendens, itaque aurum huius indicat regionis. Alij aurum Ophat valdè pretioſum eſſe confirmant: quod obryzon apud latinos appelletur.

2 Quid ſibi vult quod illic auctorum ſæcularium conſuetudine legimus Pleiadas,Orionas,& Arcturũ?Non his apud hebræos nominibus cenſeantur: ſed vt apud nos horum ſyderum ſignificantia poſſet eſſe manifeſtior, ita hæc tranſlator appellare voluit vt vſus gentilitatis inuenerat. Illud quoque generaliter obſeruandum eſt quod etiam Apoſtoli vel Apoſtolici viri in Epiſtolis ſuis ſcribentes ad populos, abutuntur interdum his teſtimoniis qui videbantur diuulgata per populos.

3 In eadem libro quid eſt quod de dracone illo ſcribitur. *Omnes ſi veniant, non ſuſtinebunt corium cauda eius?*Naues Eccleſias dicit, quæ tentationibus tribulationibúſque vexatæ, Antichriſtum in mundi fine tolerabunt. Rectè autem draconis illius,id eſt diaboli,caudam Antichriſtum appellat, à quo perſecutio veniet extrema.

1 Quid eſt quod Saulum dominus poſtea reprobat regem: quem prius in regnum legendum putauit? Quia Deus ſuum illud iuſtum incorruptúmque iudicium exæquitate depromit: non ex præſciẽtia.Legit quempiam cum meretur:reprobat cum electione indignus efficitur. Cæterùm nequaquam conuenire ſacroſanctæ veritati iuſtitiæque eius videbatur, vt peccatum offenſa præcederet.

2 Quomodo accipiendum eſt quod in ſcripturis pœnitere dominus ſæpe memoratur:ſicut etiam de Saule,cum dicit, *Pœnitet me quod Saul regem conſtituerim?*Pœnitentia domini dicitur rerum ab eo conſtitutarum mutatio: quæ pro rerum viciſſitudine, vel pro recta diſpoſitione ſuccedit: neceſſe eſt enim vt diuinæ diſpoſitiones, quo manifeſtiores audientibus fiant, per ſignificationes humanæ mentis indicentur.

3 Legimus quod ſuffocabat Saul,ſpiritus malus domini.Quomodo domini,ſi malus?Quia cuncta domino auctore prolata, diuinæ ſunt ſubdita poteſtati.Ergo & ipſe diabolus,licet non qualis nunc eſt, ſed bonus, qualis à domino quondam creatus, & deo ſemper pro omnipotentiæ ditione ſubiectus, domini erat.

4 Quid eſt quod cum aliquanta hic dominus vindicet,non vindicat omnia, Vindicat aliquanta,vt intelligatur humanarum rerum agere curam.Non vindicat omnia,vt agnoſcatur terribile cunctis adhuc futurum eſſe iudicium.

5 Vmbram Samuelis Phytoniſſa quemadmodũ potuit euocare? Aut falſam tum vmbram videntibus diabolus oſtendit:aut ſi fuit vera, tamen ei licuiſſe credendũ eſt, quantum domino permittente conceſſum eſt. Nec mirum pro quibuſdam reconditis arcaniſq; cauſis, vel pro manifeſtatione probationum diabolo iſta permitti,cum & ſaluatorem conſtituerit in pinna templi: & Iob petierit acceperitque tentandum.

6 Cùm factum non ſit:quomodo oranti Ezechię quindecim anni,quaſi ad præfinitum vitæ tempus adduntur? Quia vtique vrgebatur Ezechias extremis non fati decreto,ſed Dei euocatione atque iudicio. In tantum autẽ vitæ anni prius non fuerant conſtituti, vt per ſupplicationem intelligãtur adiecti.

1 Quomodo accipiẽdũ eſt quod Micheas propheta ait,*Ecce dominus exit de*

loco

loco ſancto ſuo,& deſcendet, & inaſcendet ſuper excelſa terræ? Deſcēdere dominus dicitur,quoniā habere curā fragilitatis humanę euidēter indiciis dignātiſſimę pietatis oſtēditur. Sic & Angeli per illā Iacob ſcalā aſcēdentes deſcēdentéſq; terrenorum viſitationem,non ruinam deſcendentium indicant Angelorum. Sic & excelſiores iuſtitia viri deſcendere putantur,ſi quando condeſcendunt inferioribus ſanctæ charitatis inſtinctu.

2. Quid intelligendum eſt in Cantico Eſaiæ Prophetæ,cum dicit, *Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei.* Alij hoc canticum à Spiritu ſancto cantari putant. Alij propheta Spiritu ſancto cantari putant. Alij,Propheta Spiritu ſancto vacuus non erat. Cantat autem in planctu vineæ ſuæ quæ eſt domus Iſraël, aut dilectus Ieſus Chriſtus eſt. Ipſi enim dictum eſt,tu es filius meus dilectus.Ipſum etiam patruelem appellat,quod ex eadem ſit ſtirpe progenitus. Hæc ergo vinea ipſi plantata eſt in cornu,quod eſt,in ſublimitate atq; virtute. Qui dilectus & filius eius olei,eo quod vnctus ſit,vnde & Chriſtus vocatur,vel quia omni mūdo tanquā ſplēdidū lumen illuxerit,in hoc cantico vnā iuſtitiā appellat,& ſpinas iniquitatē.

3 In Eſaiæ viſione,cum vidit Dominum ſedentem ſuper ſolium,qui intellectus eſt de eo quod ait,*Duo Seraphim ſtabāt ſuper illud,ſex alæ vni, & ſex alæ alteri. Duabus velabant faciē eius,& duabus velabāt pedes eius,& clamabāt alter ad alterum, & dicebant,Sanctus,Sanctus,Sanctus Dominus Deus exercituum.* In hac viſione Ioannes Euangeliſta Dominum Ieſum Chriſtum ab Eſaia viſum eſſe teſtatur,dicens,Hæc dixit Eſaias, quoniam vidit gloriam eius, & locutus eſt de eo. Primùm ergo hic quæritur quomodo Seraphin circa Domini thronum ſtantes pariter & volare dicantur?Bene hoc ſermone myſtico propheta depromit: quia Deo aſtare,idem quod volare, & in ſublime exaltare ſe debet qui feſtinat obtutibus apparere diuinis.Quod verò Seraphim alis ſuis faciem operire indicantur,hoc idcirco,quia neque hominum quiſquam, neque vlla creatura diuinæ maieſtatis lumen cōtemplari vt eſt,poteſt facie ad faciem.Faciem ergo & pedes velant:eo quod nobis & ante mundum præterita, & poſt mundū futura celentur.Alæ quoque Seraphin indicāt diuini myſterij velocitatē,quæ ideo ſingulis ſenæ ſunt:quia ea tantùm in mundo, quæ ſex diebus ſunt facta.Quod verò alter ad alterū clamant & dicunt*Sanctus,ſanctus,ſanctus dominus Deus exercituum*,vnam eſtendunt diuinitatem,in myſterio Trinitatis.

4 Quid reſpondebimus eis qui dicunt nobis,Quid fecerunt Iudæi ſi credere non potuerunt?quia neceſſe fuit vt ſermo Eſaiæ Prophetæ impleretur, dicentis:*Excæcauit oculos eorum,& indurauit cor eorum,vt non videant oculis,& intelligant corde,& conuertantur,& ſanem illos?* Propheta hoc prædixit:quia Deus hoc futurum eſſe præſciuit. Neque enim poteſt ad peccatum compellere Deus,cui non poteſt placere peccatum.In his ergo non prædeſtinatio diuina intelligenda eſt, ſed præſcientia. De hoc in Euangelio ſcribitur, Propterea non poterant credere:quia iterum dixit Eſaias:*Excæcauit oculos eorum & indurauit cor eorum*, & reliqua: Non poterant credere ita dicitur, ſicut & nos ſæpè aliqua dicimur non poſſe quia nolumus. Et de Pharaone ſcribitur. *In hoc ipſum excitaui te,vt oſtendam in te virtutem meam.* Neque enim dixit: In hoc te feci vt talis eſſes,ſed in hoc te elegi & ſuſcitaui,cum iam te talem ipſe feciſſes.Ergo & hic excæcati eorum oculi:& induratum cor eſſe dicitur:quia iam ſe ipſi hac cæcitate dignos effecerant. Excæcat autem & indurat Dominus peccatorem deſerendo & non adiuuando. Si cui autem ſenſus hic profundiſſimæ quæſtionis minus fecerit, contremiſcat mecum & dicat: *Iudicia Domi-*

ni abyſſus multa. Quia iudicia Dei ſemper iuſta ſunt:ſed frequenter occulta.

4 Quid eſt illud quod ſcribitur: *Sicut ſponſo impoſuit mihi mitram & ſicut ſponſam ornauit me ornamento*: Quomodo idem ſponſus & ſponſa: A capite ad corpus tranſitum fecit. Caput enim Chriſtus eſt: corpus Eccleſia. Sed tamen vtrumque eſſe conſtat in Chriſto. Notanda verò & tenenda regula hæc,quæ in prophetis frequenter incurrit, generans ignorantibus obſcuritatem, cum aut de capite ad corpus, aut de corpore ad caput ſe prophetiæ ordo conuertit.

5 *Cœlum mihi thronus eſt,terra autem ſcabellum pedum meorum.* Quomodo hoc intelligi poteſt,cum vtique Deum incorporeum eſſe credamus: Secundum conſuetudinem elocutionis noſtræ videtur habitum deſignare regnantis,vt intelligatur Deus vel habitare cœleſtia,vel ſubiecta habere terrena.

6 Qua cauſa ſcribitur. *In die illa magnæ tribulationis nemo liberabitur niſi Noe,Daniel,& Iob:* cum vtique quando iſta Ezechiel Propheta dicebat, ſolus forſitan Daniel in corpore fuerit duobus aliis iam tunc in pace dormientibus,vel carnis nexibus abſolutis? In his tribus ſanctis tria hominum genera ſignificari videntur,quæ liberanda in die illa magnæ tribulationis à periculis promittuntur. In Noe enim gubernatores Eccleſiæ præfigurantur. In Daniele ſancti,continentiámque diligentes. In Iob,coniugati,& iuſtitiam diligentes.

7 Quid ſignificat illud quod dicitur in Propheta: *Auferam cor lapideum de carne veſtra,& dabo vobis cor carneum.* Durum cor & inobediens, lapidei teſtificatione demonſtrat. Carnei verò ſignificatione cordis, molle oſtendit ac docile,& quod inſinuatam poſſit recipere compunctionem.

1 Quid eſt quod ſcribitur in Paralipomenon, *Quæ habitabat in Hieruſalem in ſecunda?* In ſecunda, ſcilicet parte. Ezechias enim ſecundùm Hieruſalem murum fecit,filiúſque eius Manaſſes tertium. Habitabat ergo hæc de qua ſcribitur,in ſecunda parte ciuitatis.

2 Arcam Domini, in qua erant duæ tabulæ teſtamenti, quo ablatam eſſe credendum eſt: Legimus in Paralipomenon Ioſiam regem Iudaicum in Hieruſalem cum faceret paſcha domino,ad Leuitas ita locutum eſſe: Ponite arcam in ſanctuario templi quod ædificauit Salomon filius Dauid rex Iſraël, nequaquam enim eam vltra potabitis. Hoc loco vltra intelligere quidam volunt,quod Ioſias futuram præuidens captiuitatem,arcam Domini (incertum tamen quo tunc loco) curarit abſcondi.

3 Quid inter Holocauſtum & hoſtiam intereſt: Quam hoſtiæ partem ſacerdotes edebant: holocauſtum vero erat hoſtia integra atque perfecta: quia tota in oblatione ſacrificij igni dabatur. Hoſtiæ quoque pacificæ appellabantur,quibus veſci populus ſolebat.

1 Cùm primus Pſalmus primis illis verſiculis impium peccatorem hæreticum diſcreuerit: quid ſibi vult illa ſub ipſo pſalmi fine concluſio, in qua ait *Ideò non reſurgunt impij in iudicio?* Pſalmi huius initium de diſcretione meriti eſt:& finis de diſcretione iudicij: in quo oſtendit,quod homo abſque dubio omnis reſurgat:ſcilicet iuſtus vt iudicet:peccator vt iudicetur: impius vt puniatur. Neque enim tunc iudicabitur iam iudicatus:ſecundum quod ſcriptum eſt. *Qui autem non credit iam iudicatus eſt.*

2 Cum paſſio in Deum non cadat, quid eſt quod ſæpè in ſcripturis ira Dei & furor dicitur: Scripturę conſuetudo eſt vt ira pro vltione ponatur. Eſt enim ira ſecundum hominem, vindicta ſecundum deum, & furor ſecundum animum patientis:non ſecundùm iuſtitiam iudicantis. Hinc & illud eſt quod

ponitur in

in Propheta, *Dominus creans mala.* Mala autem ſunt iuxta æquitatem eius qui decernit.

3 Quid ſibi vult illud quod frequenter Pſalmorum titulis inſcribitur. *In finem Pſalmus Dauid?* Quam pſalmi in finem bonorum repromiſſionem reſpiciant: vel quod de aqua Iudęi obtinere ſe poſſe in principio crediderunt: nos conſequamur in Chriſto, quem veniſſe confitemur in fine.

4 Quomodo intelligendum eſt quod ſcribitur: *Eloquia domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum?* Caſta dicuntur eloquia Dei, ideo quod nullo ſunt adulterata mendacio, & ad vicem argenti quod examinatur igne ſeptemplici, ſpiritus igne mundetur.

5 *Non congregabo* (inquit) *conuenticula eorum de ſanguinibus.* Cùm vtique de ſanguine magis latinum ſonaſſet, quam ob cauſam de ſanguinibus, contra regulam latinitatis inſcribitur? In græco hæmaton legitur, id eſt plurali numero ſanguinem ſignificans: cuius proprietatis fidem etiam in latinum plurali numero tranſlator expreſſit.

6 Cùm in pſalmo ſcriptum ſit: *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem,* quomodo iterum in alio pſalmo ſcribetur, *Qui vtilitas in ſanguine meo, dũ deſcendero in corruptionem?* Deſcendere ſe in corruptionem Saluator Prophetæ voce pronunciat, dum clauorum adfigentium irruptione penetratur. Rurſus non dedit dominus ſanctũm ſuum videre corruptionem: quia corruptionem carnis Chriſti celeri reſurrectione præuenit.

7 Quid eſt quod dicit Propheta de inimicis ſuis, *Adipem ſuum concluſerunt?* Adeps concluditur impiorum, cum impinguati ſenſu, & incraſſati iniquitate, recedunt vel à iuſtitia, vel à præceptis Dei. Et idcircò dicit alio loco: *Egredietur ex adipe iniquitas eorum.* Manna verò, id eſt cœleſtis cibus, tenuis eſt, & eorum aptus eſt alimoniæ, qui ſubtilitate ſenſuum vigent.

8 Quid ſentiendum eſt, de hoc quod ſcribitur, *De abſconditis adimpletus eſt venter eorum.* Saturati ſunt porcina, & reliquerunt, quæ ſuperfuerant, paruulis ſuis: Supra petiit vt Iudæi à paucis diuiderentur, id eſt à iuſtis: quia multi vocati, pauci autem electi. Nunc autem hos ipſos priùs abſconditis diuinæ legis inſtructos, porcina ſua, id dogmatum poſtea immunditia ſaturatos, dum negant Chriſtum, eandem impietatem dicit etiam ad ſuos poſteros tranſmiſiſſe.

9 Qualiter intelligendum eſt, *Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat ſcientiam? Dies diei eructat verbum,* dum Apoſtoli credentibus adnunciat Saluatorem. *Nox nocti indicat ſcientiam,* dum Iudas iudæis doctrinam praui ſenſus infundit. Aut certè dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat ſciẽtiam, dum omni vtique die & nocte annunciatione fidelium verbum & ſcientia propagatur.

10 *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Quæ hic intelligenda diſcretio eſt: In via correptio declaratur: in baculo conſolatio.

11 Cùm animalia non abſque ſenſu ſint: quomodo in Pſalmo dicitur, *Nolite fieri ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus?* Quia animalibus ſenſus eſt, in hominibus intellectus.

12 Cùm de iumentis ſicut de bobus cura non ſit Deo, quomodo pſalmus ait, *Homines & iumenta ſaluabis domine?* Homines appellauit rationis capaces, iumenta rationis expertes. Saluandos verò confirmat illos per præſentem conuerſationem, hos per futuram conuerſationem.

13 Qualiter accipiendum eſt quod ſcribitur: *Remitte mihi vt refrigerer*

priuſquam abeam,& amplius non ero? Senſus hic de ſuperioribus verſibus manifeſtatur. Supra enim dixerat: *Quia incola ego ſum apud te in terra,& peregrinus ſicut omnes patres mei,remitte mihi vt refrigerer priuſquam abeam: & amplius non ero. Amplius non ero,* ſubauditur illud quod ſuperius dixit,peregrinus. Cæterum manifeſtum eſt quod erit, qui ſupra peregrinum appellando, patriam in qua futurus ſit,habere declarat.

14 Quid indicat illud legitur in Pſalm. *In capite libri ſcriptum eſt de me?* Ex perſona hoc dicitur Saluatoris, de quo ſcribitur, *In principio creauit Deus cœlum & terram,* id eſt in filio. Aut certè illud, *In principio erat verbum: & verbum erat apud Deum: & Deus erat verbum.*

15 *Abyſſus abyſſum inuocat* (inquit) *in voce cataractarum tuarum.* Quomodo iſtud intelligendum eſt: Non immeritò abyſſus appellatur diuinarum ſcripturarum profundũ. Et ideò in voce cataractarum abyſſus inuocat, cum vetus teſtamentum,nouum annunciat: vel nouum teſtamentum, vetus in teſtimonium vocat in vocibus prophetarum.

16 Quid intelligendum hoc eſt ex hoc quod ſcribitur, *Pro patribus tuis nati ſunt filij?* Id eſt, quod temporum ſucceſſione redditi pro Prophetis Apoſtoli.

17 *Frater non redimit, redimit homo.* Quid de hoc loco ſentiẽdum eſt: Quam non redemerit Moyſes, redemerit Chriſtus.

18 Quomodo accipiendum eſt illud quod Dauid clamat ad Dominum dicens, *Tibi ſoli peccaui?* Soli peccatur Deo: quia vtique ipſe ſolus ſit abſque peccato: & ita iuſtificatus vincit etiam dum iudicatur: id eſt, vel Chriſtus in paſſione, vel ſecundum illud quod Propheta dicit, *Et venite iudicemur, dicit dominus.*

19 *Viri,* inquit, *ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.* Quid hic ſentiendum eſt: Non dimidiant dies ſuos hi qui immatura morte rapiuntur. Hac ratione etiam illud intelligere poſſumus: *Ne rapias me in dimidio dierum meorum.* Et aliter, *non dimidiant dies ſuos qui ad Dei ſatisfactionem non conferunt vel vitæ ſuæ finem.*

20 Quid interior ſenſus eloquitur de hoc quod ſcribitur, *Priuſquam producant ſpinæ veſtræ rhamnum?* Id eſt priuſquam ſe peccata veſtra conſumment.

21 Iuſtus quomodo lauat manus ſuas in ſanguine peccatoris: Cùm tribuitur vindicta de impiis, non hoc procurantibus ſanctis: quia poſt delicta atque exitum peccatorum: iuſtorum clarius vita atque opera reſplendent.

22 Quomodo accipiendum eſt illud quod in pſalm legitur. *Non miſereariſ omnibus qui operantur iniquitatem?* Non tam maledicentis animo iſtud dicitur, quam correctionem, emendationemque peccantium deſiderantis, id eſt vt in præſenti potiùs vita correpti, non abutantur diuina patientia vſque ad futuram pœnarum acerbitatem.

23 *Semel locutus eſt Deus, duo hæc audiui.* Quid intelligendum eſt? Semel hic non ad numerum referendum eſt, ſed ad firmitatem. Quæ autem ſunt illa duo quæ domino adiacent: Et poſſe omnia, & velle miſereri. Et aliter. *Semel locutus eſt Deus,* ſcilicet in lege. Nam in Euangelio non alia præcipit: quia non legem ſoluere, ſed adimplere.

24 Quid eſt quod ſcribitur, *Tranſiuimus per ignem & aquam: & induxiſti nos in refrigerium?* Ignem & aquam perſecutiones indicant atque martyrium. Aliqui hic aquam baptiſmum intelligendum putant: & ignem ſpiritum ſanctum: qui infuſus peccata tanquam ignis exurat. Et hinc eſt quod

ſcribitur,

ſcribitur,Dominus Deus veſter ignis vrens eſt.

35 Quid dicit illud quod legitur:*Iter facite ei qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi?* Viam bonorum actuum præparate illi qui ſupergreſſus eſt occaſum morte deuicta.

36 *Pluuiam inquit voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ,& infirmata eſt: tu verò perfeciſti eam,animalia tua habitabunt in ea.* Quis huius loci ſenſus eſt? Pluuia hic ſecundum litteram manna, ſecundum anagogen mandata intelligenda ſunt, quæ mandata vel lex licet infirmata videatur tranſgreſſionibus Iudęorum:gratia tamen Euangelij oſtenditur eſſe completa:in qua nunc animalia,id eſt gentes habitant atque conſiſtunt.

37 Quæ intelligentia eſt in hoc loco quod legimus, *Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ:& poſteriora dorſi eius in ſpecie auri?* In hoc loco de Apoſtolis optat Propheta vt vſque ad tranſitum perſeuerent credentes in teſtamentis duobus.In columba autem ſpiritus ſanctus, in poſterioribus occultior intellectus,in argento ſplendens hiſtoria ſcripturarum,in auro interior vel pretioſior ſenſus oſtenditur.

38 Dixit Dominus,*ex Baſan conuertam:conuertam in profundum maris:vt intingatur pes tuus in ſanguine:lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo. Quid hic ſequimur?* Baſan in latino confuſio ſonat.Ergo Dominus noſmet de confuſione conuertit, quæ eſt in cruce eius:in qua cruce ſanguine pedem ſuum tinxit, clamantibus Iudæis vt crucifigeretur,inſtinctu inimicorum,id eſt dęmonum. Ab ipſo autem ſaluatore hoc totum venit:quia omnia hæc propria voluntate ſuſtinuit.

39 Quos illos accipiemus principes Zabulon vel principes Neptalim? Petrum Apoſtolum vel Andream qui ex iiſdem tribubus ſunt vocati:ſicut & ſupra Beniamin nomine Apoſtolum Paulum oportet intelligi.

30 Quid indicat quod legitur: *Poſuerunt ſigna ſua ſigna:& non cognouerunt, ſicut in exitu ſuper ſumma?* Quàm Babylonij victoria inſolentes effecti, ita expoſuerunt ſigna in Dei templo,ſicut conſtitui trophæum ſolet ſuper fornices introituſque portarum.

31 Quid eſt quod ſcribitur: *Deus autem rex noſter ante ſæcula operatus eſt ſalutem in medio terræ?* Iudæam dixit,in qua Chriſtus liberauit per crucem mundum:quam aliqui vmbilicum terræ appellandam arbitrantur.Et aliter,*operatus eſt ſalutem in medio terræ*,id eſt,in vtero virginali.

32 Quid eſt quod legimus: *Quia calix in manu Domini vini meri plenus eſt mixto:& inclinauit ex hoc in hoc:veruntamen fex eius non eſt exinanita?* Calix Domini mixtus miſericordia & iudicio, inclinatur ex hoc in illud,cum de miſericordia in iudicium diuina ſeueritate tranſitur. Fex autem eius ideò non eſt exinanita:quia adhuc vltimum iudicium reſeruatur.

33 Quæ ſignificantia eſt eius quod ſcribitur:Et reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi? Pulchrè hic oſtenditur quod Deus puritate mentis velut quadam feſtiuitate lætetur.

34. *Vox (inquit) tonitrui tui in rota.* Quid hinc ſentiendum eſt? Rotam hic ipſum dixit orbem terræ: eo quod intra eiuſdem orbis rotam circunferant tonitrua mugitum.

35 Quid intelligendum eſt de hoc quod ſcribitur:*Et percuſſit inimicos ſuos in poſteriora?* Secũdum literam vlcerum illorum fit commemoratio,quibus ſunt Allophyli in poſteriora percuſſi, ſecundum interiorem verò ſenſum percutiuntur inimici Dei in poſteriora:cùm à Domino iudicio puniũtur extremo.

36 Quem ſignificat dicens, *Exterminauit eam aper de ſilua: & ſingularis ferus depaſtus eſt eam?* Aprum hic Veſpaſianum, vt quidam dicunt, vult intelligi, qui Iudæos bello vaſtauit. Singularem ferum, Titum Veſpaſiani filium, qui Hieruſalem oppugnatione conſumpſit.

37 Legimus in pſal. *Iſraël ſi audias me, non erit in te Deus recens.* Quomodo iſtud accipiemus? Idola vel Antichriſtum refutandum eſſe pronunciat. Chriſtus autem Deus recens non erat: licèt mundo per carnem noſtris temporibus illuxerit. Nam in principio erat apud Deum Deus verbum, ipſe creans hominem ad ſimilitudinem Dei: quique diuerſis vicibus atque temporibus Abrahæ vel patribus noſtris ſemper apparuit.

38 Qualiter hoc accipiendum eſt quod Pſal. ait, *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum?* Id eſt, in congregatione ſanctorum. Dominus autem noſter ſanctos ſuos vt regni ſui, ita etiam nominis ſui participatione donauit, vnde & ad Moyſen dicit, *Dedi te Pharoni in Deum.* Compellantur ergo nomine Dei, qui appellantur & filij Dei. Nec mirum pro illa ineffabili diuinæ benignitatis indulgentia ſi voluerit, vt homo appellaretur Deus: cùm Deus appellatus ſit homo.

39 Quid hic ſentiendum eſt, *Iuſtitia & pax oſculatæ ſunt ſe?* Quàm ſe lex & gratia coniunxerint per mediatorem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui fecit vtraque vnum.

40 Qualiter accipiendum eſt quod legimus, *Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob?* Quàm Dominus vmbraculis ſynagogæ, Eccleſiæ munimenta prætulerit.

41 *Mater Sion dicet: homo & homo natus eſt in ea: & ipſe fundauit eam altiſſimus.* Quid hic ſequemur? Mater Sion, vt quidam volunt, Maria ſignificatur, in qua natus eſt homo Chriſtus, ipſius quoque matris creator. Sciendum tamen melius & ſecundum Hebræum verius dici, *Nunquid Sion dicet, homo & homo natus eſt in ea: & ipſe fundauit eam altiſſimus.* Et eſt ſenſus hic, Quis hoc hominum nunciare poſſit? ſicut & illud. Aut brachium Domini cui reuelatum eſt? Ergo hoc dicit: quod nullus hominum enunciare poſſit quia ſaluetur Sion in homine qui natus ſit in ea. Ipſe eſt autem homo altiſſimus qui fundauit eam. Et notandum eſt quod etiam filius altiſſimus appelletur.

42 Quid hic intelligendum eſt vbi ſcribitur: *Factus ſum ſicut homo ſine adiutorio inter mortuos liber?* Chriſtus vtique inter mortuos liber, qui abſque peccato inter peccatores apparuit.

43 Quæ eſt terra illa obliuionis de qua dicitur: *Nunquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua: & iuſtitia tua in terra obliuionis?* Rectiſſimè appellatur obliuionis terra, imperiorum à Domino derelicta. Et aliter terra obliuionis etiam in illo accipi poteſt quod dicitur, *Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?*

44 Quomodo iuuentus aquilæ renouatur, ſecundùm illud quod legimus, *Renouabitur ſicut iuuentus tua?* Aquilę dicuntur nimia ſenectute implumes fieri: & nido relatæ, viciſſim pullis ſuis miniſtrantibus paſci, donec deterſo ſenio veterno, recipiant cum pennis vſum volandi. Secundum anagogen autem iuuentus noſtra vel baptiſmo vel reſurrectione renouatur.

45 *Abyſſus (inquit) ſicut pallium amictus eius.* Quid hic ſequemur? Non bene plerique arbitrantur abyſſum hic amictum Dei appellari, quin potiùs amictum terræ dici, ipſe ſuperiorum verſuum ordo declarat, eo quod terra ipſa abyſſo quaſi quodam pallio circundata vel circunfuſa veletur.

46 Quomodo ſtant ſuper montes aquæ, quia ſcriptum eſt, *Super montes ſtabunt aquæ:* Vtique cum aut plenæ aquis nubes ſuper montes dependent: aut cum in mari vndæ ad montium inſtar excitantur.

47 Quid ſentiendum eſt in hoc quod legimus: *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei:* Draco iſte diabolus eſt: ſed ante formatus eſt à domino priuſquam nomen diaboli, voluntariæ nequitiæ tranſiret inſtinctu. Hunc Eſaias propheta à paruulis deſcribit illudi.

48 Qua ratione intelligendum eſt quod ſcribitur, *Ferrum pertranſiit animam eius:* Chriſtus hic manifeſtiſſimè deſignatur, eo quod reſurgendo adfigentium clauorum dolorem cruciatúſque ſuperauerit. Poteſt hic ferrum & tribulatio duræ neceſſitatis intelligi: quia animam dixit. Aliquando tamen anima in ſcripturis etiam pro præſenti vita appellatur, *vt in Euangelio, Nonne anima plus eſt quam eſca.*

49 Quid inter pſalmum & canticum intereſt? quam pſalterio appellatur, at verò canticum ex voce profertur: & quod canticum pro ſcientia, pro opere verò pſalmus accipitur. Pſalmus ergo ad actualem, id eſt practicen: canticum verò ad contemplatiuam, id eſt ad theoricam refertur.

50 *Iurauit dominus, nec pœnitebit eum.* Quomodo iurat dominus? Iurare domini eſt immutabiliter promittere. Rectè igitur iſtud commutatio ſermonis vſurpat: eo quòd promiſſio eius, ſacramenti obtineat firmitatem.

51 Quid indicat illud quod ſcribitur: *De torrente in via bibit propterea exaltabit caput:* Ad perſonam Chriſti iſta referenda ſunt: quia de torrente, id eſt de paſſione: in via, id eſt in ſæculo bibit. *Propterea Deus exaltauit caput eius: & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen.*

52 Quindecim pſalmi illi quam ob cauſam cantico graduum prænotantur? Quindecim quondam gradibus ſicut oſtendit hiſtoria, aſcendebatur in templum, atque hi pſalmi quindecim, cantici graduum inſcriptione ſignantur, quod nos per quoſdam profectus ad ſublimes ſpiritalium rerum prouectiones perducant.

53 *Sagittæ, inquit, potentis acutæ, cum carbonibus deſolatoriis.* Quæ huius verſus intelligentia eſt? Sagittæ potentis, ſunt verba Domini: quæ charitate eius corda noſtra configunt. Carbones verò deſolatorij ſunt qui peccata deſolent: ſecundum illum carbonem Eſaiæ prophetæ, qui ad labia eiuſdem defertur vt purget vitia quæ contraxerat vel loquendo, vel ob timorem tacendo.

54 Quid ſibi vult quod ſcribuntur: *Ecce non dormitabit neque dormiet qui cuſtodit, Iſrael:* Dormire interdum in ſcripturis Dominus dicitur, cum in nobis potius fides dormit, & dormitãtem infidelem relinquit. Neſcit verò ille deeſſe quærentibus: ſed non nouit dormire vigilantibus.

55 Legimus in pſalm. de Hieruſalem, *Cuius participatio eius in idipſum.* Quid hic ſequimur? Quam diuerſæ partes vnam conſtruant ciuitatem, vel diuerſa membra vnum domini corpus efficiant.

56 Quid ſentiendum eſt de eo vbi dicitur, Forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam immenſam? Pro forſitan, in græco ſcriptum eſt *ara*, quod latinè manifeſtius interpretamur *putas*, vt ſit ſenſus iſte: Putas pertranſiſſet anima noſtra aquam immenſam: niſi dominus fuiſſet in nobis?

57 Quid ſignificat quod ſcribitur, *Cõuertere domine captiuitatem noſtram, ſicut torrẽs in auſtro:* Exultãtis animę vox eſt, ex vitiorũ vinculis in libertatẽ cõuerſionẽq; redeũtis, quę poſtulat vt ita diuinæ miſerationis aſpiratione ex pecca torũ captiuitate ſaluetur: ſicut cõſtricti glacie torrẽtes, auſtri tẽpore ſoluũtur.

58 Qualiter intelligendum est illud. *Ecce hæreditas domini, filij merces, fructus ventris. Sicut sagittæ in manu potentis: ita filij excussorum:* De futuris se ibi loqui Propheta significat: qui post illam sessionem, fingendi tempus declarat: id est postea quam dederit dilectis suis somnum: ostendit quia futura sit resurrectio illa sanctorum, dum dicit: *Ecce hæreditas domini, filij merces fructus ventris.* Ipsa itaque domini est hæreditas in filiis, quam pro mercede fructus ventris adeptus est: quia saluator fructus est ventris, cuius vtique merces, vt ei gentes hæreditas sint: quas per fidem generat in filios. Sagittæ autem Apostoli rectè appellantur: qui orbem terræ quasi volatu peragrantes, doctrina sua infidelium corda penetrarunt. Quos filios excussorum, id est prophetarum, optimè Propheta designat. Nam vtique cum in prophetia sua excutiuntur prophetæ: quid aliud in illis nisi inuenti Apostoli manifestantur? Excussis itaque prophetis: quia Apostoli ab illis generati sunt: rectè appellantur filij excussorum.

59 Quid est quod legimus: *Sicut ablactatum est super matre sua, ita retribues in animam meam:* Animæ nostræ ablactatio est cum ab ignorantiæ infantia ad perfectum cibum vitæ, consummatione sensus erigitur. Supra dixerat: *Si non humiliter sentiebam*, id est, si non humilia & terrena cogitabam: *Sed exaltaui animam meam*, hoc est, sed ad cœlestia mente contendi, hæc mihi fiat retributio, vt animam meam intellectus consummatio consequatur.

60 *Beatus (inquit) qui restituet tibi quod restituisti nobis.* Quid hic intelligendum est: Psalm. hic & de captiuitate iudæorum, cum in Babylonem ducti sunt & de peccatoribus qui expulsi ab Ecclesia confusioni traduntur, intelligi potest. Hic ergo secundùm historiam, vt quidam opinantur, significatur Cyrus rex, qui hanc restitutionem subuersa Babylone restituit, & vsque ad paruulos eius illic omni internecione desæuit. Interiore verò sensu Babyloniæ vicem ille restituit, qui eam captiuam ducit, quæ se prius habuerat peccati lege captiuam, & exordia vitiorum ad petram quæ est Christus, elidit.

61 Sæpè in scripturis dicitur: *Confitebor tibi domino.* Qualiter hoc intelligendum est: Non semper pœnitentiam videtur significare confessio. Nam confitebor interdum ponitur pro laudabo, vel pro gratias agam vel pro glorificabo deum.

62 *Imperfectum meum viderunt oculi tui. & in libro tuo omnes scribentur.* Quæ hic significantia est: Oculi Dei imperfectum nostrum vident: quia Deus hominem etiam priusquam formetur, agnoscit: Et aliter, Imperfectum nostrum vident oculi Dei: quia cogitationes nostras etiam antequam perficiantur, introspicit. In libro autem eius scribuntur omnes: quia omnes homines non absque eius voluntate nascuntur: vel quia omnes voluntates nostræ apud eum pleniſſimè describuntur, Sequitur autem, *Die replebuntur, & nemo in eis.* Die, id est Christo replebuntur: ac præter Christum nemo in eis erit: quia Deo pleni, ea quæ Dei non sunt, recipere non possunt.

63 Qui sunt pulli coruorum de quibus scribuntur: Et pullis coruorum inuocantibus eum: Fideles filios significat de infidelibus procreatos.

64 Quid indicatur in hoc quod legimus, *Ante faciem frigoris eius quis subsistet:* Tentationum per hæc frigus ostenditur.

75 Qua ratione appellantur ancipites illi sanctorum gladij, de quibus scribitur, *Et gladij ancipites in manibus eorum:* Gladiis ancipites dicuntur, quod in iudicio corpus atque animam punire simul possunt. Et aliter, quod puniant & supplicio præsentis pœnæ, & metu futuræ. Et hinc est illud

quod

quod in eodem pſalmo canitur Domino canticum nouum, quod qui mundi purgamenta creduntur, de nationibus ac regibus iudicabunt.

De prouerbiis Salomonis.

1 Ceruus amicitiæ & pullus gratiarum fabuletur tecum. Quid ſequemur? Ceruum amicitiæ accipiendum hic quidam putant Chriſtum, totius dilectionis & charitatis magiſtrum, pullum gratiarum, Spiritum ſanctum, qui ſit omnium gratiarum, id eſt chariſmatum diſtributor. Admonemur ergo ex hoc, vt ſemper Chriſti vel Spiritus ſancti ſolatia requiramus.

2 Quid eſt quod ſcribitur, *Septies cadit iuſtus & reſurgit?* In ſermone vtique, aut in cogitatione, cum labitur. Aut certè intra ſeptiformis Spiritus gratiam cum delinquit. Quidam propter ſeptem dies, per quos vitæ humanæ curſus reuoluitur, ſepties hic dictum eſſe confirmant, eo quod abſque peccato vitæ ipſius curſus eſſe non poſſit.

3 De Eccleſiaſte. quid eſt quod in Eccleſiaſte legimus. *Florebit amigdalum, impiguabitur locuſta & diſſipabitur capparis: qui ibit homo in domum æternitatis ſuæ.* Tradunt per hæc, humanorum membrorum fieri ſignificantiam. Nam in flore amygdali, canos capillos: in impinguatione locuſtæ, tumorem pedum in diſſipatione capparis, concupiſcentiæ frigus oſtendi: quæ cum ſeni in poſtremo ætatis tempore acciderint, tunc neceſſe eſt ire in terram: id eſt quaſi in æternitatis ſuæ domum redeat. Bene tamen hæc æternitatis domus etiam illa in futurum terra accipitur, de qua ſcriptum eſt, *Placebo Domino in regione viuorum.*

4 De Cantico canticorum. quid eſt illud quod in Eccleſia canitur, *Fuſca ſum & ſpecioſa filia Hieruſalem.* Si fuſca, quomodo ſpecioſa: quia ante examinationem ſui Eccleſia ſcribitur pro diuerſitate in ſe conſiſtentium, bipertita eſſe. In ſanctis ſpecioſa eſt: in peccatoribus fuſca: ſicut & Hieruſalem modo ſanctam ciuitatem ſcriptura compellat, modo peccatricem.

5 Nomen patruelis quid ſibi vult in canticis canticorum: Eccleſia, cuius nomine illic ad Saluatorem iſta dicuntur, fratruelem vocat Chriſtum, qui ſit filius Synagogæ. Et quia Eccleſiam Synagogæ ſororem in ſacris litteris noſtri interdum ſentire voluerunt: idcircò ſecundùm quandam ſcripturæ elocutionem Chriſtus Eccleſiæ fratruelis appellatur & ſponſus.

1 De Euanggelio Matthæi. quam ob cauſam in propheta Euangeliſtæ quatuor, diuerſa animalium ſpecie deſignantur: Matthæus, hominis obtinet formam: quia à natiuitate hominis orditur, dicens, *Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham.* Marcus, leonis ſpecie præfiguratur, eo quod vt leo ingenti intulit voce, *Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini.* Lucas adnunciatur in vitulo: quod à ſacrificiis vel à ſacerdotibus ſumat exordium: ita ſcribens: Fuit in diebus Herodis Regis Iudeæ, ſacerdos quidam nomine Zacharias. Ioannes, aquila prænotatur, quia ſpiritu euolans ad ſuperna, tanquam de ſublimi profert, dicens. *In principio erat verbum & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.*

2 quomodo accipiendum eſt quod Dominus Ieſus Chriſtus Dauid filius dicitur, cum vtique natus non ſit ex Ioſeph, qui ex Dauid ſtirpe deſcendit: In coniugium tunc Iudæi, ſecundùm legem, de ſanguinitate proximas aſſumebant. Nec dubitandum eſt quin hac ratione etiam Maria ex eadem tribu veniens, ſicut Ioſeph, ex Dauid ſtirpe proceſſerit. Ideo autem per generationem Ioſeph, origo Matiæ ſignificatur: quia conſuetudo ſcripturarum eſt, virorum

potiùs quam fœminarum ſeriem in generatione contexere. Cuius Mariæ quia cognata(ſicut legitur)fuit Elizabeth,quæ fuiſſe ſcribitur de filiabus Aaron,manifeſtiſſimum eſt,quod in Chriſto ſecundum carnem ex vtroque genere conuenerit regum ſcilicet ſacerdotúmque ſucceſſio.

3 Euangeliſta Matthæus, Ioſeph genitum ex Iacob dicit,& quomodo Lucas eum ex Heli fuiſſe commemorat,Ideo quod alter ſecundum naturam, alter ei ſecundum legem pater fuerit .Conſuetudo namque apud eos ex lege erat,vt defuncti fratris vxorem,ad ſuſcitandum ſemen,ſuperſtes frater acciperes.Iacob ergo atque Heli,vterini fratres fuerunt quorum ſuperiore defuncto poſterior vſus eſt ex lege coniugio. In eorum commemoratione, Matthæus, Ioſeph proſapiam per regiam originem texuit.Lucas generationẽ eius ſacerdotali ſucceſſione deduxit.Pater tamen Ioſeph ſecũdum naturam haud dubiè Iacob fuit.

4 Quare in Euangelio Maria Ioſeph coniunx dicitur : Conſuetudo eſt ſcripturarum vt etiam ſponſas appellent vxores.

5 Quid eſt quod legimus , *Ipſe nos baptizabit ſpiritu ſancto & igni:* quia per Spiritum ſanctum vel peccata exuruntur in nobis,vel ſanctificatio tribuitur, vel charitatis in paſſionibus tolerandis feruor accenditur.Aut certè quia ſpiritu baptizati,diuino iudicio examinabimur.Sunt qui dicunt Apoſtolos Spiritu ſancto baptizatos eſſe,cum ſuper eos ignis apparuit.

5 Qualiter accipiendum eſt de columbæ illius corpore in qua ad Saluatorem Spiritus ſancti patuit manifeſta deſcenſio:Vtrum ante iam fuerit , an ad tempus factum ſubito apparuerit:Vtique ad tempus oſtenſum eſt. Nam vt ſignum viſibile ſancti Spiritus qui erat inuiſibilis monſtraretur:verum quidem corpus columbæ illius per diuinam potentiam , ſed in tempore factum , ad horam apparuiſſe,ac deinceps deſtitiſſe,credendum eſt. Angeli verò , cum ſe humanis offerũt oculis,creditur(vt quorũdã opinio eſt)ex iſto craſſiore aere id eſt vicino terris , ad præſẽs corpus aſſumere. Porrò autẽ vocem aliquã ita putãtur exprimere,cũ illiſus huic aeri ictus tãquã palato verborũ ſonũ reddit.

7 Iuſtis promittitur regnum cœlorum,& quomodo etiam hoc dicitur,quoniam ipſi poſſidebunt terram:quia nouum cœlum & noua terra in futuro repromittitur iuſtis,vt tunc cum Deo ſicut Angeli vtrumque poſſideant.

8 Cum dicit Saluator,*Tyrum & Sydonem pœnitentiam agere potuiſſe,ſi in eis diuinarum apparuiſſent ſigna virtutum:*quapropter illic facta non ſunt, quæ ſalutem fuiſſent credentibus allatura:quia Dominus ac Saluator pro diuina diſpenſatione non venerat niſi ad oues quæ perierant domus Iſrael. Et quid eſt quod non venerat niſi ad oues domus Iſrael:quia inter reliquas vſquequaque nationes,ſpecialiùs vnum Deum Iſraël coluit:atque vt ita dixerim,peculiaris Dei quondam populus fuit,ob merita Abrahæ ac patriarcharum, vel Dauid, quibus Chriſtus propriè repromiſſus,atque ex eorum ſtirpe deſcendens, inde ipſam carnem in qua terris apparuit , aſſumpſit. Sed tamen quia virtutes poſtea & in gentibus factæ ſunt:ita teſtimonium hoc intelligi poteſt, vbi dicit, Non veni niſi,ſubaudiatur ibi prius:vt ſic & teſtimonij veritas,& miſericordia Dei in vniuerſos prompta,magis clareat.

9 In Euangelio dicit dominus & ſaluator noſter, *Iugum meum ſuaue eſt & onus meum leue eſt.*Et quomodo legitur in Pſalmo: *Propter verba labiorum tuorum,ego cuſtodiui vias duras?*Equidem manifeſtum eſt quod omnes qui volunt in Chriſto piè viuere , perſecutionem patiuntur. Sed tamen diligentibus Deum,quæ ſunt dura in re præſentium,efficiuntur leuia in ſpe futurorum.

10 Quid

10 Quid intelligendũ eſt loco illo in quo ſcribitur: *Orate ne fiat fuga veſtra hyeme vel ſabbato?* Secundùm hiſtoriam ita intelligendum eſt, Ne fiat fuga veſtra hyeme, id eſt, ne tribulatio fugæ temporis, accumuletur iniuria. Ne fiat fuga veſtra ſabbato: ne eo vtique die quo habere requiem vacationémque conſueuiſtis. At verò ſecundum intellectum ſuperiorem, ne fiat fuga veſtra hyeme vel ſabbato, id accipi poteſt, ne vos fuga illa deprehendat aut in peccatis agentes, aut à bonis operibus ociantes.

11 In eodem Matthæo ſcribitur, *Dico autem vobis, Non bibam à modo de hoc genimine vitis, vſque in diem illum quo bibam illud nouũ vobiſcum in regno Patris mei.* Quid hic ſequemur? Regnum Dei, vt docti interpretantur, Eccleſia eſt, in qua quotidie bibit ſanguinem ſuum Chriſtus per ſanctos ſuos, tanquam caput in membris ſuis.

12 Quid cauſæ eſt quod dicitur, *A modo videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, vt venientem in nubibus cœli,* & alio loco dicitur, *non viſuros venientem in nubibus cœli, niſi nouiſſimo tãtum die plangentes omnes tribus terræ,* & tunc videbunt filium hominis in nubibus cœli: Quia in hoc primo, corporis, id eſt eccleſiæ, aduentus annunciatur per manifeſtationem claritatémſignorum: ille verò alius aduentus, capitis eſt, id eſt ipſius Chriſti. In illo aduentu per membra ſua Chriſtus venit: in hoc per ſeipſum.

1 De Marco. Quid ſignificat in Euangelio quod dicitur, *Qui enim habet, dabitur illi, & qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab illo?* Verbi gratia, vt fidem habens, charitatem non habeat: etiam ipſa fide careat, quam fortè habere videbatur: ſicut Iudæi per ſcripturam diuinam non intelligentes Chriſtum, etiam ipſam quam ſe putabant tenere, Dei notiam perdiderunt: & filium non recipientes, etiam patrem non habent.

2 Marcus Euangeliſta tertia dici hora dominum ſignificat eſſe crucifixum, & quomodo alius Euangeliſta horam ſextam qua crucifixus ſit, fuiſſe commemorat: Quia hic illam penè horam ſcriptis ſuis retulit, qua verè crucifixus eſt: at verò ille, horæ anterioris tempus commemorandum putauit, quo de eo Iudæis acclamantibus iudicatum eſt: quaſi per anticipationem relationis, ea hora crucifixus ſit, qua iuſſus eſt crucifigi. Sed tamen in hac ipſa paſſione eius ſicut tenere debemus, quod ita homo ille qui aſſumptus ſit, pro eiuſdem voluntate pertulerit, vt verbum illud quod in principio apud Patrem erat, inuiolatum intemeratúmque permanſerit. Ergo illud iniuriæ obnoxium fuit, quod pro humana infirmitate ſuſceperat, illud verò incorruptum manſit quod diuinæ æternitatis poſſidebat.

1 De Luca. Quid eſt quod ſcribitur in Luca de Zacharia ſacerdote quod eſſet de vice Abia: Xxiiii. ſortibus in miniſterium templi diſtributi fuerant ſacerdotes, vt in ordine vicis ſuæ, quiſque ſacerdotali fungeretur officio. In hoc ergo ordine octauã ſortem Abia habuit, de qua vice Zacharias ſacerdos fuit.

2 Qui ſunt illi qui ſcripturis ſacris nomina antequam noſcerentur, acceperint: In nouo teſtamento, præter Saluatorem, ſolùm legimus Baptiſtam Ioãnem. In veteri verò quatuor ſunt: Iſaac, Iſmael, Salomon, & Ioſias: qui ortu videantur iuniores quam nomine.

3 Aduentum matris domini, quo Ioannes adhuc ſenſu carens, in vtero potuit exultare materno: Aut matris magis ſenſu vel gaudio à quibuſdam factum exiſtimantur, vt etiam interioribus potuerit exultare viſceribus. Aut certè ſi hoc ad Ioannem potiùs referri placet, inter miracula diuina reputandum eſt: ſicut & illud, cum vox aſinæ in ſonum ſermonis erupit.

4 In eodem Euangelio quid ſibi vult illud quod legitur, *Factum eſt autem in ſabbato ſecundo, primo cùm tranſiret per ſata, vellebant diſcipuli eius ſpicas: & manducabant confricantes manibus:* quidam hoc loco diem dominicum ita appellatum exiſtimant, quod videatur ſecundus ab illa legali obſeruatione ſabbati, & primus ſit Euangelicæ gratiæ celebritate. Si cui autem hoc minùs facere videtur, qui diem ipſum magis ſabbati fuiſſe contendat, quia ſcriptum ſit de eo. quid facitis quod non licet in ſabbatis: poteſt forſitan & ipſe nihilominus dies ſabbati ita ex hoc intelligi, vt nunc obſeruatione noſtra ſecundus ſit, qui primus quondam fuerit obſeruatione iudaica, rectiſſimè enim dies primus, dies dominicus deputatur.

5 Quomodo viſionem illam in qua aſſumptis tribus diſciplinis glorificatus eſt, Lucas poſt octo, alij verò Euangeliſtæ poſt ſex dies ſubſecutam eſſe commemorant: Lucas qui habito domini apud diſcipulos ſermone, poſt octo dies ſcribit viſionem hanc diſciplinis oſtenſam: & eum diem quo dominus locutus eſt, comprehendit, & eum quo Ieſus glorificatus apparuit. Hic verò qui ſex dies iudicandos putauerunt: mediis tantum atque integris diebus annumeratis, quaſi ſemiplenum illum diem poſtremúmque tacuerunt.

6 Rurſus in eodem dicit, *Erunt enim ex hoc quinque in domo vna diuiſi: tres in duos, & duo in tres diuidentur, pater in filium, filius in patrem ſuum, mater in filiam, & filiam in matrem, ſocrus in nurum, & nurus in ſocrum ſuam.* Quid eſt quod ſuperius quinque videatur poſuiſſe perſonas, ſex in ſubſequentibus, cum in perſonarum ſignificatione ſubiicit, mater & ſocrus: Eadem intelligi poteſt, quæ per filiam & nurum duobus ſit compellata nominibus, ac perinde & in ſubſequenti quinque videri poteſt numerus perſonarum.

7 In parabola Lazari & diuitis, aliquantæ quæſtiones incurrunt, aut quomodo diues in tormentis ſit ante iudicium, aut quomodo digitum Lazari dicat. Nunquid corpora apud inferos ſunt: aut vt ipſe aquam deſideret, nunquid ſitim corporis ſentiebat: Hæc omnia ſecundùm eos affectus dominātur, quos aliquando pro neceſſitate corporis geſſerat. Cæterum ille ante iudiciū tormentorū ſenſus, quaſi pro loco cuſtodiæ in quo erat, accipiendus eſt. Reis quippe ipſa cuſtodia etiam ante iudicium non eſt abſque tormentis. In quoque quod apud Infernum Abraham videt: hæc ſubeſſe à quibuſdam ratio putatur, quod omnes etiam ſancti ante aduentum domini noſtri Ieſu Chriſti ad inferna, licet in refrigerij locum, deſcendiſſe dicuntur. Alij opinantur locum illum in quo Abrahā erat, ab illis inferni locis, in ſuperioribus conſtitū: propter quod dicat dominus de illo diuite, Eleuās oculos cum eſſet in tormētis, vidit Abraham de lōgè, ſinúq; ipſius Abrahæ deſignari illius regionis quietē.

8 Quomodo illud accipiendū eſt quod legimus, *Regnum Dei intra vos eſt.* In vnoquoq; pro bonorū malorúmq; actuum diſcrepantia, aut Deus regnat, aut diabolus: quia neceſſe eſt, vt cuius voluntatē opere curat, eius imperio videatur eſſe ſubiectus. Itaq; ſi iuſti ſunt quidē, Deus regnare dicendus, eſt, diabolus ſi iniuſti. Poteſt & fide viuere, per quam Chriſtus habitat in cordibus ſanctorum ſuorum.

10 Quomodo in luctu Latronis Saluator dicit: *Hodie mecū eris in Paradiſo,* cùm vtiq; die illo ſecūdùm hominē corpore in terra, anima apud inferos? Poteſt fortè hic pro Paradiſo accipi attributus quieti locus, vbi Abraham eſſe cum Lazaro, in Euangelio Saluator oſtendit: Aut certè ita intelligendum eſt quod hanc promiſſionem dominus ſecundùm effectum diuinæ poteſtatis impleuerit, quia vbique Deum eſſe, uoſcendùm eſt.

1 Quadraginta & ſex anni, affirmantibus Iudæis ſecundum Euangelium Ioannis, in ædificationem templi quomodo oſtendũtur impleti? Salomonem quidem ſeptem tantum annis domum Domini ædificaſſe ſatis conſtat ſcriptura ex hoc dicente. Edificauitque eam annis ſeptem. Quadraginta & ſex verò anni in templi reſtauratione ponuntur, quæ habita eſt in diebus Eſdræ poſt ſubuerſionem Hieroſolymæ, captiuitatemque Iudæorum. Porrò ipſa reparatio ædificandi templi diu tracta eſt, vicinis in circuitu nationibus opus aſſidua infeſtatione prohibentibus.

2 Quomodo Saluator aſſumptum hominem duxit in cœlum, aut quomodo cœlum promittitur ſanctis, cum dicat, *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo.* Aut quomodo in cœlo erat, cum adhuc eſſet in terra? Secundum carnem in terra erat, ſecundùm deitatem in cœlo non deerat. Et ideò & ipſe aſcendit qui deſcẽdit: quia licet aſſumpſerit hominem, tamen homo & Deus, hoc eſt Chriſtus, vna perſona eſt, & vtique ille ſit caput, ſancti autem membra ſint, neceſſe eſt vt ſequantur membra, quo caput præcedit, vt ſit in cœlo Chriſti corporis plenitudo.

3 Qualiter illud accipiẽdum eſt quod ſcribitur, *Non enim ad menſuram Deus dat ſpiritum?* Hoc quidem de filio propriè intelligendum eſſe confirmant: quia homines, dum alij aliis plus minúsve capiunt, vtique ad menſuram ſcriptum accipere videntur, iuxta illud Apoſtoli, *Habentes autem donationem ſecundùm gratiam quæ data nobis eſt, differentes, ſiue prophetiam ſecundùm menſuram fidei, &c.* Chriſto vero vnigenito ſuo, qui etiam dat, non eſt ſpiritus ad menſuram datus, quia in eo eſt omnis plenitudo diuinitatis.

4 Saluator dicit, *Vos aſcendite ad diem hunc, ego non aſcendo ad diem feſtum iſtum, & quomodo poſtea ſcribitur de eo,* Vt autem aſcenderunt fratres eius, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum? Veritas mendacium loqui non poteſt: atque idcircò non aliud à Ieſu factum eſt quam quod ſe pronunciauerat eſſe facturum. Scenophegia enim ſolemnitas Iudæorum non vnum diem, ſed plures dies ſolemnitate complectitur, ſicut & Paſchæ feſtiuitas. Ergo quia dixerat. *Non aſcendo ad diem feſtum iſtum:* ſicut prædixerat, non aſcendit. Nam & ſequitur in Euangelio, *Hæc cum dixiſſet ipſe,* hoc eſt Saluator, *manſit in Galilæa,* vt intelligamus in ea quidem ſolemnitate, ſed non eundem diem fuiſſe, de quo pōſtea ſcribitur, *Vt autem aſcenderunt fratres eius, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum.* Poteſt & figuratè intelligi hic dies feſtus, ad quem Saluator ſe non aſcenſurum eſſe profeſſus eſt, vt in ſe mutandam feſtiuitatem doceret.

5 Qualiter ſentiendum eſt in loco illo in quo de Ieſu Chriſto Saluatore noſtro ſcribitur, *Nemo miſit in eum manus: quia nondum venerat hora eius?* Hora eius non ſecundùm Mathematicos intelligendum eſt: ſed potiùs hora illa qua ipſe crucifigi, qua ipſe pati vellet. Et ideò nondum venerat hora eius: quia nondum vniuerſa perfecerat: quia nondum cuncta propoſitæ operationis impleuerat, propter quæ homines terramque viſitauerat.

6 Quomodo intelligendum eſt quod Saluator dicit, *Cùm loquitur mendacium ex propriis loquitur, quia mendax eſt, & pater eius?* Supra dixerat Dominus ad Iudæos, *Si Deus pater veſter eſſet, diligeretis vtique me,* & poſtea: *Vos ex diabolo patre eſtis: & deſideria patris veſtri vultis facere.* Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit: quia non eſt veritas in eo. Cùm loquitur mendacium, hic ſubaudiendum eſt, *Vnuſquiſque veſtrum ex propriis loquitur: quia mendax eſt, & pater eius,* ſcilicet diabolus. Sunt qui ita diſputant, Cùm loquitur menda-

cium, ſcilicet diabolus, de propriis loquitur: quia mendax eſt: & pater eius, hoc eſt, mendacij ipſius pater eſt: quia ab ipſo videtur ortum eſſe mendacium: vt ſicut Deus filium veritatem genuit: ita & diabolus filium genuerit falſitatem.

7 Quomodo accipiendũ eſt illud quod dicitur, *Abraham pater veſter exultauit vt videret diem meum: & vidit, & gauiſus eſt*? Prophetæ videntes appellabantur, ideò quod ſancti Spiritus numere ea quæ cæteris erant clauſa, quaſi conſcij futurorum videbant: inter quos Abraham Chriſtum vidit in ſpiritu.

8 Dicitur in Euangelio, *Scimus quia peccatores Deus non exaudit.* Et quomodo alio loco ſaluator dicit, *Omnis qui petit, accipit*? Sunt qui ex hoc ita ſentiunt, Ille (inquiunt) qui dixit peccatores non exaudiri, cæcus fuerat, & plenam adhuc, quaſi infuſus collyrio, videre non poterat veritatem. Certum eſt autem diuinæ miſericordiæ autem patere pulſantibus. Poteſt & ex hac ratione intelligi quomodo Deus exaudiat peccatores: vt etiam ſi exaudiantur ad impetrandam propriam ſalutem, non exaudiantur in ſignis.

9 Dominus & Saluator noſter quid eſt quod in Euangelio Ioannis dicit, *In iudicium in hunc mundum veni: vt qui non vidĕt, videant: & qui vident, cæci fiant*? Non eſt minima quęſtio: ſed nos breuiter pro neceſſitate quid hic doctorum opinio habeat, proferemus. Veni vt qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant, id eſt, vt hi qui ſe non videre confitentur, & qui medicum quærunt videant: hi verò qui ſe putant videre, & medicum non requirunt, in ſua cæcitate permaneant. Itaque in hoc iudicium veniſſe dicit, quo diſcerneret cauſam credentium & incredulorum. Ergo vt qui non vident videant, poteſt intelligi de gentibus, qui viſuri erant per fidem. Et qui vident cæci fiant, accipi de Iudæis poteſt, qui cæcabantur per propriam infidelitatem.

10 Quomodo Saluator loquitur, *Pater maior me eſt*: & alio loco dicit, *Ego & pater vnum ſumus*, Dominus Ieſus ita verus homo, vt verus Deus: de patre vero Deo, Deus: de matre homine homo, illud ſecundum hominem, hoc ſecundùm Deum locutus creditur. Iuxta quam rationem diuinitatis atque humanitatis, etiam in reliquis quæ aut æqualitatem cum patre, aut humilitatem eius ſonant, facilè intellectus patebit.

1 De Apoſtolo. Quæ intelligentia eſt capituli illius quid Apoſtolus proponit dicens. Si autem iniquitas noſtra iuſtitiam Dei commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus Deus, qui infert iram? ſecundùm hominem dico. Abſit. Alioquin quomodo Deus iudicabit mundum? Si enim veritas Dei in meo mendacio abundauit, in gloriam ipſius: quid adhuc ego tanquam peccator iudicor? & non ſicut blaſphemamur: & ſicut aiunt nos quidam dicere, faciamus mala vt veniant bona, quorum damnatio iuſta eſt. Obſcuriſſimus, atque perplexus in Apoſtolo locus: & multis ad excutiendum proferũtque ſenſum verbis indigens, nobis tanquam pro feſtinatione ſermonis arctandus. Dixerat ſupra, Eſt autem Deus verax: omnis autem homo mendax: ſicut ſcriptum eſt. *Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis: & vincas cum iudicaris.* Tum etiam adiecit: Si autem iniquitas noſtra iuſtitiam Dei commendat, quid dicemus? Hic de teſtimoniis quæ ſupra poſuerat, naſcentem euentilat quæſtionem, & adiungit, Nunquid iniquus Deus, qui infert iram id eſt, vindicata? ſecundùm hominem dico, hoc eſt ſecundùm humanam elocutionem, quaſi iniquum Deum appellauerat, vel quod iram eius dixerat, cum paſſio in Deum non cadat. Abſit, hoc eſt, abſit ita credi, vt iniquum Deum eſſe credamus: qui ſi hæc ita ſunt, iram

inferat

inferat delinquẽti. Alioquin quo iudicabit Deus mundum: niſi ſumma æquitate atque iuſtitia? Deinde inſequitur, Si enim veritas Dei in meo mendacio abundauit, in gloriam ipſius, & hoc ita proponit vt refellentis ſit, non approbantis: quia ſi veritas Dei mendacio hominis indiguit, nec peccator tanquam peccator iudicabitur: & quæ blaſphemabant in Apoſtolos, vera videbuntur. Ergo quid eſt quod dicit: Etſi ex comparatione iniuſtitiæ, iuſtitia clareſcat: non ideò tamen homo iniuſtus eſſe debet, vt Deus iuſtus appareat. Damnatio autem eorum iuſta eſt, qui nos hæc affirmant dicere, *Faciamus mala vt veniant bona.* Putabãtur autem Apoſt. illud dicere apud eos qui malè interpretabãtur dictũ Apoſtol. illud vtique, *Vbi abundauit peccatũ, ſuperabundauit gratia.*

2 Quid illud eſt quod legimus, Vt quid enim Chriſtus cum adhuc infirmi eſſemus, ſecundùm tempus pro impiis mortuus eſt: Vix enim pro iuſto quis moritur. Nam pro bono forſitan quis audeat mori. Hoc eſt quod vult intelligi: ille pro impiis mortuus eſt, cum vix quiſquam reperiatur mori velle pro iuſto. Nam pro bono, id eſt Chriſto, forſitan aliquis mori audeat. Hic etiam de ſe verecundè indicans quod pro Chriſto mori poſſit. Et aliter, Vix enim pro iuſto quis moritur. In veteri lege, in qua eſt pro mandatorum ſeueritate, iuſtitia: vix pauci martyres ſunt reperti. In nouo autem teſtamento, in quo eſt pro pietate præceptorum, bonitas: innumerabiles martyres extiterunt.

3 Apoſt. dicit de Deo patre, *Sed pro omnibus nobis tradidit illum, ſcilicet filium* quid in hoc ſignificabat, tradit: Traditioni acquieuit. In ſacris namque libris facere interdum Deus dicitur, in quibus faciendis videtur præſtare patientiam. Alia quippe ſunt quæ fieri Deus vult: alia quæ fieri ſinit. Vult ergo fieri quæ facto apparent eſſe meliora: at verò deteriora permittit, vt libertas humani conſtet arbitrij: in qua libertate, bonorum malorum ſectatoribus diuino iudicio exhibeatur retributio iuſta meritorum.

4 In hac eadem Epiſtola, quid intelligendũ eſt de hoc quod legimus, *Quis accuſabit electos Dei? Deus qui iuſtificat. Quis eſt qui condemnet: Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt: immò qui & reſurrexit: qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Hæc in quibus ſibi ipſe reſpondet, quaſi ironicῶs legenda ſunt & eſt ſenſus iſte. Niſi fortè electos ſuos aut Deus qui iuſtificat, aut Chriſtus qui pro nobis eſt mortuus, condemnabit: minimè vtique qui etiam interpellat pro nobis. Hoc eſt ergo quod dicit, *Nemo condemnabit electos.*

5 Quid ſentiendum eſt in loco hoc in quo Apoſtolus loquitur, *Optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundùm carnem,* & reliqua? Anathema interdum, vt hic, occiſionem interfectionemque ſignificat. Ergo hic Apoſtolus perire oprat in carne, vt alij ſaluentur in ſpiritu. Et aliter, Ita hic Apoſtolus vim nimiæ charitatis expreſſit à Chriſto anathema eſſe pro fratribus, ſicut & Moyſes, qui cum pro populo ſuo deum peteret, ait: *Et nunc domine, ſi quidem dimittis illis peccata eorum, dimitte: ſin autem dele me de libro tuo quem ſcripſiſti.*

6 Idem loquitur de Deo, *Ergo cui vult Deus, miſeretur: & quem vult, indurat.* Quid hic ſequemur: Induratur cor à Deo, dum criminum pœna differtur. Rurſus ipſe affirmat dicens, quod quærebat Iſrael, non eſt conſecutus: electio autem conſecuta eſt: cæteri verò excæcati ſunt. Quis huius rei ſenſus eſt? Non quia illum Deus volentem aſpicere, cæcitate percutiat: qui omnes (ſicut ſcribitur) vult ſaluos fieri: ſed illos qui ſe ipſi excæcauerant, pro retributione malitiæ dicitur tradidiſſe, dum deſerit. Tradere enim eſt derelinquere.

7 Qualiter illud accipiendum eſt quod ſcribitur, *Si eſurit inimicus tuus, ciba*

illum:ſi ſitit,potum da illi,hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius? Hoc eſt?ignem compunctionis cõgeris,cum bona pro malis reddis. Et aliter non quod hoc animo inimicus paſci debeat, vt carbones ignis ſuper caput eius dum paſcitur,cõgerantur:ſed quod inimicus ille cum bona pro malis recepit: ſi nulla malitiæ ſuæ pœnitentia commouetur: ipſe ſibi potiùs carbones ignis ſuper caput ſuum congerat.

8 Cùm poteſtas non ſit niſi à Deo,ſicut Apoſtolus dicit:cur non omnes bene ac piè eam adminiſtrantes reperiantur? Quia & vitam hanc omnes æqualiter à Deo capiunt:nec tamen omnes æqualiter viuunt.

1 Ad Corinthios.*Omne(inquit)peccatum quodcunque fecerit homo,extra corpus eſt. Qui autem fornicatur:in corpus ſuum peccat.* Quid hic ſentiendum eſt? quam cætera peccata per corpus extrinſecus admittantur: fornicatio ſola in corporis paſſionibus adminiſtretur.

2 Qualiter locus ille accipiendus eſt in quo ſcribitur, *Nunquid domum non habetis ad manducandum & bibendum?aut Eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent?* Apud Corinthios quondam,ſicut aliqui aſſerunt,praua inualuetat cõſuetudo,Eccleſias paſſim dehoneſtare conuiuiis, in quibus veſcebantur ante dominicam oblationem, quam poſt cœnam noctibus offerebant.Cumque diuites ebrij ad Euchariſtiam venirent:vexabantur inopes fame.Mos verò iſte,vt referunt,de gentili adhuc ſuperſtitione veniebat. Vnde etiam quibuſdam locis per Ægypti rura vel Syriæ,die ſabbati nocte poſt cœnam dicitur ad Eccleſiam conueniri.

3 Cuiuſmodi prophetia eſt de qua ſcribitur.*Si autem omnes prophetent:intret autem quis infidelis vel idiota, conuincitur ab omnibus,diiudicatur ab omnibus:occulta cordis eius manifeſta fiunt?* Prophetię genus duplex eſt,doctrinæ vnum,aliud diuinationis.Sed diuinatio præteritis temporibus magis viguit:doctrina præſentibus.Occulta autem cordis eius manifeſta fiunt,dum in Eccleſia prophetante,id eſt moraliter differente,conſcientia compungitur audientis.

4 Quid eſt quod ſcribitur,*traditurus filius hominis regnum Deo patri?* Traditurus quidem: ſed tamen non ita traditurus vt careat. Traditio autem regni, noſtra prouectio eſt tunc cũ eſſe ex integro filij meruerimus in patris regno.

5 Quid ſibi vult illud quod ſcribuntur, *Omnes quidem reſurgemus, ſed non non omnes immutabimur?* Quia reſurrectio & incorruptio communis eſt omnium:immutatio autem & gloria propriè iuſtorum.

6 Ad Corinthios Apoſtolus dicit,*Obſecramus pro Chriſto,reconciliamini Deo, eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo.* Quid hic ſequemur?Reconciliamini Deo,inquit qui Chriſtum fecit hoſtiam pro peccato.Peccatum verò appellari ipſam hoſtiam, ſi in veteri teſtamento requiris,iuuenies. Poteſt iſtud & ita intelligi,factus hoſtiam pro peccato Chriſtum:quia filium ſuum miſit in ſimilitudinem carnis peccati.

7 *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ,Angelus Satanæ,qui me colafiſet.* Quomodo iſtud accipiendum eſt? Dicunt quidam Apoſtolum ſæpè dolore capitis eſſe vexatum. Melius autem puto ita accipi vt colafiſatus in illis paſſionibus intelligatur,quas enumerauit ipſe dicens:*Ter virgis cæſus ſum,ſemel lapidatus ſum &c.* Stimulum ergo carnis appellat tribulationem carnis:& Angelum Sathanæ illum,quod quaſi immiſſore illo,tanta illa pateretur.

1 Ad Epheſios. Quomodo intelligẽdum eſt hoc quod Apoſt.ſcripſit,quod propoſuerit dominus in diſpenſationẽ plenitudinis temporũ in ſtaurare omnia in Chriſto,quæ in cœlis,& qua in terra ſunt in ipſo?Verè mirũ quid nunc

reparetur

reparetur in cœlo. Reparatur ergo, ſecundùm opinionem quorundam, illa quæ cum principe ſuo cecidit Angelorum portio, per augmentum ſocietatémque ſanctorum, de quibus ſcribitur: *Sed ſunt ſicut angeli in cœlo.* Reparantur quoque omnia in terra, cum etiam in locum deficientium Iudæorum admittuntur credentes ex gentibus. Et aliter, inſtaurantur quæ ſunt in terra, dum nos per mediatoris noſtri ſanguinem reconciliationémque reparamur. Reparantur cœleſtia, cum de ſalute noſtra gaudium naſcitur angelorum.

2 Quid eſt quod Apoſtolus loquitur de Deo patre: *Ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur?* Quia cum ille nobis pater primus & verus ſit: ab illius nomine deriuatur quando alij patres appellantur.

3 Quomodo Apoſtolus dicit, *Honora patrem & matrem*, quod eſt mandatum primum: cum in mandatis, vt quidam ordinant, quarto ſit loco? Aliqui de hoc ita differunt, dicentes: Tria illa mandata quæ ſuperiora ſunt, omnia ad Deum pertinent: ſeptem ſequentia ad hominem, & tria illa ad Deum pertinentia, in vna legis tabula tenebantur, in alia vero tabula præcepta illa erant quæ ad hominem pertinebant. Hoc itaque mandatum in ſeptem mandatis quæ ad proximum pertinent, primum eſt. Alij verò qui hoc mandatum non quarto, ſed quinto loco (quod & nos probamus) eſſe confirmant: ita de hoc diſputant: decalogum ipſum totum, quia illa prima lege conſcriptus eſt, rectè primum mandatum appellari: quod vtique primum faciat ordo poſtea aliorum in lege conſequens præceptorum. Item ex hoc aliter, *Honora patrem & matrem*, quod eſt mãdatum primum, & ſubiungit in promiſſione, in qua promiſſione: *Vt bene ſit tibi, & ſis longæuus ſuper terram.* Igitur in mandatis, hoc eſt primum mandatum, quod habeat hanc quam ſupra diximus promiſſionem.

4 Quid ſibi vult quod ſcribitur, *Spiritum nolite extinguere.* Id eſt figurare per opera iniquitatis, Dauid, *Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.*

5 Sequitur paulo poſt in eodem: *Vt integer ſpiritus veſter, & anima & corpus ſine querela in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur*: quid hic intelligendum eſt: Spiritum hic dicit illum vtique ſanctum de quo ſupra dixerat, Spiritum nolite extinguere, qui quidem cum in ſubſtantia ſua non poſſit extingui: extinguitur nobis, cum aufertur à nobis. Donum namque eius vel gratia in hominibus, ſicut eorum virtutibus accenditur: ita eorum vitiis extinguitur. Alij aſſerunt ſpiritum hic accipiendum eſſe animæ ipſius intellectum atque ſapientiam: de quo alio loco idem Apoſtolus dicit, *Et ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quod ſumus filij* Dei. Hoc eſt quod ille Spiritus ſanctus huic intellectuali ſpiritui noſtro teſtimonium reddat, quod ſumus filij Dei. Alio quoque loco Apoſtolus loquitur, *Pſallam & ſpiritu, pſallam & mente.* Hic ſpiritum pro voce ponens, & voce dicit pariter & mente pſallendum.

6 Ad Coloſſenſes. Quid intelligendum eſt in capitulo illo in quo ad Coloſſenſes ſcribitur, Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi, quid adhuc tanquam viuentes in mundo, decernitis, ne tetigeritis, neque guſtauetitis, neque contrectaueritis, quæ ſunt omnia in interitu ipſo vſu ſecundùm præcepta & doctrinas hominum: quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ in ſuperſtitione & humilitate, & ad non parcendum corpori non in honore aliquo, ad ſaturitatem carnis: Perſtringamus vt poſſumus locum ſummis obſcuritatibus inuolutum. Diſputat contra eos qui ex Iudæis Chriſtiani, propriis contendebant ceremoniis inhærere. Iam ſupra dixerat de improbabili eorum obſeruantia in cibo aut in potu: & quod neomeniæ eorum, & ſabbata vmbrã futurorum prætuliſſent. Poſt hæc rurſum in conſequentibus dicit, Si mortui

Chriſto ab elementis mundi,quid adhuc tanquam viuentes in mundo decernitis, hoc eſt diiudicatis.Quid diiudicatis.Dicendo vtique,ne tetigeritis neque guſtaueritis.Quæ ſunt omnia in interitu ipſo vſu,quia omnia,inquit illa quæ neque contingenda,neque guſtanda creditis, ipſo vſu ſuo dum abſumuntur,intereunt.Secundum præcepta & doctrinas hominum: quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ in ſuperſtitione & humilitate & ad non parcendum corpori Doctrinas hominum dicit, quia præcepta ipſa carnaliter intelligant,præcipientes in lege prohibita non manducare.Sed hoc ſicut ipſe ſubiungit in ſuperſtitione & in humilitate ſuperuacua:in corporis afflictione: cui vtique corpori non parcatur, vel per ciuſmodi abſtinentiam, vel per circunciſionem.Sequitur autem,*Non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis*. Hoc eſt quod vult intelligi. Omnes illæ obſeruationes, licet rationem aliquam ſapientiæ præ ſe ferre videantur,quia putentur legem præceptorum tenere,tamen in ſuperſtitione ſunt,non in aliquo honore Dei,quia ſunt ad explendam voluptatem obſeruantiæ carnalis.

1 Ad Timotheum.Quæ ſingularum rerum eſt accipienda diſcretio in his quas Apoſtolus profert dicens:*Obſecro igitur primò omnium fieri obſecrationes, orationes,poſtulationes, gratiarum actiones?* Obſecrationes fiunt pro peccatis præteritis vel præſentibus.Orationes pro adipiſcēdis quæ ſperamus.Poſtulationes cū pro aliis interuenimus. Gratiarū actiones cū ea quæ poſcimus impetramus:vel certè cū pro immēſis Dei beneficiis grates,laudēſq;repēdimus.

2 Locus ille quomodo accipiendus eſt,in quo ſcribitur,quorundam hominum peccata manifeſta ſunt præcedentia ad iudicium, quoſdam autem & ſubſequuntur? Supra dixerat aduerſus præsbyterum accuſationem non recipiēdam,niſi ſub duobus & tribus teſtibus.Et paulo poſt addidit,Quorundam hominum peccata manifeſta ſunt præcedētia ad iudicium,vtique dum omnibus nota ſunt.Quoſdam & ſubſequuntur,vtique dum poſtea in iudicio comprobantur.Quod ſi iſtud aliqui in iudicio Dei magis accipiendum putāt: poteſt ita intelligi,pręcedere ad iudicium illa peccata,quæ ante hic vnuſquiſque commiſerit ſubſequi verò illa quibus nos quidem cauſas dedimus: ſed iam poſt tranſitum noſtrum conſummata intelliguntur, Ergo ſubſequuntur nos ad iudicium huiuſmodi peccata,ſed,verbi gratia,cui inopiæ nos cauſa attulimus famem poſt obitum noſtrum atque egeſtate conſumptus ſit.

1 *Ad Timotheum.* Alexander ærarius multa(inquit)mala mihi oſtendit, reddet ei Dominus ſecundum opera eius.Et item : Percutiet te Dominus,paries dealbate.Quomodo hęc intelligenda ſunt?Percutiet te,inquit,non percutiat. Et rurſum reddet,non reddat.Vnde fit vt non tam maledicentis animo dicta eſſe videantur,quod iudicium Dei,atque vindictam denunciantis.Item aliter & ſi per adminiſtrationem prophetiæ immoto animo maledicat propheta: vt illud,*Obſcurentur oculi eorum*:dicit quid eorū meritis debeatur,quia omnis præuaricatio & inobedientia accipiet iuſtā operis atq;mercedis retributionē.

1 *Ad Hebr.* Quid in hoc ſequemur quod Apoſtolus dicit.*Fide Iacob moriens ſingulos filiorū Ioſeph benedixit,& adorauit faſtigiū virgæ eius?* Septri ſignificatio eſt accipienda per virgam:& per hoc regni, poteſtatiſque faſtigium, in quo Chriſtus intelligitur adoratus:qui videlicet futurus erat regni cœlorū caput.

1 De Actib. Apoſtol.Quid indicat illud quod legimus,*Sabbathi habēs iter*,id eſt mille paſſus. Sabbato autem vſque ad montem Olueti ire Iudæis licitum erat.Vel certè ſicubi fuiſſent,tanto ſpatio deambulādi licentiam præſumebāt.

2 Spiritus ſanctus quomodo ante aſcenſionem à Saluatore ſecundùm

Euangeli

Euangeliſtam Ioannem Apoſtolis inſufflatur, cum ſecundùm Actus Apoſtorum poſt decimum aſcenſionis diem in Apoſtolos miſſus ſit:Multæ ſancti ſpiritus gratiarum donationes ſunt,ſecundùm illud quod Apoſtolus dicit: *Alij quidem datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ:alij ſcientiæ ſecundùm eundum ſpiritum: alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu,&c.* Igitur ante aſcenſionem gratiam ſancti ſpiritus acceperunt,qua poſſent peccata dimittere,& baptizare, & credentibus ſpiritum adoptionis infundere, ſecundùm quod & tunc cum eis à ſaluatore ſpiritus inſufflaretur,dictum fuerat:quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis:& quorum retinueritis, retenta erunt. At verò poſt aſcenſionem, multò maiorem ſancti ſpiritus gratiam perceperunt in operatione virtutum, & gratia ſanitatum, & diuerſarum perceptione linguarum : iuxta illud quod eis de eodem diu promiſſum fuerat vt baptizarentur ſpiritu ſancto,& induerentur virtute qua Euangelium Chriſti vniuerſis poſſent prædicare. In hac ergo perceptione ſpiritus ſancti ſecundùm dominicæ gratiæ diſtributionem, Apoſtolorum demonſtratur profectus,non compugnantium diuerſitas ſcripturarum. At aliter quare bis datus ſit ſpiritus ſanctus, quidam doctor expoſuit dicens de eodem:Primum hic ſaluator per ſeipſum dedit,& de cœlis poſtea miſit:vt ſignificaretur dilectio proximi,& dilectio Dei, quæ in cordibus ſanctorum per ſpiritum ſanctum diffunditur,qui datus eſt eis.

3 Ad Euangelizandum Dei verbum qui Apoſtoli quibus ſe orbis partibus intulerunt:Quantum narrat hiſtoria,Bartolomæus in Indos, Tomas tetendit in parthos. Matthæus Æthiopes, Andreas Scythas prædicatione molliuit. Ioannes Aſiam diuino ſermone correxit.Petrus Cappadociam atque Galliã, Bythiniã pariter & Pontũ,prouinciaſq́, confines, dum Iudæis prædicans circumiit,poſtremò Romam illuſtraturus acceſſit. Paulus ab Hieruſalem vſque Illyricum cum Euangelio repleuiſſet tam innumeras ac diſpares rationes: præceptis tanquam armis victor edomuit.

4 Cùm in Actibus Apoſtolorum primum legatur, Viri autem qui comitabantur cum eo,hoc eſt cum Apoſtolo,ſtabant ſtupentes,audientes quidẽ vocem,neminem autem videntes: quomodo poſtea Apoſtolus dicit: *Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt eius qui loquebatur mecum:* Superius vbi audiſſe vocem referuntur : adeò non vocem, ſed inconditum ſonum vocis acceperunt:vt eos poſtea dicat vocem non audiſſe,id expreſſam verborum ſignificantiam,qua poſſent intelligere quod ſonabat: ac proinde idcircò diuerſa vice & audiſſe & non audiſſe referuntur, quia quãtum ad ſonum pertinet,audierunt:quantũ ad verba, non audierunt.

5 Quare prius communis cibus vocabatur qui putaretur immundus: Quod contra interdictum tunc Dei in commune,cæteris pateret hominibus, qui in ciborum diſcretione legis obſeruãtiam non tenebant:per quam Iudæi partem Dei ſe eſſe iactabant.Purificatus eſt autem etiam Domino dicente ad Petrum:Quod Deus purificauit:ne tu commune dixeris.

6 Quid eſt illud quod Actibus Apoſtolorum duodecim illi qui Ioannis baptiſmo baptizati fuerunt:baptizantur à Paulo:Hoc idcircò:quia non in nomine Trinitatis baptizati erant. Baptiſmus enim Ioannis licèt in eum qui venturus erat,baptizaret:tamen propriè Ioannis Baptiſmus dicebatur. Vnde & ab hæreticis venientes non baptizantur à nobis ſi baptizatos conſtat in nomine Trinitatis:niſi quod impoſitio tantum manus ad fidem rectam conuerſis adhibetur,vt per hanc ſancti ſpiritus ſuſcipiatur infuſio.

1 De epiſtola Iacobi. Quomodo dicitur. *Deus intentator malorum eſt, &*

ipſe neminẽ tentat: cum nihilominus ſcriptum, Tentat vos dominus Deus veſter? Tentatio domini, probatio appellatur. Neque enim quẽquã tentat. A paſſionibus ac concupiſcentiis noſtris illa tentatio eſt, cum humilitati deiicimur: à domino eſt, cùm probati glorificamur: & ideo dominus intentator malorum eſt.

1 De epiſtola Ioannis. Quomodo perfecta charitas foras mittit timorem: cùm rurſum ſcribatur: *Timor domini caſtus, permanens in ſæculum ſæculi?* Quiſquis Deum diligit: abſque Deo eſſe formidat. Hic eſt timor Dei qui permanet in ſæculum ſæculi. Igitur timor hic de perfecta domini charitate deſcendit. At verò alius timor ille de temporariis rebus naſcitur: quarum ſæpè amiſſionem veremur, hunc timorem foras mittit diuinæ perfectio charitatis.

2 Item Ioannes in epiſtola ſua ponit: Tria ſunt quæ teſtimonium perhibẽt: aqua, ſanguis, & ſpiritus. Quid in hoc indicatur: Simile huic loco etiam illud mihi videtur quod ipſe in Euangelio ſuo de paſſione Chriſti loquitur dicens, *Vnus militum lancea latus eius aperuit: & continuò exiit ſanguis & aqua: & qui vidit teſtimonium perhibuit.* Et in eodem ipſe de Ieſu ſupra dixerat, *Inclinato capite tradidit ſpiritum.* Quidam ergo ex hoc ita diſputant. Aqua baptiſmum, ſanguis videtur indicare martyrium, ſpiritus verò ipſe eſt qui pertranſit ad dominum. Plures tamen hic per ipſam interpretationem myſticam intelligunt Trinitatem, eo quod perfecta ipſa perhibeat teſtimonium Chriſto: aqua patrem indicans: quia ipſe dicit, Me derelinquerunt fontem aquæ viuæ, ſanguine Chriſtum demonſtrans, vtique per paſſionis cruorem, ſpiritu verò ſpiritum ſanctum manifeſtans. Hæc autem tria de Chriſto teſtimonium ita perhibent, ipſo in Euangelio loquente: Ego ſum qui teſtimonium perhibeo de me, & teſtimonium perhibuit de me, qui miſit me pater. Et iterum, Cùm autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis ſpiritũ veritatis, qui à patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me. Perhibet ergo teſtimonium pater, cùm dicit: *Hic eſt Filius meus dilectus.* Filius, cùm dicit: *Ego & pater vnum ſumus.* Spiritus ſanctus, cùm de eo dicitur, *Et vidit ſpiritum Dei deſcendentem ſicut columbam venientem ſuper ſe.*

3 Quid eſt quod rurſum in epiſtola ſua profert eſſe pro quo non debeat orari peccato? Vſque ad mortem peccat ille peccator qui in huius tẽporariæ vitæ curſu pœnitentiam non agit. Hac ratiõne illud quoq; oportet intelligi, Qui autem blaſphemauerit in ſpiritũ ſanctum: nõ remittetur ei neq; hic, neque in futurum. Blaſphemat enim qui diuinis promiſſis ſpirituiq; ſancto minimè credens, in quo eſt remiſſio peccatorum, reconciliari Deo in hac vita per ſatisfactionis opera detrectat.

4 Quid ſignificat quod in eodem legimus mundum in maligno eſſe poſitum? Non quòd à Deo mundus in maligno ſit poſitus, ſed quòd vita hominum in mundo viuentium ſit maligna. Hoc modo etiam illud patebit quod ſcriptum eſt: Quia dies maligni ſunt.

1 De Apocalypſi. Qui ſunt illi ſeptem ſpiritus Dei qui in Apocalypſi cõmemorantur? Hi ſunt quos & Propheta Eſaias enumerat: ſpiritus ſapientię & intellectus: ſpiritus conſilij & virtutis: ſpiritus ſcientiæ & pietatis: ſpiritus timoris Dei. In quibus tamen ſpiritualia opera ſignificantur. Omnia autẽ illa opera, vnus atque idem ſpiritus.

Et quidem hæc de opinionibus doctiſſimorum virorum exigenti tibi à me prolata ſunt. Si quis tamen in prædictarum quæſtionum diſputationibus attulerit quæ magis probentur: reprehendens pertinaciam: quæ in pleriſque eſſe ſolet: non abnuo me ſecuturum eſſe meliora.

Explicit de quæſtionibus. *Incipit*

Incipit liber Secundus.

QVoniam,fili chariſſime,ſuperiore libro propoſitionibus tuis ſe retulit iam crebra reſponſio : vereor ne aſſiduæ interrogationes, vt ſit plerumque, legenti generent ex ſatietate faſtidium. Meo nunc nomine ea quæ ſpoponderam:opus variaturus, adnectam ſingula quæque, vt ordine ipſo magis clareant, per ſpecies ſuas diuidens, ac titulis ſuis ſubdens. Et primò veniam ad Hebræorum nominum interpretationem. E quibus certa quæque & celebriora breuitatis cauſa ponam.

De nominibus Hebraïs.

ADonai, in latinum ſignificat Dominus.Sabaoth,exercituum:ſiue virtutum:aut vt aliqui volunt,omnipotens.Ieſus,ſaluator.Nazaræus,ſanctus. Meſſias,vnctus,id eſt, Chriſtus. Michaël, quis ſicut Deus?Gabriel, fortitudo Dei, Adam,homo ſiue terrigena. Eua,vita ſiue calamitas.

Miror vnde apud Hebræos interpretatio huius nominis tam diuerſa ſit: niſi fortè ideo quod eadem & edendo homini vitam attulerit : & tranſgrediendo calamitatem : aut quod mulier aliis interdum vita, aliis eſt calamitas.

Abel, luctus vel miſerabilis. Cain, poſſeſſio vel lamentatio. Enoch,dedicatio. Mathuſſala, mortuus eſt, & miſit. Noe, requies. Sem, nominatus. Cham, callidus. Iaphet, latitudo. Loth, declinas ſiue vinctus. Melchiſedech, rex iuſtus. Abram, pater excelſus. Abraham, pater videns populum. Sarai, princeps mea. Sara,princeps.

Notandum quod vtriuſque nominibus, id eſt, Abrahæ vel Serræ, tantùm à litteram Dominus addiderit : quæ tamen apud Hebræos per è legitur.

Agar, aduena vel conuerſa. Iſmael, auditio Dei. Iſaac, riſus, non tamen vt quidam putant : ideò ſic appellatur, quia Sarra riſerit:ſed quod Abraham: qui tunc vtique prior riſiſſe indicatur. Rebecca, patientia, ſiue quæ multum acceperit. Iacob, ſupplantator. Iſraël, vir videns Deum:ſed melius,princeps cum Deo. Lya, laborioſa. Rachel,ouis, vel videns Deum. Ruben, videns filius, ſiue videns in medio. Symeon, audienti triſtitias. Leui, appoſitus ſiue additus. Iuda, confitens ſiue glorificans. Zabulon, habitaculum pulchritudinis. Iſachar, eſt merces. Dan, iudicium,aut iudicans. Gad, tentatio. Aſer, latitudo ſiue beatus. Neptalim, conuerſantes. Beniamin, filius dexteræ. Effraim, frugifer ſiue vbertas : vel augentibus latinè. Manaſſe,oblitus. Eſaü,roboreus, ſiue aceruus lapidum. Cedar, tenebræ vel mœror. Iob, magus vel dolens. Amalech, populus lambens, ſiue res lingens. Moyſes, aſſumptio vel liniens. Aaron, mons fortitudinis. Pharao, denudans eum, ſiue diſſipator eius, ſed Pharao nomen eſt non hominis, ſed dignitatis : ſicut & apud nos Auguſti appellantur reges, cum propriis nominibus cenſeantur. Pharao tamen ille ſubmerſus in mare rubrum,proprio vocabulo.Cenchres, vocitatus eſt. Ioſue, ſaluator. Athoniel, tempus eius, Deus vel reſponſio Dei. Aod, glorioſus. Semegar, nomen aduenientis, ſiue vbi colimus. Barac, fulgurans. Delbora, apis vel loquax. Gedeon, tentatio iniquitatis eorum. Abimelech, pater meus rex. Thola,vermiculus vel coccinum.Iair, illuminans.Iepte,aperiens vel apertus. Eſebon, cogitatio ſiue cingulum mœroris. Achialon, vi-

uens Deo, vel videns Deum. Abdo, ſeruus eius. Sanſon, ſed eorum vel ſolis fortitudo. Dalida, paupercula vel ſitula. Heli, Deus meus. Samuel, nomen eius Deus. Saül, expetitus. Iſai, inſulæ holocauſtum vel ſacrificium. Dauid, deſiderabilis ſiue fortis manu. Ionathan, columbæ donum: vel Domini donum. Abſalon, pater pacis. Salomon, pacificus, idem eſt Eccleſiaſtes, id eſt, concionator idem & Ididia, id eſt dilectus Domini. Roboam, latitudo populi. Abia, pater Dominus. Aſa, tollens ſiue ſuſtollens. Ioſaphat, Domini iudicium. Ioram, qui eſt excelſus. Achazias, apprehendens Dominum. Athalia, tempus Domini. Ionas, ſperans ſiue temporalis. Amaſias, populum tollens. Ozias, fortitudo Domini. Azarias, auxilium Domini. Ioathas, id eſt, perfectus. Achaz, apprehendens. Ezechias, fortitudo Domini. Manaſſes, obliuioſus: vel qui oblitus eſt. Amon, fidelis vel nutricius. Ioſias, vbi eſt incenſum Domini, vel Domini ſalus. Ioachas, robuſtus. Ioachim, cuius eſt præparatio. Eliachim, Dei reſurrectio. Ieconias, præparatio Dei. Sedechias, iuſtus Domini. Ieroboam, diiudicans populum: vel diiudicans ſuper nos. Nabe, latratus. Baſa, pinguedo. Helam, ſæculi vel orbis. Iamri, pſalmus vel canticum meum. Omri, criſpans meus. Achab, frater patris. Ieſabel, fluens ſanguinem, vel vbi eſt ſterquilinium. Ochoſias, apprehendens Dominum. Ioram, qui eſt excelſus, ſed melius ſublimabitur. Ieu, ipſe, vel eſt. Ioatha, robuſtus. Zacharias, memor Domini. Sella, vmbra eius: vel petitio. Manahem, conſolans. Phaceas, aperiens. Helias, Domini Dei, Heliſeus, Dei mei ſalus. Oſee, ſaluator. Iohel, inſpiciente Deo: ſiue eſt Deus. Amos, potens vel fortis: aut populum diuellens. Abdia, ſeruus Domini. Iona, columba vel dolens. Micheas, quis iſte. Nauum, germen: ſiue conſolatio. Abacuc, amplexans. Sophonias, abſcondens eam. Aggæus, feſtus ſiue ſolemnis. Zacharia, memor Domini. Malachias, angelus meus. Iſaia, ſalus Domini. Hieremia, excelſus Domini. Ezechiel, fortitudo Domini. Daniel, iudicium Dei. Iudith, laudans aut Iudæa. Ioſeph, auctus. Maria, illuminata, ſiue ſtella maris. Syro autem ſermone domina. Simon, pone merorem, vel obediens. Petrus, agnoſcens. Bariona, filius columbæ. Syrum pariter & Hebræum. Cephas, petrus. Syrum nomen eſt. Paulus, mirabilis vel minimus. Saulus, tentatio recipientis, vel ſecuritas. Andreas, virilis, græcum eſt. Iacobus, ſupplantator. Ioannes. Domini gratia. Philippus, os lampadarum. Bartholomæus, filius ſuſpendentis aquas. Thomas, abyſſus, vel geminus: vnde & Didymus græcè dicitur. Mattheus, donatus, idem appellatus eſt Leui. Lebbeus, corculus, id eſt, à corde, ipſe eſt & Thadeus, ipſe eſt & Iudas Iacobi. Chananæus, poſſidens ſiue poſſeſſio, commutatio, emulator, aut zelotes, ita autem dictus eſt Simon, à vico Chana, ipſe eſt & Zelotes. Scarioth, memoriale Domini, vel memoria mortis. Hoc vero nomine appellatus eſt Iudas à vico in quo natus eſt. Marcus, excelſus mandato. Lucas, ipſe conſurgẽs ſiue ipſe leuans. Stephanus, norma veſtra. Græco autem ſermone, coronatus. Pontius declinans conſiliũ. Pilatus, os malleatoris. Barrabas, filius magiſtri eorum: abſque dubio Iudæorum magiſtri, qui eſt diabolus. Eden in Geneſi, delicias. Hieroſolyma, viſio pacis. Sion, ſpecula, & rectè, nam hæc ciuitas Dauid, in monte conſtructa eſt. Babylon, confuſio ſiue tranſlatio. Aethiopia, tenebræ. Ægyptus, tribulatio ſiue tenebræ. Tyrus, anguſtia. Romani, ſublimes vel tonantes. ῥωμη, virtus, Grecum eſt. Sinai, menſura ſiue mandatum: ſiue tentatio, vel amphora mea. Gehennà, vallis gratuita, quidam exiſtimant appellatam hac à valle Gehennon, quæ iuxta murum Hieruſalem. Hebræi, tranſitores. Sadducæi, iuſtificati,

Phari

Phariſæi,diuiſi.Galilæi,volubiles. Samaritæ,cuſtodes,eo quod à Babyloniis illic ad cuſtodiam collocati ſint Iudæorum.

Cùm in cæteris, tum & in hoc abundanter liquet, ſcriptura omnis ſacra quam verè diuina ſit ac plena myſteriis:quando ita congruant rebus nomina effectibúſque reſpondeant:ſicut Dauid, qui exprimitur in latinum fortis manu,vtique fortiſſimus omnibus ferè bellis extitit.Salomon,pacificus, vtique in pace regnum adminiſtrauit. Daniel, iudicium Dei, vtique in presbyterorum iudicio ſententiam diuinæ diſceptationis exhibuit. Vnde quid mirum ſi illi futura prophetauerunt,quorum etiam nomina (ſicut res edocet) prophetiam ſonant?

Sed iam de variis vocabulis interpretationem ponamus.

DE VARIIS VOCABVLIS.

Alleuia,in latinũ ſonat,Laudate deum. *Ia* enim vnũ eſt de decẽ nominibus Dei quæ apud Hebræos habentur.Amen,verè ſiue fideliter.*Diapſalma*,ſemper,id eſt quod illa quibus hoc annectitur,ſempiterna eſſe confirmet: adeò non commutationem metri ſignificat, vt quidam exiſtimant, vel ſpiritus prophetici refectionem Sunt etiam qui *Diapſalma* &ideò inſcribi putent vt ex hoc ſiue perſonarum,ſiue ſenſuum intelligatur eſſe conuerſio. *Oſanna*, ſaluifica ſiue ſaluum fac.*Oſia*,enim ſaluifica interpretatur. *Anna*, interiectio eſt deprecantis. Ergo integrè dicitur, *Oſianna*: ſed dum corripitur aut corrumpitur,ſonat *Oſanna*,Eſt autem ſenſus,Saluum fac: vt ſubaudiatur,vel populum Iſrael,vel totum mundum. Rama,excelſa,in Euangelio, Vox in rama audita eſt,id eſt in excelſis.Eſt tamen & ciuitas quæ Rama appellatur.Racha, vanus aut inanis.Rabbi,magiſter meus,ſyrum eſt. Abba,pater,& hoc ſyrum eſt. Man, quid? Manna, quid hoc eſt, Anathema, perditio. Maranatha, dominus noſter venit, ſyrum eſt. Anathema autem maranatha, ſicut quidam dicunt, perditio in aduentum domini. Mammona,diuitiæ.Theraphim figuræ vel imagines,melius quam incendia. Seraphim, ardentes vel incendentes:iuxta illud, Qui facit Angelos ſuos ſpiritus: & miniſtros ſuos ignem vrentem. Ergo Seraphim virtutes in cœlis eſſe confirmant, quæ deum laudent,& in miniſteria diuerſa mittantur. Cherubim,ſcientiæ multitudo.Cæterùm Cherubim ipſum in ſancta ſanctorum, duo tantùm ſignificat animalia.Aliis verò locis vbi hoc nomen legitur,aut picturam aliquam indicat, aut veritatem de expoſitione diuerſarum rerum.

Mandragora,in Geneſi genus pomi ſimillimum paruo peponi ſpecie vel odore. Mazuroth, in Iob Zodiacus quæ duodecim ſigna Mathematici aſſerunt. Fath,πλήμμα,ideſt plaga,vt meridiana videlicet occidentalis. Rhamnus, in pſalterio non rubus eſt,ſed ſpinarum genus ſentibus permoleſtum. Romphea,gladium in latino ſonat.Nam vbi in Geneſi dicitur, Gladius flammeus atque verſatilis:in præco. Romphea ponitur.Frameæ,haſtæ longiſſimæ;Sunt qui iis quibus etiam nunc Armorici vtuntur, hoc nomen tribuunt, quidam ita etiam gladios ſignificari putant. Capparis, in Salomone, fruteti genus in oriente ſimile lentiſo. Palathæ,in Regnorum, maſſæ quæ de recentibus ficis compingi ſolent,& græcum eſt. Debelaim, in Oſee propheta palathas dicunt. Dabir,in Regnorum, oraculum quod erat factum in medio & in interiore parte templi in quo & arca domini erat, hoc appellabatur Sancta ſanctorũ.Byſſus,genus ſerici groſſioris pariter & fortioris. Sunt qui & genus lini eſſe putãt.Phœniciũ,in Eſaia,coccinum. Luteres,in Regnorũ,conchę vel cantharis aquarij,ſed & cantharus græcum nomen eſt.Latonij,in Regnorum,

lapidum cæsores,& hoc græcum est.Creagræ,in Paralipomenon, fuscinæ ad carnes decaldarus proferendas,græcum est. Sambucæ,in musicis genus symphoniarum.Namblum,quod græcè appellatur psalterium , quod à psallendo dictum est, ad similitudinem Citharæ barbaricæ in modum delta litteræ. Tympanum,quod extenta pelle efficitur vel corio.Cinari,vt quidam putant acetabula,quæ percussa in modulis concitantur. Thyna,ligna , de his Salomon gradus fecit in domo domini , incognita ligna etiam peritioribus Iudæorum. Sethim,in Pentateucho,spinarum in eremo genus est : & lignum imputribile. Sabeth , virgulti apud Hebræos nomen est in Genesi. Ecce(inquit) aries post tergum tenebatur in virgulto Sabeth. Lebetes,ænei minores in vsum coquendi parati,in Paralipomenon. Pacificas verò hostias coxerunt in lebetibus & cacabis & ollis. Cophinus , corbis. Hydria , vas aquarium. Condy , in Genesi poculum vel scyphus. Lecythus , in Regnorum , ampulla olearia. Lenticula,in libro Regnorum,vasculum ex ære , habens oleum quo vngebantur in regnum. Paropsis , acetabulum maius , aliqui & catinum ita appellari putant. Epistylia, in Regnorum , quæ super capitella columnarum ponuntur, græcum est. Mæchonoth , in Regnorum , fulturæ , quas bases appellamus. Topazius , lapius pretiosus , in quo (sicut aliqui affirmant) omnium lapidum colores refulgent.Corbona,gazophylacium. Corbona autem interpretatur oblatio.Chasma,in Luca hiatus , græcum est. Erysibe , in Propheta ærugo , id est rubigo messium , græcum est. Sicera , succus ex dactylis : & omnis præter vinum liquor qui ad bibendum,aut pomis,aut quolibet genere conficitur , sicera nuncupatur. Nardum pysticum , nardum fidelem, id est sine impostura,græcum est. Nardum spicatum, ab eo quod species ipsa nardi in modum spicæ sit,quæ infusa conficitur. Alabastrum,genus marmoris pretiosi,ex quo Euangelici illius vnguenti vasculum erat.

Stadiũ,in Euangelio spatij certa dimensio,octo stadia mille passus efficiũt.

Hæc nomina quæ subsequuntur , in Exodo vel in Regnorum libris his reperiuntur locis quæ arcæ vel tabernaculi aut templi domini relationem continent,quorum nominum vocabula hæc quæ obscuriora sunt:in translatione veteri habentur, hæc verò quæ lucidiora apparent : nouæ translationis textu continentur.Vetus verò translatio habet,Sphæroteres,nouas sphærulas. Calamiscos,calamos.Trochiscos vel cariscos , quasi in modum nucis deformatos. Anconiscos,incrustaturas.Aspidiscos,vncinos. Fimbrias,catenulas.Scitalas,vectes.Lapidibus acrotomiis,dedolatis. Graphidem,cœlaturam. Petalis , laminis. Perimetrum , lineam. Spiras , capitella columnarum : vel sicut puto,facturam earum.Aelam,porticum.Sed melius interpretatur,ante fores, siue vestibulum. Ergo Aelam hebræum est. Cætera quæ superius sunt,græca sunt maximè.Item in Ezechielis extrema parte,in visione ciuitatis , in veteri trãslatione habetur Pastophoria,in noua Gazophylacia,id est cellulas paruas. Thee,thalamos.Alleu,frontem.Aælathimoth,vestibulum.Polyandrion,multitudines. Spithamos , psalmus. Gissus , definitio. Manaa , sacrificium , in Regum. Cœnotaphia , simulacha : quæ græce μορφώματα. Sed hæc hactenus.Nunc etiam illud accipe vt quædam nomina prius scriptura appellauerit & nunc vocẽtur.Gomer,in Genesi,galatæ,id est galli:qui à candore corporis primum Galathæ appellati sunt:è quibus populi quondã in Orientis longinqua migrantes,primo Gallogræci:nunc antiquo Gallorum nomine,Galathæ vocãtur.Magog,Scythæ:quondã Goget. Magog Gothos putãt.Tubal,Hiberi qui & Hispani.Tiras,Thraces,Thogorma,Phryges.Madai,Medi.Iauan,Iones

quid

qui & Græci,vnde & mare Ionium,Cethei,cytij, id eſt Cyprij, apud quos & vrbs Cytium.Dodanim,Rhodij,ex his Græcorum nationibus extitere, qui à Tauro monte vſque ad occidentalem Oceanum maritimam oram occupauerunt.Hæ omnes gẽtes de Iaphet ſtirpe deſcẽdunt.Chus,æthiopia,Meſraim,ægyptus.Chaſloim,qui poſtea Philiſtini,nunc Paleſtini,iidẽ tamen & Allophili iidẽ & alienigenæ appellati ſunt,horũ ciuitas Aſcalon.Saba,Arabia.Saba vocitatur & regio in qua nunc Sabæi.Euila,Gętuli.Labaim,nunc Libyes:quondam Phutei appellabantur. Tharſis ſiue Carchedon, Carthago eſt, quidam Tharſos Cilicas arbitrabantur: quia ciuitas Tharſus illic ſita eſt. Aphrica appellata eſt ab vno ex poſteris Abrahæ,iidẽ & Sarraceni à Sarra,iidem & Agareni ab Agar. Nabathæi à Nabeth Hiſmaelis filio dicti: qui ab Euphrate ad mare rubrum porriguntur.Chananæi appellati de Chanaam filio Cham.Horum terram Iudæi expulſis incolis poſſederunt.Hi de origine Cham venerũt Aſſur,Aſſyrij,Ab Aſſure filio Sem.Hi vrbem Ninum ex nomine Nini regis condiderunt:quæ nunc Niniue vocatur.Syros appellatos quidam aſſerunt ab Aſſurim filio Abrahæ ex Cetura.Hus,quam & auxit itis, regio circa Cœlen Syriam:ita ab Hus Sẽ pronepote appellata.Elamitæ,Perſæ,ab Elam filio Sem Hebræi cognominati ſunt ab Heber,qui pronepos fuit Sem. Chaſdæi, nunc Chaldæi vocantur: & Chaſdæi à Chaſeth filio Nachor,fratris Abrahæ. Hi omnes de Sem poſteritate producuntur. Iebus,ipſa eſt Hieruſalem:ipſa eſt & & Salem,in qua regnauit Melchiſedech,ſed nunc ab Aelio Adriano vocatur Aelia.Babel,in Geneſi,nunc Babylon vocatur.In hoc loco cum turrem quondam homines ædificare aduerſum cœlum aggreſſi eſſent:diſperſi ſunt,immiſſa diuinitus confuſione linguarum.A cchar,nunc Niſibi appellatur.Reblata, nunc Antiochia vocatur,eadem eſt & Epiphania.Sichem,hæc eſt & Sichima hæc & nunc Neapolis ciuitas Samaritanorum. Oolibama,in Propheta, ciuitas in qua Edom principes habitauerunt.Arihel,in Eſaia propheta, hanc eſſe quidam putant Areopolim,ab idolo Martis Arihel,quod illic ſitum eſt.Interpretatur autem Arihel leo Dei, Hieruſalem figuraliter ſignificans. Ararath, Armeniæ mons,vbi poſt diluuium arca conſedit:adeo vt illic aliqua eius indicia nunc vſque permaneant.Arbe,quæ arbor in noſtris codicibus corruptè legitur,in qua tres Patriarchæ ſepulti ſunt,Abraham,Iſaac,& Iacob,& præterea Adam ipſe.Hæc eſt etiam Hebron, in qua Dauid regnauit. Lod, ipſa eſt Lydda ipſa eſt Dioſpolis.Decapolis,in Euangelio, regio eſt habens ciuitates decem.Accaron,vrbs Paleſtinæ.Sunt alij qui exiſtimant Accaron eſſe turrem Stratonis,& poſtea hanc appellatam fuiſſe Cæſaream. Antelibanus, loca appellantur quę ſupra Libanum montem orientalem plagam reſpiciunt. Ephrata,ciuitatis Bethleẽ regio eſt.Euphrates vero fluuius de Paradiſo. Meſopotamia,idcirco dicitur quod Tygride & Euphrate fluminibus ambiatur. Emaus, in Euangelio nomen quondam caſtelli:nunc ciuitas, quæ Nicopolis dicitur. Caluariæ locus ob hanc cauſam dictus, quod de conſuetudine in eodem loco damnati capite truncabantur. Ariopagus,curiæ apud Athenienſes nomen eſt:quæ à Marte nomen accepit.

De fluminibus vel aquis.Geon, fluuius Aethiopiæ de Paradiſo emergens, quem Nilum vſitato nomine appellant.Phiſon,fluuius Indiæ,idem quoque à Paradiſo fluens.Hunc alij Gangem vocant.Iordanis, ideò dictus, quod duo fontes in vnum confluant:quorum alter Ior,alter Dan appellatur. Mare Galileæ idem eſt & mare Tyberiadis: idem & ſtagnum Genezar: idem & lacus genezareth,& mare Salinarum, hoc vocatur & mare mortuũ,vel Aſyhalthi,

id eſt bituminis ab Hierico haud longè abeſt. Bethſaida, piſcina in Hieruſalem in quam ægri deferebantur, ideò & probatica, id eſt pecualis appellatur, quod hoſtias in ea quondam ſacerdotes lauabant.

De menſibus. Niſan, in libro Heſter menſis quem dicunt Martium: qui propterea in ſcripturis appellatur menſis primus. Elul, in Machabæorum libro Auguſtus, qui apud nos menſis ſextus vocatur. Caſleu, in Zacharia Propheta Nouember, qui & nonus. Thebeth, in libro Heſter december, qui & decimus. Sabath, in Zacharia Propheta Ianuarius, qui apud nos vndecimus Adar, in libro Heſter Februarius, qui apud nos duodecimus. Quod ſi etiam reliqua hebræa menſium vocabula quæ in canone non reperi, ſcire voles, Thar, vocatur menſis ſecundus. Sinan, tertius. Tammus, quartus. Abus, quintus. Diſri, ſeptimus. Mareſuan, octauus.

De ſolemnitatibus. Annus Iubilæus, annus quinquageſimus, qui erat annus remiſſionis, quo in Iſraël vnuſquiſque rei ſuæ venditor, ad ius eius etiam abſque pretio reuertebatur. Paſcha, tranſcenſus, hebręum eſt, non Gręcum. Tranſcenſus verò idcirco dicitur, quod Hebræi ab Aegypto in terram repromiſſionis tranſcenderint. Certè Paſcha noſtrum eſt, quod Saluator ab inferis reſurgens, cœlorum regna tranſcenderit. Phaſe, itidem vt paſcha eſt tranſcenſus vel tranſitus. Sunt qui magis tranſcenſum vel tranſitum ex hoc appellatum affirmant, quod eadem nocte Dominus per Aegyptum tranſierit, cum Aegyptiorum primogenita cuncta percuſſit. Pentecoſte, quinquageſima. Græcum eſt. Huius quinquageſimæ figuram annus iubilæus geſſit: quæ nunc iterum futuræ repromiſſionis terram præfigurat. Scenophegia, cum tabernacula Iudæis finguntur ob memoriam tabernaculorum, σκηνὴ enim græce tabernaculum dicitur. Hæc Iudæorum ſolemnitas Septembri menſe celebratur. Encænia, nouæ ædificationis obſeruatio vel dedicatio. καίνον namque Græca lingua nouum ſignificat. Ergo in hac ſolemnitate Iudæi Octobri menſe dedicationis templi colebant diem. Epiphania, græcum eſt, quod ſignificat apparitio vel oſtenſio: ſiue quod eadem die Dominus & Saluator noſter in baptiſmo ſuo populis fuerit oſtenſus: ſiue quod ſtella magis, ſiue quod proprio ſigno aqua in vinum verſa tunc apparuerit. Neomenia, hoc eſt quod apud nos Calendæ ſunt: quia apud Hebræos ſecundum lunæ curſum menſes ſupputantur. Et μηνὴ Græcè luna appellatur. Idcircò Neomenia, noua luna accipi poteſt. Paraſceue, præparatio, græcum eſt. Paraſceue enim lex ſabbati appellatur, Hinc verò præparatio dicitur, quod à Iudæis eadem die quæ in ſabbatum ſint neceſſaria, præparentur. Sabbatum, requies, hebræum eſt. Idcirco autem requies, quod in eadem die Dominus ab opere, perfectis omnibus abſolutiſque requieuerit.

De idolis. Idola, ſimulachra, græcum eſt. Beelphegor, quod interpretatur ſimulachrum ignominiæ, idolum eſt Moab, Hunc latini Priapum appellant. Bel quod interpretatur vetuſtas, idolum eſt Babylonium. Fuit verò hic idem Belus, pater Nini regis Aſſyriorum, Adramelech, idolum Aſſyriorum: quod etiam Samaritæ coluerunt. Aſtarten, quod in Latinum ſonat facturam ſuperflua, idolum Sydoniorum dicunt,

Beelzebud, interpretatur vir muſicarum. Diabolus, deorſum fluens. Græcè vero criminator dicitur. Sathanas, in Latinū ſonat aduerſarius ſiue trāſgreſſor. Syrenæ, in Eſaia dæmones aut dracones magni criſtati pariter ac volantes, vt à quibuſdā putatur. Vlulæ, in Eſaia ab omni trāſlatione nomine ipſo hebræo igiim appellantur. Septuaginta tantum interpretes pro his onocentauros in

tranſlatione poſuerunt. Sunt qui vlulas putant aues eſſe nocturnas, ab vlulatu vocis quam efferunt, quas vulgò cauannos dicunt. Lamia, in Eſaia genus monſtri, vt quidem affirmant. Piloſi, in Eſaia dęmonum genera. Nonnulli hos etiam doctiſſimorum incubones vel ſatyros, aut quod quoſdam ſilueſtres homines intelligendos putauerunt.

De veſtibus. Ephod, veſtis ſacerdotalis, quæ ſuper indumentum vel ſuper humerale appellatur. Eſt autem velut in caracallæ modum, ſed ſine cucullo: cuius veſtimenti duo ſunt genera: vnum lineum & ſimplex, quod ſacerdotes habebant, alius diuerſis coloribus, & auro gemmiſque contextum, quo ſoli pontifices vtebantur. Poderis, ſacerdotalis linea corpori penitus aſtricta, eadémque talaris, vnde & Poderis appellata, hæc & ſubucula dicitur. Logium, quod & rationale, pannus exiguus ex auro, gemmis, coloribuſque variis, qui ſuper humerali contra pectus Pōtificis annectebatur. Cidaris, pileus ſacerdotalis ex byſſo, hunc Græci & nos tiaram, quidam etiam mittram vocant. Petalum, aurea lamina in fronte pontificis: quæ Dei nomen illud ineffabile tetragrammaton, id eſt quod quatuor litteris hæbraicis gerebat inſcriptum. Penula, in Apoſtolo, latinum eſt. Eſt autem quaſi lacerna deſcendentibus clauis. Diplois, in Regnorū, ſagum vel chlamys. ἀπὸ τῦ λιπλῦ, ab eo quod dupliciter Diplois appellari poteſt. Badim, in Daniele, veſtes lineæ quibus fœminalia, vt arbitror, ſignificantur. Bad etiam apud Hæbreos linum dicitur. Vnde & in quibuſdam locis legitur, ephod bad eſt ephod bar, vt quidam corruptè legunt. Melote, in Regnorum, pellis ſimplex (qua monachi ægyptij etiam nunc vtuntur) ex vno latere dependens. Theriſtrum, in Geneſi apud Arabes genus pallij muliebris. Periſcelides, in Eſaia, vt quidam dicunt, apud fœmina crurum ornamenta.

De auibus vel volatilibus. Pelicanus, auis parua, quę ſolitudine delectatur. Eſt & aliud Pelicanorum genus in Nilo, penè cygnis ſimile: niſi quod paulò maiores ſunt, quidam & Onocrotalos vocant. Nicticorax, noctua, multi Bubonem eſſe contendunt. Sunt etiam qui aſſerunt eſſe orientalem auem: quæ nocturnus coruus appellatur. Ibis, in Pētateucho, auis Aegyptia, obſcœnitate oris immunda, quo aluum purgare conſueuit. Erodius, in pſalmo, ardea à quibuſdam putatur. Larus, in Pentateucho, gauiam ſignificat. Cœnomya, non muſca canina, vt quidam putant, in Pſalmo accipienda eſt: ſed muſca omnimoda. Et ideo non per y grȩcum, ſed per diphtongon æ ſcribi debet. Scinifes, culicum genus eſt, aculeis permoleſtum.

De beſtiis vel repentibus. Rhinoceros, fera terribilis, gemina in naribus geſtans cornua. Aliqui tamen vnum habere cornu affirmant. Monoceros in Pſalmo vnicornis appellatur. Tragelaphus, in Deuteronomio πλὰ τοκέρος id eſt cornibus latis. Erinacei, χοιρογύλλιοι nuncupatur, propè magnitudine mediocrium cuniculorum, de cauernis petrarum procedentes gregatim in eremo, & contra mare mortuum depaſcuntur. Ericij, qui ἐχινῶι dicuntur, ita ſpinoſo defenduntur tegmine, vt ne contegi quidem poſſint. Brucus, in pſalmo, locuſtæ nondum volant. Eruca, quam vulgò Dolbam vocant.

De ponderibus. Talentum, eſt pondus. lx. iis. quod faciunt octoginta libræ atticæ. Mina eſt libra vna & ſemuncia. Talentum minas habet. lx. Mina græcè, latinè mna dicitur. Drachma habet ſcrupula tria. Didrachma, drachmæ duæ. Vnde miror quomodo in libris Hæbraicarum quæſtionum ſemuti ſcribitur. Strater eſt nūmus habens (vt quidam affirmant) vnciam vnam, id eſt aureos ſex: vt alij putant, tres. In Euangelio enim pro duorum didrachmis ſta-

ter datur. Secel, qui in latina lingua corruptè ſiclus dicitur, vt quæſtionibus ſupradictis indicatur,vnciæ pondus habet:vt alibi ſcriptum reperi, ſcrupuli: quod & ipſe arbitror: nam ſiclus ipſe vel ſecel de propinquitate ponderis, quaſi ſiciliquus ſonat. Obolus eſt ſcrupulum dimidium, quod facit ſiliquas tres,in Ezechiele,Siclus.xx.obolos habet.

De menſuris.Corus eſt modij.xxx.Batus, amphora vna, id eſt modij tres. Ephi,idem menſuræ habet in aridis, quod in liquidis batus. Metreta vna, vt quidam dicunt,ſextaria centum.Menſura autem græcè metron dicitur: vnde & metreta appellatur. Notandum verò quod menſura hæbreum nomen eſt. Artabe,in Eſaia, Aegyptiorum menſuræ: quæ tres, faciunt modios. x. Sata, idē ſunt quod ephi,id eſt modij tres.Gomor,mēſura eſt Attica,habēs(vt quidam opinantur)cœnices tres,id eſt ſextarios.xii.Alij gomor dicunt paulominùs à ſextariis. v. quod etiam ipſe ſequor, eo quod ſit decima pars ephi Gomor.Nebal, quidam putant modios tres in ſextariis liquidæ ſpeciei. Cotyla enim eſt in Ezechiele,Decem,inquit,cotylæ ſunt gomor.

Accipe nunc & eorum nominum ſignificationes quæ Eccleſiæ ore celebrata, in ſermonem noſtrum vertantur ex græco.

De græcis nominibvs.

THeos,Deus. Theos autem,vt quorundam opinio habet,ἀπὸ τοῦ θεωρεῖν: à ſpectando,idem omnia proſpiciendo. Homouſion, vnius ſubſtantiæ. Homiouſion, ſimilis ſubſtantiæ. Chriſtus,vnctus. Spiritus paracletus,ſpiritus conſolator ſiue aduocatus.Hagios,ſanctos.Angelus, nuncius. Thronus, ſedes vel ſolium. Apoſtolus, miſſus, ideo quod à domino Euangelizandum miſſi ſunt,à doctoribus hebræum putatur. Propheta prædicator. Martyres,teſtes. Epiſcopus ſuperinſpector. Et ideò propheta ait, Speculatorem te poſui domui Iſrael.Presbyter,ſenior. Diaconus, miniſter. Cleros,ſors.Eccleſia,euocatio vel collectio.Catholica, vniuerſalis, à Cathon, quod eſt totum.Synagoga, conuentus vel congregatio. Ethnicus, gentilis. Hypocrita, ſimulator.Hæreſis,ſecta.Monachus, ſolitarius. Eremus, deſertum. Parachia, adiacēs domus,id eſt Dei.Diœceſis,gubernatio,hoc non ſecūdùm proprietatem aut poteſtatem verbi,ſed ſecundùm effectum.Laicus, popularis. Cathecumenus, inſtructus ſiue audiens. Neophytus, nouella plantatio. Baptiſterium,tinctorium.Chriſma,vnctio.Euchariſtia,bona gratia.Holocauſtum,totum combuſtum, hoc ideò quia integra hoſtia igni tradita conſumebatur. Symbolum, collatio aut pactum vel complacitum quod ſit homini cum Deo.Hymnus,carmen in laudem Dei.Antiphonon,vox reciproca.Pentateuchus, quinque volumina, id eſt Moyſi libri quinque. Vnde Apoſtolus ait quinque verbis velle ſe in Eccleſia loqui.Exodus,exitus vel egreſſus, ſcilicet populi Iſrael. Deuteronomium,ſecunda lex:in quo eſt Euangelicæ legis prefiguratio.Paralipomenon,prætermiſſorum vel reliquorum, id eſt, quod hic hiſtoriæ congerantur quæ in regum libris prætermiſſæ ſunt. Euangelium, bona annunciatio. Apocalypſis, reuelatio. Gazophilacium, diuitiarum cuſtodia,compoſitum de lingua Perſica & Græca. Synodus, comitatus vel cœtus.Canō,regula. Teuchos,volumen. Inde pentateuchus.Apocrypha,recondita vel occulta: Hexapla,ſex ſimplicia.Apologia, excuſatio. Vnde Apologeticus appellatur.Anagoge,ſuperior ſenſus.Tropologia, moralis intelligentia. Parabola,ſimilitudo.Allegoria,alieni loquium,vel potius inuentio.

Habes,

Habes, fili chariſſime, hoc opuſculum in omne ferè ſcripturarum corpus quaſi quoddam intelligentię ſeminarium: quòd in duobus voluminibus non paruæ (vt arbitror) inſtructionis, ad edocendum te ex rebus variis neceſſariiſque congeſſi.

Explicit Inſtructionum Liber Secundus.

BEATISSIMO ET DVLCISSIMO Eucherio Epiſcopo Saluianus.

LEgi libros quos tranſmiſiſti, ſtilo breues, doctrina vberes, lectione expeditos, inſtructione perfectos, menti tuæ & pietati pares. Nec miror quod tam vtile ac pulchrum opus ad inſtitutionem potiſſimùm ſanctorum ac beatorum dignum condidiſti. Cùm enim eximium in eis templum Deo ædificaueris, doctrina nouæ eruditionis quaſi ſummum edificij tui culmen ornaſti: & vt indole ſancta, æque doctrina ac vita illuminarentur, quæ morali inſtitutione formaueras, ſpiritali inſtructione decoraſti. Supereſt vt Dominus Deus noſter, cuius dono admirandiſſimi iuuenes tales ſunt, pares eos faciat libris tuis, id eſt, vt quicquid illi continent in myſterio, hoc vterque illorum habeat in ſenſu. Et quia iam diſpenſatione diuina atque iudicio, etiam magiſtri Eccleſiarum eſſe cœperunt: donet hoc benigniſsima Dei pietas vt doctrina illorum fructus ſit Eccleſiarum & tuus, profectuſque excellētiſsimus tam illum ornet à quo ſunt geniti, quam eos quos ipſi ſua inſtitutione genauerint, mihique hoc etſi non inter omnia, certè vel poſt omnia miſericors Deus tribuat, vt qui fuerint diſcipuli quondam mei, ſint nunc quotidie oratores.

Clari iuxta ac diſerti viri Eucherij Lugdunenſis Epiſcopi, ad Valerianum cognatum ſuum Epiſtola paræneticа, ab amore mundi ſtudioq́, prophanæ philoſophiæ, ad veræ pietatis, veræq́, ſapientiæ ſtudium prouocans.

BEnè alligantur vinculo ſanguinis, qui vinculo conſociantur amoris. Sic & nobis quoque admodum gloriari pro hoc ipſo Dei munere licet: quos perinde charitas, vt propinquitas nectit, coarctantque in vnum affectū duæ neceſsitudines, quarum alteram à parentibus carnis noſtræ accepimus, alteram à nobis ſumpſimus. Geminum hoc vinculum quo (confœderantibus nos, hinc genere, hinc dilectione) cōnectimur: hæc me paulò latiùs ad te exarare compulit: vt commendarem animo tuo cauſam animæ tuæ: veramque illam tibi beatitudinem, & ęternarum rerum capacem, opus noſtrę profeſſionis, aſſererem. Nam cum te æquè ac me diligam: neceſſe eſt vt ſummum bonum aſſequi, te tanquam me alterum cupiam. Et quidem à profeſsione vitæ ſanctæ pio & iam non abhorres ingenio: qui ea quæ ſacræ inſtitutiones docēt, præueniſti in plurimis præcoqua morum fœlicitate: vt mihi videris quædam religionis officia quaſi per prouidam occupaſſe naturam: Domini ac Dei noſtri iam in hoc erga te indulgentia: cuius gratia eſt quod diuina in te doctrina bona ſua pro parte inuenire poteſt, pro parte conferre. Quamuis autem in maximos ſæculi apices patre ſoceroque elatus, illuſtribus ex vtroque titulis ambiaris: ego tamen longè ſuperioris in te honoris faſtigia concupiſco: teque non ad terrenorum, ſed ad cœleſtium: nec ad ſæculi, ſcilicet ad ſęculorum dignitatem voco. Certa quippe & inobliterabilis hæc gloria eſt, æternitate gloriati. Loquar ergo apud te non ſapientiam huius ſæculi, ſed illam

ſapientiam arcanam, abſconditam, quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram. Loquar tecum multo ſtudio tui, mei admodum parum prouidus: qui plus in te quid velim, quam in me quid poſsim, conſideraui.

Primum inſtituti atque in lucem editi hominis officium eſt, mi Valeriane chariſsime, proprium cognoſcere autorem, cognitumque ſuſpicere, vitámque, id eſt, diuinum donum, in diuinum officium cultúmque cõferre: vt quod Dei munere ſumpſit, Dei deuotione conſummetur: atque id quod ab eodem indignus cœpit, eidem ſubiectus impendat. Sana quippe opinione agimur, vt eductos nos ſicut ab ipſos, ita ipſi arbitremur. Vnde ille plenè magnificéque perſpicit creatoris noſtri in effingendo homine ſententiam, quiſquis ita intelligit, quod nos & ipſe & ſibi fecit. Optimum deinde eſt, curam principalem animæ impendere, vt quę vtilitate prior eſt, non ſit conſideratione poſterior. Primas apud nos curas, quæ prima habentur, obtineant: ſummaſque ſibi ſollicitudinis parteis ſalus, quæ ſumma eſt, vendicet. Hæc nos occupet in præſidium ac tutelam ſui, iam non planè prima, ſed ſola. Omnia vincat eo ſtudio, quo præcedit omnia. Summam debemus obſeruantiam Deo, animæ deinde maximam: atque ita tamen iſtud eſt, vt quum vtrumque præcipuum ſit, obſeruari alterum ſine altero, nequaquam poſſe videatur. Ita quiſquis Deo ſatisfecerit, animæ neceſſe eſt iam conſuluerit: & rurſus, qui animæ cõſuluerit, neceſſe eſt Deo iam ſatisfecerit. Sic de ſummo apud nos vtroque res tranſigitur vtili coacta compendio, vt ſi quis vnum ſedulò impleuerit, vtrunque contulerit: quia ineffabili benignitate diuina, ipſa vtilitas ſit Dei ſacrificium. Multus corporum curationi vſus impenditur. Multum huic operæ in ſpem medelæ datur. Nunquid medicinam anima non meretur? Etſi varia corpori auxilia ſtudio tuendæ ſanitatis adhibentur: fas non eſt tamen animam velut excluſam iacere, & quaſi neglectam morbis ſuis intabeſcere, atque vnam à propriis remediis exulare: Immò verè plura animæ conferenda ſunt, ſi corpori tanta præſtantur. Nam ſi rectè quidam carnem famulam, animam verò dominam eſſe dixerunt: non oportet poſteriore loco nos dominam ponere, ac famulam iniquo iure præferre. Meritò poſcit ſtudia maiora pars melior: quia omni cura illuc reſpiciendum eſt, vbi ſubſtantiæ noſtræ abundantior dignitas conſiſtit. Congruum non eſt, in hoc honore noſtræ ſollicitudinis eam non ſubiicere peiori. Caro ſiquidem procliuis in vitia ad terram nos, tanquam in originem ſuam reuocat: hæc verò veniens à patre luminum, ſicut ferri ignibus mos eſt, in ſuperiora nititur. Hæc in nobis imago Dei, hoc pretioſum eſt diuini muneris pignus. Hanc omni ope, hanc ſummis viribus tueamur. Hanc ſi regimus & conſeruamus, Dei depoſitum tuemur. Quis extruendi, niſi cum fundamenta ieceris, locus eſt? Superædificare cæteras vtilitates deſtinanti, ſalus fundamentum eſt. Cæterùm quomodo quiſpiam ſequentia addat, ſi nec prima poſſederit? Vnde ſuccedentium augebitur incrementis, ſi anteriorum deficiatur exordiis? Quomodo intereſſe poteſt beatitudini, cum deſit etiam ſaluti? Indigens vitæ, vnde abundare fœlici vita poteſt: Aut quid prodeſt ſi adiiciat cibis, non habens vnde conſulendum eſt animæ: de qua & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ait, *Quid enim prodeſt homini ſi mundum vniuerſum lucretur: animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Proinde non poteſt vlla compendij cauſa conſiſtere: ſi conſtat animæ interuenire diſpẽdium. Vbi ſalutis damnum eſt, illic vtique iam lucrum nullum eſt. Quomodo enim lucrum cápiatur, niſi capiendi ſedes inconcuſſa ſeruetur: Atque ideircò ad illud ſanctum expetendúmque commercium, dum tempus eſt properemus.

Parere

Parere poſſunt æternam vitam pauci dies, qui quidem dies etiam ſi illæſam atque incontaminatam vitæ beatitudinem poſſiderent: tamen quia pauci eſſent, paruo æſtimandi erant. Nihil enim eſt magnum re, quod paruum tempore longis dilatatur gaudiis, quicquid arcto fine concluditur. Breuem vtilitatem ſæculi iſtius, breuia habent commoda. Rectè ergo etiam bono breuis vitæ, perpetuæ vitæ commodum præponendum videretur: quia illa eſſet temporalis, hæc æterna fœlicitas: quia fragile eſſet breuibus bonis perfrui, tutum gaudere perpetuis. Nunc verò æterna vita beatiſſima eſt. Nam quid fœlicius æterna vita dici poteſt? Hæc verò breuis ita breuiſſima: vt ærumnoſiſſima: & quæ vndique circunſtatium dolorum vrgetur incommodis, & deficientibus fatigatur malis: dum accidentium iactatur iniuriis. Quid enim tam infidum, tam varium, tam calamitoſum: quam vitæ iſtius curſus eſt, quæ plena laboris eſt, plena ſollicitudinis, plena curarum, ipſorum quoque plena diſcriminum, & per ancipites diſtracta caſus, ſit corporis vexationibus inquieta, animi angoribus anxia, periculorum turbinibus incerta. Quæ itaque vtilitas, quæ ratio non expeti bona æterna: ſequi temporaria etiam mala? Nonne vides vt etiam in hac vita quiſque prouidus locum aut agrum, in quo diutiùs ſe commoraturum putat, copioſis in vſum farciat impendiis: & vbi paruo quis erit tempore, parua prouidet: vbi maiore, maiora procurat? Nobis quoque quia impræſentiarum breuiſſimum anguſtiis coarctantibus tempus eſt, in futuro ſæcula erunt: competentibus copiis vitam exaugeamus æternam, competentibus inſtruamus exiguam, ne prouiſione peruerſa impendamus breui tempori curam maximam: & maximo tempori curam breuem. Atque haud ſcio: ad hanc beatiſſimam vitam quid compellere nos ocius aut efficaciùs debeat: an ipſa futuræ vitæ incommoda quæ videntur. Inde nos illa blandiſſimè prouocant, hinc iſta vehementer exturbant. Proindè quum in meliorem partem etiam peſſima ſuffragentur: ſi bonis non illicimur, malis extrudamur. Ad incitamẽtum meliorum optima deterioribus concinunt: & in eandem vtilitatem diuerſa concurrunt. Nam dum alia nos inuitant, alia fugant, in melius vtraque nos ſollicitant. Nam ſi hominum quiſpiam clarus ac locuples in locum liberorum te adoptaturus acciret, ires per oppoſitas rerum difficultates, & per quamuis longi receſſus iter vectatus accurreres. Deus vniuerſitatis rerumque dominus te in adoptionem vocat, illud (ſi velis) tibi blandum filij nomen impertiens, quo deum noſtrum, vnicum ſuum nuncupat, & non accenſus raperis? non properus vrgeris, ne conditionem tantùm celeri occurſu mors feſtina præripiat? Atque ad hanc obtinendam tu non inuias terræ ſolitudines, nec longinqui maris incerta penetrabis. Cùm volueris, hæc adoptio tui tecum eſt. Nunquidnam ſegnes ac deſides nos res iſta habebit, idcircò quia tam prompta, quam maxima: quo durius conditionem hanc diſſimulatores experientur. Tantò enim nolentibus pernicioſior, quantò eſt volentibus promptior. Certè cupiditas vitæ eſt illud quod nos in delectationem rei præſentis innexuit. Ergo amantes vitam, hortamur ad vitam. Vera ratio eſt perſuadendi, cùm id poſcitur vt impetremus à vobis, quod concupiſcitis. Pro vita quam diligitis, legatione apud vos fungimur, & hanc quam omnes exiguam amatis, inſinuamus vt ametis æternam. Quam quo pacto amemus neſcio, ſi non hanc quam amamus, eſſe quam ſpatioſiſſimam cupimus. Itaque iſtud quod & cum arctum ſit placet, placeat magis ſi poteſt eſſe perpetuum: & quod apud nos pretium habet cum finem habet, ſit nobis ſupra pretium ſi poteſt eſſe

ſine fine. Rectum ſit proinde minorem vitam proſpexiſſe maiori, vt ad alteram nobis, ſed per hanc, tranſitus conſtruatur: quam vtique non conuenit ſociæ commodis obliquis interuenire conſiliis. Non ſe opponat vt obſit, vt noceat. Abſurdum quippe atque contrarium eſt vt vitæ detrimentum adferat amor vitæ. Igitur ſiue vitam hanc contemnendã putas, ſiue complectendam: in vtroque facilis negocij mei cauſa eſt. Nam ſi ſpernitur, vna eſt ſpernendi ratio, vt melior appetatur. Et ſi diligitur, tanto magis eſt diligenda, quæ maior eſt. Ego tamen deſiderauerim, vt hanc pro experimentis ſuis habeas, vt moleſtiſſimam atque incertis fatigationibus inquietam (ſicuti eſt) iudices: eamque cum occupationibus ſpernas ac reſpuas. Abrumpatur illa interminabilis ſæcularium negociorum catena, & ille de neceſſitatibus multis vnus per totam vitam labor. Dirumpamus inanium curarum vincula, quorum ſuccedentibus ſibi nexibus implicamur, in quibus ſemper occupatio noſtra quaſi incipit. Remoueantur illæ tam vacuæ, quam cohærentes ſibi cauſæ, in quibus quoad viuitur, ſtudium mortalium, dum ſubinde negotiis inchoatur, nunquam finitur. Quarum rerum infatigabilis intenſio iam breuem & arctam per ſe vitam hanc, etiam arctiſſimam reddit. Per quæ etiam nunc vana gaudia, nunc acerbi mœrores, nunc anxia vota, nunc ſuſpecti metus veniunt. Abiiciantur poſtremò illa omnia quæ præſentem hanc vitam faciunt breuem occupationi, longam dolori. Repudiemus mundi parum fidum vtrobique ſuſpectam, apud quem perinde alta atque humilia parum tuta ſunt. Obteruntur humilitate depreſſa, nutant celſa faſtigio. Pone quem volueris ſtatum: non apud infima iſtic, non apud ſumma requieſcitur, grauem turbinis ſortem vtraque conditio non effugit: ſubiacet contumeliæ minor, maior inuidiæ. Duæ res præcipuæ ſunt, vt arbitror: quæ maximè homines in negociis ſæculi vinctos tenent, & eblanditis ſenſibus captos illecebroſo amore conſtringunt: opum voluptas, & honorum dignitas. Quarum prior non voluptas, ſed egeſtas: ſequens non dignitas, ſed vanitas nuncupanda eſt. Hæc vtraque alternis nodis irretitis, greſſus impedit fallax complexa collegium, hæ peſtiferæ pectoribus humanis blanda deſideriis vitia inſpirant: defatigatáſque mentes mortalium facili iucunditate ſollicitant. Nam quid iſtis opibus, vt de his primùm dicam, pernicioſius? quæ raro niſi cum iniuſtitia congeruntur. Tali adminiſtratore res iſta capitur, tali cuſtode ſeruatur. *Radix enim, inquit, Apoſtolus, omnium malorum cupiditas.* Adeò quædam ſocietas eſt penè etiam nominis, duabus his rebus, vitiis & diuitiis. Nunquidnam non opes iſtæ quædam materia contumeliarum eſt? Vnde etiam quidam noſtrorum ait: Quid enim aliud ſunt diuitiæ, niſi pignora iniuriæ? Nunquid non velut expoſita improbis præmia, factioſorum oculos animóſque prouocãt, proſcriptionéſque ipſas quodãmodo oſtentant & inuitant? Sed fac vt iſta nõ accidãt, nunquid quo poſt nos errãtes, fugiẽteſq; cõmigrẽt, certi eſſe poſſumus. Theſaurizat, inquit ille, & ignorat cui cõgreget ea. Sed fac vt veniat hęres voto nunquid non ſæpe cenſum hæres intercipit, opeſq; cõgeſtas aut filius malè eductus, aut gener malè electus abſumit? Quid diuitię iſtę in ſe voluptatis habent quarũ eſt miſera poſſeſſio, & incerta tranſmiſſio? Quo deuiùs ac præceps hominũ amor raperis? Scis ea quæ tibi obueniũt diligere, & ipſum te diligere neſcis. Foris eſt quod amas, extra te eſt quod concupiſcis. Reuertere potius in te, vt ſis tibi tu charior quã tua. Certè ſi ad te quiſpiã rerum haud ignarus accedat malis ipſum te amet, quã iſta quę tecũ ſunt: idque eliges, vt ille vitæ tuæ potius, quam opibus tuis affectum ſuum conferat. Vis hunc homini fidem

ſeruare

ſeruare,non rebus.Quod tibi tribuere velis alium,ipſe hoc tibi, qui es tibi fidiſſimus,tribue.Non potius nos amemus, quam noſtra. Et hæc quidem aduerſus facultates dicta ſint.In honoribus verò huius mundi,vt cætera taceam quæ æſtimari dignitas poteſt rerum,cum ad hanc promiſcuè cum bonis mali ambitione conſcendant:& non vnius meriti viros,vnus honor ambiat: dignóſque & indignos non iam diſcernat dignitas,ſed confundat?Ita quæ meliores deterioribus præferre debebat, æquare cœpit: nouóque modo optimi ac peſſimi viri nuſquam ferè minus diſcrimen eſt, quam in honore. Nonne honor maior eſt, huiuſmodi honore inhonorum eſſe malle : ac ſuis magis moribus, quam promiſcuis honoribus æſtimari? Atque hæc ipſe (vtcunque ſe habent)quam tranſuolantia,quam caduca ſunt?Vidimus nuper viros honore conſpicuos,celſarum dignitatum inſediſſe faſtigiis, & diffuſo vſquequaque cenſu,per orbem patrimonia tetendiſſe. Cupiditates ſucceſſibus viceranr,rebus vota tranſcenderant,ſed priuatas tantùm fœlicitates reuoluo. Reges ipſi magno ſublimes imperio, gemmiſque fulſerunt: horum tegmina (mirum dictu)textis irradiabant metallis:diadema diſtinctis intermicabat ardoribus:ſplendebat inſtructa palatinis aula cultibus:auratiſque trabibus tecta rutilabant:eorum voluntates,iura hominum:eorum verba, leges appellabantur. Quis ſupra horum verticem poteſt temporaria fœlicitate conſurgere: Ecce eorum ille ambitus nuſquam eſt: affluentiſſimæ quoque opes abierunt: tranſierunt ipſi tantarum opum Domini. Recentium etiam inclytorumque regnorum apud nos iam quædam fabula eſt.Omnia illa quæ hic erant magna modo iam nulla ſunt.Nihil,vt puto,imo vt certo ſcio,ex illis opibus,honoribus,regnis ſecum abſtulerunt,niſi(ſi qua in his fuit) fidei pietatiſque ſubſtantiam.Sola hæc illos,cæterarum rerum egenos,ſolos proſequitur: hæc abeuntes inſeparabilis,& quaſi fida comitatur.Illa nunc ope aluntur, in illis nunc diuitiis,in illis tantum honoribus acquieſcunt:hæc bona nunc in beneficiis habent.Quapropter ſi honoribus opibuſque capimur,veris opibus,veris honoribus excitemur. Optimus quiſque in cœleſtes honores, in cœleſtes opes: terrenos honores,terrenas opes transfert:illuc vtique,vbi bonorum ac malorum ſumma & inconfuſa diſcretio eſt:vbi quod ſemel adipiſcimur,ſemper tenemus:vbi ſi locus obtinendi vllus fuerit,amittendi nullus erit. Sed quando de fragili temporalium bonorum poſſeſſione diximus, aliquid etiam nobis de ipſius breuis vitæ conditione dicendum eſt.Quid iſtuc quæſo, quid iſtuc eſt:Nihil ita quotidie homines vt mortem vident.Nihil ita obliuiſcuntur vt mortem. Agitur humanum genus rapida in occaſum mortalitate, omniſque poſteritas ſuccedentium ſæculorum lege decurrit. Patres noſtri præterierunt nos abimus,poſteri ſequuntur,velut ex alto vndarum iactus aliis atque aliis ſuperuenientibus,in littoris extrema franguntur,ita in terminum mortis ſucciduæ alliduntur ætates.Hæc nos conſideratio diebus ac noctibus: hæc nos conditionis noſtræ memoria circumſtrepat. Debitum vitæ finem iamiamque affuturum putemus,qui nobis tanto magis appropinquabit,quanto magis diſtulit.Vicinum ſuperemus diem,longinquum eſſe neſcimus. Præparemus, vt ſcriptum eſt,ad exitum vias noſtras.Si cogitamus iſta,ſi iſta meditamur:non timebimus mortem timendo,Beati qui vos iam reconciliaſtis Chriſto. Non magnus mortis iſtos timor inſiſtit,qui iam diſſolui optant & eſſe cum Chriſto:qui ſummum vitę iſtius diem iam parati,iam quieti in ſilentio expectant. Non enim multùm refert, quando finiant temporariam, qui tranſeunt ad ad negligentiam vitæ,non nos negligentium turba perſuadeat: nec ad dam-

num propriæ ſalutis, alienis ducamur erroribus. Quid nobis in illo die iudicij proderit multitudo, vbi ſinguli iudicabũtur, vbi ſola examinatio meritorum, actus quemque, non populus abſoluet: Ceſſent, ceſſent ſolatia maleſuada diſcriminis. Nimirum præſtat vitam propagaſſe cum paucioribus, quam perdidiſſe cum pluribus. Atque ideò non nos ad incuriam peccatorum, ſola peccantium numeroſitas pertrahat: neque hoc quod ſibi alij parum conſulunt quædam nobis efficiatur auctoritas. Obſecro te, delictum alienum ſemper vt opprobrium reſpice, nunquam vt exemplum. Quod ſi libet oculos ad exempla conferre, in illorum potius intende partem, qui licet pauciores ſint, tamen ſunt in ſua parte copioſi. Illam inquam reſpice, in qua ſunt qui ſapienter intelligunt quapropter nati ſunt & vtique dum ad viuunt, vitæ ſuæ cauſam agunt, qui vtili opere inſignes, atque egregia virtute præſtantes, præſentem vitam excolunt, futuram ſerunt. Nec ſolum copioſa horum exempla, verumetiam magna non deſunt. Nam quæ mundi nobilitas, qui honores, quæ dignitas, quæ ſapientia, quæ facundia, quæ litteræ non ſe iam ad hanc cœleſtis regni facundiam contulerunt? Quæ ſublimitas iam ſe ad iſtud leue cœleſte iugum cum deditione ſubmittit? Et ſane ſupra omnem errorem atque ignorantiam eſt diſſimulare quemque negotium ſalutis ſuæ. Poſſem etiam, niſi longum eſſet, multos ex innumeris nominatim retexere: quanti in ſæculo illuſtrium virorum, hanc arctiorem diuini cultus obſeruantiam vitamque ſectati ſunt: quorum tamen exempla, ne cuncta penitus omittam, curſim pauca ſubnectam. Clemens vetuſta proſapia ſenatorum, atque etiam ex ſtirpe Cęſarum omni ſcientia refertus, omniumque liberalium artium peritiſſimus, ad hanc iuſtorum viam tranſiit. Itaque etiam in ea excellenter effloruit, vt principi quoque Apoſtolorum ſucceſſor exſtiterit. Gregorius è Ponto ſacerdos, Philoſophia primus apud mundum, & eloquentia præſtans, ſed poſtea maior, præſtantiórque virtutibus, ideò vt (ſicut de hoc hiſtoriæ noſtrę fides loquitur) inter reliqua admirabilium ſigna meritorum, precibus huius atque orationibus mons referatur ſeceſſiſſe: lacus exaruiſſe. Alius item ſanctus, atque eiuſdem nominis Gregorius, æquè litteris ac philoſophiæ deditus, cœleſtem hanc philoſophiam concupiuit. Cuius etiam, quod ad rem pertinet, nequaquam ſilendum videtur quod Baſilium ſtudiis prius ſæcularibus familiarem ſibi, vt Rhetorices adhuc profeſſioni vacantem: auditorium eius ingreſſus, manu hunc apprehenſum ſchola abduxit, dicens: Omitte iſta: & da ſaluti operam, & poſtea vterque memorabilis ſacerdos: reliquit vterque in eccleſiæ noſtræ libris ingenij ſui præclara monumenta. Paulinus quoque Nolanus Epiſcopus peculiare & beatum galliæ noſtræ exemplum, ingenti quondam diuitiarum cenſu, vberrimo eloquentiæ fonte, ita in ſententiam noſtram propoſitúmque migrauit: vt etiam cunctas admodum mundi partes eloquio operibuſque reſperſerit. Hilarius nuper: & in Italia nunc antiſtes Petronius, ambo ex illa pleniſſima (vt aiunt) mundanæ poteſtatis ſede, vnus in religionis, alius in ſacerdotij nomen aſcendit. Et quando clariſſimos facundia, Firmianum Minutium Cyprianum, Hilarium, Ioannem, Ambroſium: ex illo volumine numeroſitatis euoluam? Dixerant (credo) & hi ſibi: quod quidam noſtrum ait, cum ſe in ſe à ſæculo in hanc beatiorem vitam hoc velut ſtimulo concitaret: dixerant credo: Quid hoc eſt? *Surgunt indocti, & cœlum rapiunt: & nos cum doctrinis noſtris ecce vbi in carne volutamur, & ſanguine.* Dixerant iſtud, & idcirco ipſi poſtea vim intulerunt regno cœlorum. Prolatis ex parte, quos maior fidei noſtræ feruor habuit, ſæculi philoſophia, eloquentia, honoribuſque perfunctos: ad ipſos iam reges, & illud caput mundi veniam: neque

nunc commemorandos putabo omnes ſuperiores illos religioni deuotos & regiæ dignitatis viros: ſolum mihi inſignes, Dauid pietate, Ioſias fide, Ezechias humilitate, ex memoria venerandorum promentur annalium. Nonnulli quoque ex recentioribus extiterunt, atque hac noſtra tempeſtate principes: qui ad agnationem veri regis propius acceſſerunt: ſummúmque illum dominorum ſumma cordis contritione confeſſi ſunt. Attentam diuinæ maieſtati reuerentiam etiam vterque ſexus ex aula exhibuit. Hi potiùs idonei, vt arbitror, ad æmulandum proponantur: quorum exempla quum habeant de futuris ſalutem, habent de præſentibus auctoritatem. Cernis vt etiam dies atque anni & cuncta hæc ornamenta cœli, Dei verbum mandatúmque infatigabili obſeruatione conſeruent: præceptorumque eius cuſtodiant irremiſſa lege famulatum? Nunquid nos quorum iſta vſibus fabricata ſunt, quorum luminibus ingeſta ſunt, cœleſtium mandatorum non neſcij, nec diuinæ voluntatis ignari, præceptum Dei ſurda aure tranſibimus? Et his quidem prædictis mundi adminiculis, qui in ſæcula obſeruarent, ſemel iuſſum eſt: nobis verò tot voluminibus diuinæ legis iterantur imperia. Ad hæc ſaltem (quod homini ipſi attributum eſt) voluntati auctoris parere, præceptiſque eius vocare diſcat: quia omne iſtud dum præbet miniſteriũ, præſtat exemplum. Et tamen ſi qui ad auctorem ſuum redire nolunt: num idcirco dominum vitare poſſunt? Audiant, ſancte Dauid, audiant te dicentem: Quo ibo à ſpiritu tuo, & à facie tua quo fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero ad infernum ades: ſi ſumpſero pennas meas diluculò, habitauero in extremis maris, etiam ibi manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Ergo illi velint nolint, ſe domino vniuerſitatis etſi voluntate auferunt, iure non ſubtrahunt. Illi quidem affectu abſunt: ſed ille dominatu adeſt: ita (quod improuidum & inconſultiſſimum eſt) errantes clauſi, viuunt extra conſiderationem domini, & intra poteſtatem. Et ſi vnuſquiſque de fugâ famulum minaci indage ſectatur, eumque declinantem ſe, iuris ſui aſſertor inſequitur, cur non de ſemetipſo cœleſti domino ius ſuum reddit: ſeruitutique quamprimum ſe in famulatum eius voluntaria oblatione dedit, æquus vtique tum ſibi quã in ſe arbitrer? Cur in præſentium rerum oblectabili defigimur aſpectu? Cur his tantùm libet incubare quæ cernimus? Nunquid luminibus iſtis tantum viuimus: aut ſolos in vſum geſtamus oculos? Viuimus quoque & auribus, vt poſſimus inhiare promiſſis. Magni nos per hanc quoque corporis partem affectus trahunt. Quæ ſpondentur, quæ prædicantur: feruentibus votis, inſtantibus deſideriis expectemus. Fidem promiſſorum, fidelis ille author inculcat. Ambiamus ad optima quæ pollicetur. Quamquam ſi ipſis quoq; oculis benè & vtiliter vti volumus, per iſtos etiam in futurorum cupiditatem magna ex parte raptamur: ſi admirationem quam ex mundi contemplatione capimus, retorqueamus in ipſum tantæ machinæ authorem: aut ſi cogitemus quantus in poſterum ſplendor lucis poſſit luminibus occurere, quum ſe nunc tantus inſinuet: quam magnifica fulgebit perpetuis forma rebus, quum ſit nunc tam ſpecioſa perituris. Non ergo oportet in deteriorem nos partem officia ſollicitare membrorum: commodè potiùs in vtramque temperentur vitam: ſicque cuſtodiant temporariæ vſum: vt æternę non abiiciant miniſteriũ. Quam ſi nos iſta auocatio atque amor iuuat: & ipſum ſenſum oblectatio ſollicitat: eſt plenè hic amor ſummæ voluptatis: eſt non ſolum quod amari effuſiſſimè poſſit: ſed & quod maximè debeat: iucundum, præclarum, vnicum, æternum, bonum: Deus inquam noſter: cui poſſis tam magno, quam

pio igne flagrare, ſi in locum anteriorum cupiditatum pretioſa rurſum deſideria ſuccedunt. Si te in aliquo capiebat tam magnificæ rei dignitas, nihil illo magnificentius. Si te aliquid velut aptum gloriæ accommodatúmque rapiebat, nihil illo glorioſius. Si ad ſplendida fulgentium rerum ducebaris viſu, illo nihil clarius. Si ad ſpecioſa trahebaris intuitu, illo nihil pulchrius. Si in aliquo te amplecti putabas veritatem, illo nihil veriùs. Si in quoquam ſuſpiciendam largitatem credebas, illo nihil munificentius. Miraris quod purum eſt atque ſimplex? nihil illa bonitate ſyncerius. Sollicitaris affluentium rerum copia? nihil illa abundantia copioſiùs. Diligis aliquid tanquam fidum? nihil huius firmius eſt fide. Amas aliquid vt commodum: nihil cõmodius eſt huius ipſius amore. Eſt aliquid quod te vel ſeueritatis vel iucunditatis ſpecie trahat: non eſt magnitudine illa, dignatione illa quicquã aut terribilius aut blandius. Requiritur in aduerſis benignitas, in proſperis ſuauitas? vnicum eſt ex illo, aut in lætis gaudium, aut in mœſtis ſolamen. Itaque ratione pleniſſimum eſt, te illum, in quo habeas omnia, amare præ omnibus. Diuitiæ & quæcunq; illa ſunt quæ te amœnitatibus ſuis obtinet, non ſolùm intra ipſum, ſed etiam ab ipſo habẽtur. Male hactenùs amor ſparſus, diuinis deinceps reddatur excubiis, vaga adhuc affectibus ſuis, in ſacros reducatur vſus iam caſta charitas, dilectionémque opinionibus deuiam, cohibito errore, caſtigãs dirige, atque in Deum amorem confer tuum: quia & quicquid nunc amas, ſuũ eſt. Suum, inquam, ſuum eſt. Eſt enim tantus ille, vt qui non amant eũ, iniquè quidem, ſed tamen non niſi eius quicquã amare poſſint. Sed tamen conſideret velim arbiter iuſtus, æquum ne ſit diligere opus opificè neglecto, derelictóque omnium creatore rerum, in rem huius, cupiditatibus ſuis paſſim atque indifferenter incurrere, cum vtique Deum oportuiſſet illicere ad amorem ſui, vel per hunc ipſum affectum ſuorum operum: Et nunc homo aduerſus, in indignorum tantum figmentorum deſideria atque officia conuertitur, animiſque in congruè diſſidentibus, appetitor artis, deſertor artificis, cõplectitur ſpeciẽ, cuius non miratur auctorẽ. Et quid de illa tam magna multitudine dulcedinis ſuæ diximus: aut quid de tanta aut tam ineffabilis boni ſuauitate, ſancto ac profundo charitatis eius theſauro elocuti ſumus: aut quando in quoquã de illo quiſquam valebit rei ipſius fundo conſequi dignitatem: Amare ergo eum iam non voluptarium tantum, ſed etiam neceſſarium eſſe ducamus. Impium quippe eſt hũc non diligere, cui repẽdere non queas etiã cùm dilexeris. Iniuſtiſſimum eſt vt ei quæ poſſis tribuere nolis, cui etiam ſi velis, repenſare non poſſis. Quid enim retribuemus domino, pro omnibus quæ retribuit nobis: Quid retribuemus vel pro hoc tantum: quod per fidem homini ſalutẽ dedit, ſtatuitque vt id quã facillimum factu eſſet, per quod ſpem orbi terræ, ac vitã mortalibus propagaret: Et vt ad iſta deſcẽdam, illa aliquando externa omnia, id eſt nationes & regna, putas ne ob aliud in ditionem acius ceſſiſſe Romanum, & ob aliud magnam partem generis humani in vnum tranſiſſe populum, niſi vt facilius tanquam medicamentum per corpus vnum, ita per vnam gentem fides infuſa penetraret, vt capiti ingeſta, velociter ſe per membra diffunderet: Alioqui non ita cucurriſſet inter crebras & diſcrepantes ritibus linguiſque gentes, nec tam longè per nouorum ſemper graduum obiecta tranſiſſet. Denique beatus Paulus per hunc eundem populum diſterminans fidem, ſcribit ſe ab Hieroſolymis vſque ad Illyricum Euangelio Chriſti cuncta repleſſe. Quando autem iſtud inter nationes aut multitudine innumeras, aut immanitate barbaras extitiſſet, Inde eſt quod

nunc

nunc terra à ſolis ortu & occaſu, ab aquilone & mari Chriſtum reſonat, quod ad vitam omnia mundi latera concurrunt, dum fidem Thrax, fidem Libys, fidem Syrus, fidem receptat Hiſpanus. Magnum ergo ex hoc diuinæ pietatis argumentum eſt, quod ſub cæſare Octauio, tum vtique Romana poſſeſſio verticem tenuit, tunc ſe Deus terris dedit. Itaque vt tua apud te proferam, cum ab ortu regni huius centeſimus & octogeſimus quintus ferè ſupra milleſimum, vertatur annus: quicquid vel ſub illa primum dominatione regum vetuſta, vel ſub illa deinde gemina adminiſtratione conſulum, Romano acceſſit imperio, omnia Chriſti aduentui præparata, diffundendæ fidei prouiſa, poteſt ſi quis idoneus eſt aſſertor, oſtendere. Nos ad propoſitum reuertamur. *Nolite, inquit, diligere mundum, neque ea quæ in mũdo ſunt:* quia omnia hæc conſpectui noſtro inſidioſis coloribus lenocinantur. Vis illa oculorum attributa lumini, non applicetur errori, & cum vtique vſibus pateat, nõ admittat cauſas mortis. Carnis deſideria, vt egregiè Apoſtolus ait, militant aduerſus animam: omniſque illis in perniciem noſtram clademque procinctus eſt: peruigilem (cum inſurgunt aduerſum nos) ſtationem tenent, externorum planè hoſtium more: dum ſibi tantum virium acquirunt, quãtum nobis ſubtrahunt. Ita ego hactenus de inextricabilibus ſæculi inſidiantis illecebris, de honoribus, opibuſque ſermocinatus ſum, tanquam ſi iucundus blandimentis ſuis mundus vigeret. Quicquid eſt illarum rerum facies, adumbratis quondam nitoribus expolita, iam obſoleuit, omniſque fucatus ſplendor intercedit. Vix iam hoc habet mundus vt fallat. Periit imago illa rerum ad decipiendum vſque decora. Prius nos ſeducere vero cogitabat fulgore, non poterat: prope iam non valet & ipſa nos falſa oſtentatione corrumpere. Solidis bonis carebat, ecce deficit etiam caducis. Non hunc aut ad tempus ſpecioſa ornant, aut in poſterum manſura confirmant. Niſi noſmet ipſi decipimus, penè mundus decipere nos non poteſt. Sed quid diſſimulamus ea exprometre, quæ fortiora ſunt? Diſſipatas loquimur opes mundi, cum iam ipſe mundus in finem ſuum vergens, ſpatiis agatur extremis. Quanto iſtud maius & grauis eſt, quod iam ipſe non in longum erit? Quid commemoramus attritam eius rem ac ſupellectilem? Nec immeritò in defectum viribus æuo cõſumptis vrgetur, adminiculiſque ſuis deſtituitur, cum iam in ſenium nutanti onere ſuccumbat. Poſtrema mundi ætas referta eſt malis, tanquam morbis ſenectus. Viſa ſunt, videnturque iamdudum iſta cano ſæculo, fames, peſtilentia, vaſtitas bella, terrores. Hi ſunt in vltimis iam annis languores ſui. Hinc ſæpè illa cœli cernuntur ſigna, motuſque terrarum, permutatæ temporum vices, monſtruoſæ animantium fœcunditates: quæ omnia adhuc procedentis prodigia ſunt temporis, ſed iam deficientis. Atque hoc non infirmitatis noſtræ verbis, ſed etiam apoſtolicæ autoritatis confirmatur eloquiis. Illic enim legitur, In nos fines ſæculorum deuenerunt. Quod cùm iam dudum dictum ſit, quid cunctamur? quid expectamus? Vrget nos dies ille, iam non noſter tantum, ſed & ſæculi. Omnis hora illud debitæ reſolutionis admonet tempus inſtare, cum ancipiti periculo finis alternus, & diſcrimen geminum vnam omnibus mortem minatur. Incumbit mihi miſero iam mundi mortalitas, tanquam mihi non ſufficiat ad terrorem mea. Quid palpamus metus noſtros? Securitati locus non eſt, quando terminus in nos impendet indifferẽter, ſingulorum hinc, hinc omnium. Quo magis eſt in hoc non iam dicam ſæculi exitu, ſed vel in hoc rerum eius defectu hominum miſeranda conditio: qui ſibi nec futurorum ſpem gaudiorum reponunt, quum iucunditate præſentiũ non fruantur?

Voluptatem vitæ breuioris non capiunt:perpetuæ ſperare non poſſunt, Bonis temporalibus non vtuntur,non vtentur æternis. Hic rei parum, illic ſpei nihil. Dolendus prorſus atque miſerandus hominis ſtatus iſte eſt, niſi fortè faciat de acerbiſſima conditione congruam neceſſitatem: niſi ob hoc ipſum ad potiora vtilitatis ſuæ remedia ſe corrigat,contendatque ad illa ſalubrioris vota conſilij:præſertim cum ita dilacerata præſentis temporis res ſit, vt qui vnius futuri ſæculi commodum perdit,vtriuſque perdiderit. Dirigenda eſt omnis animi intentio in ſpem futuri:quam ſpem vt plenius ac manifeſtius conſequaris, aperire eam etiam ſub alicuius exempli conditione, non abnuam. Si cui aliquis quinque hodie ex ære denarios offerat, quingentos verò aureos in craſtinum ſpondeat,optionēque offerat, vtrum æs ad præſens ſumere,an aurum mallet in poſterum:dubium ne eſt,quin præoptet grandia illa munera cum parua mora? Tu quoque breuis huius atque æternæ vitæ conditione perſpecta,num eligas capere vilia,cū ſperare poſſis pretioſa? Non eſt tanti ſumpſiſſe parua,quanti eſt expectare quæ magna ſunt.Quàm ſi omne hōc fragile, quod in mundo eſt, & videmus, & capimus, ſpei verò à ſperando inditum nomen eſt: manifeſtum eſt, nequaquam in hoc ſæculo ſpem poſſideri:in quo his quæ intuemur,& fruimur. Spes enim quæ videtur, non eſt ſpes: nam quis quid videt quod ſperat? Ergo quæcunque illa ſpes rebus miſcetur humanis, quærenda eſt in futurum: alioqui nec ſpes appellari poteſt,ſi non ſperatur.Itaque manifeſtiorē in futurum rem ſpei ſequimur,quam ſpem rei in præſentibus experimur.Ecce ea quæ nobis in ipſos oculorum admouentur obtutus,non abſolutè quaſi oppreſſis viſibus intuemur:multò verò certius in ea quę eminus offeruntur,velut expeditis luminibus intēdimus. Ita ferè euenire de preſentibus futuriſque non eſt ambigendum. Nam præſentia tanquam in oculos ingeſta, non rectè cernuntur: futura tanquam ab oculis reducta,manifeſtiſſimè perſpiciuntur.Neque hāc fiduciam futurorum incerto autore præſumimus,ſed Domino noſtro Ieſu Chriſto,veriſſimo ſpōſore veritatis: qui iuſtis interminabile regnum, & ampla beatiſſimæ æternitatis præmia pollicetur:qui etiam per ineffabile ſacramentum aſſumptæ carnis idem homo & Deus reconciliauit hominem Deo:ac magno abſconditoque myſterio Paſſionis,mundum crimine abſoluit.Itaque manifeſtatus eſt in carne,iuſtificatus eſt ſpiritu,apparuit angelis,prædicatus eſt gentibus, creditus eſt in mundo,aſſumptus eſt in gloria: propter quod Deus eum exaltauit, vt omnia confiteantur nunc in cœlo & in terra,& in mari & in abyſſis: quia Dominus Ieſus in gloria eſt,rex & Deus ante ſæcula.

Quin tu repudiatis illis philoſophorum præceptis, quorum lectioni operam ac ingenium accommodas,ad imbibēda Chriſtiani dogmatis ſtudia animum adiicis? Illic quoque quo facundia tua atque ingenium exerceatur, inuenies:breuique tibi liquebit,quanto hæc noſtra, id eſt, pietatis veritatiſque præcepta illis philoſophorum præceptis præferri debeant. In illis nāque eorum præceptis,vel adumbrata virtus,vel falſa ſapientia: in his verò conſummata iuſtitia, ſolida veritas continetur. Vnde licet dicere, philoſophiæ alios nomen vſurpaſſe, nos vitam. Etenim qualia ab his dari poſſunt præcepta viuendi? Cauſam neſciunt. Ignorantes enim Deum, & ſtatim ab exordio iuſtitiæ declinantes,& conſequenti in cętera feruntur errore.Sit ſit poſtea,vt ſtudiorum talium finis ſit vanitas. Si qui apud illos honeſtiora definiunt, huic iactantię deſeruiunt,huic laborant:ita apud eos non eſt vacua vitiis abſtinentia vitiorum.Hi itaque ſunt,ſicut ſcriptum eſt,qui terrena ſapiunt. Vnde manifeſtè

nifeſtè oſtenditur, veram eos iuſtitiam, veram ſapientiam non videre. An ne aliquis ex illa Ariſtippi ſchola veritatem videbit, qui ingenio ſuo à ſuibus aut pecore nihil differt: cum beatitudinem in corporis voluptate conſtituat, cui Deus venter eſt, & gloria in pudendis eius: Hic honeſtum iuſtúmque præcipiet, apud quem prodiguus, adulter philoſophatur: Sed alius aduerſus philoſophos dicendi locus reſeruetur: ego ad hæc veniam, propter quæ tecum loquor. Omitte iam illas, quibus oblectaris, maximè generales eorum ſententias, breuiter ex omni diſputationis genere collectas, atque ad ſtudia te noſtrorum & ſcripta conuerte. Ibi tu optimè pectus tuum multifaria inſtructione ſatiabis. Ibi ad inculcandum fidem, non his quidem verbis, ſed tamen iſta dicentur tibi: Verbum Dei, qui non credit, non intelligit. Ibi tu admonebere, Dominum, quia dominum vocas, metue: quia patrem, dilige. Ibi tu veras diſces hoſtias, audiendo: Acceptiſſima Deo ſacrificia ſunt, iuſtitia & miſericordia. Ibi tibi iſtud inſinuabitur. Si amas te, proximum dilige: quia nihil magis commodis tuis dabis, quam quod contuleris alienis. Ibi tibi præcipietur, Nullam eſſe cauſam tam dignam putes, qua tibi iuſta fiat mors hominis. Illic aduerſus illicita moneberis: Libidini reſiſte, tanquam hoſti acerbiſſimo: qui inſultare victis etiam contumelia corporis gaudeat. Illic, ne concupiſcas, iſtud edoceberis: Melius eſt nolle quæ non habeas, quam habere quæ velis. Illic, ne iraſcaris, hoc ingeretur: Qui prouocatus iraſcitur, tunc ſolum non iraſcitur, cum non prouocatur. Ibi etiam de inimicis audies: Amato non amantem, quia amantem vix vllus non amat. Illic ſæpius tibi id iterabitur, Theſaurum is benè recondit, qui indigentibus diuidit. Perdere enim iam non poterit, quod largiendo collocauit. Illic etiam fœliciora ſuadeberis, cum dicetur, Fidelium coniugiorum fructus eſt continentia. Ibi tu diſcernenda cognoſces, cum audies, Mala ſæculi huius iuſtis iniuſtiſque communia ſunt. Ibi tibi iſtud audiendum offeretur, Maior ægritudo eſt languere animam vitiis, quam corpus morbis. Ibi tibi ad commendandam pacem iſtud pronunciabitur, Impatientibus ſimilitudo morum, cauſa diſcordiæ eſt. Ibi, ne ſequaris malos, iſtud audies, Prudentem & ſapiens informat, & ſtultus. Ille quid imitandum ſit, docet: iſte quid vitandum. Illic & iſta proferentur, Multa proſunt neſcientibus. Ideò non minor eſt Dei in operto, quam in aperto benignitas. Illic admoneberis, gratias Deo non magis in proſperis agas quam in aduerſis: & cum proſpera ſint, te non meruiſſe fatearis. Illic tibi etiam remotiora patefient, cum iſta prædicabuntur, Fatum non eſſe. Interrogent gentes vel leges ſuas, quæ vtique non puniunt, niſi factorum voluntatem. Illic audies ad cuſtodiendam puritatem & iſta præcepi. Si vis eſſe verax, ſuſpicax non eris. Non enim ſuſpicamur, niſi quod neſcimus. Ibi de ſublimioribus quoque iſtud audies, Deo mente defixus, à paſſionibus cum titillatur, à cœlo in terram deuoluimur. Ibi tibi & hæc memorabuntur: cum hic mali interdum bona capiant, boni malis affligentur: qui futurum Dei iudicium non credunt, iniquum (quod abſit) deum iudicant. Illic tibi ſuggeretur etiam in ſecretis tuis, quod velis homines neſcire, ne cogitaueris. Ibi tibi contra omnem fraudem dicetur, Infœlicius eſt decipere quam decipi. Illic & aduerſus iactantiam conſummantia tibi hæc præcipientur: Vanitatem tanto magis fuge, quanto melior efficeris. Cætera enim vitia creſcunt vitiis, vanitas virtutibus. Et iſta quidem pauca de ſtudiis carptim ac breuiter prælibata ſunt. Quam ſi ad fontes ipſos ſacri eloquij

ſcrutator acceſſeris : ibi tu non exteriora magis quam interiora mirabere. Ita ſcriptura dum intrinſecus radiat, pretioſiſſima quæque gemma in profundum fulgorem,conſiderantium demittit oculos. Hoc tu caligantem mentis aciem nequaquam refugus inſueſce, hoc interno ac ſalubri cibo diſce animæ famem paſcere. Per opus miſerantis domini id fore non diffidimus, vt noſtrorum appetens, & diſſimulator tuorum, inania faſtidias,& ſolida concupiſcas. Imprudentiſſimum eſt,cùm pro nobis ferè tam multa Deus fecerit,nihil noſmetipſos feciſſe pro nobis : cumque ille in operibus ſuis ad commoda reſpexerit,hominem nolle ſibi conſulere. Conſulimus verò,ſi nos in Dei cultum affectúmque reddimus. Vera quippe beatitudo eſt, ſæculi beatitudinem ſpernere : neglectiſque terrenis in diuina flagrare. Proinde iam nunc omnia dicta factáque tua,ad deum, vel propter Deum dirige. Obtine vt tibi comes ſemper ſit illa, & tibi cuſtos erit. Tam fida eſt innocentia. Magnum eſt virtutem ſequi, nóſque ei aliquid pro virili portione conferre. Nec pauendum eſt ne ſe ab iis quæ vſu inoleuerunt, animus per meliorem vitam non valeat abſoluere. Idem ille, cui ſanandos nos tuendoſque offerimus,vires præſtat affectui. Vnde autem vt vel æſtimatione comprendere valeat quiſquam futurorum remunerationem bonorum ? Ecce hic diuina, vt cernimus, munificentia cunctis promiſcuum vſum clariſſimæ lucis indulſit. Datur pio & impio communem ſpectare ſolem. Omnibus creatura famulatum ſuum benignis ſeruat officiis. Bonorum malorumque totius mundi indiſcreta poſſeſſio eſt. Cùm hic igitur tam præclara Deus iuſtis pariter & iniuſtis tribuat, qualia ſunt putanda, quæ iuſtis reſeruat ? Conſideremus, qui tanta dedit, quanta reſtituet, qui tam magnus eſt in donis, quam magnus erit in primus. Si tam inæſtimabilis eſt munerantis benignitas, quæ erit illa remunerantis? Ineffabilia ſunt quæ præparauit Deus iis qui diligunt eum rectè planè atque manifeſtè, quia verè immenſum eſt. Quam magna rependet bonis, qui tam magna largitur ingratis ? Circunfer oculos, & de pelago negotiorum tuorum, velut in quendam profeſſionis noſtræ portum proſpice, prorámque conuerte. Vnus hic portus eſt, in quem nos ab omni fluctuantis ſæculi iactatione referamus : quem inter irruentes mundi turbines feſſi petamus. Huc cunctis confugiendum eſt, qui frementis ſæculi tempeſtate vexantur. Hic ſtatio fidiſſima,& quies certa. Hic latè receſſus excluſis fluctibus ſilet. Hic blanda tranquillitas ſerenum renidet. Huc cum fueris delatus, tuto nauis tua poſt inanes labores, hic ad crucis ancoram fundata retinebitur. Sed iam prolixior ſcriptorum pagina modum poſcit. Vim cœleſtium præceptorum arctè breuitérque collectam in ſummam accipe, ad Dei honorem. Hæc ſunt mandata omnia,ignoſce,méque agnoſce.

F I N I S.

DIONY

DIONISIVS FAVCHERIVS MONACHVS LERINENSIS, pio Lectori S. P. D.

Scribit hic beatus Eucherius Lugdunenſis poſt vitam in eremo exactam Epiſcopus ad ſanctum Hilarium tunc monachum Lerinenſem, deinde verò Arelatis Epiſcopum, hanc epiſtolam ſtylo elegantem, qua vitæ monaſticæ inſtitutum miris laudibus effert. Cuius artificium eloquentiámque cum Chriſtiana pietate coniunctam, ſi laudare voluero, ſuperfluus meritò potero iudicari. Vino enim vendibili (vt vulgo dici ſolet) ſuſpenſa hedera non eſt opus. Quo magis dolendum eſt, iniuria temporum & ſcriptorum incuria, ignorantiáque factum eſſe, vt dignißimus auctor qui ſummo ſtudio diligentiáque aſſeruaretur, tam male habitus acceptúſque ſit. Nam cum ego illum diu perquiſiſſem, tandem è pulueribus ſitúque vendicatus in lucem prodiit, mancus ſcilicet & carie conſumptus, ſed & vitio inſcitiáque ſcriptorum tam labefactatus, vt cum me pretioſiſſimum theſaurum inueniſſe gauderem, non poſſem etiam non dolere rem tam pretioſam, imò nullo ſatis digno pretio æſtimandam, ab ignorantibus tam vilipenſam ac neglectam fuiſſe. De hoc igitur opuſculo etſi Gennadius non meminit, cum de aliis huius auctoris libris editis facit mentionem, caracter tamen ipſe & dulcis diſertæ orationis fluxus eundem ipſum eſſe, qui de contemptu mundi paræneticam ad Valerianum ſcripſit, facile indicat. Quamquam non deſunt ſanctiſsimorum virorum grauiſsima teſtimonia, quæ aut rei ipſius certiſsima faciunt fidem, aut ex quibus euidentem coniecturam facere poſſumus. Ita enim S. Iſidorus Hiſpalenſis epiſcopus in Catalogo ſcriptorum illuſtrium de hoc Eucherio meminit : Eucherius Epiſcopus Lugdunenſis in Gallia elegans in ſententiis, nec minus ornatus in verbis edidit ad Hilarium Arelatenſem Epiſcopum, ſolitudinis deſerta petentem, opuſculum de laude Eremi luculentiſsimum & dulci ſermone compoſitum. In quo opere laudamus orationem etſi pauca, tamen pulchra dicentem: Scripſit alia in multos ſacros libros commentaria, non minus neceſſaria quàm vtilia, præcipuè verò in Geneſin & libros Regum ad Solonium & Veranum fratres Epiſcopos, opus prolixum & doctiſsimum. Vides igitur, candide lector, cum de hoc opuſculo meminit, etiam de his quæ ad Veranum & Solonium ſcripſit eum ſicut & Gennadius facere mentionem. Quare non eſt quod ex vno duos (vt quidam opinati ſunt) Eucherios putemus, ſed eundem ipſum eſſe qui ad Va-

lerianum de quo Gennadius meminit, & qui ad Hilarium hoc de laude eremi encomium ſcripſit. Quod autem is apud Lerinam noſtram aliquando vitam traduxerit, inde conſtare videtur, quod in hoc ipſo opere Lerinam ſuam nominat, quam ſummis laudibus efferens præcipuo ſe honore illam complecti affirmat. Hilarius autem in proxima illum inſula egiſſe commemorat, quæ traiectu vix ſexcentorum aut circiter paſſuum à Lerina diſtat, quam Plinius & Strabo Leronem vocant, Sed id fortè poſtea contigit, vt diuinæ contemplationis deſiderio paruo hoc traiectu ſeſe à communi cœtu ſeiunxerit. Caſsianus etiam, qui illis temporibus floruit, collationes ſanctorum patrum Septem eorum quos in Thebaida Aegypti viderat ad Honoratum & Eucherium ſcripſit. Saluianus præterea, & Hilarius Lerinenſes, cum ad ipſum Eucherium de libris ad Veranum & Solonium miſsis ſcriberent, ita de his meminerunt, vt eos ipſius quondam diſcipulos fuiſſe ſignificare videantur, quos etiam ipſe filios nominat. Solonium verò Eucherius ipſe cum vixdum annos decem natus eſſet ſub Honorato patre ſacris inſtitutis imbutum, formatum etiam beati Hilarij doctrina & ab eo ipſo Saluiano & Vincentio conſummatum, qui doctrina & eloquentia pollebant, aſſerit. Vnde coniicere facile eſt, quanta Lerinæ noſtræ illis temporibus erat fœlicitas, quæ Honorato auctore fundata tales ac tantos viros protulerit, in quibus cùm vitæ ſanctimonia eruditio & eloquentia certare videbantur. Hinc eſt quod pleroſque illorum legimus inde extractos & Eccleſiis regendis fuiſſe deſtinatos. Ante annos autem triginta & quinque Auguſtinus Grimaldus Graſſæ pontifex, cum ipſum Lerinenſe monaſterium haberet commendatum Zelo Dei & amore religionis incitatus in ipſo diuinum cultum & corruptam longa deſidia & luxu diſciplinam euocatis ab Italia Caſsinenſis noſtri ordinis patribus inſtaurandam curauit. Quæ res quandiu ille vixit, proſperè vtcumque pro temporum captu & conditione eſt viſa ſuccedere. Demum verò temporum iniquitate factum eſt, vt res ad Dei laudem bene inſtituta falſis neſcio quibus ſuſpicionibus, & malorum hominum calumniis impedita ſit. Vnde niſi affuiſſet Deus qui inſontes vbique tueri ſolet, in priſtinum illum ſtatum, corruptum ſcilicet, reuoluta laberetur. Nunc autem cœleſti fauente auxilio Chriſtianiſsimus Rex Henricus cauſam innocentium apud eum agente Magiſtro equitum (quem vulgo Coneſtabilem vocant) homine magnæ prudentiæ & auctoritatis, & (quod caput eſt, magnæ in Deum Religionis, eoſdem patres noſtros, quos vanæ ſuſpicionis & peregrinitatis inane nomen abegerat, benignè, vt videlicet cœpto dudum operi inſiſtant, reuocari iuſsit. Faxit Deus vt antiqua in eo, & bonarum artium, & monaſticæ religionis ſanctaſtudia

cta ſtudia reuiſcant; vt tales monachos proferat, qui ad antiquitatis exemplar inſtituti Honoratos, Hilarios, Saluianos, Eucherióſque vitæ propoſito, doctrina, & moribus referre conentur. Cùm enim locus ipſe per ſe ſpiritualibus ſtudiis ſit ac cœleſtibus diſciplinis aptiſsimus, non paruam ipſi, imò verò ſanctiis ipſis in eo dudum commorantibus, iniuriam facere, & in Deum ipſum ingratitudinis crimen committere videbuntur, ſi non eos tametſi doctrina & virtutum meritis æquare non poſſunt, aſſequi ſaltem aliqua ex parte voluiſſe videantur.

Quidam cùm in Epiſtola huius Eucherij ad Valerianum hunc Hilarium legiſſet, quem Valeriano vt eum incitet proponit in exemplum, putauit ſcriptoris lapſum, & pro Hilario Euagrium eſſe legendum. Atque id inde colligit, quod Hilarium Monachum eſſe Eucherius illic commemorat, is quem ille hic ſolum deduci exiſtimat, Pictauenſis Epiſcopus fuit. Deinde verò quia mox in aceruo, quo alios plures recenſet alterum Hilarium ponit, Pictauenſem ſcilicet, putat ſcriptoris vitio eundem repetitum. Sed ſi paulò attentiùs Gennadium legiſſet, intellexiſſet hunc noſtrum ſcilicet eum eſſe, quem Eucherius primo loco adducit, eum Petronio copulans: cùm autem rurſus in aceruo Hilarium nominat, non hunc noſtrum Lerinenſem repetitum, ſed Pictauenſem fuiſſe adductum. Quanquam hic noſter, quem tunc Eucherius monachum meminit, poſt Honoratum Arelatenſis Epiſcopus fuit. Lege Gennadium de viris illuſtribus, & Proſperum de vita contemplatiua, libro ſecundo, cap. nono Idem Dionyſius.

DOMINO SANCTO ET MERITIS BEATISSIMO & in Christo glorioſiſſimo Hilario Eucherius.

MAgno tu quidem animo egreſſus dudum de domo tua & de cognatione tua vſque ad mare magnum recedentia eremi ſecreta penetraueras, maiore tamen virtute repetita eſt à te eremus quàm petita. Siquidem cùm hanc priùs hoſpes ingreſſus es, habuiſti ducem & velut itineris tui præuium, quem deinde militiæ cœleſtis magiſtrum, cúmque tunc ſequutus & parentes relinquens, parentem tamen ſequebaris. Nunc verò cùm eundem adſcitum ad pontificatus faſtigium proſequendum putaris, ad familiare ſecretum eremi te amor retulit. Ergo nunc eſt nobilior & maior exemplo. Priùs enim cùm deſertum peteres, comitatus fratrem videbaris: num cùm deſertum repetieris, etiam patrem reliquiſti. At qualem illum, quantúmque, quanto tibi ſemper dilectionis cultu obſeruatum, quàm ſingulari tibi affectione deuictum, vt cuius charitati præferre nihil poſſis, niſi fortè ſolam eremi charitatem. Quàm cùm illi iuſto præponis examine, approbaſti diligere te non illum parum, ſed hanc amplius aliquid. Oſtendiſti etiam ille in te ſecreti amor quàm magnus eſſet, cui etiam maximus cederet. Qui quidem eremi amor quid in te niſi Dei amor appellandus eſt: Seruaſti ergo charitatis ordinem lege præſcriptum, primò Deum tuum, exin proximum diligendo. Quem tamen ego profectus tui contemplatione (vt animo coniicio) nec aduerſatum itineri conſilióque tuo exiſtimo, ſed inuſitato intendeuinctas ſibi perſonas modo dimittere te ille (vt puto) non minùs voluit, quàm tu diſcedere. Diligit enim & ille te multum viciſſim, in amore tamen tuo commodum tuum conſuluit: cúmque affluentiſſima eius & ſumma in te ſit charitas, faſtigium tamen illius tendit vſque ad vtilitatem. Et tu licèt omnem iamdudum cenſum in Chriſto dies effuderis, tum & præferas licèt annis iuuenem, moribus ſenem, ſis etiam ingenio clarus, clarus eloquio, nihil in te tamen priore loco magis ſuſpexerim, dilexerimque, quàm quòd ſolitudinis ſedem ſic concupiſti. Vnde quia me reſpondere copioſiùs ſpatioſſimis ac facundiſſimis litteris tuis ſæpe poſtulas, ſufferas pauliſper neceſſe eſt, cùm ſis ipſe ſapiens, inſipientiam, dum recolo multimodam domini gratiam erga hanc ipſam eremum dilectam tuam. Eremum ergo rectè circumſcriptum Dei noſtri templum dixerim: etenim quem certum eſt habitare in ſilentio, credendum eſt gaudere ſecreto. Sæpius ſe illic videndum ſanctis ſuis præbuit, & conciliante loco congreſſum non eſt aſpernatus humanum. In deſerto quippe Moyſes glorificato Deum vultu conſpicit: in deſerto Helias vultum, pauens ne Deum conſpiciat, obuoluit. Et quamuis omnia ipſe tanquã ſua reuiſitet, neque vſpiam deſit, tamen (vt æſtimare licet) peculiariùs viſitationem dignatur eremi & cœli ſecretum. Ferunt quenquam quærenti alio quali in loco eſſe Deum crederet, reſpondiſſe, vt quo ſe duceret, impiger ſequeretur. Tum comitante eodem, ad latè patentis eremi ſecreta veniſſe, & oſtendens ſolitudinis vaſtæ receſſum. En, inquit, vbi Deus eſt. Nec immeritò ibi eſſe promptius creditur, vbi faciliùs inuenitur. Nam & in primordiis rerum cùm omnia Deus in ſapientia faceret, & ſingula quæque futuris vſibus apta diſtingueret, non vtique hanc terræ partem inutilem & honoratam reliquit.

liquit. Sed cuncta non magis præſentis magnificentia, quàm futuri præſcientia creans venturis (vt arbitror) ſanctis eremum parauit. Credo his illam locupletem fructibus voluit, & pro indulgentioris naturæ vice hanc ſanctorum dare fœcundam, vt ſic pingueſcerent fines deſerti, & cùm irrigaret de ſuperioribus ſuis montes, abundarent quoque multiplicata fruge conualles, locorumque damna ſuppleret, cùm habitationem ſterilem habitatore ditaret. Poſſeſſor ille paradiſi & tranſgreſſor præcepti cùm locum voluptatis habitaret, fixam ſibi à Deo legem ſeruare non potuit. Quantò enim iucundior illex ille amœnitatis locus, tantò hic in lapſum pronior fuit. Vnde non ſolum hunc legibus ſuis ſubdidit, ſed etiam in nos vſque ſuum illum ſtimulum mors tetendit. Proinde eremum colat, qui vitam cupit, quia amœni incola mortem parauit. Sed iam ad poſteriora eremi Deo ſemper acceptæ exempla veniamus. Moyſes cùm egiſſet pecus ad interiora deſerti, tunc reſplendentem eminus Deum igne vidit innocuo, nec ſolum vidit, verum etiam audiuit, loquentem. Nempè tunc Dominus cùm abiici pedum vincula commoneret, ſanctam eremi terram pronunciauit dicens: Locus in quo tu ſtas, terra ſancta eſt, manifeſto tunc indicio meritum occulti honoris expreſſit. Confirmata quippe eſt à Deo ſanctitas loci ſanctitate etiam teſtimonij, in quo (vt reor) illud pariter & latenter enunciat, vt accedens ad eremum vitam & greſſus abſoluat, & anterioribus vinculis expeditus incedat, ne locum polluat. Ibi primùm Moyſes diuini colloquij familiaris adhibetur interpres, accipit verba, ac viciſſim refert, dicenda agendáve & percunctatur pariter & docetur, ac mutuò confabulationis vſitatoque commercio cùm cœli Domino ſermocinatur. Ibi virgam reſumit in opera ſignorum potentem, ingreſſuſque eremum paſtor ouium, paſtor ab eremo remittitur populorum. Quid deinde plebs Dei ab Aegypto liberanda & operibus abſoluenda terrenis, numquid non auia petiit, ad ſolitudineſque confugit? In eremo vtique appropinquat Deo, à quo fuerat exempta ſeruitio. Tendebat igitur ad deſertum longa vaſtitate terribile Moyſe duce. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine! Eremum ingreſſus Moyſes Deum viderat. En redit rurſus, vt videat. Ipſe planè dux itineris populum ſuũ Dominus ad deſerta ducebat, in vſum vtriuſque temporis viantibus trahens columnam, nunc rubentem flamma, nunc nube candentem, dabat ita tunc premerentibus è cœlo ſignum, quod lactea mole porrectum alternis irradiabat ardoribus. Intento Iſraël lumine ſequebatur radium coruſco eminus igne rutilantem, vt in eremi ſecreta tendentibus dignè Dominus, cùm iter oſtenderet, lumen præferret. Huic identidem populo nonne ad deſerta properanti obiecta inuij maris clauſtra patuerunt: cùm inter præruptos gurgites iter carpens puluerulento veſtigiis agmine rubris littoribus inceſſit, minanteſque vndarum pendentium montes de profunda valle ſuſpiciens, ſic cuſtos gentis freti ſtagna tranſmiſit. Neque in hoc tantum diuini operis virtus ſtetit, nudata namque rurſum refluo æquore operiens iter eorum cùm hoſte deleuit, totumque in ſedibus ſuis mare (credo ne ab eremo Iſraël reuerteretur) oppoſuit. Aperuit inter aquas viam, & circunfuſis deinde aquis texit, vt deſertum expetentibus patefaceret itum, claudéret reditum. Hac ergo gratiæ virtute donata eſt gens illa, cùm ad ſolitudidinem tenderet, plura tamen promeruit cùm poſſideret. Illic namque eandem inſperato dominus potu refecit, cùm percuſſa ſilice exundantes aquas ſitientibus præbuit, & ab horrentibus ſaxis riuos natiuo fronte depromens occulta manu impoſuit ſubitam latentibus venis naturam. Nec ſolùm illic

ingeſto flumine viſcera ſiccæ rupis infudit, verumetiam dulcedine ſuperindita amaros triſtibus aquis hauſtus impreſſit. Illas elicuit, has placauit: nec maiore miraculo è ſaxis aquas, quàm ex aquis alias aquas reddidit. Obſtupuit plebs cuncta cœleſtis illic auxilij opem ſentiens non minus in his aquis quæ erant, quàm in illis quæ nondum fuerant. Illic etiam idem populus demiſſum cœlitus cibum albenti ſolo legit, cùm è nubibus Dominus panem pluuium ſicco imbre deiecit. In tabernacula & in circumiecta caſtrorum manna ninguido aëre illapſum cecidit, vbi panem angelorum manducauit homo. Et quia ſufficit diei malitia ſua, quotidianum diuina indulgentia victum contulit, iam tunc lege præmiſſa ne in craſtinum cogitaret. Sic quondam in eremo conſtitutis, quia præſtare victum terrena non poterant, cœlum miniſtrabat. Legem etiam & cœleſtia edicta Hebræus idem nunquid non eremi habitator accepit, tum cùm propiùs admotus inſpicere diuino digito impreſſa tabulis ſigna meruit? Idem eductus caſtris in occurſum Domini ad radicem montis obuiùs extitit: vidit equidem pauore perculſus illum Synai verticem, quem terrore multo conſpicuæ maieſtatis virtus inſederat. Aſpexit attonitus montem procul interfluenti igne fumantem, quem deinde totum latè nubes denſiſſima caligine operiebat. Expauit hinc micantia expreſſis ignibus fulgura & tonitrua crebris fragoribus mixto buccinarum clangore reboantia, ita filij Iſraël dum in ſolitudinibus degerent, Dei ſedem videre, vocem audire meruerunt. Talibus olim ſimilibuſque viſa eſt ac ſuſtentata miraculis natio illa, cùm deſerti incola fuit, cùm eam inuſitatus cibus, repentinus potus, inconſummabiliſque veſtitus aleret, cùm etiam illa quæ extrinſecus corpus ambiebant, infatigabili habitu permanerent, quicquid eorum neceſſitati locorum ingenium non obtulerat, manifeſta DEI munificentia ſuggerebat. Vix in hæc cœleſtis gratiæ dona peruenit ſanctorum vnus, qui de hoc populo ait: Non fecit taliter omni nationi. Specialia contulit, inaudita conceſſit, cum diuinis muneribus populum refecit in eremo. Et hæc quamuis in figuram noſtri facta tradantur, & facies illa rerum myſteriis floreat occultis, omneſque in Moyſe baptizati in nube & in mari eſcam ſpiritalem manducaſſe, potum ſpiritalem bibiſſe referantur, tamen omnia hæc ita futurorum continent fidem, vt geſtorum cuſtodiant veritatem. Quamquam nec ſic quidem eremi minor laus eſt, ſi ea quæ illic geſta ſunt, in ſacramentorum ſint altitudinem referenda. Nihil gratiæ derogatur, etiam ſi ille tunc ſtatus corporis & veſtimentorum non conſequuta corruptio venturæ vitæ ſpecimen detulerunt. Magna namque loci gratia eſt, ſi quales illos beatiſſimi ſæculi fœlicitas habebit, tales in hoc iam iſtos eremus habebat. Quid, quod filij Iſraël ad illam deſiderabilem terram non niſi habitatione eremi peruenerunt? Et vt gens eadem poſſideret poſtea illam melle & lacte manantem, priùs hanc aridam incultamque poſſedit. Totum ſemper ad veram patriam eremi manſionibus iter panditur. Habitet inhabitabilem terram, qui vult videre bona Domini in regione viuorum: ſit hoſpes huius, qui ciuis illius eſſe contendit. Sed vt hæc relinquam, Dauid ipſe inſidias regis infeſti non niſi cùm deſertum expeteret, euaſit: qui in Idumeæ ariditatibus commoratus toto Dominum corde ſitiebat, vt ſitiens in deſerto & in inuio & inaquoſo tum demum Deo appareret in ſancto, ac deinceps Dei virtutem pariter & gloriam ſanctus videret. Helias verò maximus ſecretorum colonus cœlum imbribus clauſit, ignibus reſeruauit, miniſtra alite cibum ſumpſit, fixa mortis iura renocauit,

uocauit, Iordanem diuiduum interrupto amne tranſiuit, cœlum ardenti curru raptus aſcendit. Quid deinde Eliſeus cõſectator vitę huius atque virtutis, nonne perinde diuino miraculorum opere inclaruit? Quem inſignem nunc ſciſſus torrens, nunc innatans ferrum, nunc rediuiui, nunc olei incrementa fecerunt, quíque poſtremo poſt alia quamplurima duplicatam in ſe magiſtri virtutem etiam hoc comprobauit, quòd ille ſuperſtes defunctum, hic defunctum exſuſcitat iam defunctus. Filij quoque prophetarum relictis vrbibus expetebant gemino defluentem fonte Iordanem, extruebantque in abditis tabernacula remoto iuncta torrenti. Excubabat cohors ſancta ſecreti fluminis ripis, velut quibuſdam ſparſa tentoriis, & habitationibus congruis egregia indoles ſpiritum cuſtodiebat paternum. Quid ille quo maior inter natos mulierum non ſurrexit? nónne in deſerto clamans in deſerto viuebat? In deſerto ab hoc baptiſmus traditur, in deſerto primùm mentio regni cœleſtis infertur. In hoc ille audientibus primus ingeſſit, vbi hoc citiùs ambiens quiſque promeruit. Neque immeritò futurus hic arduus habitator deſerti ante faciem Domini angelus mittitur, viam referat in cœleſte regnum, & præcurſor & teſtis dignus qui patrem è cœlo loquentem audiret, filium baptizando contingeret, Spiritum ſanctum deſcendentem videret. Ipſe quoque Dominus ac Saluator noſter baptizatus confeſtim (vt ſcriptura ait) à ſpiritu in deſertum ducitur. Quis hic igitur eſt ſpiritus: Cunctatio ſubeſt nulla quin ſanctus. Quòd deinde Spiritus ſanctus pertrahit in deſertum, nimirum iſtud ille dictat, ille illud tacitus inſpirat, fitque eremus Spiritui ſancto ſuggerenti digna ſuggeſtio. Myſtico ergo flumine infuſus nihil ſibi priùs agendum putat, quàm vt ad deſerta contendat. Et tamen ille ſanctificãtes ſemper aquas tunc ſanctificauerat, nec peccati hominem purgatus abluerat, peccatum enim ille non fecerat, neque metuebat, & eremi tamen amore flagrabat, atque in omnibus ſalutaris auctor exempli hanc ſibi non dignam nobis deſiderabat. Quæ ſi votiua Deo ab erroribus libero, quanto magis neceſſaria homini erroribus obnoxio: Si petita non delinquenti, quanto magis exoptanda peccanti: Ibi etiam in famulatum domini remotis circunſtrepentium turbis tacita diuini vigoris miniſteria ſuccedunt, & in eremo conſtitutus tanquam iam in cœlum reuectus occurrentium excipitur officiis angelorum. Ibi tunc tentantem notæ artis inſidiis hoſtem illum antiqui temporis confutauit, ſupplantatorémque veteris nouus Adam repulit. O laus magna deſerti, vt diabolus qui vicerat in paradiſo, in eremo vinceretur! Deſertus etiam locus ille erat, in quo ſaluator noſter quinque virorum millia panibus quinque & piſcibus tantùm duobus pauit, ſatiauit, expleuit. Semper in deſerto ſuos pane Ieſus paſcit. Suis prætulerat olim manna diuini muneris fidem, nunc fragmina retulerunt, eodémque miraculo victus vt tunc eſurientibus decidit, ita nunc veſcentibus creuit. Cunctis dono ſuo epulæ auctioribus maiores fuerunt cibis, quàm fuerant illatæ conuiuiis. Deſertis, inquam, deſertis tantorum tunc ſignorum cauſas demus, virtus potentiam declaraſſet, ſi habuiſſet locus copiam. Et tunc dominus Ieſus ad excelſi montis remotiora ſeceſſit, cùm tribus tantùm ſibi adhibitis electis, inſolita claritate vultus effulſit: qui cum aſſumptum palam hominem præferret, declarandæ maieſtatis indicium ſecretis credidit. Ibi tunc ille Apoſtolorum maximus, Bonum erat, inquit, nos hic eſſe, adamans, ſcilicet magnitudinem ſigni in remotione deſerti. Idem quoque Dominus Ieſus (vt ſcribitur) in-

deſertum locum ibat, ibiq́ue orabat. Locus ergo ille iam vocetur orationis locus, quem orando Deum idoneum Deus auctor oſtendit, docuitq́ue vnde facilius nubes humilitantis ſe oratio penetraret adiuta loco, quia honorata ſecretò: atque illic orando ipſe cùm peteret demonſtrauit, vbi orare nos vellet, cum peteretur. Quid nunc ergo Ioannem Machariúmque commemorem, alióſque complures, quorum conuerſatio dum in deſertis eſt, in cœlis facta eſt? Appropinquauerunt illi tantum Domino, quantum appropinquare Deo hominem fas ſinebat, admiſſiq́ue ſunt in diuinarum opera rerum, quantum carne circundatos licebat admitti. Fixi autem ad ſuperna mentem cœleſtibus inſeruerunt ſecretis, hinc comitantem gratiam aut reuelationibus tacitis, aut clamantibus ſignis protulerunt, & ſuffragante ſecreto vſque in id prouecti ſunt, vt terram quidem corpore tunc contingerent, cœlum verò ſpiritu iam poſſiderẽt. Hoc igitur eremi habitaculũ dicam non immeritò quandam fidei ſedem virtutis arcam, charitatis ſacrarium, pietatis theſaurum, iuſtitiæ promptuarium. Nam ſicut in magna domo pretioſa quæque clauſtris obſignata in remotis habentur, ita magnificentia illa ſanctorum abditorum eremo, quam difficultatibus ſuis natura obſerauit, deponitur intra quoddam conclaue deſerti, ne conuerſationis humanæ vſu abſoleſcat. Aptéque à mundi domino hæc pretioſa diuitiarum ſupellex in illa mundanæ domus parte non ſolum conditur, verumetiam, cùm vſus eſt, ex reconditis promitur. Fuit olim erga eremum cura diuinæ prouidentiæ ſumma & maxima, ſed nec nunc quidem parua eſt. Nam & nunc cùm eremi incolis victus diuinitus inſperata ſuperuenit largitate, quid aliud quàm è cœlo lapſus defluit? Habent & in cœleſti hac munificentia ſuum manna, nec minùs his dominus brachij ſui opere ſecreto alimoniam ſpargit ex abdito: & cùm ſilicibus perfoſſis tandem diuino munere reſpondentes è ſaxis aquæ profluũt, quid aliud quàm velut Moyſi virgæ ictu percuſſa rupe emergunt? Veſtimentorum perinde habitus in eremi vaſtitate degentibus nunc quoque ecce non deficit; qui dum gratuitò iugiter diuina prouiſione ſuccedit, vtique ſuccedendo manet. Aluit Dominus in deſerto ſuos quondam, ſed & nunc alit: & illos quadraginta annis, hos verò quouſque anni erunt. Meritò hanc ſanctus diuino igne ſuccenſus relicta ſede propria ſedem legat: meritò propinquis, filiis, parentibúſque præponat, ſuorúmque omnium commercio emat. Meritò hæc genitalem deſerentibus patriam temporariæ patriæ nomen obtineat, à qua non metus, non deſiderium, non gaudium, non mœror reuocet. Meritò planè vniuerſorum affectuum ſola ſit pretium. Quis enumerare beneficia eremi dignè queat, virtutiſq́ue commoda habitantium in ea? In mundo poſiti quodam modo extra mundum recedunt, in ſolitudinibus (vt ait Apoſtolus) errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cauernis terræ. Nec immeritò dignum talibus Apoſtolus negat eſſe mundum, qui alieni ſunt ab illo reipublicæ humanæ tumultu, ſepoſiti, quieti, ſilentes; nec magis abſunt à voluntate peccandi, quàm à facultate. Clari apud veteres ſæculi huius viri defatigati laboribus negotiorum ſuorum in philoſophiam ſe tanquam in domum ſuam recipiebant. Clarentes pulchriùs ad hæc manifeſtæ ſapientiæ ſtudia diuertunt, magnificentiúſque ad ſolitudinum libertatem & deſertorum ſecreta ſecedunt, vt philoſophiæ tantum vacantes in illis eremi deambulacris, tanquam in ſuis gymnaſiis, exerceantur. Vbi quæſo liberius, quàm in deſerti habitatione ſeruetur paſcha? Sed non in virtutibus continentia: continentia, inquam, velut alia quædam cordis eremus. Nam &

Moyſes

Moyſes quadraginta continuos ſe in eremo dies, totidemque & poſt ſe illic Helias ieiunio dedit,& vterque ibi inediam vltra humani effectus vires extendit. Deinde & Dominus idem in deſertis abſtinentiæ tempus exegit: nec præterea vſquam legimus ſpatia eadem exacta ieiunio: vt putandum ſit, aliquem tribui per Dominum locis illis etiam vigorem. Vbi quæſo magis vacare, & quàm dulcis ſi Dominus videre contingit: vbi promptior ad perfectionem tendentibus via panditur: vbi maior virtutibus campus aperitur vbi mentis faciliùs vt poſſit circunſpicere cuſtodia: vbi liberior cordis, vt Deo inhæreat,certet intentio,quam illis vtique ſecretis,in quibus Deum non ſolum inuenire promptum eſt, verum etiam cuſtodire: Et quamuis ſæpe in eremo tenuis ſoli puluis occurrat,nuſquam tamen firmiùs Euangelicæ illius domus fundamenta iaciuntur.In illis licet aliquis conſiſtere arenis velit,nequaquam tamen ſuper arenas domum conſtruit, nuſquam magis quam illic ſupra petram prædictum illud ædificium collocatur,quod immobili ſtabilitate fundatum inconcuſſa mole durabit:vt tempore ingruentium procellarum non flantibus ventis,non immiſſis torrentibus ſubruatur.Itaque habitantes deſertum talia ſibi ædificia, ſed in cordibus fabricantur, illi qui imi ſumma petunt, qui celſa humilitate ſectantur, deſides atque immemores terrenorum ob ſpem votumque cœleſtium.Qui abiiciunt diuitias, dum agere malunt,egere feſtinant, dum eſſe diuites concupiſcunt,die ac nocte labore vigiliisque decertant,vt apprehendant vitæ illius principium, cuius non inuenietur extremum.Sic materno eremus ſinu continet illos æternitatis rectiſſimè auaros, bene prodigos breuitatis, incurioſos præſentis temporis, certos futuri:& per hoc aſſequuntur, vt in quos ſæculorum fines decurrerunt his ſæcula ſine fine contingant.Feruent ibi conſcriptæ interioris hominis ſalubriter leges,& æterni ſæculi iura ſubtilius.Non illic humana criminum facinorúmque præſcripta vim ſuam reſonant, nec ſe vltricia capitalium delictorum iura exerunt.Cor niſi puriſſimum indigenæ leges reum faciũt, atque ipſe omni ſtudio mentis motus interior intra iuſtitiæ terminos coërcetur, eodemque ſe iudice vel leuium cogitationum principia plectuntur. Apud alios malum ſit malum feciſſe,apud hos verò malum eſt bonum non feciſſe. Sed quomodo ego poſſim commemoratione digna interiora eremi inſtituta venerari:Nunc vero illud tacitus præterire non poſſum, quod in habitatoribus eius vis illa virtutis quam abſcondita cunctis, pene tam nota eſt. Nam cum ſe vtique in remota abigunt, mundum humanúmque conſortium repudiantes,oculi quidem geſtiunt,meritum tamen occulere non poſſunt.Quantum ſe eorum introrsùm agit vita, tantùm ſe foras proripit gloria, Deo (vt arbitror)ita inter vtrúmque moderante, vt incola eremi ſuæ lateat ſæculo, & non lateat exemplo.Hæc lucerna eſt, quæ per vniuerſum reſplendet orbem ſupra eremi candelabrum locata,hinc ſe flagrantiſſimum lumen per tenebroſa mundi membra diffundit,hæc eſt ciuitas quæ abſcondi non poteſt in deſerti monte conſtructa,quę imagine ſua cœleſtem Hieruſalem terris dedit. Proinde ſi quis in tenebris eſt,huic lumini appropinquet, vt videat, ſi quis diſcrimini patet,ad hanc ciuitatem tendat,vt tutus ſit.O quam iucundæ ſunt ſitientibus Deum etiam deuiæ illæ ſaltibus ſolitudines! Quàm amœna ſunt quærentibus Chriſtum illa ſecreta,quæ longè,latéque natura excubante porrecta ſunt!Silent omnia,tunc in Dominum ſuum læta mens quibuſdam ſilentij ſtimulis excitatur, tunc ineffabilibus vegetatur exceſſibus. Nullus interſtrepens illic ſonus, nulla ſi forte cùm de Deo vox eſt.Solus ille admo-

dum ſuauis ſonitus ſilentium ſecretæ ſtationis interuenit, interpellárque illum placidæ quietis ſtatum ſtrepitus quiete dulcior & ſanctus modeſtiſſimæ conuerſationis tumultus. Tunc hymnis ſuaue reſonantibus excelſa ipſa feruentes chori pulſant, atque in cœlum non minus planè vocibus quam orationibus peruenitur. Fremit fruſtra tunc circumiens aduerſarius tanquam intra caulas ouibus ſeptis lupus. Inuiſit ſanè ſpecioſa deſerti lætantium Angelorum chorus, & per illam Iacob ſcalam commeantes eremum frequentia abditæ viſitationis illuſtrant, ac ne in vanum vigilent, qui cuſtodiunt ciuitatem, peculiarius Chriſto propugnatore munitur, qui tanquam murorum obiectu ita Eremi ambitu hoſtes ſuos ſubmouet, vt adoptiua Deo gens quantum ſecreti ſpatiis expoſita, tantum hoſtibus ſuis clauſa ſit. In illo quos meridie ſpóſus recubat, habitatoréſque deſerti charitate vulnerati contemplantur eum dicentes: Inuenimus, quem diligit anima noſtra: tenebimus eum & non dimittemus eum. Non eſt infructuoſum (vt creditur) non eſt iſtud ſterile eremi ſolum, nec infœcunda arentis ſaxa deſerti. Illic multiplex germen & centenos accola fructus recondit. Non facilè illic iacta ſemina, ſecus viam decidunt, quæ volucres abſumant: neque in petroſa facilè dilabuntur, quæ non habentia altitudinem terræ æſtuent & areſcant: neque in ſpineta facilè fugiunt, quæ iam adultis ſentibus obruantur. Vberi meſſem prouentu colonus metet. Producitur in his ſaxis ſeges illa, qua etiam oſſa pingueſcunt. Inuenitur etiam illic panis viuus, qui de cœlo deſcendit. Erumpunt in illis rupibus fontes irrigui & aquæ viuæ, quæ non ſatiandis ſolum, verumetiam poſſint ſufficere ſaluandis. Hic interioris hominis paſtus & voluptas, hic incultum, deſertum, illic mira amœnitate iucundum eſt, eadémque corporis eſt eremus, animæque paradiſus. Nulla iam quamuis fertilis tellus terræ eremi ſe comparatione iactauerint. Eſt terra aliqua frugibus diues: in hac maximè naſcitur frumentum illud, quod eſurientes adipe ſuo ſatiat. Eſt alia grauidis læta vinetis: in hac maximè profertur vinum illud, quod lætificat cor hominis. Eſt alia paſcuis præſtans: in hac ſaluberrimæ paſcunt oues illæ de quibus dicitur, Paſce oues meas. Eſt alia floribus picta vernantibus: in hac maximè verus ille flos campi & lilium conuallium refulget. Poſtremò alia eſt ſpecioſis exultans metallis, alia auro ſuo fulua eſt, in hac varij lapidum micant vibrante luce fulgores. Ita terra hæc ſingulis terris maior ad ſingula omnes candore præcedit, bonis hominibus. Rectè ergo tu veneranda tellus ſanctis in te poſitis, aut non procul à te remotis, aut habitabilis dudum, aut deſiderabilis extitiſti: quia pro vniuerſis bonis illis es fertilis, in qua habentur vniuerſa. Tu cultorem hunc, qui ſuam terram, non qui tuam colat, requiris. Tu inhabitantium te vitiis ſterilis, tu fœcunda virtutibus. Tuam quicunque ſanctorum familiaritatem quæſiuit, Deum reperit: Chriſtum in te, quiſquis te coluit, inuenit. Ipſe qui habitat, Domino habitatore lætatur, idemque eſt & poſſeſſor tuus, & diuina poſſeſſio. Tuum qui non refugit habitaculum, factus eſt ipſe Dei templum. Equidem cunctis eremi locis quæ piorum illuminantur ſeceſſu, reuerentiam debeo, præcipuo tamen Lerinam meam honore complector, quæ procelloſi naufragiis mundi effuſos piiſſimis vlnis receperat venientes ab illo ſæculi ſtagrantes æſtu blandè introducit ſub vmbras ſuas, vt illic ſpiritum ſub illa interiore Domini vmbra anheli reſumant. Aquis ſcatens, herbis virens, floribus renitens viſibus odoribúſque iucunda paradiſum poſſidentibus ſe exhibet, quam poſſidebunt. Digna quæ Honorato auctore fundata ſit, quæ tantis inſtitutis tantum nacta ſit patrem, apoſtolici

ſpiritus

ſpiritus vigore & vultus honore radiantem. Digna quæ illum ſuſcipiens ita emitteret, digna quæ præſtantiſſimos alat monachos, & ambiendos præferat ſacerdotes. Hæc nunc ſucceſſorem eius tenet Maximum nomine Clarum, quia poſt ipſum meruit adſciri. Hæc habuit reuerendi nominis Lupum qui nobis illum ex tribu Beniamin Lupum retulit. Hæc habuit germanum eius Vincentium interno gemmam ſplendore perſpicua. Hæc nunc poſſidet Venerabilem grauitate Capraſium veteribus ſanctis parem. Hæc nunc habet ſanctos ſenes illos, qui diuiſis cellulis Ægyptios patres Galliis noſtris intulerunt. Quos ego illic, Ieſu bone, ſanctorum cœtus conuentuſque vidi? Pretioſa in his ſuaui vnguedine alabaſtra flagrabant, ſpirabat paſſim odor vitæ, interioris hominis faciem exterioris habitu præferebant, conſtricti charitate, humilitate deiecti, molliſſimi pietate, firmiſſimi in ſpe, inceſſu modeſti, obedientia citi, occurſu taciti, vultu ſereni prorſus ipſa protinus contemplatione angelicæ quietis agmen oſtendunt. Nihil concupiſcunt, nihil deſiderant, niſi eum, ſolum quem deſiderantes concupiſcunt. Dum beatam quærunt vitam, beatam agunt, eumque & dum adhuc ambiũt, iam conſequuntur. Itaque optãt à peccatoribus ſegregari? iam ſegregati ſunt. Caſtam poſſidere vitam volunt? poſſident. Omne in Dei laudibus tempus habere ambiunt: habent. Deſiderant gaudere ſanctorum cœtibus: gaudent. Chriſto frui cupiunt: ſpiritu fruuntur. Vitam eremi adipiſci geſtiunt: corde adipiſcuntur. Itaque per largiſſimam gratiam Chriſti multa ex his quàm in futurum exoptant in præſentiarum merentur. Rem porrò ipſam cupiunt, dũ ſpem ſequuntur. Habent etiam in labore ipſo præmium laboris, quia penè iam in opere eſt, quod merces erit. Horum tu, mi cariſſime Hilarij redditus inſertuſque conſortio plurimùm tibi, plurimùm etiam illis contuliſti, qui nunc pro reditu tuo alacri exultatione lætantur. Cum his obſecro peccatorũ meorum interceſſioniſq; memoriam ne obliteraueris: cum his, inquã, quibus neſcio an ipſe gaudij plus attuleris, an maius inueneris. Tu nũc verior Iſrael, qui corde Deum conſpicaris, ab Ægyptiis ſæculi tenebris dudum expeditus ſalutiferas aquas ſubmerſo hoſte tranſgreſſus, in deſerto accenſum fidei ignem ſequutus, amara quondam, per lignum crucis dulcia nunc experiris, ſalientes in vitam æternam aquas à Chriſto trahis, internum hominem ſuperno pane paſcis, in Euangelio tonitruum diuina accipis voce, qui cum Iſraël in eremo contineris, cum Ieſu terram repromiſſionis intrabis. Vale in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

De ſancto Nazario Abbate ſacri Heremi Lerinenſis.
Annotatio Vinc. Saler.

FVit iſte Nazarius præfectus & Abbas illius officinę ſanctorum Lerinenſis Inſulæ, & ex illa ſacra caterua diſcipulorum ſancti patris Honorati Archiepiſcopi Arelatenſis, & poſt ipſum tertius vel quartus ordine Abbas ſanctæ illius congregationis, de quo nihil penè certi habemus cùm eius acta non extent, niſi quod vt ipſe in aceruo antiquo Abbatum Lerinenſium adnumeratur vt in aliquibus veruſtis manuſcriptis de ipſo mentio habetur in vita quoque illa ſancti Honorati digeſta tribus libris capite nono libri ſecũdi dicitur: Nazarium virum religioſum virtutumque meritis excelſum ſuffectum fuiſſe in regimine Monaſterij ſancto Maximo tunc electo Epiſcopo Regienſi, ſed malè. Nam ſancto Maximo vel teſte ſancto Sidonio Apollinari in carmine Euchariſtico ſucceſſit in Abbatiali gubernatione

Fauſtus vt videri poteſt ſupra in ipſo Fauſto : Non inconueniens tamen eſt Nazarium ſucceſſiſſe Fauſto creato Epiſcopo Regienſi poſt ſanctum Maximum, quo ſcilicet Nazario prouidè cœnobio moderãte varia narrãtur patrata meritis Beati Honorati miranda, ipſéque Nazarius vir ſtrenuus & pius non ferens animas hominum illudi fraude diabolica delubrum & aram impudicæ Veneri dicatam in quodam monticulo qui dicitur Arlucus quaſi ara lucis propè pontem fluminis nunc vulgò nuncupati Siagna omninò eliminare curauit, ibidémque templo ſancto protomartyri Stephano dicatum in ſacrum cœnobium ſanctimonialium erexit, quod honorabiliter in bonis operibus vſque ad excidium patriæ Prouinciæ tempore martyrij Beati Porcarij Abbatis perduraſſe creditur. Sanctus denique (ait manuſcriptum) Nazarius fœlici ſenio aggrauatus & diurnis vigiliis & afflictionibus defeſſus cum furentibus febribus æſtuaret, & laboraret anxiè in extremis, apparuit ei è circunſtantibus fratribus Beatus Honoratus cum multitudine monachorum cum maxima claritate qui exhortans omnes in obſequium Ieſu Chriſti animam ſancti Nazarij Abbatis è corpore egredientem cum diuinis hymnis & laudibus ad cœlorum culmina aſſociarunt. Poſt ſanctum Nazarium Beatus Eucherius Abbas vir ſimplex & rectus rexit laudabiliter præfatum monaſterium Lerinenſe. Et poſt ſanctum Eucherium Beatus Vincentius Abbas poſt quem beatus Amandus vir ſumma innocentia & pudicitia gubernacula abbatiæ aſſumpſit Lerinenſis cœnobij.

Eucherius Abbas.

Vincentius Abbas.

Amandus Abbas.

De Sancto Amando Abbate Lerinenſi qui floruit circa annos domini 700.

Nouemb. 18.

Vincen. Salern. Annotatio.

DE ſancto Amando Abbate Lerinenſi etſi multùm diúque quæſiui in manuſcriptis Lerinenſibus: tamẽ nihil certi inueni, niſi, quod aliquando legi in quodam perantiquo breuiario excuſſo quod tunc temporis ſic florebat monaſterium Lerinenſe vt Rheatus pater Amandus ſub ſe haberet trium millium & ſeptingentorum monachorum numerum : idemque Inuenitur & legitur in quibuſdam priuilegiis & diplomatibus ſummorum Pontificum. Inſuper recitatur idem ſanctus in perantiquo & moderno cathalogo ſanctorum Inſulæ Lerinenſis, & ea quæ dicuntur in vita ſancti Honorati Epiſc. Arelatenſis quæ circunfertur tribus libris quę hic tibi ſubiicimus, deſumpta ex tertio libro & capite tertio decimo, vbi dicitur, euolutis pluribus annorum curriculis multiſque ſanctis illius cœnobij, quod Lerinenſe nuncupatur Abbatibus (quorum vitam ſcribere longum eſſet) ad æterna tranſlatis, beatus Amandus ſumma pudicitia & innocentia decoratus regimen illius monaſterij Lerinenſis auctore Deo ſortitus. Eſt qui omnia monaſteria occidentis illuſtrabat, exemplis videlicet doctrina, ſub cuius regimine exaucta eſt plurimum Lerinenſium Incolarum deuotio, ita vt trium millium ſeptingentorum monachorum numerum vir ſanctus habuiſſe legatur. Ad locum itaque illum concurrebat hominum penè incredibilis multitudo. Et capitulo decimo nono Beatus itaque Amandus omni ſanctitate & gratia plenus conſummato curſu præſentis vitæ vocatus eſt ad gaudia cœleſtis patriæ, cuius vita meritis inclita memorabilis habetur eiuſque feſtum decimo quarto Calendas Decembris in ſancta Eccleſia digno honore celebrarur, poſt cuius exceſſum beatus Siluanus rexit præfatum monaſterium Lerinenſe.

Siluanus Abbas.

Lerinenſe quo viam vniuerſæ carnis ingreſſo diuina ordinatione in eius loco ſucceſſit glorioſus Dei Athleta Porcarius vir morum honeſtate conſpicuus. Hæc ibi. de ſancto Porcario vide ſupra 12. Auguſti.

De ſancto Anſelmo Abbate ſacræ Inſulæ Lerinenſis.

MOlanus in ſuo Martyrologio quarto decimo calẽdas Decẽbris, in Inſula Lerino ſancti Anſelmi Abbatis. Galleſinus verò in ſuo itidem Martyrologio in Inſula Lerino ſancti Anſelmi Abbatis & confeſſoris. Addũt notationem ſequentem. Ex monimentis Monaſterij Lerinẽſis. Et hæc ſola ſunt quæ de ſancto Anſelmo omni diligentia adhibita comperi eius virtutes etſi nobis temporum vetuſtate incognitæ non dubium quin magnæ multæque extiterint ſintque cum eius nomine in cœlo & libro vitæ deſcriptæ. *Nouemb.* 18.

De ſancto Eudone Abbate & Monacho Lerinenſe ex fragmento vitæ Beati Theofredi Calmeliacenſis, cœnobij Abbatis ex manuſcripto & perantiquo breuiario Lerinenſi floruit circa annos Domini, 465.

ROmanorum Imperij dignitatem Iuſtino Cæſare ſublimiter diſponente regnumque Francorum Theodoberti atque Theodorici Hildeberti regis filiorum tyrocinio cum ſæuiſſima Brunichilda regina fortiter ſubiugante apud Aruernam vrbẽ floret ac præeſt vir Chriſtianiſſimus dux inclytus nomine Calmelius, cuius ſuberat ditioni Aquitaniæ pars non minima nobiliumque numeroſa tyronum clientela oppida, rura, caſtella, cæteratum quoque rerum affluentia copioſa quin etiam ſuffultus dogmate literarum nullo carebat negotio mercuriali. Quadam verò die populari priuatus contubernio contentus ſingulari comite videlicet ſene ſapientiſſimo, incolit vicum Villarem vocabulo: vbi dum plura coniicit ex huius mũdi labente curriculo tranſitoria commoda pro nihilo ducit & æthereas ſedes diuino perfuſus ſpiritu quaſi ſpiritualiter ſcãdit. Placet ergo prædicto principi nec procul ab eodem loco orationis domum pro ponderoſi criminis leuigatione ædificari & ſub honore Petri Apoſtolorum principis dedicari cuius ſcedophediam idibus Octobris annuatim inſtituit iterari: tunc circumquaque diſcurrens prędictus heros ibidem inducit quos poteſt & Dei noſcit famulos pro corporea & ſpituali incolumitate ſupernam pietatem inuocaturos, quibus indulget vt nullo vacent mercimonio plurimos vicos & prędia: vnde ibidem commorantes corporea repellant neceſſaria: vnuſque ex eis efficitur, licèt non deſerat ſæcularia: ſed iugiter conſolans eos paterno corripit verbere ac ſpeculatus ſuggerit affamina vitę. His ergo ritè diſpoſitis Beati Petri reuiſat limina gratia orationis: quo præocupatus itinere exiguo conſolatus fidelium aggere qui poſt plurima ex foroiulienſis ſe teſtantur eſſe congregatione: verbis quoque non exiguis ventillantibus Lerinenſe Monaſterium interſerit vnus, cuius ſummæ religionis reuerentiam docet ab ipſo principe rogatus & quemadmodum ſummo Deo ibidem cœnobitarum famulet grex immenſus quod audiens Calmelius in arcula mentis reponit tacitus diuinæ ſupplicans pietati quod tanto ſit cibo refocillandus. Itinere quoque finito comitantibus ipſis quibus pij ſolaminis verba dudum acceperat ad famoſiſſimum prædictum cœnobium Lerinenſe vſque properat. Ea verò tempeſtate ſanctæ præerat congregatione Lerinenſi Beatus Maximus cuius vita magnis floruit virtutibus in tantum quod tria reſoluit cadauera tenebroſis nexibus & ſicut ſcriptum habetur in eorum annalibus. Regenſis etiam præfuit antiſtes egregius quo ac- *Nouemb.* 20. *Prædicantur laudes Lerinenſium.* *S. Maximus Abbas Lerinenſis.*

cito omnia mentis arcana Calmelius retulit,& de exigui oratorij opificio,& quia patris ſuffragio egeret,quem proponeret pleniter indicauit, quibus cognitis iuſta eſt, inquit, Beatus Maximus, petitio,fili,cui ſumma pietas Dei ac reuerẽtia tui nos ſuis interceſſio conſentire iuſſit. Committam ergo tibi ſub prouidentia altiſſimi expectabilem virum genere & dilectum mihi ſedulum literarum meditatorem ac diuini negotij, quem tu ſuſceperis tota charitate circumplectere ac prędicti tugurij patrem delige:poſſet enim bonis moribus ſanctis decoratus virtutibus. Tum ex omni religioſo diſcipulorum agmine præelegit virum Eudonem nomine ſublimem ſtatura penultima decoratũ ætate, probatiſſimum virtutibus & omni honeſtate cui pater eximius quoſdam fratres tradidit inter quos eum Abbatis vicem habere iuſſit plurimùm eius confidens religioni quam ipſum pleniſſimè educauerat ſub diſciplina Chriſti ac deuotiſſimum coaptauerat pediſſecam ſibi valedicens:ergo omnibus pro fraterno diſceſſu cœpit emittere magnos gemitus, & conuocans ſæpè memoratum principem monet eum de ſancti Viri cuſtodia, datoque ſigno pacis iubet capere itinera. Profectus itaque ſanctus Eudo eum duce & ſodalibus inditum maturat iter donec deueniunt ad locum qui ex conditoris nomine dicitur Calmelius.

S. Eudo eligitur ex omni cõgregatione Lerinenſi.

Annotatio Vinc. Saler.

Hucuſque codex ille breuiarij Lerinenſis. Habetur autem mentio ſancti Eudonis in proſa ſuprà in ſancto Honorato, 16. Ianuarij & in quodam Martyrologij breuiario membrano manuſcripto antiquiſſimo hæc leguntur.Ipſo die,ſcilicet vigeſimo Nouembris natale beati Eudonis Abbatis Calmeliacenſis cœnobij, quem fidelis relatio notat ex illa priſca Lerinenſi congregatione fore ſub beato Maximo regenſi Epiſcopo conſtitiſſe. Item, Beati Theofredi martyris alumni eiuſdem beati Eudonis præfati Monaſterij Abbatis,& in ſecundo libro beati Honorati cap.5.hæc habentur.Eſt præpoſuit (Honoratus ſcilicet) Lerinenſibus monachis eundem maximum in paſtorem, qui eius ſecutus veſtigia ſanctam congregationem Lerinenſem fœliciter gubernauit. Ex cuius diſcipulatu vir per cuncta laudabilis Beatus Eudo apud Aruerniam miſſus, vnà cum glorioſo Chriſti martyre Theofredo Calmelienſe Monaſteriũ ſalubriter inſtituit ſub regula Lerinenſi ſub qua quandiu in corpore vixit,æterno regi viriliter militauit.Hæc ibi de quo Monaſterio & fundatore eius meminit Dominus Ioannes Hauaro in commẽtaria epiſtolę duodecimæ libri vndecimi Sidonij Apollinaris, dicens:Nec dubito quin Calmilius aliàs Calmelius ſenator ex proſapia ſit iſtius Calminij ciuis Aruernenſis, qui in ſua patria hoc ſe præclarum ſuæ ſanctitatis monimentum reliquit & in Epiſcopatu Anicienſi Monaſterium quod dicitur Sancti Theofredi à fundo edificauit,dotauit,ditauitque & de ſuo nomine appellauit vulgo *S. Chaffre.* Hiſtoria ſancti Calmini manuſcripta.

EX

EX TOMO SEXTO F. LAVRENTII SVRII CARTHVSIA.

Vita S. Columbani Abbatis ab eius æquali Iona Abbate, quem quidam vocat diſcipulorum eius diſcipulum, conſcripta: obiit anno domini natalis 615. temporibus Clotarij Francorum Regis, Chilperici filij. 615.

PRÆFATIO AVTHORIS.

DOminis eximiis, & ſacri culminis regimine decoratis, religioniſque copia fultis Vualdeberto & Boleno patribus, Ionas peccator. Memini me ante hoc fermè triennium, fratrum conniuentia flagitante. Vel Beati Bertulphi Abbatis imperio iubente, cum apud eos apenninis ruribus vagans, in Bobienſi cœnobio morarer, fuiſſe pollicitum, vt almi patris Columbani meo ſtuderem ſtylo texere geſta: præſertim cum ij, qui eo fuerunt in tempore, & penes ipſum patrata viderunt, quamplurimi penes nos ſuperſtites ſint, qui nobis non audita, ſed viſa, narrent: vel quæ etiam nos per venerabiles viros Attalam & Euſtachium didicimus quorum primus Bobienſis, ſecundus Luxouienſis cœnobij, quo vos præſules exiſtitis, eius ſucceſſores fuerunt: qui magiſtri inſtituta ſuis precibus ſeruanda tradiderunt: quorum vitam vtcumque quiuimus in poſtmodum deprompſimus, ſeu plerorumque, quos Cluentia memorabiles reddit. Sed qui ſupradictorum fratrum Agapis, vel patris prædicti præceptum coniiciens rebar liquido meatu exuberari, multùm me ego ad hoc opus imparem reperio. Si enim me in hoc opere nequaquam indignum indicaſſem, olim iam ad ea texenda temerario quamuis conatu aggreſſus fuiſſem: quãquam me & per triennium Oceani per ora vehit, & ſcabea lintris abacta, Scalteus molles ſectando vias, madefacit: ſæpè & lenta palus Elnomis plantas, ob venerabilis amandi Põtificis ferendum ſuffragium: qui his conſtituius in locis: veteres Sicambrorũ errores Euangelico mucrone coercet. Erit tamen commiſſi operis, venerandi Patres, veſtri arbitrij cultus, vt ſi aliqua minus rectè prompta, decore facunditatis caruerint, veſtris phaleramentis decorentur, vt legentibus apta fiant: ne dum mea imperitia in eloquio exhorret, cum facta dictis non exæquantur, ſanctorum virtutes faſtidioſè ferendo non imitentur: & cùm ad partum opus ouantes manum tetenderint, mox ſentium aſperitate cruentam nitantur ſubtrahere. Quibus dicendum eſt, nantes ſolere rheumate gurgitum fractis viribus ripæ redditos, cum alia defuerint ſubſidia, feſtino conamine ſentes apprehendere: & diuitum fauces, cum aliæ dapes redundent ſæpè agreſtia deſiderare: & pleróſque muſicorum omnium, organi, ſcilicet pſalterij, cytharæ mellis aures oppletas, mollis ſæpè auenæ modulamini auditum accommodare. Et ſi me quempiam laudare repererint qui adhuc ſuperis iunctus ſit, non me adulatorem putent, ſed rei benè geſtæ diſſertorem: nec fauere cuiquam panegyrico carmine, ſed digna memoriæ commendare: nec ideò, ſi ſupereſt, tumeſcat, ſi à me ſibi largita conditoris dona narrata videat, ne elationis ſtimulo ſinceræ mentis ſoliditatem corrumpat. Die 21. Nouembris.

Nulli quippe dubium eſt, quod fauor adulato polluat mentes decore plenos virtutum, ſicut ad Iſrael per Eſaiam dominus loquitur. Populeus, qui te beatum dicunt ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant. *Sapientem etenim, vt*

vulgò dicitur falsa laus increpat, verax ad meliora tendere prouocat. Adornet ergo eos in eo quod benè gesserint, fama laudabilis increpet, nec maculet amittendo feruorem, tepor vituperabilis. Cluant alij, si dignum imitatione quid gesserint, nec sibi in postmodum perniciosæ elationis damna attrahant ex commemoratione patratæ virtutis. Inseruerim ergo illa, quæ veris assertionibus experti sumus, fuisse patrata, vel prætermitti negligentiæ deputauimus. Multáque prætermissa sunt, quæ ex toto nequaquam meminimus, & pro parte aliquid scribere nullatenùs ratum duximus.

Quæ sunt ergo posita, duobus libellis intercidi, vt vno volumine legentibus fastidium amputarem. Primus B. Columbæ gesta perstringit: secundus discipulorum eius Attalæ, Eustachij, vel cæterorum, quos memini, vitam ediderit. Ea ergo vestro libramine pensanda censemus. Vt à vobis sagaci examinatione probata, à cæteris ambiguitatem pellant. Nam si quædam aliquis non ritè distincta, ac de industria corrupta repererit, reiicienda iudicabit, præsertim si doctorum facundia fultus, affatim scientia oppletus abundet. Nouerit tamen nos non ad hoc vestigia tendere, vt nos putemus doctorum gressibus coæquari. Illi rore eloquentiæ madentes, virides campos flore pinxerunt: nobis vix arida tellus arbusta gignere nouit. Illic dites balsami lachryma ex Engaldi, floréque aromatum ex Arabia: nobis ex hybernia vix butyrum pingueſcit. Illi piper, nardúmque sumunt ex india: nobis pinnifera iuga, apennina iuga, quæ Zephyriis rigeſcunt frigore flabris, vix tandem saliumculam præbent. Illi preciosi lapidis varietate gloriantur, nobis temerarium videtur Galliæ succino gloriari. Illi poma palmarum magnopere in peregrina dirigunt: nobis, iuxta Ausonium Poëtam, sunt molles castaneæ & mitia poma. Valete almi patres. Viri vigoris atque roboris, Deo dicati æterno.

VITÆ HISTORIA.

Quod tamen non nisi ad lectorem præfatiuncula est.

CAPVT PRIMVM.

EXimio virtutum fulgore micãtem atque rutilantem sanctorũ Præsulum & Monachorũ vitam. Illustres atque eruditi Patres multa solertia conscripsere, vt præclara priscorũ exempla, suauiter posteris redolerent. Egit hoc à sæculis rerum sator æternus, vt famulorum suorum famam efficeret sempiternam, & vt eorum res gestæ illis qui postea futuri essent exemplo forent, atque illorum meritis ventura soboles vel eorum facta imitando, vel memoriæ commendando gloriaretur. Ita B. Athanasius Antonij, Hieronimus Pauli & Hilarionis, aliorúmque, quos cultus bonæ vitæ effecerat laudabiles: Seuerus quoque & Posthumianus atque Gallus Martini memoriam nobis egregiè commendarunt: plerique etiam aliorum, quos aut fama, aut bonorum exempla operum, vel virtutum monimenta celebres reddiderunt: vt sunt columnæ Ecclesiarum Hilarius, Ambrosius, Augustinus: qui inter tot sæculi turbines & fluctuantem mũdum Ecclesiæ statum sustentarunt: ne aduersis dæmonum flatibus & hæreticorum importunis procellis vera fides contaminaretur. Quorũ nos exempla temerario sanè conatu secuti sumus, qui nec meritorũ ornamẽtis, nec facũdiæ copiis suffulti, nec exercitatæ scięntiæ fonte potati, eximij patris Columbani, qui nostris

floruit temporibus, hiſtoriam texere aggredimur. Sed tamen erit doctorum noſtrorum arbiter ille, qui eſt virtutum largitor immenſus qui ei & gratiæ ſuæ munera, & vitæ perennis donauit immarceſſibilem coronam.

De viſione eius matri vterum geſtanti oblata.

CAPVT II.

COlumbanus igitur, qui etiam Columba vocatur, in Hybernia ortus eſt, inſula in extremo ſita Oceano, ſpectante Titanis occaſum, dum vertitur orbis, & lux occiduas ponti deſcendit in vmbras. Inſulæ huius ſitus, vt ferunt, amœnus eſt & immunis ab armis & bellis exterarum nationum. Eam Scotorum gens incolit, gens quanquam cæterarum gentium legibus carens, attamen Chriſtianæ religionis dogmate florens, ita vt omnium vicinarum gentium fidem excellat. In ea natus eſt Columbanus inter ipſa fidei illic naſcentis primordia, vt fides, quam partim infœcundam gens illa habebat, eius & ſociorum illius exhortationibus culturáque vberi fœcundaretur. Sed prius quàm vitæ huius lucem caperet, quid acciderit non eſt ſilentio premendum. Cùm enim eius genitrix concepto fœtu grauida iam eſſet, nocte intempeſta ſopore depreſſa, vidit ſinu ſuo rutilantem ſolem, nimióque fulgore micantem, procedere & mundo ingens lumen præbere. Expergefacta deinde cœlo iam albeſcente, accuratè apud ſe penſitare cœpit, & ſagaci trutinare animo, ecquid tanta ſibi viſio velit: à vicinis quoque quos ſolertes doctrina reddiderat, petiit, vt eius vim & ſignificationem rimarentur. Audiuit tandem à peritis ſe egregiæ indolis puerum ſuo vtero continere, qui & ſuæ & proximorum ſaluti præclarè conſulturus eſſet. Poſtquam ergo mater eum edidit tanta curà ſeruauit, vt illis etiam, quorum habebat mores cognitos & exploratos, vix eum credere aut committere vellet, donec pubeſcens, Chriſto duce, ſine quo nihil boni agitur, bonis excolendis operibus animum applicaret. Nec immeritò è ſuo ſinu ſolem fulgentem prodire conſpexit. In Eccleſiæ enim quæ mater eſt vniuerſorum membris tanquam ſol ſplenduit dicente Domino: *Tunc iuſti fulgebunt, ſicut ſol in regno patris eorum.* Et Debora olim docta à ſpiritu ſancto: Qui autem inquit, diligunt te, ſicut ſol in ortu ſuo ſplendet, ita rutilent, vt enim axis æthereus ſtellarum diſtinctione & celebri lucis frequentia ſpecioſior eſt: vtque lux diei ſolis aucta ſplendore, mundo amœnior refulget: Ita corpus Eccleſiæ, conditoris ditatum opibus, ſanctorum augmentatum numero, ſcientiæ luce & religione niteſcit: vt ex doctorum frequentia, poſterorum lucra ſuccreſcant. Et ſicut ſol & luna, aſtráque omnia noctem atque diem ſuo ſplendore nobilitant, ita ſanctorum merita ſacerdotum Eccleſiam confirmant.

Viſio matris S. Columbani.

De eius ſagacitate & induſtria, receſſu è patria, & in cuius diſciplinam ſe tradiderit.

CAPVT III.

EXactis infantiæ annis, cum in pueritiæ ætate pubeſceret, liberalium litterarum ſtudiis & Grammaticorum litteris capaci ingenio operam nauare cœpit: In eáque per omne pueritiæ & adoleſcentiæ tempus perſeuerans, vſque in virilem ætatem eam magna animi conten-

Dat operam litteris.

Diabolus inſidiatur eius pudicitiæ.

tione proſecutus eſt. Sed cum eum formæ elegantia, corporis candor & nobilis pubertas omnibus gratum redderet, cœpit antiquus hoſtis in eum lethifera ſua intorquere tela: vt quem tanto cernebat pollere ingenio, ſuis ſi poſſet nexibus implicaret. Aggreditur igitur laſciuas puellas eius amore illas inflammat, maximè quas corporis perfunctorius decor horrendo deſiderio in miſerorum animos inſinuare & immergere ſolet. Sed cum egregius miles tot vndique telis appeti & vrgeri ſe conſpiceret, micantémque verſuti hoſtis ſicam in ſe vibrari cerneret humanæ fragilitatis non ignarus quam cito labendo mergatur: ſciens etiam, quemadmodum Liuius ait, *Nihil eſſe tam ſanctum religione, tamq; cuſtodia clauſum, quod penetrare libido nequeat:* Euangelicum clypeum læua tenens, enſemque ancipitem dextera ferens, contra immanes hoſtium cuneos ad pugnam ſe accingit, ne fruſtrato labore, quem non mediocri ingenio in Grammatica, Rhetorica, Geometria, & ipſis quoque ſcripturis diuinis conſumpſerat, ſæculi illecebris occuparetur. Acceſſit autem ad hanc rem etiam alius quidam ſtimulus, vrgens eum. Cum enim hæc animo ſecum volueret, ad cuiuſdam religioſæ, ac Deo dicatæ fœminæ cellulam venit. Cúmque eam prius ſubmiſſa voce ſalutaſſet, poſtea iuuenili quodam feruore eam acrioribus verbis caſtigare cœpit. Videns illa gliſcentem. In adoleſcente animi vigorem. Ego, ait, vtcunque potui ad bellum proceſſi. En quindecim voluuntur anni, ex quo domo & carui, & hunc peregrinationis locum expetiui, nec vnquam deinceps, Chriſto adiuuante manu ſtiuam tenens, retrò reſpexi. Et niſi fragilis ſexus obſtitiſſet mari tranſmiſſo, longioris peregrinationis locum petiiſſem. Tu verò adoleſcentiæ flammis etiamnum æſtuans, natale ſolum incolis, & ad fragiles voces, velis, nolis, fragilitate attrahente, aurem accommodas, atque fœmineum ſexum viſitare tutò te poſſe arbitraris? Non reminiſceris ſuaſu Adam prolapſum, Sanſonem à Dalila ſeductum, Dauid à priſtina Iuſtitia captum Bethſabeæ pulchritudine excidiſſe, ſapientiſſimum Salomonẽ mulierum amore deceptum? Perge igitur, ô iuuenis, perge euade ruinam, qua comperis multos corruiſſe: declina viam quæ ducit ad portas inferorum his dictis ſtimulatus adoleſcens, & vltra quam adoleſcentem crederes, territus gratias increpanti agit: ſodalibúſque valedicens, iter arripit. Mater autem dolore perurgente orat, ne ſe relinquat, at ille: Non audiſti, inquit, qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus? Obſiſtente verò matre & limini inhærente, poſtulat vt ſe ire ſinat. Eiulat illa, & in pauimentum proſtrata, negat ſe id permiſſurum. Tum ille & limen & matrem tranſiliens, orat eam vt bono ſit animo. Me quidem, inquit, in hac vita deinceps non videbis, ego enim quocumque me ducet ſalutis iter, eò iam progreſſurus ſum. Atque ita relicto natali ſolo, quod Lagenorum terram incolæ nuncupant, ad virum venerabilem, qui Senilis dicebatur ſe contulit: qui eo tempore ſingulari religione & ſcripturarum ſacrarum eruditione inter ſuos pollebat. Qui cum eum ſagacis ingenij eſſe videret, omnium diuinarum ſcripturarum ſtudiis eum imbuit: ſed ita tamen vt quemadmodum magiſtri è diſcipulis ſciſcitantur, cùm eorum volunt explorare ingenia, & vtrum magnos iam ſtudiis progreſſus fecerint, vel deſidia & inertia torpeant cognoſcere: ſic difficiles quaſdam ei proponeret quæſtiones, è quarum ſolutione de eius doctrina coniecturam caperet. At ille quãuis pauido ac ſagaci tamen pectore, ne immorigerus magiſtro videretur, non vanæ gloriæ actus vitio: ſed

magiſtro

magiſtro parere volens, quæſtiones obiectas luculenter diſſoluit, memor illius quod Pſalmographus habet: *Aperi os tuum, & ego replebo illud.* Vſque adeò verò in eius pectore diuinarum theſauri ſcripturarum conditi tenebantur, vt intra adoleſcentis metas conſtitutus, Pſalmorum librum elimato ſermone expoſuerit: multáque alia quæ vel cantari ſint digna, vel ad docendum vtilia conſcripſerit. *Eruditio S. Columbani.*

Vt ad Abbatem Commogellum venerit, & de Hybernia egreſſus ſit.

CAPVT IV.

DEinde verò operam dedit, vt monachorum adiungeretur ſocietati. Itaque Monaſterium Benchor petiit, cui tum præerat virtutum vbertate clarus Beatus Commogellus, egregius inter ſuos monachorum Pater, quíque religionis ſtudio, & regularis diſciplinæ cultu præcipuus habebatur. Ibi ſolis orationibus & ieiuniis vacare cœpit, & leue Iugum Chriſti in ſuos humeros recipere, ſemetipſúmque ſibi abnegando, & crucem ſuam tollendo, Chriſtum ſequi: vt qui aliorum doctor futurus erat, ipſe quod doctrina didicerat in ſuo corpore mortificationem ferendo, copioſius exemplo monſtraret, qui alij ab ipſo docti facere deberent. Cùm autem multos in eo monaſterio annos egiſſet, peregrinandi cœpit vrgeri deſiderio, memor illius dominicæ ſententiæ, qua dictum eſt Abrahæ. *Exi de terra tua & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtrauero tibi.* Itaque venerabili patri Commogello cordis ſui patefecit ardorem ignitumque igne domini deſiderium, de quo igne dominus in Euangelio loquitur, *Ignem veni mittere in terram:* quàm volo, vt ardeat? Ardentem, inquam ille patri patefecit affectum, ſed non ea patris reſponſa tulit, quæ ipſe maximè voluiſſet. Erat enim venerabili Commogello permoleſtum, tanta conſolatione deſtitui. Tandem tamen ſibi ipſe indixit, ne plus ſuæ neceſſitati ſtuderet, quam aliorum vtilitati opportunè pareret. Nec ſine omnipotentis arbitrio fiebat, qui Tyronem ſuum ad bella futura erudiebat, vt de eius victoria glorioſos referret triumphos, lautámque ſupellectilem ex cæſorum hoſtiis reportaret. Itaque accito eo, triſtem licet ſibi, tamen aliis ſententiam vtilem depromit, ſe & pacis ſymbolum, & ſolatia atque comites itineris, quos religio claros reddidiſſet, ſuppeditaturũ. Collecto autem fratrum cœtu, omnes admonuit ſuarum precum ſuffragiis impetrare à domino itineri quod Columbanus erat cum ſuis ſuſcepturus, ſolatia neceſſaria. Deinde Columbanus vigeſimum ætatis annum agens, cum duodecim comitibus iter ingreditur, & Chriſto duce ad littus maris accedit, ibi miſericordiam omnipotentis præſtolaturus, vt ſi illi viſum ſit, quod animo conſtituerant, ad effectum perducatur. Sentiunt interim clementis iudicis ſecum facere voluntatem: ſicque carinam ingreſſi, dubias perſequuntur vias: & proſperantibus Zephirorum flabris, pernici curſu in Britannicos perueniunt ſinus. Vbi pauliſper morantes, vires reſumunt, ancipitique animo anxia inter ſe conſilia agitant. Placet tandem arua Gallica expetere, & mores hominum accuratè indagare: & ſi ſpes effulgeat ſalutis illi afferendæ, aliquantiſper apud illos commorari: ſin obduratus arrogantiæ caligine illorum mentes reperiant, ad vicinas nationes commigrare. *Cum 12. ſociis ex Hybernis proficiſcitur.*

Vt in Gallias venerit, quam ſanctè illic cum ſuis verſatus ſit.

CAPVT V.

Magnus religionis tepor in Gallia.

A Britannicis ergo finibus progreſſi, ad Gallias tendunt: vbi tunc vel ob frequentes hoſtiles incurſus, vel Præſulum negligentiam, religionis virtus penè abolita videbatur. Tantùm Chriſtiana fides permanebat: pœnitentis medicamenta & mortificationis ſtudium vix paucis in locis reperiebantur. Agebat itaque venerandus vir, vt ad quæcumque progrederetur, loca verbum Euangelicum annunciaret. Idque ſanè gratum omnibus erat, quippe & facundia inſtructus erat, & ea, quæ pro concione dicebat, virtutum exemplis confirmabat. Tanta autem in illis humilitatis gratia inerat, vt quemadmodum homines mundo dediti, ad honores & dignitates adſpirant, ſic illi inter humilitatis cultu & exercitatione alij alios anteuertere niterentur, memores ſententiæ illius, *Qui ſe humiliat exaltabitur*, & quod Eſaias ait: *ad quem reſpiciam niſi ad humilem & quietum, & trementem ſermones meos?* Tanta pietas, tanta charitas erat in omnibus, vt vnum illis eſſet & velle & nolle. Modeſtia & ſobrietas, manſuetudo & lenitas, in cunctis cernebantur. Deſidiam, & diſcordiam pariter execrabantur arrogantiæ & elationis ſupercilium duris caſtigationum ictibus feriebatur. Ira atque liuor ſagaci intentione pellebantur. Tanta patientiæ virtus, charitatis ſtudium lenitatis cultus eis aderat, vt mitem Dominum Ieſum in medio illorum habitare ambigi non poſſet. Quod ſi quis in vita contraria prolapſus eſſet, ſimul omnes negligentem pari iure corrigere ſtudebant: Communia omnibus omnia erant. Si quidpiam proprium aliquid vſurpare tentaſſet, à cæterorum conſortio ſegregatus, pœnitentia id expiare cogebatur. Nemo auſus fuit, ſi læſus eſſet à proximo, par pari referre, nemo aſperum proferre ſermonem: ita vt inter homines illos planè angelicam agi vitam cerneres. Denique tam ad omnes gratioſus erat Beatus Columbanus, vt in quoruncumque domibus aliquantiſper commoraretur, omnium animos ad religionis ſtudium inflammaret.

Virtus S. Columbani & ſociorum.

Nihil apud eos Licet habere peculij.

Vt Rex Sigibertus eum exceperit, vtque in eremo ſibi habitationem inſtituerit.

CAPVT VI.

PEruenit inter hæc fama beati viri in aulam Sigiberti regis, qui illo tempore duobus regnis Auſtraſianorum, & Burgundiorum inclytus, apud Francos rerum potiebatur, quorum præ cæteris Galliarum populis eximium nomen habetur. Ad quem cum vir ſanctus cum ſuis acceſſiſſet, gratus regi & aulicis effectus eſt, ob egregiæ doctrinæ copiam. Tandem rex ab eo petiit, vt intra Galliarum terminos reſideret, nec ſe ſuoſque ad alios commigrando relinqueret, quicquid voluntas ipſius expoſceret id ſe præſtiturum affirmans. Ille verò ait ad Regem, non ſe alienas conſectari opes, ſed Euangelicæ doctrinæ, quantũ carnis admitteret fragilitas, velle exhibere ſectatorem. *Qui vult*, inquit Chriſtus, *poſt me venire abneget ſemetipſum ſibi, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Reſpondit Rex. Si Chriſti crucem tollere, eum ſequi deſideras, potiùs eremi ſectare quietẽ: tantum in noſtrę ditionis relicto

relicto ſolo ad vicinas abeas nationes, vt & tibi augmenta præmiorum compares, & noſtræ ſaluti opportunè prouideas. Id vbi audiunt Columbanus, obtemperauit regis perſuaſioni, eremumque petiit, quæ Veſagus dicebatur, vaſtam ſanè, in qua caſtrum erat olim dirutũ, quod antiquitus Anagratas nuncupabant. Ad quod cum vir ſanctus per aſpera vaſtę ſolitudinis ſcopuloſaque peruenisſet loca, ibi cum ſuis reſedit, exiguo alimento contẽtus, animo commemorans illud diuinæ ſcripturæ, non in ſolo pane viuere hominem, ſed verbo vita ſatiatos, multis abundare dapibus: quas qui guſtarit, nunquam poſſit eſurire.

Sibertus rex precibus eum apud ſe retinet.

Vt alimenta ei in eremo degenti in ſumma inopia, allata ſint, & vt multos curauit.

CAPVT VII.

EO ergo in loco viro Dei cum ſuis commorante, ſubitò vnum è fratribus, vel ob probationem, vel ob culpam aliquam febris corripuit. Sed cùm nulla alimentorum ſolatia adeſſent, præter cortices & herbas, omnium animis id inſpiratũ eſt, vt pro ægri fratris ſopitate, ieiunio & orationi vacarent. Tertiò iam ieiunij peracto die cùm nihil haberent, vnde feſſa corpora reficerent de repente conſpiciunt virum quendam panibus & pulmẽtis, onuſtos equos ad fores adduxiſſe. Iſque referebat ſe repentino quodam cordis inſtinctu impulſum, vt eis ex ſua ſubſtantia ſubueniret, qui tantam egeſtatem pro Chriſto, in eremo ſuſtinerent. Oblatis itaque viro Dei quæ attulerat, humiliter rogauit, vt vir ſanctus, pro coniuge ipſius Dominum deprecaretur, quam toto anno tantus vaſtaſſet febrium ardor, vt eius vita planè deſperaretur nolens autem vir ſanctus homini anxio negare ſolamen adhibitis fratribus, pro ea miſericordiam Domini implorauit, finitis precibus illa, cui iam mors imminebat illicò ſanitati reddita eſt vbi vir eius, percepta B. Columbani benedictione, domum rediit, coniugem ſuam ſedentem vidit, ſciſcitatuſque, qua hora eam febris reliquiſſet, reperit ea hora fuiſſe ſanatam, qua vir Dei pro ea Dominum deprecatus erat: tranſacto deinde paruo temporis interuallo, quo capiti Chriſto pias mentium expiationes, per contritionem carnis, iniuriaſque famis mortificata Deo membra offerent, ac inuiolatum religionis ſtatum obſeruare contenderent, duris acerbitatibus, omnis frangebatur voluptas: vt videlicet prædo virtutum omnium, expoliator criminum foret. Nouem iam tranſierant dies, quibus vir Dei cum ſuis non alias caperet dapes, quam arborum cortices, herbaſque ſaltus: ſed tẽperauit eſcæ ariditatem pietas virtutis æternæ, quæ per viſum admonuit Abbatem Catãtocum, qui Monaſterio, cui Salicis nomen eſt præerat, vt famulo ſuo Columbæ, in eremi vaſtitate degenti, neceſſaria deferret expergefactus Crantocus cellarium ſuum Marculphum vocat, narrat quid in viſu admonitus ſit, at ille, fac, inquit, vt imperatum eſt tibi, iubet ergo Crantocus Marculphum ire, & quæcumque apparere poſſet, B. Columbano deferre. Oneratis vehiculis Marculphus iter arripit, ſed cùm ſolitudinem attigiſſet, nulla apparet via qua ſit eundum, tandem viſum eſt, vt, ſi hæc Dei eſſet voluntas, præmiſſis equis, imperantis potentia viam aperiret. Mira virtus antecedentes equi per ignotum iter, vngula ſolum terunt, rectoque itinere ad fores Beati Columbani perueniunt. Admirabundus Marculphus equorum veſtigiis inſiſtit, ad virum Dei peruenit ea quæ attulerat repreſentat, ille gratias conditori, qui ſic famulis ſuis pararet menſam in deſerto. Percepta eius benedictione, Marculphus recedit, omni-

Quidam diuinitus admonitus ei affert alimenta.

Sanat fœminã moribundam.

Vide Inediam.

Abbas quidam mittit ei eſcam.

Nota miraculum.

buſque rem geſtam patefacit. Cœpit exinde frequens populus, & ægrorum turba, ob ſanitatem redintegrandam ad eum confluere, & morborum omnium expetere medicinam. Quos cum à ſe auertere non poſſet, omnium petitionibus parens, orationum medicamine, cunctorum morbos, diuino fultus auxilio, curabat.

Multos ſanat morbidos.

De conſtantia eius in quadam graui tentatione.

CAPVT VIII.

CVm autem his in locis per opaca ſaltus inter deuia virDei deambularet, librumque humero ferens, de ſcripturis ſacris ſecum conferret, ſubitò eius animo incidit cogitatio, vtrum potiùs eligeret hominum iniurias perpeti, an ferarum ſæuitiam ſuſtinere. Quæ cogitatio cum illi importuna eſſet eumque vehementer vrgeret crebro frontem ſigno crucis armans atque orãs intra ſe ait, præſtare beſtiarum ferocitatem abſque alieno peccato, quam hominum rabiem cum damno animarum, perpeti. Cumque hæc animo voluereret, conſpicit duodecim aduentare lupos & dextra læuaque medium ipſum cingere. Attamen manet immotus, aitque: *Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me feſtina.* Accedunt lupi propius oraque ſua ad eius veſtimenta adiungunt. Sed cum ille conſtans permaneret, interritum relinquunt, & per ſaltum peruagantur. Ea tentatione ſuperata ſecurus per ſaltum iter capit nec procul abierat, cum ecce audit voces frequentium Sueuorum per auia oberantium, qui per id tempus illis in locis latrocinia exercebant. Sed ea quoque tẽtatione animi cõſtantia profligata, ex rebus aduerſis victor euaſit, ſed hoc vtrum diaboli fallacia finxerit, an re vera ſic ſe habuerit, perſpicuè nõ cognouit. Alias etiam à cellula exiens, longiorique via vaſtam eremum penetrans, reperit ſaxum immane, præruptaque cuiuſdam rupis latera, terga ſcopulis aſpera, hominibus inacceſſa ſimulque cernit in caute ſinũ concauum, volenſque abdita perſcrutari, in eum ingreditur. Et ecce videt vrſum in interiori ſinu ſuum habere habitaculum, atque illic reſidere, iubet ergo manſuetè abire feram, nec deinceps eos repetere calles. Abiit fera mitis, nec prorſus auſa fuit eò repedare. Diſtabat locus ille ab Anagrata plus minus ſeptem milliaribus.

Importuna cogitatio quã eum infeſtat.

Vrſum iubet abſcedere.

De mira eius abſtinentia, & vt aquam è petra produxerit.

CAPVT IX.

SOlebat autem vir ſanctus, cũ dominicæ diei aut quorumlibet, ſanctorum ſacratæ ſolemnitates aduentarent ab aliorum ſocietate ſeparatus. In loca abdita ſe recipere, & longioris ſpatij eremi ſecreta expetere, vt ſolida & tranquilla mente, abſque curarum inquietudine, ſolus orationi vacaret, & religioni omni conatu intenderet. Ita etiam aliquando in hac ſcopuli cauerna ſolitariam vitam ducens adeò fuit inedia confectus & attenuatus, vt vix illum viuere putares. Non enim aliud ſuppetebat penitus, niſi agreſtium herrum exigua menſura, vel pomorũ patuulorum, quæ eremus illa ferebat, quæ vulgò Bullugas appellant. Potus aqua erat: volebat autem ita ſe gerere, vt qui aliorum curis occupatus, ſemper hæc æquè perficere non poſſet, ſaltem per interualla temporum pro parte animi ſui deſiderio ſatisfaceret. Erat autem in Monaſterio puerulus quidam, Domoalis nomine qui ſolus ad illum referre ſolebat ſi qua monaſterij negotia extitiſſent fratribus obſeruanda, ab illo reportare.

Dominicos & feſtos dies vt coluerit.

Mira eius inedia.

portare. Cùm ergo multis diebus in illo ſinu eminentis ſaxi ad quem vix patebat acceſſus, vir beatus reſediſſet, puerulus ille clàm ab eo perquiſiuit, cur in promptu aquam non haberet, ſed grandi eam labore per mõtis ardua feſſis poplitibus apportaret. Cui Columbanus, fili, inquit, pauliſper ſaxi ſciſcitare, Memento, dominum populo Iſrael è caute latices produxiſſe. Tum ille patri obediens rupem cædere aggreſſus eſt. Sanctus autem vir ſtatim in genua ſe ſubmittens, dominum deprecatur, vt tribuat ſuę neceſſitati oportuna. Tandem eius precibus parens, piè petenti larga ſubuenit poteſtas. Mox erumpente aqua, fons cœpit manare perennis, qui vſque in preſens permanet. Nec immeritò miſericors dominus ſanctis ſuis largitur ea, quæ petunt, quandoquidẽ propter præcepta eius, proprias crucifixerunt voluntates: tantáque fide præditi ſunt, vt quę ab illius miſericordia petunt, ea ſe impetraturos non dubitẽt. Ille autem promiſit: *Si habueritis fidem ſicut granum Synapis, dicetis monti huic, tranſi, & tranſibit: & nihil impoſſibile erit vobis:* & alibi: *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis & venient vobis.*

E ſaxo aquã elicit precibus.

Vt Luxouienſe Monaſterium condiderit, & multi ad eum ſe adiunxerint.

Caput X.

CVm iam multi ſe in eius contubernium & ſocietatem monachi adiunxiſſet de commodiori in ea heremo inquirendo loco cogitare cœpit, vbi Monaſterium conſtrueret: inuenit autem caſtrum quoddam, quod olim munitiſſimum fuiſſet, à ſupradicto loco diſtans plus minus octo milliaribus, priſcis temporibus Luxouium nuncupatum: vbi etiam thermæ ſiue aquæ calidæ eximio operæ extructæ habebantur. Multæ illic ſtatuæ lapideæ erant, quos cultu miſerabili rituque profano pagani quondam coluerant, execrabilibus eas cęremoniis proſequentes. At nunc ſolæ illic feræ belluæ, vrſi bubali, lupi frequentes viſebantur: ibi ergo vir egregius monaſterium conſtruere cœpit. Cuius rei fama cùm percrebuiſſet, multi vndique eo aduolare, & religionis ſtudio ſeſe dicare cœperunt: Ita vt in eum numerum Monachorum frequentia excreſceret, vt vnius Monaſterij collegio vix contineri poſſe viderentur. Accurrebant vndique etiam nobilium filij, vt ſpretis mundi huius oblectamentis, diuitiiſque calcatis, æterna præmia capeſſerẽt: cernens autem Beatus Columbanus vltro citróque homines ad pœnitentia remedia aduolare, nec vnius cœnobij limitibus tantam multitudinem abſque multa difficultate comprehendi poſſe: (quamuis enim animus & cor vnum eſſet omnium, non tamen id tantæ multitudinis conuerſationi congruum videbatur) alium inquiſierit locum quẽ aquarum copia ornaret. Quo reperto, aliud illic Monaſterium ædificauit, quod fontanas voluit appellari: eiq; præpoſitos dedit, & gubernatores de quorum religione nemo dubitaret, his ergo in locis cum Monachos inſtituiſſet, ipſe viciſſim illis aderat, canonémque ſiue regulam, quam ſequerentur, ſpiritu ſancto plenus condidit: ex cuius lectione prudens lector vel auditor facilè poteſt animaduertere, quanta viri ſancti fuerit diſciplina.

Extruit Luxouienſe Monaſterium.

Item fontanenſe.

Præſcribit monachis canonem.

De piſcibus non abſque miraculo partim repertis, partim captis.

Caput XI.

PEr id tempus quidam frater Anthigernus pulſare eum precibus cœpit, vt in hyberniam ſibi liceret peregrinandi cauſa proficiſci. Cui Colum-

banus ait: Eamus in heremum, & Dei voluntatem exploremus, num optatum debeas iter arripere, an verò in cœtu fratrum permanere. Pergentes ergo simul, adolescentem Sommarium qui etiamnum supereſt, comitem sibi adiungunt, & ad destinatum eremi locum perueniunt, vnius tantum panis alimonia contenti. Cúmque iam duodecimus transiisset dies, nec vllum panis fragmentum remansisset, hora refectionis appropinquante, iubet pater vt in imam vsque vallem per agri prærupta se cõferant, & quicquid alimenti repererint secũ adsportent. Illi lætabundi per concaua vallis, ad Mosellam vsq; perueniunt, inueniúntque quinque magnos pisces captos, dudum à pastoribus vndis expositos atque ex iis tres, quod adhuc viuerent, patri præsentando tollunt. Cum autem venissent ad eum: Cur, inquit ille, non omnes quinque attulistis? Illis respondentibus, se eos mortuos reperisse, atque ea causa apportare noluisse: nequaquam, inquit, vir Dei, ex his comedetis, nisi quos reliquistis allati fuerint: at illi miraculo perculsi, quod prophetico spiritu eum absentia cognouisse intelligerent, pernici cursu, locum repetunt. Deinde obiurgati quod repertum manna reliquissent cibos parare iubentur. Nouerat ille, quippe plenus spiritu sancto, à Domino sibi passim escas præparari. Alio quoque tempore in eadem solitudine, non tamen eodem loco illo commorãte, post quinquaginta exactos dies solus Gallus ei frater aderat, imperat ergo illi, vt ad Bruscam eat piscésque capiat. Abiit ille, sed consultius visum est ei, vt ad Ligonem amnem pergeret. Quo cum peruenisset, & rete in alueum iactasset, aspexit magnam quidem piscium aduenire multitudinem, nec tamẽ reti contineri, sed perinde ac si in parietem impingerent, retro reuerti. Laborauit itaque tota die nec vel vnum piscem capere potuit. Reuersus, indicat Patri fruſtratos labores suos, ille inobedientem increpat, cur non ad denunciatum se se contulisset locum: iubétque citò eò accedere: pergit ille, mittit rete in aquas, & vix potest præ copia piscium illud ad se retrahere. Hæc nobis Gallus ille sæpè narrauit.

Pœnitentia inobedientiæ.

Vt obedientes fratres morbis liberati, inobedientes diu illis affecti sint.

CAPVT XII.

MOratur alio rursus tempore in eo scopuli sinu, à quo Vrsum expulerat, vbi diu oratione & ieiunio corpus afflixerat. Cognouit autem per reuelationem fratres qui Luxoui erant, diuersis morborum generibus vexari: nec plures supereſſe incolumes, quam qui ægrotis ministrarent. Egressus itaque de specu, Luxouium venit, cúmque omnes afflictos, cerneret, iubet omnes surgere, & messem in area virgis cædere. Surrexerunt ergo quorum conscientiam feruor obedientiæ incendebat, ad areámque venientes, virgis fruges cædere ardenti fide aggressi sunt. Videns autem Pater fidem in filiis, & obedientiæ gratiam abundare: Sinite, inquit, fessa ægritudine membra à labore recreari. Mirantur obedientes fratres, nullo doloris vestigio remanente, integra se sospitate frui. Iubet Pater apparari mensas, vt vberi gaudio omnes reficerentur. Increpat deinde inobedientes, arguit fidei ignauiam, ægritudinis longam moram denunciat. Mira vltrò supra anni tempus immorigeros morbi dolor tam vehementer attriuit, vt vix mortem euaderent: Impleuerúntque mensuram pœnitentię pro admissa inobedientiæ ratione.

Obedientia & inobedientia diuersi effectus.

Vt in

Vt in imbre ſine imbre ſegetes cum fratribus meſſuerit.

CAPVT XIII.

ADerat quandoque tempus, quo ſegetum copia in horrea conderentur, nec tamen vis ventorum nubes cogere ceſſabat. Vrgebat verò neceſſitas, ne maturæ meſſis ſpicæ in ſtipula miſſo germine deperirent. Erat tum vir Dei apud Fontanenſe monaſterium, vbi meſſium copiam nouus ager locupletem attulerat. Irruebant interim ventorum flabra cum multa vi imbrium nec omninò atræ nubes terris pluuiam fundere intermittebant. Quid inter hæc ageret vir Dei, anxio pectore penſitabat. Armauit verò mentem fides, docuit à Deo impetrare opportuna: accerſit vir Dei fratres omnes, ſegetem præcidi iubet: mirantur illi patris imperium, nec tamen quiſquam ei dicit, quid ſentiat. Veniunt omnes inter diffuſos imbres falcibus ſecant fruges, obſeruant quid pater facturus ſit. Ille quatuor inſigni religione viros per quatuor meſſis angulos diſponit, puta Conimium, Eunocum atque Aconanum ex Scotorum genere, quartum Gurganum natione Britonem. Ipſe cum reliquis medius præcidit ſegetes. Mira virtus fugiebat imber à ſegete, & cum vndique funderetur pluuia, medios tantum meſſores ſolis torrebat ardor æſtúſque vehemens, donec meſſem conderent, afflauit. Sic fides & oratio promeruit, vt pulſa pluuia, æſtum inter imbres haberent. *Inſigne miraculum.*

Vt fœcunditatem ſuis precibus impetrarit cuidam potenti fœminæ.

CAPVT XIV.

EEa tempeſtate dux Vualdelenus gẽtes, quæ inter apiũ ſepta & Iurani Iſaſtus arua degunt, ſuo imperio continebat. Ei vero ſoboles nulla erat, gratius vt donum iam deſperantibus eſſet, quemadmodum iuuencus de Zacharia & Elizabeth ait. Itaque cum coniuge Flauia, & nomine & genere & prudentia nobili ad beatum Columbanum à Veſontionenſi oppido venit: orant pariter virum Dei, vt pro ipſis Dominum deprecetur: aiunt ſe multis ditatos opibus, ſed cui poſt obitum eas relinquant, hæredem ſe non habere. Quibus vir ſanctus: Si filium, inquit, naſciturum Domino conſecrare voletis mihique è baptiſmo ſuſcipiendum tradere, Domini clementiam pro vobis ego implorabo, vt non eum duntaxat, quem domino ex voto efferetis, ſed quot libitum erit, poſt illum liberos procreetis. Læto illi promittunt animo ſe eius iuſſis obſecundaturos, modo ne deſinat Domini pro ipſis miſericordiam implorare. Spondet vir Dei donis cœleſtibus plenus, ſe haud difficulter impetraturum, ſi tamen dent ipſi operam, ne pactum fœdus violent. Mira res vix domum redeunt, & iam grauida matrona futuram expectat prolem. Natum filium ad ſanctum adducit virum: Eius precibus impetratum munus oſtentat, agit grates conditori, qui ſic ad preces famulorum ſuorum optata dona largitur. Infantem vir ſanctus accepit in manus ſuas, ſacro expiatum lauacro ſuſcipit, Donati nomen ei imponit, matríque nutriendum reddit. Qui poſtea in eodem monaſterio ſapientia imbutus, atque deinde Veſotionenſis pontifex factus, nunc vſque ſupereſt, eandem cathedram regens. Beati autem Columbani amore monaſterium virorum, qui eius ſeruarent Canonem, conſtruxit: quod quidem Palatium vocant, ob veterum monumenta murorum. Addidit autem benignus Deus parentibus eius alterum filium, vt erat pollicitus beatus Columbanus, eumque Ramellenum appellarant, qui nobilitate & *Sterilis matrona facile obtinet fœcunditatem.* *Donatus Epiſcopus Biſuntinus.*

ſapientia pollens, poſt deceſſum patris,ei ſuffectus eſt,habitu quidem ſæcularis,ſed in Dei amore vigil. Nam & ipſe ſtudio beati viri in ſaltu Iurenſi ſuper Nouiſenam fluuiolum, eius regulæ ſiue inſtituti monaſterium condidit, cui Siagium Abbatem præfecit. Poſt Ramelenum natæ ſunt etiam duæ filiæ, ſæculo nobiles,ſed diuino timori addictæ.Poſtquã autem Vualdelenus obiit Flauia vxor eius monaſterium puellarum Veſontione extruxit, idque modis omnibus communiens, multas in eo puellas congregauit, vſque adeò apud illos gratioſus fuit beatus Columbanus,vt omnia mundi huius oblectamenta ſpernentes ad præpotentis Dei cultum anhelarent.

De Theodegeſili digito ſecto & Sanato,idemq; de corui obedientia.

CAPVT XV.

HOc loco ſi qua inſerere velimus, quæ hominibus exigua videantur, obtrectatorum latratibus ea patebunt. Attamen benignitas & liberalitas conditoris æque in minimis, vt in magnis clementer adſpirat: nec minus in modicis quam in maximis petentium vota exaudit.Cum aliquando vir egregius Columbanus ad præcidendas ſegetes cum fratribus apud Calmem,quã Buniariciam vocant, aduenisſet, & blando commodóque flante auſtro falce fruges ſecaret Theodegiſilus frater digitum falce ſibi præcidit.Ita vt nonniſi parua pellicula manui adhæreret. Eum autem vir Dei procul intuitus iubet cum ſodalibus cœptum opus perficere. At ille quid ſibi acciderit indicat. Mox ad eum properat vir Dei,digitum ſaliua ſua linit, hominémque illico ſanatum, iubet maiori contentione in cœptum laborem incumbere. Ille lætabundus duplicat laborem,& præ cæteris alacriùs ſecat fruges, cum dudum, ob præciſum digitum,animum mœrori ſubdidiſſet.Hæc nos ab ipſo Theodegiſilo accepimus qui etiam digitum nobis monſtrauit. Aliud quiddam haud diſſimile in Luxouienſi cœnobio contigit. Presbyter quidam & Parochus, pater Boboleni, qui nunc Bobienſi cœnobio præeſt Vuiniocus nomine, ad beatum Columbanum venit,qui tunc cum fratribus in ſaltu erat ob ligna opportunè paranda.Cum autem vuiniocus admirabundus adſpiceret,quanta vi truncum quercus cuneis arietéque finderent,è trunco exiliens cuneus, mediam eius frontem ſcidit, ita vt è venis multus manaret ſanguis. Videns autem vir Dei Columbanus ſectum eius os, ſanguinémque profluentem mox in terram Domino preces oblaturus ruit,ac deinde ſurgens, ſaliua eum perungens, adeò ſanum reddidit vt vix vllum cicatricis veſtigium remaneret. Alia quoque vice cum ad cibum capiendum veniret beatus Columbanus in cœnobio Luxouienſi, tegumenta manuum, quæ Galli vuncos vocant, quibus in laboribus vti ſolebat, in lapidem,qui ante refectorij fores erat, diſpoſuit.Cumque accubuiſſet menſæ,coruus rapax aduolans, vnum ex eis roſtro comprehenſum abſtulit.Peracta refectionis hora vir Dei foras egrediens tegumentum illud requirit:Cumque omnes inter ſe conquirerent quis abſtuliſſet,vir ſanctus ait, nullũ alium eſſe qui ſine arbitris vel ſocio attingere aliquid auſus eſſet,niſi alitem qui à Noë dimiſſus,ad arcam non remeaſſet,addiditque ſe nullo modo eius pullos aliturum, niſi furto abreptum,celeri volatu referret expectantibus ergo fratribus, in medium eorum coruus aduolat, male ſublatam rem roſtro reportat: nec tamen pennigera ſe fuga ſubducit, ſed oblitus ferocitatis ante omnium conſpectum comiter ſubſiſtens vltionem expetat: At vir ſanctus cum abire iubet. O miram æterni

Saliua ſua ſanat digitum præciſum.

Item alterius graue.

Coruus reſtituit quod abſtulerat.

æternì iudicis virtutem, qui tanta ſuis præſtat famulis vt non ſolùm humanis honoribus, ſed etiam auium obedientia clareſcant.

Vt Ceruiſia ablato epiſtomij vertibulo non effluxerit è vaſe.

CAPVT XVI.

EST deinde aliud patratum miraculum & per beatum Columbanum & Cellarium eius. Cùm refectionis appropinquaret hora, & miniſter, refectorij vellet promere ceruiſiam (quæ ex frumenti vel hordei ſuccis decoquitur, quaque præ cæteris in orbe terrarum gentibus, præter Scoticas & Dardanas quæ Oceanum incolunt, vtuntur nempè Gallias, Britannia, Hybernia, Germania, cæteræque quæ ab eorum moribus non diſcrepant) vas quod Typrum nuncupant, in cellarium deportauit, & ante vas in quo erat ceruiſia, depoſuit extractoque epiſtomij vertibulo, in illud ceruiſiam excepit. At ſubitò quidam è fratribus Columbani Abbatis iuſſu eum euocauit. Tum ille obedientiæ flamma feruens, oblitus epiſtomium obſtruere, pernici curſu ad beatum virũ properauit vertibulum manu tenens. Poſtquam autem vir Dei ſua ei mandata deprompſit, ille recordatus negligentiæ, ocius rediit in cellarium, ſuſpicans nihil in vaſe ceruiſiæ remanſiſſe. Cernit autem vltra typrum vſque adeo exceſſiſſe ceruiſiam, vt duplo altior typrus videretur, nec minimam tamen guttam decidiſſe in terram: ita vt tanta emineret ſupra vrnam ceruiſia, quanta erat intra illius coronam ſiue ambitum. En quantis imperantis meritum, quanta obedientia obtemperatis, quibus factum eſt, vt dominus vtriuſque merorem auerteret, ne ſi fratrum ſubſtantiam & iubentis & obedientis ardor diminuiſſet, ambo licita ſibi ipſis alimenta interdicerent. Itaque æquus arbitrer interceſſit, vt vtriuſque culpam aboleret. Vterque enim ſua noxia ſuóque vitio eueniſſe aſſeruiſſet, ſi quid illic incommodi accidiſſet.

Præclarum obedientiæ miraculum.

De quibuſdam aliis beati viri miraculis.

CAPVT XVII.

EODEM tempore per denſa ſaltus viburna, quę propè Fredemungiacas calmen erant, vir Dei fruticum ſolitudinis amator inambulans, vidit cadauer cerui, quem feri lupi premerant, viſum deuorare velle. Eius enim ſanguinem lambens, iam exiguã carnis partem comederat. Acceſſit ergo ad eum vir Dei, iuſſitque ne corium carceis conficiendis neceſſarium lædere auſus eſſet. Mox beſtia ferocitatis oblita miteſcet, & contra naturam ſuam blandiens, & colla ſubmittens, abſque murmure cadauer relinquit. Vbi autem vir Dei ad fratres rediit, indicauit eis locum, iuſſitque vt irent & cerui pellem abſtraherent. Abeunt fratres cernunt vndique rapacium alitum multitudinem procul abeſſe, nec contra viri Dei interitum ad cadauer propius accedere audeor. Diu interim expectant eminus, viſuri num vel fera, vel auis audaci conatu tandem vetitam ſit inuaſura eſcam. Et illas quidem odore cadaueris illectas aduentare conſpiciunt, ſed tamen procul ſubſiſtere, & perin de atque mortiferum quiddam, cadauer illud vitare, denique celeri fuga ſe ſubducere. Alio tempore B. viro Luxouij degente, Vuiniocus præsbyter, cuius ſupra fecimus mentionem ad eum venit, ſequebaturque eius veſtigia quocunque ire vellet. Venerunt autem ad horreum in quo frumenta

Mira virtus ſancti viri.

condebantur. Cernit autem Vuiniocus exiguam illic frumenti copiam, ait viro Dei, quod non habeat ſatis ad tantam alendam frumenti multitudinem, arguit eum torporis & deſidiæ, quod non det operam frumento conquirendo. Reſpondit autem ei beatus Columbanus: Si ita, vt par eſt, homines ſuo ſeruiant conditori, nunquã famen patientur. Sic enim, Pſalmagraphus habet: Non vidi iuſtũ derelictum, nec ſemẽ eius quærens panem. Perfacile horreum complet farina, qui quinque panibus quinque millia hominum ſatiauit. Manente verò ea illic nocte Vuiniaco, viri Dei fide & precibus horreum completum eſt. Manéque conſurgens Vuiniacus, cum iuxta horreum tranſiret, inopinatò illud cernit apertum, ſciſcitatúrque ex cuſtode horrei, quis frumentum miſerit, aut quibus plauſtris eò aduectum ſit. Ait ad eum cuſtos, Non ita eſt, vt putas, inſpice num qua plauſtrorum vel iumentorum telluri impreſſa veſtigia appareant. Nequaquam à me claues, hac nocte receſſerunt, ſed obſerato granarij oſtio diuina benedictione frumento illud repletum eſt. At ille intentis oculis de induſtria contemplatur terram, num ſint illic aſportantium fruges relicta veſtigia: ſed cùm nihil extaret eiuſmodi: Poteſt, inquit, Dominibus ſeruis ſuis parare menſas in deſerto. Exacto inde aliquanto temporis interuallo, venit beatus Columbanus ad Fontanenſe cœnobium reperitque fratres ſexaginta ſarculis terram excolere & iacendo ſemini arua præparare. Cúmque videret eos magno labore glebas frangere: Sit vobis, inquit, fratres à Domino parata refectio. Audiens id miniſter, pater mi, ait, non ſunt nobis niſi duo panes, & paululùm ceruiſiæ. At ille abi, inquit, & affer huc. Concitò gradu properat ille, & attulit quod iuſſus erat. Tum beatus Columbanus in cœlum ſuſpiciens? Chriſte Ieſu, inquit, vnica ſpes orbis, tu hos panes & hunc potum multiplica, qui de quinque panibus quinque millia in eremo ſatiaſti. Mira res. Comederunt omnes & ſaturati ſunt: hauſtóque potu, prout cuique libitum fuit, dupla miniſter fragmentorum ſpolia collegit, potúſque duplicatam menſuram. Sicque intellexit plus mereri fidem digna diuini muneris beneficia, quam deſperationem quæ ſoleat etiam diminuere collata. Cum quodam tempore in Cœnobio Luxouienſi vir Dei commoraretur, accidit vt vnus è fratribus, qui & ipſe Columbani haberet nomen, febre correptus, atque in extremis poſitus fœlicem poſtularet exitum. Cúmque iam vltimum velle efflare ſpiritum, ſpe bona fetus cœleſtis capeſſendi muneris, quod longo quæſierat famulatu, vidit ad ſe virum, multa luce amictum, accedere ſibique dicere: Non te iam poſſum à corpore educere orationibus & lachrymis Columbani patris tui impeditus. Ille hæc vt audiuit, mœrens ac ſi è ſomno euigilaſſet, miniſtrum ſuum Theodegiſilum, cuius ſupra meminimus appellauit: feſtina, inquiens, & communem Patrem Columbanum ad me venire compelle. Abiit ille properè, & beatum Columbanum in Eccleſia flentem reperit, orátque vt ad ægrotum feſtinans accedat. Venit ergo perniciter, & quid velit percuntatur. At ille, cur me, inquit, tuis precibus in hac ærumnoſa vita detines? Adſunt enim quo me ducere velint, niſi tuis lachrymis & precibus præpedirentur. Retentionis ſolue obſtacula, vt mihi iam cœleſtia regna pateſcant. Tum animo perculſus Columbanus, ſigno dato omnes adeſſe iubet, ſodalis amiſſionem gaudio temperat, Corpus Chriſti de hac vita abeunti viaticum præbet, & poſt ſuprema oſcula defunctionis ſanctus perſoluit. Erat is ſanguine coniunctus Beato Columbano, & cum illo

Vacuum horreum eius precibus impletur frumento diuinitus.

Diuinitus augentur duo panes & ceruiſia.

Nota vim precum viui.

illo ex hybernia profectus fuerat : parebam etiam illi beſtiæ & volucres, ſicut viro Dei Columbano : de quo nobis referre ſolebat Clagnoaldus Lauduni clauati Pontifex , qui eius miniſter & diſcipulus fuerat, cum in eremo precibus & ieiunio vacans deambularet, & ſæpè eum , ſe inſpectante, feras belluas & aues accerſiſſe ,'eaſque ad eius imperium ſtatim aduenisſe illũ vero blanda manu eas attrectaſſe feraſq; & aues mirè lætabundas & ludibundas, vt ſolent catuli coram Dominis ſuis exultaſſe. Sæpè etiam illum ab altiſſimis arboribus euocaſſe Sciuros manibus eos apprehendiſſe collo ſuo impoſuiſſe atque illos in ſinu eius intraſſe, & inde exiſſe.

Fera & aues obediunt illi.

Vt eum reuerenter acceperit Theodoricus Rex, vtque is ab eo ſit obiurgatus.

CAPVT XVIII.

CReuerat iam paſſim ſancti viri fama in vniuerſis Galliæ atq; Germaniæ prouinciis, eratque omnium ſermone celebris, omnium cultu venerabilis idque adeò, vt etiam Theodoricus rex, qui eo tempore regnabat, ad eum ſæpè veniret, & orationum eius ſuffragia omni cum humilitate expeteret. Sigibertus enim, cuius iam ante fecimus mentionem, apud victoriacum villam publicam , quæ in ſuburbio Arauienſis vrbis ſita eſt , Chilperici germani ſui dolo, qui apud Tornacum tũc erat, quem Sigebertus vſque ad internecionem perſequebatur, interfectus eſt: interfecto autem Sigeberto , Childebertus filius eius, regni ſceptra ſuſcepit, annuente matre Brunechilde. Mortuo deinde Childeberto intra adoleſcentiæ annos, regnauerũt duo filij Childebertus, & Theodoricus, Theodebertus, cum auia Brunechilde. Et regnũ quidẽ Burgundiorũ adminiſtrauit Theodoricus , Auſtraſiorũ verò Theodebertus regẽdum ſuſcepit : Theodoricus ergo gratulabatur ſibi quod intra limites ſuos haberet Beatum Columbanum: cumque ad eum ſæpiſſimè veniret, cœpit vir Dei increpare illum quod Concubinas potiùs quam legitimum matrimonium conſectaretur, vnde poſſet regia proles ſuſcipi , quæ de iuſta coniuge non ex lupanaribus , orta videretur. Cumque viri Dei ſermonibus flexus rex, ſe ab omnibus illicitis abſtinere velle reſponderet, mentem Brunechildis auis , alterius Iezabelis, antiquus ſerpens inuaſit, eamque in virum Dei ſuperbiæ ſtimulis agitatam incitauit, effecitque vt doleret, Theodericum regem, viro Dei obedire. Verebatur enim, ne, ſi ille abiectis concubinis, reginam aulæ præficeret, ipſa honoris & dignitatis ſua faceret iacturam.

Sigiberti regis cædes.

Ea re offendit Brunechildem.

Vt vir Dei ad Brunechildem & Theodoricum venerit vt Regis munera reſpuerit, & de concitato aduerſus ipſum Rege.

CAPVT XIX.

ACcidit inde, vt vir Dei ad Brunechildem veniret, quæ tum apud Brocariacum villam erat. Cumque illa eum in aulam veniſſe cerneret filios Theoderici è Concubinis ſuſceptos, ad illum adduxit. Quos vt videret, ſiſcitatur quid ſibi velint. Et Brunechildis : Regis , inquit, filij ſunt : tu eis benè precibus. At ille : noueris, ait, hos ad regni ſceptra nequaquam pernenturos, qui de ſcortis natit ſunt illa furens paruulos abire iubet , exiit etiam vir Dei extra aulam regiam : ſed cum limen tranſiliret tota domus fragore concuſſa, omnibus terrorem incuſſit : nec tamen miſeræ fœminæ furorem com-

peſcuit, quin ad comparandas viro Dei inſidias animum intenderet vicinis Monaſterij per nuncios mandat, vt nullum è Monaſterio egredi patiantur, & neque domo vllum monachum recipiant, neque vlla ſubſidia conferãt. Cernens ergo beatus Columbanus, regios in ſe animos cõcitatos, ad regem properat, vt admonitionibus ſuis miſeræ pertinaciæ frangat intentionem. Erat tum rex apud Spiſſiam villam publicam. Eo cum iam ſole occumbente veniſſet, regi nunciatur adeſſe virum Dei, nec tamen in ædibus regiis velle hoſpitio vti. Ait ergo rex, ſatius eſſe virum opportunis ſubſidiis honorare, quã Dominum ſeruos eius offendendo, ad iracundiam prouocare. Iubet ergo regio cultu opportuna præparari, eaque viro Dei dirigi, veniũt miniſtri, & à rege miſſa ei offerũt, ille vt vidit dapes & pocula regio apparatu inſtructa, perquirit quid iis ſibi velint. Aiunt illi, eſſe ad ipſum miſſa à rege: At vir Dei abominatus ea ſcriptũ eſt, inquit, munera impiorũ reprobat altiſſimus. Indignum eſt enim, vt ſeruorũ Dei ora, eius cibis polluantur, qui non ſolũ à ſuis, ſed etiã ab alio habitaculis arcet Dei famulos, his dictis, vaſcula omnia dirupta ſunt, vinum & cicera in humum diffuſa, cæteraque hic inde diſiecta. Pauefacti ea re miniſtri, nunciant regi quid geſtum ſit. Ille terrore perculſus, diluculo cum auia Brunechilde ad virum Dei properat: precantur pariter veniam, promittunt ſi deinceps emendaturos. Quibus promiſſionibus vir Dei placatus ad Monaſterium redit: ſed illi non diu ſtant promiſſis, redit rex ad ſolita ſtupra, cumulatque infœlicitatem ſuam. Quod vbi percepit Beatus Columbanus, literas verberibus plenas ſcribit ad regem, minatur ei excommunicationem, ni cõcubinas à ſe repellat. Sed iis rurſum inflammata Brunichildis, regis animum aduerſus beatum Columbanum incitat, omnique conatu perturbare contendit: orat etiam proceres aulicos & optimates omnes, vt regis animum in virum Dei commoueant. Epiſcopos quoque ſollicitat, vt eius inſtituto & religioni detrahant, canonemque, quem ſuis monachis præſcripſerat, rodant dente canino. Obtemperant aulici miſeræ reginæ voluntati, regis animum in virum Dei inflammant, atque eouſque adducunt, vt eum adire, & inſtitutum eius monaſticum explorare conſtituat.

Reſpuit dapes à rege miſſas.

Nota rem mirandam.

Vt vir Dei Luxouio pulſus ſit.

CAPVT XX.

COactus igitur rex Luxouium venit ad virum Dei cœpitque expoſtulare cum illo, cur à prouincialium moribus diſcreparet, nec Chriſtianis omnibus intra Monaſterij ſepta ſecretiora aditus pateret. Beatus Columbanus vt erat imperteritus & animo virili, regi talia obiicienti reſpondit ſe conſuetudinem nõ habere, vt ſeculatibus hominibus, & à religione monaſtica alienis, liberum eſſe ſinat in ſeruorum Dei habitacula ingredi: loca alia apta & opportuna inſtituta vbi hoſpites omnes excipiantur. Tum rex, ſi, inquit, largitatis noſtræ beneficiis potiri vis, in loca omnia patebit omnibus acceſſus vir Dei reſpondit ſi tu id, quod hactenus regularis diſciplinæ habenis adſtrictum fuit, luxare & violare conatus fueris, equidem nullis tuis muneribus vel beneficiis ſuſtentare velim. Et ſi ea cauſa hunc in locum aduenisti, vt ſeruorũ Dei cœnobia deſtruas, & regularem diſciplinam contamines atque conuellas, noueris regnum tuum funditus ruiturum, & cum omni regia propagine interiturum, id quod poſtea rei probauit euentus. Iam enim temerario conatu, rex in refectoriũ ingreſſus fuerat: territus autem hiſce verbis, celeriter

Prædicit regi interitum.

leriter egreſſus eſt,ſed eum vir Dei acerrimè obiurgauit. Ait verò illi rex,fortaſſis martyrij coronam te percepturum ſperas:ſed non ea ego dementia ſum, vt tantum velim patrare ſcelus. Saniori ego conſilio vtar. Itaque ſi tibi ſic viſum eſt, ab omnium ſæcularium moribus deciſcere, qua veniſti via,ea tibi redeundum noris. Eadem quoque aulicorum vox eſt & ſententia, nolle ſe in his locis habere quemquam, qui non omnibus ſe ſe adiungat. Reſpondet Beatus Columbanus, ſe de cœnobiis ſeptis non egreſſurum, niſi vi extrahatur. Diſceſſit ergo Rex & virum Rudulphum Procerem illic reliquit, qui virum Dei à Monaſterio expulit, &iuxta Veſontionenſe oppidum in exilium abegit, donec regis ſententia quod viſum eſſet decerneret.

Expellitur è ſuo Monaſterio.

De Carcere diuinitus aperto.

CAPVT XXI.

COmmorans ergo illic vir Dei, audit eo in loco carcerem eſſe plenum damnatorum hominum vltima ſupplicia expectantium. Ad eum properè accedit,& nullo obſtante, oſtium ingreſſus, verbum Dei damnatis illis depromit. Illi,ſi poſſint liberari promittunt ſe vitam emendaturos, & ob admiſta facinora pœnitẽtiam acturos, tum Beatus Columbanus miniſtro Domoali, cuius ſuperius mentio facta eſt,imperat, vt manu ferrum, quo compedes irretitæ atque innexæ erant ad ſe trahat, ille apprehenſum ferrum trahit, idque mox inſtar putrefacti fruticis particulatim comminuitur. Solutis compedibus,vir Dei iubet damnatos è carcere egredi:peractóque Euangelio Miniſterio,pedes eorum lauit,linteoq; exterſit.Deinde præcipit vt Eccleſiam petant & perpetrata ſcelera pœnitẽtia & lachrymis expient. Properantes illi Eccleſiæ foras inueniunt obſeratas porrò Tribunus militum vt vidit diuina virtute per beatum Columbanum damnatorum compedes fractas, & vacuum ſibi relictum ergaſtulum, tamquam à ſomno excitatus, damnatorum veſtigia perſequi cum militibus cœpit illi à tergo appropinquare milites videntes, foréſque Eccleſiæ obſeratas, gemina vallati anguſtia, virum Dei compellant,vt eruantur. Anxio ille pectore ſurſum caput attollit, precaturque dominum, vt ipſius virtute à vinculis ereptos,non ſinat,denuò à militibus vinciri.Non cunctatur bonitas diuina, foras firmis obſeratas clauſtris referat, in anguſtiis poſitum aditum pandit illi pernici curſu inuolant in Eccleſiam: fores, cernentibus militibus abſque humana opera rurſus obſerantur,ac ſi cuſtos templi clauibus celerrimè,& patefeciſſet,& clauſiſſet eas. Veniens ergo Beatus Columbanus cum ſuis, ſimúlque tribunus cum militibus ad obſeratas fores, cuſtodem quærunt, vt claues præbeat. Qui cùm veniſſet & clauibus oſtia aperire vellet, ait ſe numquam diligentiùs obſerata inueniſſe. Nec quiſquam poſtea auſus fuit damnatis illis inferre iniuriam, quos diuina virtus eruiſſet.

Multos è carcere dimittit.

Magno miraculo fores templi & patefcunt & clauduntur.

Vt Luxouium redierit, milites cæcitate percuſſi, eum præſentem non viderint, vt rurſus à rege eiectus ſit.

CAPVT XXII.

POſthæc cernens vir Dei nullos ſibi cuſtodes adhiberi, nullam exhiberi moleſtiam, (videbant enim omnes in illo virtutem feruere diuinam

atque ea cauſa ab eius iniuriis ſe ſeparabant,ne ſocij culparum forent) Dominica die aſcendit in verticē ardui montis(Ita enim ſitus vrbis eſt:cum domorū denſa edificia in diffuſo procliui mōtis latere extructa ruit,in ardua cacumina ſe ſe porrigunt, ipſum montem vndique,cingēte abrupti fluminis Donæ alueo, & commeantibus aditum præcludente) ibi verò vſque in medium diem expectat, num quis prohibiturus ſit,ne ad monaſteriū reuertatur. Cum autem nullus appareret, per mediam vrbem cum ſuis ad Monaſterium regreditur. Id vbi percepit Theodoricus Rex & Brunechildis, eum ſcilicet ab exilio reuertiſſe, atrocioribus iræ aculeis ſtimulantur. Iubéntque militum cohortem rurſum eum vi inde abſtrahere, & ad priſtinum exilium reuocare. Veniunt milites, cum Tribuno peruagantur per Monaſterium. virum Dei perquirunt.Reſidebat tum ille in atrio Eccleſiæ,& in codice quodam legebat.Et illi quidem crebro eò veniunt,propè eum tranſeunt, ita vt in eius pedes nonnunquam impingerent & veſtimentis ſuis attingerent,nec tamen occæcatis luminibus vident eum. Erat id ſanè ſpectaculum pulcherrimum. Ille lætabundus cernebat ſe quærentes, nec tamen ab illis cernebatur. Videbantur illi ab eo coram ipſis poſito, nec videbant tamen. Porrò Tribunus per feneſtram reſpiciens vidit virum Dei coram ipſis lætum reſidere & legere. Itaque exclamauit. Quid tam curiosè per atria Eccleſiæ diſcurritis, nec tamen quicquam reperitis; Non iam vos diutius inſaniæ error occupet: non poteritis inuenire eum,quem virtus diuina tegit. Ceſſate iam,& ocyus Regi renunciemus, vos eum minimè reperiſſe. Vnde ſatis poteſt intelligi, Tribunum illum non ſua ſponte veniſſe ad irrogandam viro Dei iniuriam,& idcircò potuiſſe eum videre illum. Vbi autem hæc renunciata ſunt regi,ille infauſtæ intentionis aucto furore, Bertarium Comitem tum militari præſidio vnáque Baudulphum, quo iam ante vſus ea in re fuerat, ad eum ſtudioſè perquirendum miſit. Qui cum veniſſent beatum Columbanum in Eccleſia cum omni fratrum congregatione pſalmis & orationi deditum reperiunt, ſicque eum alloquuntur: vir Dei precamur vt tam regiis, quàm etiam noſtris pareas præceptis, huicque ea excedas via, qua huc primùm aduenisti.At ille:Non puto,inquit,id placere conditori, vt ad ſemel ob Chriſti timorem relictum natale ſolum reuertar. Videns Bertarius virum Dei ſibi non obtemperare,quibuſdam ferocioribus illic relictis, abſceſſit. Illi autem, qui remanſerant, virum Dei hortantur vt ipſorum miſereatur, qui eiuſmodi rei exequendæ infœliciter eſſent deſtinati ipſorúmque periculo conſulat : qui niſi eum vi extrahant, ſine dubio in mortis diſcrimen venturi ſint, illo verò dicentè, ſe iam ſæpè teſtatum eſſe, non ſe inde niſi vi compellente, receſſurum : illi gemino implicati periculo, vtrinque vrgente formidine, pallium quo indutus erat, apprehendunt alij ad genua eius aduoluti, cum lachrymis precantur, vt tanti ſceleris culpam ipſis remittat, qui non ſuæ libidini,ſed regiæ obtemperent voluntati. Videns itaque vir Dei aliis creari periculum, ſi permaneat in ſuo propoſito obſtinatus,cunctis eiulantibus atque merentibus egreditur, adiunctis ei cuſtodibus,qui donec extra regis ditionem exceſſiſſet, eum non relinquerēt,iiique eum Nannetes deduxerunt, (erat autem primus inter illos Ragamundus) vniuerſis fratribus eum ceu funus proſequentibus. Omnium enim corda mœror oppleuerat. Interim anxius pater, ob tot filiorum incommoda in cœlum ſuſpiciens: Aeterne,inquit,rerum conditor tu nobis locum opportunum præpara,vbi tibi perpetim ſeruiant famuli tui deinde cōſolatur gregem vniuerſum

Non vident eum milites miſſi ad eum expellendum.

Alios mittit Rex qui eum denuò eiiciant.

Sponte egreditur à Monaſterio ne milites in periculo ſint.

vniuerſum, vti ſpem ne abiiciant, ſed omnipotenti Deo gratias immenſas agant. Non iſtuc aliquo ſuo, aut ſuorum diſpendio accidere, ſed multiplicandiſque monachorum cœtibus offerri occaſionem. Si qui ergo ipſum ſequi velint, promptiſſimis animis ad tolerandas ſecum iniurias id faciant. Si qui vero in Luxouienſi monaſterio permanere velit, ſecuri illic reſideant: cito enim Dominum, eorum dolorem vindicaturum. Sed cum æquis animis à tanti paſtoris cuſtodia auelli non ſuſtinerent, qui à rege miſſi erant, dicebant ſe nequaquam paſſuros quemquam abire cum illo, niſi qui commune cum eo natale ſolum haberent, vel qui ex Britannia illum ſecuti eſſent. Cæteros qui in Galliis nati eſſent, ex Regis voluntate illic permanere debere. Cernens igitur egregius pater membra ſua à ſe vi auelli, & ſuum & membrorum ſenſit augeri dolorem. Pro tanti autem criminis immanitate Dominum omnium conſolatorem deprecans rogauit eum, vt quos regia pertinacia à ſe abſtraheret ipſe ſua cuſtodia tueretur. In his autem venerabilis vir, qui poſtea eiuſdem monaſterij pater extitit, Euſtachius diſcipulus & miniſter ſancti viri violéter ab eo auulſus eſt, intendente illi auunculo eius, qui Lingon. Eccleſiæ Pontifex erat. Egreſſus ergo vir ſanctus cum ſuis viceſimo anno poſt incolatum heremi illius, per vrbem Veſontionẽſémq; Auguſtodunúmque ad Auellonem caſtrum peruenit: ſed priuſquam eò perueniret, in via ei cuſtos equorum Theodorici occurrit, lanceáque eum confodere voluit. Sed maleuolum animum digna mox vltio anteuertit: Dextera enim, quam in virum Dei extenderat, torpentem lanceam ante ſuos pedes humo defixit. Ipſe vero à dæmone arreptus, ad viri Dei veſtigia corruit. Cernens vir ſanctus illum diuina animaduerſione percuſſum, illo die & nocte apud ſe retinuit. Altero die illuceſcente, eum ad ſe accerſitum, Deo fauente curauit, illéque in ſua reuerſus eſt. Deinde vir Dei ad Caram fluuium properans, in ædes nobilis & religioſæ fœminæ Theudemanne peruenit. Eunti autem illi occurrerunt duodecim viri pleni rabido dæmone. Qui cum in terram corruiſſent, vir Dei protinus eos oratione curauit. Eodem die ad vicum, quem Coram vocant peruenerunt, vbi quinque frenetici ei obuiam venientes illicò ſanati ſunt. Inde Antiſſiodorum properauit, vbi Ragamundum qui ei cuſtos & deductor per iter adhibitus erat, appellans. Memento, inquit, ó Ragamunde Clotarium quem nunc contemnitis intra triennium vos Dominum habituros: Cur, inquit, Domine mi talia loqueris? Et vir Dei, prorſus, ait, videbis quæ dixi ſi tunc ſuperſtes eris.

Deus punit nefarium hominem beato viro necem intentantem.

Duodecim dæmoniacos curat.

De quibuſdam eius miraculis.

CAPVT XXIII.

EGreſſus inde ab Antiſſiodoro, videt iuuenem à dæmone correptum celerrimè ex aduerſo ad ſe accurrere, qui iam viginti milliaria totis viribus currẽdo confecerat. Eo viſo ſubſtitit donec homo dæmonis arte infeſtatus adueniret: vbi ad virum Dei venit, coram illo corruit, ſeſe diſcerpens, eumque itaque orationibus curatum patri ſoſpitem reddidit. Inde ad Niuernenſe oppidum venit, cuſtodibus antecedentibus & ſubſequentibus, vt in Ligeri Scapha exceptus, in ſinum Britannicum reduceretur. Cúmque eo veniſſent, & tardè in ſcapham inſilirent, quidam è cuſtodibus arrepto remo, vnum eorum qui qua dicebatur, percuſſit, virum ſanctiſſimum & religioni deditiſſimum. Cernens autem vir Dei ſua coram ſe membra cædi: Cur, inquit, homo crude-

lis mœrori addis mœrorem. An ſufficit vobis ad ruinam admiſſum facinus. Cur feſſa Chriſti membra cædis? Cur in mitem immitis inſurgis? Cur ſæuitiam in manſuetos exeris? Noueris hoc ipſo loco diuina te vltione plectendum, quo auſus es furibundus Chriſti membrum cædere. Probauit viri Dei ſermonem, mox ſubſecuta vltio. Vt enim ad portum illum tranſiturum rediit diuinitus percuſſus, eodem loco ſubmerſus eſt. Cur autem iuſtus iudex eam vltionem diſtulerit. Ignoratur niſi fortaſſis, ne beati viri oculi ea vindicta macularentur. Inde ad Aurelianenſem vrbem venerunt. Vbi cum ex regis edicto etiam in Eccleſias ingredi non permitteretur, cum grandi mœrore ad ripam Ligeris ſub tentoriis pauliſper quieuit. Cúmque neceſſariò ſumptu indigerent, duos in vrbem direxit, vt res neceſſarias quærerent. E quibus vnus erat Potentinus, qui adhuc ſupereſt, & in Armoricanis locis in Conſtantiæ vrbis ſuburbanis monachorum cœtum collegit. Cum autem peragrantes vrbem nil accepiſſent, quod regis timore omnium animi perculſi eſſent, via qua ingreſſi erant reuerſi ſunt. In ipſo autem itinere obuiam eis venit quædam mulier Syra natione. Ea vt vidit illos, ſciſcitata eſt quinam eſſent illi: reſpondent ſe res neceſſarias quæſiſſe nec recepiſſe quicquam: Tum illa: venite, inquit, Domini mei ad ædes meas, & neceſſaria vobiſcum aſportate. Nam & ego aduena ſum, ex longinqua orientis regione. Illi gratulabundi eam præcedentem ſubſequuntur, & poſtquam ad domum eius venerunt, ſella poſita quieuerunt, donec afferret ea res neceſſarias. Aſſidebat autem eis maritus eius iam olim luminibus orbatus, de quo perquirebant, illi quis eſſet? Reſpondente ea, virum ſuum eſſe, ex eadem gente Syrorum, quem ipſa multis annis lumine priuatum traheret, aiunt illi, ſi Chriſti famulo Columbano præſentaretur, illius precibus poſſe eum lumen recipere. Ille promiſſi muneris fide munitus ſurgens eorum cum duce vxore veſtigia ſequitur. Vbi ad ſanctum Columbanum ventum eſt, Potentinus indicauit & ei exhibitam ipſis hoſpitalitatem à peregrinis. Necdum verba finierat, cum cœcus orat virum Dei, vt ſuis precibus, lumen ſibi reſtituat. Videns ille hominis fidem omnes rogat, vt orent pro cœco, primúſque diu humi proſtratus iacuit. Inde ſurgens manu oculos attigit, impreſſóque ſigno Crucis, lumen rediit. Lætus ille domum remeat, vt, qui in hoſpites interius lumen intenderat, exteriori non careret. Deinde turba obſeſſorum, quos dæmones horrendo furore torquebant, ad virum Dei curationis gratia properant, & Domino ſalutem largiente omnes à viro Dei curantur. His virtutibus veſtris populus permotus, viro Dei clam meritum impendebat honorem. Non enim palam propter cuſtodes quicquam ei præbere audebant, ne regis iram incurrerent. Poſtea illi arrepto pergunt itinere.

Maligno homini diuinam prædicit vltionem.

Signo crucis & precibus reſtituit lumen cæco.

Vt ſcapha diuinitus ad portum appulſa ſit: de pecunia furto ablata, & reſtituta, & cætera.

CAPVT XXIV.

NAuigantes autem per Ligerim ad Turonenſem perueniunt vrbem, vbi vir ſanctus cuſtodes precabatur, vt ſcapha in portum appulſa ſinerent ire ad beati Martini Confeſſoris ſepulchrum. Abnuunt cuſtodes, vrgent remiges vt celeri curſu portum præternauigent: imperant gubernatori, vt ſcapham medio flumine dirigat, videſ id beatus Columbanus, mœſtum vultum ad cœlum erigit, quæritur tãto ſe mœrore affici, vt nec ſanctorum ſepulchra

inuiſere permittatur. At cunctis illis vrgentibus, mox vt contra portum ventum eſt, velut quibuſdam defixis ancoris, ſcapha ſtare cœpit, & ad portum prora dirigere. Cúmque cuſtodes obſtare non valerent, inuiti ſcapham, quò velit ire ſinunt. Miro igitur modo è medio fluminis tractu ad portum volatu pennigero defertur, potúque recepta, vir Dei pandit iter. Ille gratias agit æterno regi, qui ſeruis ſuis obtemperare non dedignetur. Egreſſus autem è ſcapha, ad ſepulchrum beati Martini accedit, totáque nocte illic in oratione excubat. Illuſcente verò die, à Leupario vrbis Epiſcopo inuitatus ire non abnuit, præſertim ob fratrum ſuorum requiem: moratúſque eo die eſt cum illo Pontifice. Qui cum hora refectionis ad menſam cum eo reſideret, ſciſcitabatur, cur ad patriam repedaret. At ille: Canis, inquit, Theodoricus me à fratribus meis abegit. Tum vnus è conuiuis, Chrodoaldus nomine, cuius etſi coniux erat amita Theodeberti Regis, attamen Theodorico Regi ipſe fidelis erat, viro Dei humili voce reſpondit, ſatius ille eſt lac portare, quàm abſynthium. Et vir Dei: ſentio, inquit, te regi Theodorico fœderis fidem ſeruare velle. Reſpondit ille, ſe, quandiu poſſit, datam fidem obſeruaturum. Rurſus vir Dei: Si ergo, inquit, regi Theodorico deuinctus es fœdere, amico & domino tuo lætum ex me nuncium apportabis, dicéſque ei, & illum & liberos eius intra triennij ſpatium dominium radicitus extirpaturum. At Chrodoaldus: Quid ita loqueris, ait, ſerue Dei? Et ille: Non enim poſſum, inquit, ſilere, quæ dominus iuſſit vt loquerer. Vera autem dixiſſe virum Dei, omnes Galliæ nationes poſtea ſenſerunt: confirmauitque his verbis ea, quæ ſuperius ad Ragamundum dixerat. Peracto prandio, vir Dei ad ſcapham rediit, vbi tum reperit ſuos multo mœrore oppreſſos. Cauſam inquirens, cognouit eos nocte præterita, quæ in ſcapha habuiſſent, furto perdidiſſe: ſimúlque aureos, quos in pauperes non erogauerat, ablatos eſſe. Mox ergo ad ſepulchrum beati Martini repedat, quæritur ſe non idcircò ad eius excubaſſe reliquias, vt ille ſua & ſuorum fratrum damna negligeret. Nec mora: is qui ſaculum cum aureis furatus erat, cœpit inter flagella corporis pœnáſque clamare, locúmque indicare, vbi aurei occultati eſſent. Socij id audientes, omnes currunt eò furto erepta omnia reſtituunt, virum Dei precantur, vt tanto ſceleri ignoſcat. Id miraculum omnibus terrorem incuſſit vt deinceps qui hæc audirent, omnia quæ viri Dei erant, tanquam ſacrata attingere non auderent. Porrò Leoparius Epiſcopus, cum viro dei neceſſaria præbuiſſet, ei valè dixit. Ille nauali itinere lætus ad Nannetenſe oppidum peruenit, atque ibi aliquantiſper moratus eſt: cúmque egenus quidam aliquando ante fores cellulæ in qua vir Dei degerat, eleemoſinam petebat, ille accito miniſtro: Præbe, inquit, cibum petenti. At ille, non eſt nobis, ait, panis præter paululum farinæ. Sciſcitatur vir Dei, quantum illud ſit: illo reſpondente, non ſibi videri plus eſſe, quam modum vnum, vir Dei imperat, vt totum illud det, nec quicquam reſeruet in craſtinum. Obtemperat miniſter, dat totum pauperi, nihil communi fratrum neceſſitati reſeruans. Ieiunantibus ergo illis, iam tertius illuxerat dies, nihil penes ſe habentibus præter ſpei & fidei gratiam, vnde confectis ieiunio corporis ſubuenirent. De improuiſo autē audiunt fores à quodam pulſari. Sciſcitante oſtiario qua cauſa pulſaret fores, reſpondit ille, ſe à domina ſua Procula miſſum, quæ diuinitus admonita eſſet, ſumptus viro Dei Columbano & comitibus eius, qui apud Nannetes Morarentur, ſuppeditare, iamq; in proximo eſſe res, quas illa mitteret: ſe anteceſſiſſe,

Leoparius Epiſcopus Turonenſis eum inuitat ad prandium.

Nota quod poſſint ſancti inuocati.

vt monèret ipſos vaſa præparare, quibus eos reciperent. Centum eſſe vini modios, frumenti ducentos, braccis quoque centum. Id verò oſtiarius celeriùs patri Columbano indicare ſtuduit. At ille: Sine, inquit, ego enim iam noui iſthuc. Tu verò fratres conuocato, vt pro ea quæ hæc largitur, ſimul dominum deprecentur, ſimul gratias agant conditori, qui famulos ſuos non deſinit conſolari in omnibus illorum neceſſitatibus: deinde verò munus oblatũ accipiant. O mira pietas conditoris. Egere ſinit ſeruos ſuos, vt dona ſua egentibus oſtendat. Tẽtari eos permittit, vt in tentatione ſubueniens. Illorum erga ſe animos vehementiùs accendat. Patitur ſua membra à ſæuis hominibus lacerari: vt ergo ſanantem medicum, aucta dilectio confirmetur. Doda quoque nobilis & religioſa fœmina ducentos viro Dei miſit frumenti modios, alioſque centum rerum promiſcuarum. Ea res magna affecit verecundia vrbis illius Pontificem Sophronium, à quo non ſolùm nullum accipere beneficium, ſed nec quicquam etiam commutando impetrare potuerunt. Erat tum ibi mulier quædam plena dæmone, cum filia æquè dæmoniaca. Eas cum ad eum veniſſent. Beatus Columbanus fuſis ad communem dominum precibus ſanauit & domum abire iuſſit.

Duas Dæmoniacas ſanat.

Vt nauis ad littus reiecta ſit & vt aduerſarij eius beatum virum venerati ſint.

CAPVT XXV.

POſt hæc Sophronius Nannetenſis Epiſcopus, cum Thedoaldo Comite iuxta regis imperium, beatum Columbanum naui impoſitum in Hyberniam remittere feſtinabant. Sed vir Dei ait: Si nauis in hyberniã itura adeſt, omnem ſupellectilem & comites meos excipiat. Ego interim in ſcapha ligeris vnda vehar, donec altum mare attingam. Reperta ergo nauis, quæ Scotorũ veheret merces, omnem beati viri ſupellectilem & comites recepit. Cúmque iam remis & ventis fauentibus nauis in alta pelagi penderet, vndarum ſe obiicere moles, nauémque ad litus redire coëgerunt. Quò cùm appulſa eſſet, ſubſidentibus vndis, mare quieuit: manſitque per triduum nauis ſine vndis. Intellexit autem dominus nauis, ob viri Dei ſuppellectilem comitéſque receptos ſe ſe detineri. Tandem viſum eſt illi, eiicere omnia è naui quæ eſſent viri Dei: Quod cùm feciſſet, mox fuit vndarum moles, nauimque in altum abduxit. Mirantur omnes, faciléque animaduertunt, non eſſe diuinæ voluntatis, vt beatus Columbanus in hyberniam reuertatur. Ad ſuum ergo locum, vbi prius fuerat, rediit: nec quiſquam obſiſtit, quo minus poſſit, quo velit ire, magis autem prout quiſque poterat, honore & impenſum illum fouebat. Nec quicquam ei defuit ſubſidij, Deo per omnes illum adiuuante. Ita ſanè nõ prorſus obdormiet vnquam, qui ſub alarum ſuarum protegat Iſraël. Sic autem omnibus omnia largiendo id inſinuat, vt omnes illum pro eius muneribus & beneficiis collaudent.

Vide hic miraculum.

Vt ad Clotarium Regem peruenerit.

CAPVT XXVI.

PAululùm verò illic moratus vir Dei ad Clotarium, Chilperici Regis filium, qui in Auſtraſiis Francis extrema. Gallia ad Oceanum ſitis, regnabat, profectus eſt. Porrò Clotarius iam audierat, quantis & qualibus iniuriis virum Dei Brunechildis ac Theodoricus affeciſſent.

Clotarius Rex Honorificè eum excipit.

Cùm

Cùm ergo viderent eum, tanquam cœleſte munus excipit eum: precaturque gratulabũdus, vt ſi velit intra ſui regni fines reſideat, ſe ei pro ipſius arbitratu inſeruiturum. At ille ſe ait his in locis conſiſtere nolle, vel vt ſibi maiorem, peregrinationem indicat, vel ipſi Clotario nullam inimicitiarũ occaſionem præbeat: detinuit interim illum apud ſe Clotarius quot potuit diebus: caſtigatuſque verbis ab eo ob quædam errata, quibus aula regia vix caret, ſpondet ſe pro eius voluntate animã emendaturum. Erat enim Clotarius ſolers, ſtudioſuſque ſapientiæ. Itaque tanto ſibi oblato munere gratulabatur dum autem apud Clotarium moratur, lis oritur inter Theodebertum & Theodoricum, vtroque de regni finibus cum altero diſceptante. Mittit vterque ad Clotarium legatos, qui eius auxilium contra alterum poſtularet. Quod cum Clotarius beato Columbano indicaſſet, conſuleretque eum num opem alteri aduerſus alterum ferre deberet: ille prophetico plenus ſpiritu, neutrius, inquit, precibus obtemperabis. Porrò intra hoc triennium vtriuſq; regnũ ſub tuam ditionem: videns Clotarius beatum virum talia prophetico ore dicentem, neutri parere voluit: ſed promiſſum ſibi tempus fideliter expectans, poſt victoris triumpho potitus eſt.

Vt Pariſios venerit, dæmoniacumque ſanarit.

CAPVT XXVII.

EGit deinde vir Dei apud Clotarium, vt adiumento ipſi eſſet, quo per Theodeberti regnũ, ſi liceret in Italiam per Alpium iuga peruenire poſſet, datis ergo comitibus, qui eum ad Theodebertum adducerent ille itinere arrepto Pariſios venerit: occurrit autem ei in ipſa vrbis porta homo immundo ſpiritu obſeſſus, debacchans, ſeque diſcerpens & multa garriẽs, virumque Dei quærulis vocibus ita appellãs: Quid his in locis agis vir Dei? Iamdudum autem clamitarat rauca voce, procul aduẽtare virum Dei Columbanum vbi autem vir Dei illum intuitus eſt: Egredere, inquit, peſtifer, egredere peſtifer, nec corpus, Chriſti, lauacro ablutum, diu obſidere auſus ſis. Cede virtuti præpotentis Dei, & Chriſti nomine inuocato contremiſce. Sed cum diu ſæuis atriſque viribus reſiſteret vir Dei manum ori eius iniecit, linguamque attrectans, in virtute Dei imperat, vt egrediatur. Tunc horrida vi diſcerpens hominem, ita vt vix vinculis iniectis teneri poſſet cum commotione, viſcerum, & vomitu egreſſus eſt, tanto poſt ſe fœtore apud aſtantes relicto, vt ſuphureos ſe crederent facilius toleraturos odores.

Sæuiſſimũ Dæmonem eiicit vir ſanctus.

Vt à Chanerico & Authario viris clariſſimis comiter acceptus ſit.

CAPVT XXVIII.

INde ad Meldenſe oppidum properat: vbi erat vir nobilis Chanericus, Theoderti regis conuiua, vir ſapiens & conſiliis regiis gratus, is virum Dei ſummo gaudio excepit ſeque curaturum ait, vt ad Theodeberti aulam perueniat: nec opus eſſe aliis à regis latere comitibus. Volebat autẽ alios ab illo remoueri, vt virum Dei quoad poſſet, ſecum retinerer ipſiuſque domus, illius doctrina nobilitaretur. Benedixit autem vir Dei domui eius, filia quoque illius Burgundophora adhuc infanti benè precatus, eam Domino vouit: de qua re in ſequentibus dicemus. Progreſſus verò inde venit ad vlciacum villam, ſupra Matronam fluuium ſitam: vbi ab Authario exceptus eſt, cuius con-

iunx Ayga dicebatur. Erantque illis filij etiãnum infantes, quos mater, ad benedicendum viro Dei obtulit, videns ille matris fidem, infantulus ſua benedictione ſacrauit, ij poſtea pubeſcentes Clotario regi primùm deinde Dagoberto gratiſſimi fuere. At poſtea quam ſeculare gloria illuſtres euaſere, in eã curam & cogitationem incubuerũt ne mundi gloria perderẽt, ſempiternam. Itaque maior natu Ado, voluptatibus ſe abdicãs, poſtea in ſaltu Iurano, Monaſterium inſtituti ſancti Columbani conſtruxit. Porrò Dado iunior intra Briennẽſem ſaltum ad Resbacem fluuiolum, eiuſdem inſtituti Monaſterium condidit tanta fuit in viro Dei gratia, vt quibuſcumque benè precatus eſſet, in boni operis perſeuerantia ſupremum vitæ clauderet diem. Illud oppido iure dici poteſt, quoſcunque de induſtria, monuit, eos gauiſos eſſe, ſe poſtea impunitatem meruiſſe. Nec immeritò tanti viri fultus adminiculis, percepta gratiæ potitus eſt ope, qui eius doctrinis innixus, à vitæ rectæ & integræ noluit tramite deuiare.

Magna vis benedictionis eius.

Vt à Rege Theodeberto acceptus ſit, vt gentiles quoſdam conuerterit, vt cœlitus alimenta acceperit.

CAPVT XIX.

DEinde vir Dei ad Theodebertum venit, qui cum eum vidiſſet, hilariter in ſuas eum recepit ædes. Iam verò multi fratrũ ex Luxouio ſecuti erãt, quos ille, tanquam ex hoſtibus ereptam prædam, excipiebat. Pollicebatur autem ei Theodebertus ſe reperturum intra ditionis ſuę terminos loca amœna, & ipſi famulo Dei ad omnem opportunitatem accommoda. Ait etiã vndique vicinas gentes eiuſmodi eſſe, qui verbi Dei prædicatione opus habeãt. Reſpondit ad hæc vir Dei. Si feceris quod polliceris, nec fidem datam fefelleris, aliquãtiſper, hic manebo, experiarque num in vicinarũ gentium cordibus fidem ſerere poſſim. Dedit ergo ei rex optionem, vt quemcumque locũ vellet ſibi deligeret, qui & ipſi & fratribus eius gratus eſſet inquiſitus eius locus eſt. Inquiſitus igitur locus eſt, atque etiam inuentus, quem fauor omnium redderet commendabilem, & quidem intra Germaniæ terminos, ſed in Rheno vicinum oppidum, olim dirutum quod Brigantium nuncupabant. Sed quid interim, dum vir Dei per Rheni alueum nauigat, actum ſit, ſilẽdum non eſt. Nauigante illo aliquando Rhenum, ad vrbem, quam veteres moguntiacum appellarunt perueniunt, aiuntque ad virum Dei remiges, quos rex ei comites adiunxerat, habere ſe amicos in vrbe qui neceſſarios ſumptus ſint præbituri. Iam enim longo itinere defecerant impenſæ, iubet autem vir Dei, vt eant, veniunt illi in vrbem, ſed nihil inueniunt. Reuerſi ad virum Dei, aiũt, ſe nihil quicquam ab amicis impetrare potuiſſe. Tum ille ſinite ne, inquit, paululùm ad meum abire amicum. Mirantibus illis, vnde ei amicus eſſet in loco, vbi nunquam antea fuerat, ad Eccleſiam ſe conferet, ibique humi proſtratus prolixè rogat Dominum ſuum pietatis authorem. Mox vero Epiſcopus vrbis illius ad Eccleſiam venit, repertóque beato Columbano, ſciſcitatur ex eo quiſnam ſit, ille ſe peregrinum eſſe reſponder. Et Epiſcopus, ſi rebus, inquit, neceſſariis indiges, propera ad ædes meas, & quantum opus eſt tecum aſporta. Illo gratias agente tum Deo qui id Epiſcopo inſpirauerat, tum ipſi antiſtiti oprata ſubſidia offerẽti. Epiſcopus attentius cogitat, vt omnia quę ei opportuna ſint, accipiat. Itaque pueros feſtinos mittit ad nauim, qui omnes adeſſe iubeant præter cuſtodem vnum qui nauim ſeruet, ſecúmque velint.

Theodebertus comiter cum accipit.

Maguntiacũ venit.

Quod

Quod ne quis caſu eueniſſe putet, ſolebat poſtea crebrò teſtari is Epiſcopus nunquam ſe antea adeo attentum ad tribuendas res neceſſarias fuiſſe: ſeque abſque alia ratione vel opportunitate, ob beati Columbani meritum diuina admonitione inſtigatum veniſſe ad Eccleſiam. Deinde ad deſtinatum perueniunt locum, quem peragrans vir Dei, ait ſuo animo illum minime ſedere: ſed tamen ob fidem in gentibus ſerendum, inibi pauliſper ſe moraturum pollicetur. Sunt enim illic vicinæ Sueuorum gentes. Cúmque inter loci eius habitatores verſaretur comperit eos profanum velle litare ſacrificium, váſque magnum quod vulgò cuppam vocant, viginti plus minus capiens modios, ceruiſia plenum, in medio poſitum Dei quo cum ſciſcitarentur, quid illo facere vellent, reſponderéntque ſe Deo ſuo Vuodano (ſic Mercurium vt quidam aiunt, illi vocant) litare velle: ille ſacrilegum opus non ferens in vas infufflat, idque miro modo cum fragore quodam fruſtatim diſſipatur, & rabida vis cum ceruiſiæ liquore inde prorumpit, vt manifeſtè liceret intelligi diabolum in eo vaſe latuiſſe, qui per profanum liquorem caperet animas ſacrificantium id autem videntes barbari, ſtupefacti aiunt virum Dei magnum habere ſpiritum, qui ſic poſſet vas ligaminibus munitum diſſipare. At ille caſtigatos dictis Euangelicis, admonitóſque vt ab huiuſmodi abſtinerent ſacrificiis, domum redire iubet. Multíque eorum beati viri admonitione & doctrina ad Chriſti fidem traducti, baptizati ſunt. Porrò alios quos iam lauacro ablutos profanus detinebat error, ad Euangelicæ doctrinæ cultum monitis ſuis reuocatos, vir Dei vt paſtor bonus in Eccleſiæ ſinum reducebat. Per id tempus Theodericus & Brunechildis non ſolùm aduerſus Columbanum inſaniebant, ſed etiam ſanctiſſimo viennenſis vrbis Epiſcopo deſiderio aduerſabantur: quem primum exilio damnatum multis affligere iniuriis nitebantur: ad poſtremum verò glorioſo martyrio coronarunt. Cuius geſta ſcripta habentur, quibus & quantis aduerſitatibus glorioſos apud dominum promeruit triumphos, verſante autem beato Columbano cum ſuis apud vrbem Brigantinam, duræ egeſtatis tempus incidit. Sed quamuis alimonia deeſſet, manebat intemerata atque inconcuſſa fides, quæ neceſſaria res à domino impetraret. Cúmque iam triduana inedia laborarent, tanta auium copia eis oblata eſt, quanta Iſraelitarum caſtra Coturnicibus aduolantibus operuit, ita vt omnem locum illum aues implerent. Intellexit autem vir Dei ob ſuam ſuorúmque neceſſitatem has dapes exhiberi, quippe quæ non niſi illo, quo ipſe degebat, loco inuenirentur. Iubet ergò primum ſuos laudes & gratias agere conditori, ac deinde dapes capere. Erat profecto mirum illud & ſtupendum miraculum. Capiebantur aues, vt iuſſerat pater: nec illæ pennigeræ inſtructæ volatu ſe ſubducebant, ſed triduo permanſit illud manna auium. Quarto deinde die quidam Pontifex ex vicinis vrbibus frumenti copiam diuino inſtinctu beato Columbano tranſmiſit. Mox igitur, vt aduenit frumentum, aues illæ Deo iubente, omnes auolarunt. Porrò Euſtachio, qui id temporis ſub viri Dei obedientia cum aliis erat, referente cognouimus, neminem tum inter ipſos fuiſſe, qui ſe ante illud tempus eiuſmodi aues vidiſſe meminiſſet. Earum autem talis erat ſapor, vt dapes regias vinceret. O mirum diuinæ potentiæ donum quando terrena fercula Chriſti cultoribus deſunt, tum demùm cœleſtia tribuuntur, ſicut & de Iſraëlitico populo dictum eſt. *Panem cœli dedit eis.* Cùm autem terrenæ opes ſubueniunt cœlitus oblatæ admouentur. Eodem tempo-

In vas damoni offerendum ſufflat, idque rumpitur.

Multi ethnici credunt in Chriſtum.

Deſiderius Viennenſis Epiſcopus quid paſſus ſit.

re cùm vir Dei ſub quodam ſcopulo in vaſta eremo corpus ieiunio af-
Poma veſtrũ dicere mora ruborum. ficeret, & nihil præter ruris pompa, quorum ſuperius mentionem feci-
mus, in cibum caperet, venit vrſus, voracitati addicta fera, cœpitque neceſſarios deuorare cibos, paſſimque poma ore detrahere. Cúmque hora refectionis adeſſet, Chagnoaldum miniſtrum vir Dei ire iuſſit is conſuetam pomorum menſuram afferre. Abit ille, videtq; vrſum inter frutices rubóſq; peruagari, pomáq; lambendo carpere. Itaque feſtinus redit, patrique indicat ille imperat vt eat partem fruticũ relinquat feræ, aliam partem ſibi iubeat reſeruari. Redit Chagnoaldus, iuſſa patris exequitur, diuidit virga frutices rubóſq; poma ferentes, iubétque vt fera parte ſua contenta, reliquam ſinat cede-
Vrſus obtemperat iuſſis viri Dei. re in vſus viri Dei. Mira in fera obedientia. Nequaquam auſa eſt ex prohibita ſibi parte cibos carpere, ſed in ea ſola, quæ permiſſa ei erat, eſcam captauit, quandiu eo in loco vir Dei commoratus eſt. Interea animo illius ea incidit cogitatio, vt Veneticorum, qui & Sclaui dicuntur, ditionem inuiſat, cœcáſque mentes illuſtret luce Euangelica, & ab origine per auia aberrantibus, veritatis pandat viam. Quod cum illi ſummopere in votis eſſet, Angelus Domini per viſum ei apparens, paruo ambitu, vt ſolent, in pagina orbem deſcribentes mundi totius machinam ei oſtendit aitque. Cernis ne totum orbem manere deſertum? Perge igitur dextra læuáque, quocumque viſum eſt, vt laboris ſui fructum comedas: intellexit igitur vir Dei, illius gentis nondum in promptu eſſe fidei profectum: quieuitque in loco, donec in Italiam pateret acceſſus.

De bello regum de viri Dei reuelatione, & Theodeberti proditione.

CAPVT XXX.

INterea temporis inter Theodoricum & Theodebertum ſuborta contentio increſcit, & vterque aduerſus fratrem vſque ad internecionem, ſæuit atrociter, vtroque exercitus robore ſuperbiẽte. Porrò vir Dei ad Theodebertum accedẽs exhortatur eum, & animi tumore & arrogãtia compreſſa, in clerum ſe adſcribendum curet, manénſque in Eccleſia, ſacræ ſe religioni ſubdat, nec ſimul cum præſentis regni detrimento, etiam æternæ vitæ faciat iacturam. Sed id tum regi ipſi, tum cunctis circunſtantibus, ridiculũ viſum eſt dixerúntq; nunquam ſe audiuiſſe, Merouingum in regem ſublimatum ſponte ſua Clericum fuiſſe. Cunctis ergo id deteſtantibus, beatus Columbanus ait: Si ſponte tua clerici honorẽ capere non vis breui id facies vel inuitus, his dictis, vir Dei ad cellulam remeat, moxq; prophetici dicti euentum res non diu dilata confirmat. Quamprimum enim à Theodorico bellum Theodeberto denunciatur, & apud Tullum victus Theodebertus in fugam compellitur. Poſtea rurſus collecto exercitu, fugientem Theodoricus perſequitur. Porrò Theodebertus multis inſtauratis copiis, ad Tulpiacenſe caſtrum pugnaturus occurrit: conſertóque illic prælio vtrinque plurimi ceciderunt. Vi-
Theodebertus rex à Theodorico ſuperatur. ctus tandem Theodebertus, fugit. Eo tempore vir Dei in eremo commorabatur, vnius tantùm Chagnoaldi miniſterio contentus. Ea autem hora qua apud Tulpiacum pugna commiſſa eſt, quercus putrefactæ trunco vir Dei, librum legens, inſidebat. Subito verò correptus ſomno ſpiritu cognouit, quid inter duos reges ageretur: moxque excitatus, miniſtrum vocat, cruentam regum pugnam indicat, multum humanum fundi ſanguinem gemebundus refert. Dicente autem temerè miniſtro, Pater mi, Theoberto tuis precibus præſta ſuffragium, vt communem debellet hoſtem Theodoricum, ita reſpondet: ſtultum & à religione alienum præbes conſi-

lium.

lium. Non enim ſic Dominus voluit, qui nos pro inimicis noſtris orare iuſſit. In arbitrio iam eſt iuſti iudicis, quid de eis fieri voluit. Inquiſiuit poſtea miniſter diem & horam prælij, reperítque ita fuiſſe ſicut viro Dei fuerat reuelatum. Perſecutus eſt autem Theodoricus Theodebertum, & ſuorum proditione captum, ad auiam Brunechildem remiſit, quæ cum faueret partibus Theodorici, furibunda Theodebertum clericum fieri voluit, & poſt dies non multos, cum iam eſſet clericus nimis impiè perimendum curauit. *Theodeberti miſera cades*

De interitu Theodorici & liberorum eius nece, Prophetiáque viri Dei in Clotario impleta. CAPVT XXXI.

POrrò Theodoricus apud Metenſe oppidum moratus, diuinitus percuſſus, inter flagrantis ignis incendia mortuus eſt. Brunechildis autem filium eius Sigebertum ei ſuffecit in regno. Itaque Clotarius memor prophetiæ viri Dei, collecto exercitu, fines regni, qui eius ditionis erant recuperare conatur. Contra eum Sigebertus impugnaturus venit: ſed eum Clotarius captum peremit, fratréſque eius quinque Theodorici filios, cum proaua Brunechilde: pueros ſeparatim peremit: Brunechildem verò primo ignominioſe camelo impoſitam hoſtibus circumducendo ſpectandam exhibuit: Poſt indomitorum equorum caudis religatam, mirabiliter vita priuauit. Atque ita funditus, radicitúſque deleta Theodorici ſtirpe, Clotarius potitus eſt ſolus trium regnorum monarchia, & beati Columbani Prophetia completa eſt in omnibus Theodorico intra triennium, cum omni ſtirpe penitus extincto, Theodeberto inuito in Clerum aſſcito, Clotario duorum regnorum acceſſione aucto & dilatato. *Theodorici dira mors.* *Brunechildis horrenda ſupplicia.*

Vt vir Dei venerit in Italiam, Bobienſem Eccleſiam inſtaurarit, & migrarit ex hac vita. CAPVT XXXII.

BEatus ergo Columbanus vt vidit Theodebertum à Theodorico deuictum, relicta Gallia atque Germania, in Italiam ingreditur, vbi ab Agylulpho Longobardorum rege honorificè exceptus eſt, qui etiam optionem ei dedit vt quocumque Italiæ loco vellet, habitationem ſibi deligeret. Itaque dum apud Mediolanum moratur, & hæreſium fraudes, atque Arrianæ perfidiæ machinas ſcripturarum cauterio diſcerpere ac diſſecare conatur, edito aduerſum illos florentiſſimæ ſcientiæ libello. Vir quidam iucundus nomine, ad regem venit, & indicat ſe in ſolitudine ruribus Apenninis beati Petri Apoſtolorum principis baſilicam ſcire, in qua experimento didicerit virtutes & miracula fieri: locum ipſum eſſe vbertate fœcundum, aquis irriguum, piſcium copia abundantem: veterum traditione eum Bobium appellari à riuo quodam ſic dicto, illic manante, cui adiunctus ſit amnis Trebia, ad quem olim Annibal hyemans hominum, equorum, Elephantorum grauiſſima ſenſit damna. Eo cum vir Dei magna animi intentione peruenisſet, baſilicam illic ſemirutam reperit, eámque inſtaurans priſco decori reſtituit. In eius autē inſtauratione mira Domini virtus declarata eſt. Nam cum per præruptos ſaxorum ſcopulos trabes ex abietibus interdenſa ſaltus locis inacceſſis cæderentur, vel alibi cæſæ, inibi caſu prolapſa aſpero aditum omnem plauſtris negarent, miro modo trabem, quam vix viginti aut triginta homines plano terræ ſolo ferre valeret vir Dei cum duobus vel tribus, prout ardui itineris meatus patebat, eò accedens, ſuis ac ſuorum humeris, immane imponebat pondus, & vbi alioqui pro viæ aſperitate libero vix poſſent gradu incedere, ſimulátque trabium eſſent mole onuſti feſtini ingrediebantur: ita vt qui onera ferrent, perinde ac *Miracula haud vulgaria.*

ſi ab aliis ipſi portarentur, firmis veſtigiis, tanquam otioſi lætabundi incederent. Videns itaque vir dei tantam ſibi diuinitus adeſſe opem, ſuos hortatur vt arreptum opus læti perficiant, animóque roborati, ea in eremo conſiſtere ſtudeant, diuinæ id eſſe voluntatis affirmans. Tectis templi culminibus, murorum inſtaurat ruinas, cæteráque monaſterio neceſſaria ædificia, conſtruere pergit. Interea Clotarius rex viri Dei prophetiam in ſe completam cernens, venerabilem Euſtachium, qui monaſterium Luxouienſe regebat, ad ſe venire iubet, venientem blandè & comiter orat vt adiunctis ſibi, quos velit, itineris ſociis nobilibus viris, legationem publicis impenſis ſuſcipiat ad beatum Columbanum, & quocumque loco repertum, accurata perſuaſione eò adducat, vt ad ſe venire non recuſet: facit ita venerabilis diſcipulus, magiſtri veſtigia perſequens. Poſtquam ad eum venit, Clotarij verba ei depromit. Viſo Euſtachio beatus Columbanus lætatur aditum ad ſuum monaſterium patere gratulatur, retentúmque aliquantiſper apud ſe hortatur, vt ſui laboris memor, fratrum collegium diſciplinæ habenis contineat & erudiat, multorúmque acceſſione illud augeat, eóſque omnes ſuis inſtitutis imbuat. Deinde iubet eum redire ad Clotarium eique comiter hæc referre reſponſa ſibi id haud quanquam rationi conſentaneum videri, vt retrò reuertatur: Illud tantummodo rogare ſe, vt ſodales ſuos, qui Luxouij degant, regio fauore ac præſidio proſequatur. Addidit etiam litteras ad regem caſtigatione plenas. Porro rex gratiſſimum munus, ſeu pignus quoddam fœderis viri Dei, exultabundus accepit, nec precum eius voluit obliuiſci. Omni enim præſidio Luxouienſe monaſterium communire ſtuduit, annuis cenſibus ditauit, fines eius vndique pro venerabilis Euſtachij voluntate auxit, & protulit omniqué conatu ad adiuuandos eius habitatores, ob amorem viri Dei animum intendit. Porrò Beatus Columbanus cum annum vnum egiſſet in monaſterio Bobienſi vita beata functus, animam corpore ſolutam cœlo reddidit, vndecimò Calendas Decembris. Cuius ſtrenuitatem ſi quis noſce velit in eius dictis reperiet. Reliquiæ eius eo in loco conditæ habentur, vbi etiam miraculis pollent, præſule Chriſto cui eſt gloria per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Bobienſe monaſterium cõditur.

Scribit litteras Clotario regi eum reprehendens.

Abit ad Chriſtum.

Item de ſancto Columbano Abbate Trithemius lib. 2. cap. 5. de viris Illuſtr. ord. ſancti Benedicti.

COlumbanus fundator, & primus Abbas Luxouienſis: natione Scotus, vir meriti & ſanctitatis eximię multos pro Chriſto ſuſtinens labores cũ adhuc in Hibernia adoleſcens degeret in Monaſterio tantũ in ſcripturis ſtudẽdo profecit, vt non contemnenda opuſcula ediderit, è quibus extat opus inſigne limato ſermone in toto Pſalterio lib. 1. de cæteris quæ cudiſſe dicitur, nihil ad meam recolo perueniſſe notitiam. Erat autem verbi Dei prædicator Zeloſus, & valdè egregius, qui amore Dei, natale ſolùm dulce relinquens peregrinus Chriſti factus eſt, & veniens in Alemaniam, Galliam & Burgundiam, multos verbo & exemplo ab iniquitate aduertit. Cõſtruxit multa cœnobia tam in his noſtris regionibus quam in Hibernia, claruit anno domini 500.

Idem Trithemius libro 3. cap. 26. Columbanus Abbas & pater multorum Monachorum de Hibernia veniens in Burgundiam permittente rege Theoderico, Monaſterium Luxouienſe fundauit: vbi fratres ſecundum regulam ſancti Benedicti viuere docuit. Deinde à Brunichilde fugatus Alemaniam ingreditur ac deinde poſt in Italiam trãſiens Monaſteriũ quod Bobium dicitur ædifica

tur ædificauit, cuius vitam Ionas eius diſcipulus compoſuit. Moritur ſub Mauricio imperatore, vndecimo Calend. Decemb. Anno domini 598.

Sigebertus in Chronico an. 598.

SAnctus Columbanus Abbas & presbyter, doctor Scotorum & Pictorum obiit, qui poſteris ſuis multa ſanctitatis monumenta reliquit: præterquam quod ruſtica ſimplicitate paſcha dominico die debere celebrari neque didicit, neque docuit.

Idem an. 622. Sanctus Columbanus obiit: diſcipulus eius Gallus in Alemania claret.

Idem an. 624. Euſtachius Abbas Luxouienſis & Attalas Bobienſis poſt Columbanum clarent. Hæc Sigebertus.

Idem de S. Columbano Abbate Petrus in Cathologo lib. 10. cap. 94.

COlumbanus Abbas claruit in Gallia temporibus Theodorici, & Clodouei regũ Frãcorũ, hic ex Hibernia Inſula natus cũ adhuc matris vtero geſtaretur vidit eius genitrix per ſomniũ ſe ſolem parere mundum illuminantẽ, qui adhuc puer liberalibus diſciplinis inſtruct⁹ relicta matre, patre iam defuncto à venerabili viro ſenile ſacris litteris, & regularibus inſtitutis imbutus eſt. Et cùm eſſet annorũ triginta, aſſumptis duodecim comitibus venit in Italiã, & inde acceſſit ad Galliam verbum domini prędicãdo, cui à Sigiberto Rege Aſtroſiorũ, & Burgundianũ conceſſione facta vaſtũ Eremum nomine Veſagũ cum ſociis ſuis habitare cœpit: & per annos ſexaginta, nihil vltra quàm herbas & radices manducauit. Abbas autẽ Euorcius Monaſterij Salicis diuinitùs peruiſum admonitus, B. viro Columb. neceſſaria vitę, equis oneratis tranſmiſit, quorum ductorẽ Marculum eius diſcipulũ conſtituit. Sed dum ille viã penitùs ignoraret Deo duce ipſe cum equis recto itinere ad cellã viri Dei peruenit. Hic multorũ miraculorũ gloria claruit. Cùm in quodã ſpecuvbi orare ſolebat vrſum reperiſſet, licentiatus Vrſus ab eo, locũ ipſum nunquã repetiit. Frater quidã grauiter egrotabat, & Abbas vnde ipſum reficeret nõ habebat. Inſpiratus ergo repentè quidã diuinitùs cum panibus & pulmentis venit, eaq; patri obtulit & ſic lãguenti ſubuenit. Et dũ pro vxore benefactoris oraſſet lãguens continuo ſanata eſt. Cum autẽ fratres aquam non haberent proximo, ſed à longè ipſam multo labore defferrẽt, fontem de ſaxo ſua oratione produxit, qui manat ibidem vſque in præſens tẽpus: Deinde in caſtro Luxouio Monaſterium latus conſtruxit propter fratrum multitudinem excreſcentẽ, die quadam cum Gallo monacho præcepiſſet, vt ad piſcandum ad flumen Bruſcam iret, & ille ad Ligonem fluuium proximiorem acceſſiſſet, & multos piſces inueniens nihil cœpiſſet correptus de inobedientia, ab Abbate ad locum iuſſum adiit & piſcium multitudinem cœpit. Aliquando exiſtens in oratione in quadam rupe, cognouit per ſpiritum omnes ſuos fratres domi relictos, eſſe languentes, & veniens vix eos qui ægrotis miniſtrarent ſanos reperit, eiſque omnibus vt ad meſſem præcidendam ſurgerent imperauit: & continuo omnes ſani ſurrexerunt & operari cœperunt. Et cum illis metentibus pluuia maxima erupiſſet, imbrem à metentibus fratribus adeò compeſcuit, vt pluuia circumquaque cadente, nec fratres, nec ſegetes in aliquo maderet. Puerum etiam qui metendo ſibi digitum falce præcederat ſola ſaliua ſanauit. Seipſum cum duobus ſociis in eremo vnico pane diuinitùs multiplicato per dies duodecim indeſinenter ſatiauit. Fratrem inſuper quendam qui cedendo ligna, ſe grauiter ſecuri vulnerauerat in momento ſanum effecit. Quidam curuus vnam ex chyrothecis eius aſportauerat vt illã repor-

taret præcepit,& continuò ipſam retulit.Dum quadã vice triticum in horreo defeciſſet, & ex hoc Guignocus procurator monaſterij plurimùm hęſitaret, orationem fudit, & manè horreum tritico repletum inuentum eſt, quod tamen clauſtrũ extiterat,eiuſque claues cellarius habebat. Apud fontanas monaſterium, ſexaginta fratres terrã colentes duobus panibus & modico ceruiſiæ,ad ſatietatẽ plenè refecit. Cùm vrſum in nemore iuxta cerui cadauer inueniſſet prȩcepit beſtiæ ne corium lederet, ſed fratribus pro calceis dimitteret,miſſóque poſtmodum illuc nuncio corium ſanum recepit. Duci Gualdeleno eiuſque coniugi Flauiæ ad ſe accedentibus,vt ſobolem eis impetraret,tã fœliciter optatũ obtinuit,vt antequã domum rediiſſent prȩgnãs mulier eſſet: natum ergo puerum & Donanim nominatũ Columbano in monaſterio parentes obtulerunt,pro quo plures alios filios poſtmodum genuerunt. Theodoricum Regem de adulterio increpabat, eo quod relicta Regina natos de concubina procreabat, vnde ab eo & Brunichilde eius auia regni in crimine fauente multas inſidias & perſecutiones perpeſſus de monaſterio ſuo eiectus eſt.Et in exilium actus ſȩpius reuocatur.Iterúmq, frequenter fugabatur,pluricſque periculo mortis expoſitus diuina tandem virtute liberatus euaſit. Apud Vexocienſe oppidũ vbi à rege fuerat relegatus compeditos omnes de carceribus diuina virtute ſolutos eduxit. Et dum ad carceres per ſatellites repelluntur ad virum domini in Eccleſia legenti confugiunt : quo intrantes ſatellites, & præſentem quærentes, videre non potuerunt & neminem abſolutorum capere valuerunt. Tandem rex diuina vltione in ſua gente percuſſus,Deique timens iudicium Columbanum ad propria reuocauit. Cùm apud Turonum pecuniam, quã ſanctus pauperibus dare decreuerat fur exportaſſet, & Abbas ad ſepulchrum ſancti Martini oraret latro ſubitò compunctus rediit, & ablata reſtituit. In villa quadam propè Sueuos gentiles quoſdam cuppam maximam quinquaginta modiorum vino repletam Deo ſuo libare volentes inuenit, & in cuppam inſufflauit, ſtatimque cuppa per fruſtra frangitur,& vinum effunditur & barbari conuertũtur.Dum fratres ad pomerium pro pomis deferendis miſiſſet illique reuertentes vrſum ingentem poma rapientem nunciaſſent,ſanctus per fratres vrſo mandauit vt aſſignatis ſibi quorundam ramorũ pomis contentus exiſtat, & reliqua fratribus dimittat,quod fera deinceps adimplere curauit, ſpiritu prophetico plenus Clotario regi prædixit ipſum in breui regna Theodeberti,& Theodorici regem obtẽturum quod vt prædixerat ſic euenit:nam orta guerra inter eos de terris regnorum in Tubianenſi caſtro,ambo ad inuicem bellum committunt, & Theodebertus ſuperatur & captus ad Brunichildem reginam deſtinatur, quem illa ſicut eidem regi dudum ſanctus Columbanus prædixerat clericum fieri fecit,& in Monaſterium intruſit, atque poſt modicum ipſum eadem regina occidi mandauit, ſicque Theodoricus regnum illius obtinuit. Sed poſt modicum tempus in vltionem iniuriæ ſancto Viro illatæ Theodoricus iuxta Meldenſe caſtrum flumine interiit, & ſic Clotarius vtrumque ipſorum regnum acquiſiuit, qui & Theodorici progeniem cunctam deleuit. Deinde vir Domini Italiam petens Monaſterium Bobienſe conſtruxit,& baſilicam antiquam ſemiruptam reparauit:qui dum propter aditum arduum trabes ad edificium de nemore excelſas plauſtris deferre non poſſent,virtute Viri ſancti duo vel tres ex fratribus trabem quam vix quatuor boues trahere potuiſſent humeris leuiter deferebant pro vt viæ anguſtia exigebat donec cœnobium omne perfectum eſt.Conſumato verò opere, vir Domini poſt annum reuolutum fœliciter

liciter in pace quieuit. Vndecimo cal. Decembris ibique ſepultus miraculis refulget. Hæc Petrus.

SANCTI COLVMBANI ABBATIS Epiſtola in qua deteſtatur auaritiam.

COLVMBANVS HYBERNVS Hunaldo diſcipulo.

SVſcipe Hunalde libens, & perlege mente ſerena
Dicta Columbani, fida te voce monentis:
Quæ licet ornatu careant ſermonis honeſti,
Vota tamen mentiſq́ pia teſtantur amorem.
Viue Deo fidens, Chriſti præcepta ſequendo,
Dum modo vita manet, dum tempora certa ſalutis:
Tempus & illa volat, momentis labitur ætas.
Deſpice, quæ pereunt, fugitiuæ gaudia vitæ.
Non fragiles ſecteris opes & inania lucra,
Nec te ſollicitet circunflua copia rerum.
Sint tibi diuitiæ diuinæ dogmata legis,
Sanctorumq́ Patrum Caſtæ moderamina vitæ,
Omnia quæ dociles ſcripſerunt ante magiſtri,
Velq́ doctiloqui cecinerunt carmina vates:
Has cape diuitias, ſemper contemne caducas,
In mentemq́ tibi veniat tremebunda ſenectus,
Quam gelidæ tandem ſequitur violentia mortis.
Vltima iam ſapiens meditatur tempora vitæ,
Torpentes ſenio vires, morboſq́ frequentes,
Incertumq́ diem lethi, certoſq́ dolores.
Multa ſenem fragilis vexant incommoda carnis,
Nam macie turpi tabeſcunt languida membra,
Tunc genuum iunctura riget, venaſq́ per omnes
Illius in toto frigeſcit corpore ſanguis.
Sic baculo nitens artus ſuſtentat inertes
Quid triſtis memorem gemitus, quid tædia mentis?
Somnus abeſt oculis, illum ſonus excitet omnis
Quid tunc argenti, fului quid proderit auri
Improba congeries, multos collecta per annos?
Munera quid procerum? ditis quid prandia menſæ?
Quid meminiſſe iuuat tranſactæ gaudia vitæ?
Venerit extremi tandem cum terminus æui.
Hæc dum vita volat, vigili qui mente retractat,
Spernit auaritiam, vanoſq́ refutat honores.

Quid modo terrenis mentes intendere curis,
Mortales cupiunt? quid turpia lucra ſequuntur?
Semper auarus eget, nec habet, quod habere videtur:
Ille domi ſolus nummos abſcondit in arca,
Diuitias cumulans, dum ſeſe neſcit amare,
Plus amat hæredem, ſeruat cui cuncta fidelis.
O nimium fœlix, parcus cui ſufficit vſus,
Corporis vt curam moderamine temperet æquo,
Non miſera capitur cæcaq; cupidine rerum,
Nec maiora cupit, quam quæ natura repoſcit,
Non lucri cupidus nummis marſupia replet,
Nec moles cumulat tinearum ad pabula veſtes,
Paſcere non pingui procurat fruge caballus,
Nec trepido tales doluit ſub pectore curas,
Nec ſubitis pereat collecta pecunia flammis,
Aut fracta nummos rapiat fur improbus arca.
Viuitur argento ſine, iam ſine viuitur auro,
Nudi naſcuntur, nudos quos terra receptat,
Diuitibus nigri reſerantur limina ditis,
Pauperibuſq; piis cœleſtia regna pateſcunt
Temnere diuitias monuit ſaluator auaros,
Quiſquis amat Chriſtum, ſequitur veſtigia Chriſti,
Nam breuis & fragilis morituræ gloria carnis
Quidquid habet, rapidi, velox fuga temporis aufert,
Pulchre veridici cecinit vox talia vatis
Tempora dinumerans æui vitæq; caducæ.
Omnia tempus agit, cum tempore cuncta trahuntur,
Alternant alimenta vices & tempora mutant.
Accipiunt alimenta dies noctéſque viciſſim.
Tempora ſunt florum, retinet ſua tempora meſſis
Sic iterum ſpiſſo veſtitur gramine campus.
Tempora gaudendi, ſunt tempora certa dolendi,
Tempora ſunt vitæ, ſunt triſtia tempora mortis,
Omnia dat, tollit, minuitque volatile tempus,
Ver, æſtas, autumnus, hyems, redit annus in annum
Omnia cum reddeant, homini ſua non redit ætas
Hanc ſapiens omni ſemper reminiſcitur hora,
Atque domum luctus epulis præponit opimis.

FINIS.

DE

DE SANCTO MAXIMO EPISCOPO REGIENSI & Monacho Lerinenſi Homilia ab eius ſucceſſore Fausto ex Abbate Lerinenſi, in natali eius habita Regij, teſte Ioanne Sauaro in Sydonij Epiſtolarum commentari, Epiſt. 3. lib. 9. & in carmine Euchariſtico ad Fauſtum.

LOcuturi de perfectione ſummi antiſtitis,& confeſſoris,multum veremur nè merita eius,dum affectus prędicationis inſinuat,tenuitas ſermonis abſcondat. Qui cum à prima ætate nouis virtutibus vſq; ad finem quaſi ſemper inceperit,inter ipſa primordia conſummatus apparuit. Diu ille ſub habitu ſeculari,Chriſti militem geſſit,diu ſanctæ vitæ, quæ ſola deerat, profeſſionem negauit: diu in hunc Mundum poſitus,extra mundum fuit:diu ſeductori impoſturam fecit,diu mentientem fefellit,& cum iam eum mundus animo non agnoſceret ſuum,vel ſolo tamen corpore tenebat alienum,ac ſi publica conuerſatione ſuſcepta,non tamẽ cœpit eſſe quod non erat,quàm prodidit quod latebat. Inter hæc ſtupebat in ſinu ſuo patria ciuem ſuum peregrinari,& intra fines proprios nouæ conuerſationis legibus exultare. Nondum quidem viſibiliter exierat de terra ſua, & cognatione ſua, & de domo patris ſui: ſed iam ſpiritualiter reliquerat terram ſuam, quia nullis inclinabatur concupiſcentiis actibúſque terrenis:iam reliquerat cognationem ſuam, quia nullis iam carnalium neceſſitudinum detinebatur affectibus, nullis vitiorum,quæ per longam conſuetudinem proxima,& cognata animæ efficiuntur,velut parentum conſtringebatur amplexibus. Iam reliquerat domum patris ſui,quia in inquiſitione æternæ illius patriæ,ſupernis intentus,exceſſerat. 27. Nouemb. *Adhuc ſæcularis quam ſanctè vixerit S. Maximus.* *In patria degit peregrinus.*

Tum itaque Patriarcharum in ſe complexurus figuram,ſubitò totum reliquit,vt illũ poſſet obtinere,qui totus eſt dicturus cũ Apoſtolo: ecce nos reliquimus omnia,& ſequuti ſumus te. Omnibus prorſus cupiditatibus, & velut indumentis exuitur,abiiciuntur cum ſæculo extranea bona, vt magis propria ornaměta clareſcant. Ita eſt vera,&perfecta cõuerſio,quando non ſolùm poſſeſſio negligitur in rebus,ſed etiã paſſio corporaliter:de domo,&de loco ſuo diuina vocatione dignus egreditur,tanquam Iſaac à patre,viua Chriſti hoſtia futurus offertur,& ſuper Inſulæ Lerinẽſis aram, totis humeris crucem domini baiulaturus,imponitur: de qua quidem ara multæ piorum animæ in holocauſtum, & in odorem ſuauitatis aſſumi in videnda conſummatione meruerunt. Super hanc itaque aram per contritionem carnis,& ſanguinis,ſemetipſum Deo immolat:& ſicut illic pro Iſaac aries occulta myſterij diſpenſatione ſupponitur, ita hic dum in illa ſancta congregatione de milite conſurgit, & in principem promouetur,ex oue in gregis arietem commutatur. *Matth.* 10. *Geneſ.* 22. *S. Maximus fit Monachus Lerinenſis. Poſteà abbas.*

Legimus beatum Iacob,cùm de patria fratrem fugeret, ſine vllo ſubſidio, ſolùm in baculo ſuo tranſiſſe Iordanem,& poſt longę peregrinationis abſentiam,cum magnis opibus,duabus etiam honorabilem coniugibus,vt tunc licebat,ad patriam reuertiſſe:ità hic ſanctorum eximius,patrem ac fraternitatẽ ſuam fugiens ſe ſolũ ex omnibus portans,in ſpiritu tamq́; in baculo tranſmiſum,anguſtiſſimo freto deſerit. Lerin. Inſulæ ſedem,immò latebram petit,vbi à Mundi,tanquàm ab inimici periculis tutus,multis laboribus deſudatis, tanquam in matrimonium ſumpturus, & quaſi annorum hebdomade tranſacta (nam plenis ſeptem annis ibidem Chriſti gregem pauit) Rachel acquiſiturus præfertur Inſulæ,præparatur Eccleſiæ. Qui quantos ibi Iacob iſte noſter virtutum inſtitutionibus ſacerdotes,quãtos in Chriſto genuit patriarchas, quãtas ibi,ò pater luminum,meritorum author,donorũque largitor, quantas ille *Geneſ.* 23.

diuitias vobis ac patrię reportãdos,quãtos ille theſauros animabus veſtris,dũ in illo camino humiliationis excoquitur,cõgregauit? Quãta ornamẽta,quãta monilia fabricatus eſt? Vobis enim iſte athleta Chriſti in illo agone ſudauit, vobis dũ ſe extollit,fructificauit:ſibi illic ſerens,vobis colligebat:ſibi quęrẽs, vobis neſcius acquirebat:ſibi paraturus præconia, vobis ſoluturus vſurã vobis hęc ſpiritualis columba cibum de illa Chriſti menſa,& angelica cõgregatione capiebat, vobis potũ de illo gratiarum fonte ſitiens hauriebat: vt quaſi Mater ſolicita eſcas,quas de illo vitæ horreo ſumpſerat,in ſenſus veſtros pleno de corde transfũderet. Vobis prophetica hæc apes,ſalutifera in illo alueario mella cõfecit:veſtris quidem conſpectibus deerat, ſed veſtris profectibus militabat.Sic lampas magna non ſibi accẽditur,ſed lumen ſuum eminùs fert, &in circumiecta iaculatur,ſpecioſum fundens flammeum doctrinę fulgorem &vniuerſis qui aſſiſtũt,integrũ,&ſingulis totũ.Meritò ſe vobis imputet beata illa Inſula ex hoc vno atq; vnico munere,licèt multũ erubeſcat ex alio:vir ille præcipuus,illic doctus,vt hic doceret:illic ditatus,vt hic fœneraret: illic illuminatus,vt hic fulgeret:illic purificatus,vt hic sãctificaret: & vt hic exercere poſſet cõfeſſionis curationẽ,illic quæſiuit aromata,&pigmenta virtutum, hic induſtrius atque auidus negociator, extera atque longinqua expetit,collaturus regionibus ſuis peregrina ac precioſa commercia. Abſentat pauliſper à patria, vt nouas opes ac diuitias tranſmarinas reportet ad patriam.

Multos ſancta conuerſationis fructus colligit.

Sancti Luminaria ſunt à Deo auerſa.

Gratias tibi Domine,qui tam conſpicua ad inquirẽdum te luminaria in noctem mundi huius accendis,per quæ & ad viam ſalutis poſſint venire,qui cupiunt:& excuſationem non poſſint inuenire,qui negligunt. Fœlix itaque terra,quæ talem genuit:fœlicior Inſula quæ erudiuit.Sit ſanctificata, quæ dedit: ſit benedicta,quæ reddidit.Beatus,& ipſe communis pater,quem & illic Honoratus accepit,& hic honor rapuit. Dignus,cui primus ille fundator gubernacula Lerin.nauis poſt ſe moderanda cõmitteret.Dignus,cui tanquam Elias ad ſuperna migraturus,Eliſeo diſcipulo pallium pietatis,& gratiæ,ac præclara meritorum indumenta traderet,& in ſe augendus, & in filio duplicandus. Dignus,inquam,hic,cui ille piiſſimus pater Honoratus,tanquam Moyſi, primi populi primus princeps, ductandi per deſertum Iſraëlis legem traderet, & quaſi fortiſſimo Ieſu Naue, pia iura transfunderet, electo vtique ac ſatis probato, qui ſacrum ad promiſſa cœleſtia promoueret ac perurgeret exercitum: Hoc itaque duce ſanctæ congregationis ſplendiſſima illa die ac nocte columna non defuit:ſed ſemper eos tanquam gemina fidei atque operum lux præceſſit.

4. *Reg.* 2.

Quantas hic in illo deſerto,ſicut de Ieſu Naue legimus,nequitiarũ ſpiritalium exercitantiſſimus debellator, quantas in conuerſorum cordibus gentes peremit?Quantas nationes inuiſibilium aduerſariorum, quæ Iſraëlem de regno excludere conabantur,extinxit?Studens in homine, velut in terra ſancta,tanquã hoſtem interficere paſſiones, ac tanquam Dei populum introducere ac plantare virtutes,& quaſi cultris lapideis,id eſt, fortibus Chriſti præceptis concupiſcentias reſecare, & circumcidere voluptates, & non minùs exemplo quàm imperio,militum pectus armare,atque ad deſiderium ſupernę hæreditatis accendere.O virum perfecti exercitus idoneum ducem.O virum per omnia Deo dignum.

Multos Chriſto lucrifacit.

Eminebat, vt ſic dixerim, in ipſo habitu animi fortitudo: in ſpecie exterioti ipſam putares expreſſam imaginem ſanctitatis, terribilis inceſſu, reuerendus adſpectu crederes quòd ſemper inuiſibilem illum hoſtem, ipſa

S. *Maximus magnâ vultu præ ſe tulit ſe ueritatem.*

ipſa vultus ſui virtute terreret. Metuendus ſeueritate, benignitate venerandus, auctoritatis cenſuram humilitatis manſuetudine temperabant. Minabatur quidem frontis auſteritas, ſed cordis ſerenitas blandiebatur. Ac ſic conueniente in vno diuerſitate gratiarũ Paulus apparebat in vultu, Petrus in ſpiritu illius diſtributionis, huius erat pietatis æmulator: ita vt cum præſentiam eius vix ſuſtineres, abſentiam ferre non poſſes. Internorum autem bonorum ſuorũ formas ac ſpecies, ſicut nemo ad plenũ inſpicere potuit, ita nemo ſufficit explicare. Quas ille ſicut extollere ſtuduit, ita elaborauit occulere: vt de ornamẽtis ſanctæ animæ ſuæ dictum accipi poſſit. Omnis gloria eius filiæ regis abintus in fimbriis aureis, circumamicta varietate. Dignè in fimbriis aureis, quia magis ac magis in operũ ſuorum fulſit extremis. Dignè, inquam in fimbriis aureis, quia precioſior ſe ipſo in nouiſſimis fuit, & ſicut hic dixit, in veſtimentorũ fine, ita ille in actuum ſuorum conſummatione plus claruit. Itaq; dum illa ſancta congregatione B. Magiſter angelicis ſtudiis ſcholã Chriſti imbuit, ſplendebat omnis inſula, radiata ac repercuſſa ſuorum luce meritorum: & quicquid ab vno ad vniuerſorum gratiam peruenisſet, rurſum ab vniuerſis ad vnius gloriam reuertebatur, & quaſi nobilitas aquarum ad fontis magnificentiam redundabat. Inter hæc ille cum vellet augeri, volebat agnoſci, quia hæc eſt natura iuſtitiæ, vt quanto ſtudioſiùs abſcondi optat, tanto clariùs innoteſcat, & occultatio ipſi proditio ſit.

Natura iuſtitiæ.

Paſſim per populos conſcientiam tantorũ bonorum fama volitabat, & odorem amœniſſimæ ſuauitatis longè latéque fundebat. Eminebat in admirationem omnium velut ciuitas ſuper verticem montis expoſita nec iam lucerna poterat latere ſub modio, nec recipiebatur, nec continebatur vltra latibulum ſuum exundans ſiderei luminis magnitudo. Ambiebant illum diuerſæ patriæ ſed vel maximè proxima eremi ciuitas, quæ territorij ac finium ſuorum incolam, velut proprium amplectabatur indigenam. Ambiebat illum proxima eremo ciuitas, quæ inter locum hunc, & inſulam (vt noſtis) interiacet. Qua ille ſuſpicione percuſſus, triſtem parat egreſſum, ac longinquum meditatur exilium: ſed repentino occupatus aduentu inſiſtentium ſacerdotum, petit (quod licuit ad momentum) amica ſibi ac negotio ſuo condenſa ſyluarum.

Mat. 5.

In ſylua Lerinenſi latet S. Maximus.

Irruentibus fidelium turbis, ventilantur vniuerſa, profunda eremi ſecreta verſantur. Sub nudo axe cœli trium dierum ac trium noctium imbribus verberatur, ſicut & ipſe ſum teſtis. Videtur quoque mihi nimbi inquiſiſſe latentem. Mœret cũcta inſula periculum patris: plus iam in eum expaueſcit iniuriã quam rapinam. Gratias inter hæc cœleſti diſpenſationi pro ſuis meritis quæritur, pro veſtris non inuenitur. Ipſe interim locus dedit latebram, qui inquirendi intulerat cauſam, & qui collatos exponebat ad gratiam. Non poſt longum tẽpus (vt meminiſtis) ſancto orbata paſtore populi præſentis Eccleſia, piam ſupplex filiis mãdat legationem, repoſcit patria iuſtioribus deſideriis pignus ac depoſitum. Quo ille comperto, inſtructo remige, profugus euolat ex dulcibus locis, atque ex finibus Gallicanis. Teſtatur violentiores nunc poſt ſe pietatis inſtantia longius abſcedendo.

Habes hic auctoris fidem & antiquitatem.

Quid te, ſancte atque humilis Chriſti ſerue, tuorum complexibus præcipitem rapis ſine cauſa? quorumque loci latere arbitratur, quam vbique lumen ſuum ſequitur? Quid diffugis gloriam, quæ plus additur, dum timetur quicquid libet, agas: incaſſum te patriæ perfugam denegas cui te nuper fuga ipſa ſeruauerat. Quid honorem quaſi indignus repellis? Meriti prærogatiua, eſt honoris repulſu. Quo fugis magiſter diſcipulos? Quo pater

Fugit dum expetitur ad Epiſcopatum. Sanctos viros ſuum lumen ſemper ſequitur.

ſancta patriæ tuæ,in te pendentes,& poſt te deficientes: Quanto te plus ſubtraxeris oculis,tanto magis ingeris deſideriis. Qui tabernaculum illud Chriſtianorum principibus, id eſt Apoſtolis ipſe conditdit, Eccleſiam in montis huius vertice ineſtimabili labore fundauit.

Parua hæc ſunt in illius cœleſtibus geſtis.Plus eſt quod inſinuat vobis timore diuino,& lumine ſupernæ agnitionis infuſo in ſe, quaſi ſupra ſpiritalem montem,fidem & ſpem plebis,& Eccleſiæ huius erexit, & ſancta in vobis Deo templa conſtruxit. Et quia ſuperius memorauimus, quàm magnificé inſulario illo ſtadio perfectionis vias incurrit, plus eſt qui huc inſulam ipſam inſtitutis ac ſtudiis ſuis tranſtulit.Et qui iam dudum in Abbate Pōtificem geſſerat, poſtmodum Abbatem in Pontifice cuſtodiuit, neglector quietis,fugax voluptatis,appetitor laboris, patiēs abiectionis,honoris impatiens, pauper in pecunia,diues in conſcientia,humilis ad merita, ſuperbus ad vitia, locuples in donis Dei:& ſic in ſe excoluit gratiam vnamquamque quaſi ſolam : pauci ſic tenuerunt ſingulas, quomodo ille in ſe impleuit vniuerſas: ſemper in operis exercitio, ſemper in compunctionis affectu, ſemper occupatus,& ſemper vacans. Nulla illi ex omnibus propēſior fuit cura,niſi aut de Deo in lectione atque ſermone,aut cum Deo in oratione loqueretur, & illū velut Moyſes facie ad faciem compellaret in corde, eúmque quaſi præſens preſentem adimplenda promiſſa ſua,voce imi pectoris conueniret. Cùm qua voce cognitionis puræ atque pinguiſſimæ,& areſcentis medullæ,atque continuatis ieiuniis oſſa clamabant,ſtudens,de perſecutore iniquo,longo triumphare martyrio.

In Epiſcopatu vixit vt monachus.

Quid inter hæc dicam?exhauſtorum magnitudinem membrorū prodebat robur antiquū,& ita mortificationē Chriſti præferebat in cruce, vt reliquias quaſdā videres in corpore. Ita autē mētem eius repleuerat auiditas futurorū bonorum, & ingens diuini timoris ebrietas, vt abſtinentiam, & inediam ſummam duceret voluptatem.Tu erga te fatigas quidem votum,ſed producis affectum. Vno eodémque tempore dum à patria probaris patriam probas. Tunc impletum eſt circa vos,dilectiſſimi fratres,illud Euangelicæ promiſſionis oraculum : *Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis.* Sicut verum ſacerdotem decebat,prudentia legitur,fide quæritur, pietate reuocatur. Sequuntur illum atque comitantur,& ingrediuntur cum illo fines veſtros non extranei,ſed proprij ac domeſtici ſuffragatores,id eſt,principium ſapientiæ timor Domini, compunctio, purificatio, perfecta religio, & vniuerſus religionis chorus,ſanctitas,benignitas,Caſtitas,ſapientia,iuſtitia,Miſericordia.

Matth.7.

Pſal.110.

Ecce qualiter ambitioſus veſter à vobis, ecce quali pecunia ſacerdotium comparauit. O admirabile negotium cœleſte commercium. Vnde emit ipſum eſt,quod emit,id eſt quia verus meritorum honor non alibi,quam in ipſis meritis continetur.Vitæ perfectio,propter quam à vobis eſt inquiſitus,ipſa eſt Epiſcopatus, interuenit autem in medio huius negotij hæc ipſa illius ſanctitas,& ſalus veſtra.Nemo neget,nemo neſcire ſe ſimulet. Inde vos ademit,vnde vos ſæpius vt confidimus à peccatis redemit.Quærebatis magnum ſed verè ſummum reperiſtis.Probaſtis in illo planè & impleta veſtra, & exuperata iudicia.Plus vobis vita illius reddidit,quam fama promiſerat.Sicut autem legimus Euangelicam illam ac beatam mulierem,effracto alabaſtro nardi pretioſi,vnguentum ſuper carnem Domini profudiſſe, ita glorioſa illius anima aperuit latentes in ſe diuitias cœleſtium munerum, & de armario ſuaueolentium virtutum aromata ſanctificationum & gratiarum ſuarum ſupra omnem

Iean.12.

omnem hanc Eccleſiam, quæ in Chriſti corpus effundit, & ad ipſum caput membrorum iuſtificatione tranſmiſit,& verè,vt dixi,repleta eſt vniuerſa hæc domus Chriſti ex odore cœleſtis vnguenti.

Cap.13.

Quid dicam eius voluntatem, vt fierent ei lachrimæ panes die ac nocte & pro cibo ac potu hæc ſecũ inceſſabiliter ruminaret,*Quando veniam & parebo ante faciem Dei?* Vt præter vitam nihil eſuriet, præter iuſtitiam nihil ſitiret: vt præſentia tanquam inania atque tranſacta, abſentante ſpiritu non videret, & in futuro repoſita, tanquam oculis ſubdita concupiſceret, & in latitudine cordis ſui ſpe diſponente atque imaginante depingerentur: vt faſtidio eſſent,quæ ſe aſpectibus offerebant:deſiderio autem illa, quæ ſe ſenſibus inſerebant: vt quanto amplius de ipſo ſapientiæ fonte libauiſſet, tanto ardentiùs æſtuaret. Habet etenim hanc cum dulcedo cœleſtium pulchritudinũ,vt quanto intentiùs quæritur,tanto intentiùs deſideretur.Ingerũt de cupiditate appetitum,& non faciunt de ſocietate faſtidium: ſicut de ſe ſapientia ipſa teſtatur:Qui edunt me adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient,

Pſal.41.

Contemnit præſentia.

Appetit ſemper mãſueta.

Eccle.24.

Et ideò loquebatur,credo,ſecuro in conclaui & in cubiculo ſuo beata illa anima:O fragilitas humana,exiguum eſt, quidquid agis propter ſpẽ æternorum:Quantalibet acquiſieris,non deſiſtas: quia adhuc ſupereſt, quod requiras:ac totum ei videbatur parùm,quicquid adhuc recipiebat augmentum.Vrgebat ſe Apoſtolicis adhortationibus,ſicut dicit:*Bonum,inquit, facientes, non deficiamus:tempore ſuo metemus,non deficientes,*Quid eſt ergo,Bonũ facientes,id eſt,ſi homo non impoſuerit finem operi, nec Deus imponit remunerationi. Quantum enim ſerimus in operibus, tantum metemus in fructibus. Et quia non ad menſuram dat Deus ſpiritum, quantum ſe auiditas inquirentis dilatauerit, tantùm ſe aperiet manus retribuentis ad præmium. Oportet ergò, vt anima in bonorum deſideriis ſemper excerceatur,quæ nullis in proficiendo terminis coërcetur, in comparandis ſibi cœleſtibus ornamentis nullam patitur legem, cui accedere conceſſum eſt vſque ad diuinæ imaginis dignitatem.

Gal.6.

Ioan.1.

Operum Mercès in cœlis.

Inter hæc ille exercitio infatigabiliter vinctus, ad noua merita nouus ſemper aſſurgens,corpore in terra poſitus,conuerſatione in cœlis fuit, & inuictum contra peccati iacula timoris perpetui ſcutum tenuit. Vocem illã B. Iob inceſſabiliter ſecũ voluebat: ego autẽ ſicut fluctus ſuper me tenentes timebam Deum. Fœlix terra,quæ talẽ genuit,ac de alumno patronũ,de homine Angelum ad authorem remiſit.Huius ergò tãti ac tam præclari, quæſo vt nos & diſcipulos meminerimus,& filios rapiat vnuſquiſque quod poſſumus, de bonis inteſtati parentis: Hic de hæreditate eius aſſumat Holoſericam,geſtorum varietate precioſiſſimam:hic manſuetudinis ac ſimplicitatis occupet talentum: ille eius pectoris beneuolentiæ ac ſapientiæ monile ſibi vendicet: hic Margaritam compunctionis, & theſaurum caſtitatis inuadat. Licèt enim ille locupletiſſimus Chriſti amicus quicquid habuit,integrum ſecum tulerit, & nobis tamen,ſi volumus,totum reliquit.Ita ergò agamus, bona illius conſectantes:vt qui in æternam gloriam ſuſcitandus eſt ſub fine ſeculorum, redditus Eccleſiæ ſuæ,per rediuiua in filius merita iam ſurrexerit.

Iob 31.

Fauſtus diſcipulus in Lerino B. Maximi.

Sanctorum virtutes imitandæ.

EIVSDEM BEATI MAXIMI VITA AVTHORE viro illustrissimo Dinamio Patricio.

Præfatio Authoris ad Vrbicum Episcopum Regiensem successorem Fausti. Creatur Episcopus Maximus an. domini 466.

DOmino Beatissimo patri, Vrbico Papæ Dinamius Patricius salutem. Cùm Apostolicæ fidei ardore successus, vniuersa de virtutibus sancti Maximi, quæ fidelis relatio gestorum manifestat, sollicita indagatione perquiris, imperitiam meam pulsare non desinis: paternis etiam moniiis prædicandi authoritate cõfirmãs, quòd nõ parùm ipsius delicti noxa reº efficiar, nisi omnia in vita eius, quã me ante aliquot an. rurali sermone cõscripsisse cõstitit, studeã addere quæcũ que vos de illius mirabilibus protinùs manifestũ est inuenisse, vnde ego gemino pudore confundor, cui nec loquendi facultas conceditur, nec silendi securitas indulgetur. Si loquar, sensum monstrat detecta rusticitas imperitũ. Nam si licuisset, vel de succincta poterã dictione placere, cui non possunt dogmatis augmenta succurrere. Inter virã̃ ergo constitutus angustiam: præceptis vestris parere disposui, placiturus obedientia, non doctrina: Vetera vos igitur chartarum indicasti reuolnisse volumina, in quæ quid ex eius operibus Beati Fausti antistitis predecessoris vestri solertia deuota collegerat, vnde pauca sensu potiùs, quã obtutu, vix decernere potuistis. Nã plurima æmulæ vetustatis edacitas consumpserat, quæ latebant. Quod nisi scriptũ meorũ seriè æternæ memoriæ traderẽtur pauca de pluribus, satis esse impiũ censuistis. Vnde me ex parte votis vestris satisfeciisse censeo, quòd in longã ducta propaginem sectio multiplicata subsequitur. Quæ quoties audientibus fecerit dudũ lecta fastidium, ad vestrũ poterit pertinere delictũ: si mercedis præmiũ contulerit, nihil exinde ad me similiter pertinebit, qui cõpulsus vestris imperiis, prolixiora conscripsi, quã volui, & refugium breuitatis omisi. Me ergo, quẽ silentij peplo prudentissimè pastor expolias, & tegmine taciturnitatis enudas, supplico vt cum vniuerso populo, diffuso munias intercessionis præsidio. Quoties lectionis redigitur lõgitudo, nec dictio impolita displiceat, quã tenor relationis sanctæ cõmendat. Nam dubiũ non est, quòd quantùm integra deuotione cordis, ipsius S. Antistitis gesta præfers, tantùm opera mediteris, vt eius integra auiditate mentis coneris sequi vestigia, cuius actionũ diligis ornamenta: dũmodo diuino beneficio, & ipsius patrocinio tibi concedatur temporalis vitæ prolixa tranquillitas, & S. operis expetita facultas, domine verè sancte, & beatissime Papa.*

* Discernere.

VITAE HISTORIA.

27. Nouemb.

BEatissimi Maximi Regiensis vrbis antistitis hodie dies sanctæ solemnitatis colitur, qui quotannis rediuiuis tẽporum curriculis renouatur: cuius nos res gestas pandere pia animi deuotio admonet, & prisca consuetudo compellit. Nisi enim ea, quæ perspicua & minimè dubia aliorum relatione comperta sunt, litterarum monimentis continentur, quæ antiquitùs gesta sunt, plerumque à nouis authoribus variè referuntur. Nam vt mysticæ actionis eius insignia nihil habeant ambiguũ, nihilque ex ijs vulgaris assertio fabulosum efficiat, aut de natiuitate suspectum: quæ ab illo facta sunt, & comprobata, veridico sermone narranda sunt: ex quibus ipsis tamen, ne auditori nimia prolixitas afferret fastidium, per multa reticuimus, annotauimus pauca.

Beatus

Beatus Maximus in vico proprio,cui Decomero vocabulum eſt,vitæ ſumpſit exordium, Chriſtianis parentibus editus,& factus illicò Chriſtianus. Ab ipſis verò infantiæ rudimentis ſublimi ſemper humilitate creſcens , ita teneros ætatis annos morum maturitate caſtigauit , vt proprietatem nominis ſui gratia ſanctitatis ſibi vendicaret.Poſtquàm autem exceſſit ex ephebis,luxurię illecebras & blandimenta animi magiſterio & cenſura edomabat,vt*pollicitatione virginitatis , palmam incorruptæ integritatis obtineret , & in regnis cœleſtibus è carne ſubiugum miſſa triumpharet. Fuit nimirum bonorum omnium ornamentis præditus, eſtque meritò laude ac prædicatione efferendus:quippè vultu venerabilis,blandus adſpectu,ore placidus , animo ſerenus, patientia fortis,magnanimitate conſpicuus,pacis amans , largus erga hoſtes, labentia faſtidiens,cœleſtium ardens deſiderio,temporalibus æterna comparans , temporaria pro æternis vilipendens atque contemnens. Et vt interiùs diuinæ legis præcepta cognoſceret,naturali ingenij acumine tantum in literis profecit,vt legendi auiditate paſtum quæreret animæ ſuæ , & inſtar apum æternæ ſuauitatis nectar hauriret. Quamuis autem omnia vitiorum carnalium fomenta protereret , & omni ex parte præclara conuerſatione fulgeret, at nihilominùs vires corporis abſtinentiæ aſſiduitate frangebat , carnis vitia antè , quàm nata eſſent , perſequens & coercens : ita vt ei ad martyrium non niſi percuſſor defuiſſe videatur. Nam ipſe proculdubio Martyrem fecit & cruciatu,& merito.

S. Maximi patria vulgo chaſteu Redon. propè Dignam.

**Pollicita.*

Votum caſtitatis.

Cathalogus virtutū eius.

Corpus abſtinentiis edomat.

Porrò etiam omnem facultatum ſuarum copiã deſerẽs,Lerin.Monaſt.petiit vbi ſempiternas diuitias iuſtus inueniret:Euangelica ſecutus præcepta,ſciente ſe perfectum fieri non poſſe niſi venderet omnia ſua , & à cunctis opibus alienum ſe faceret. In ea autem Congregatione cùm omnes perſpecta charitate diligeret, ipſe itidem ab omnibus amabatur. Tantus verò in eo feruor exſtitit,vt antè,quàm monaſticam viuendi regulam complexus eſſet vel myſtica inſtituta,iam conuerſatione præcipuus videretur, ac deinde ſancto Honorato deceſſori ſuo , ſummis virtutibus ornatiſſimo qui illic Abbas fuerat, & honore ſuccederet , & meritis æquaretur. Qua in functione cùm gregem commiſſum paſtorali ſolertia cuſtodiret.& ſingulis noctibus,aliis ſomno occupatis,Monaſterium luſtraret,præter morem accidit, vt monachus quidam adhuc puer motus quadam curioſitate vel ſolicitudine,eum ſequeretur.Ecce autem beatiſſimi viri cõſpectui diabolus inſidiator forma ingenti atque terribili ſeſe offert.Sed cùm illum ſpiritualibus indutum armis terrere non poſſet,nec opinantem monachum tanto effecit terrore,vt trepido gradu ad cellam illicò reuertentem ardentiſſima febris mox corripuerit.

Petit Lerin. monaſterium.

Matth. 19.

Succedit Honorato in Abbatis functione Lerini.

Rurſus pertinax ille impoſtor,ſperans ſe ſanctum Virum vel aliqua ratione perturbaturum, ignei draconis ſpecie ſe illi oſtendit. Sed confeſtim crucis ſigno territus , euanuit. Iam enim inuictus athleta hoſtem ſæpiùs ſuperatum minimè formidabat.Poſtquàm autem totius Inſulæ Lerinenſis peragrauit ambitum,ocyus,acceſſit ad lectulum ægrotantis monachi,quem diximus in febrem incidiſſe:clamque apud illum intra Arcana pectoris ſui,preces Deo fundẽs,id efficit,vt mox reſtitutus ſit incolumitati priſtinæ,& præda ſua fruſtatus ſit hoſtis elatus. Itaque obtinuit gemina virtus inuictam victoriam, quando & vires ægroto reddidit , & aduerſarium ſuperauit: deplorante inimico iacturam,quam fecerat:lætante monacho ſalute,quam recuperauit.Sic autem ſingulis noctibus paſtor egregius ouile Dominicum circumluſtrans, nequid aduerſi occideret,ad littus æquoris, quod vocatur moles,quandoque

Crucis ſigno profligat ſatã.

acceſſit,moxque veterator ille præſtigiis ſuis auſus eſt tanquàm nauem onuſtam oculis eius repræſentare,nautaſque ſuo more feruentes in opere,nauiſque inſtrumenta colligentes:duos verò ex illis ad beati Viri latera accedentes dicentéſque ſe eò aduenisſe negociandi cauſa quòd non ſine ingenti lucro id fore rei euentus declaraſſet.Se noſſe illum Maximum, non minus ſanctitate, quàm nomine: eumque in locis transmarinis tantoperè deſiderari ab omnibus,vt ſi eum obtinere poſſint, nihil ſint maiori in precio habituri. Nullum ſe igitur maius facturos compendium, quàm ſi ipſum naui impoſitum poſſint abducere Hieroſolymam, præter opinionē ſucceſſu proſpero repertum, id verò proculdubio magno ipſi honori & dignitati forè, ſi fœlici curſu eò aduectus ſit,vbi in tantum votis omnium expectetur. Sed vir Dei inſidias & malum dolum inimici cognoſcens,ſanctæ crucis ſignum ſe communit, cœleſtem implorat opem, ac deinde ſpiritali authoritate ſic reſpondet: fallere non poteſt milites Chriſti nequitia profani & impoſtoris, nec ſuis fraudibus illis poteſt illudere malignus, quibus Deus id præſtat, vt aduerſa præuidere queant. Hanc verò Inſulam vſque adeò beatiſſimi Honorati communierunt preces,expulſo per eum dracone eius habitatore vt nullus deinceps nocendi aditus in eam pateat diabolo. Sub his verbis ab oculis orantis euanuit nauis commentitia:moxque ille reuerſus ad oratorium, hortatus eſt fratres, vt ad vigilias ſurgerent: vnaque eum ſancta illa congregatione ipſe celeberrimas laudes perſoluit ei,per quem ab hoſte victoriam reportarat.

Præſtigiæ dæmonum.

Vir ſanctus ſigno Crucis ſe munit.

Euaneſcūt dæmonum phātaſmata.

Creatur Epiſcopus Rhegiē ſis.

Cùm autem fama inſignium virtutum eius per orbem vniuerſum volitaret,ad Rhegienſis vrbis Epiſcopatum non modo ciuium,ſed etiam ſacerdotum ſiue præſulum omnium ſtudio non minus raptus,quàm electus,&quanuis inuitus illicò conſecratus eſt. Et ſi autem iam & re & nomine Maximus, vix habere videretur,in quo ampliùs creſceret, nequid tamen nomini decederet,ſicut opere & factis permanſit Maximus,ita & in honore excelluit.Inter cetera igitur rectè factorum,quæ in illo refulgebant, ornamenta patientia fortis,beneuolētia patiens,libertate alacris, liberalitate abūdās, magnanimitate beneficus,humanitate mitis,ſedulitate diligens,charitate ſuauis, largitate communis,doctrina præſtans,iuſtitia ſingularis, humilitate ſublimis, opum contentor, dignitate copioſus, & affluens fuit.Templum in Rhegienſi caſtello in beati Albini honorem, quanta potuit animi deuotione, condidit, cuius columnas,quas hodiéque illic cernere licèt,iuga boum eò pertraxerūt, ſed ita tamen, vt nulla ſentirent tanti ponderis moleſtiam eius ſanctitate id efficiente, quandiu ille ad templi ſtructuram operarius indefeſſus aderat. Quòd ſi verò abeſſe eum contingeret, nequiſſimi dæmonis occulta machinatione adeo earum pondere præmebantur boues vniuerſi,vt nullis ſtimulis adigi poſſent ad progrediendum. Et ſi pluries alij adiuncti eſſent, manebant immoti omnes, quantumuis atrociter cæderentur atque fauciarentur. Id vbi celer nuncius beatiſſimo antiſtiti ſignificauit, ille incunctanter atque fidenter veniebat ad locum,nec terrore trepidus, nec mœrore perturbatus. Tum verò hoſtis nequiſſimus eius oculos fallere non potuit,nec ſe ab eius conſpectu ſubducere, qui totius populi oculis conſpici non poterat. Ait autem vir ſanctus ad illos: Fruſtrà vexatis iumenta rationis expertia, dum inimici impedimenta cernere non poteſtis. Ego verò paruum Athiopem video, bobus ſeſe obiicientem. Inde flexis genibus, orat ſupplex Deum, vt hoſtis inſidias auertat.Eius preces malignus ille ferre non ſuſtinens,ociùs nō ſine teterrimo fœtore recedit.Mox amotis bobus, qui aliis adiuncti erāt columnæ ſine difficultate

Alius virtutum eius catalogus.

Nequitia Dæmonum.

Precibus Dæmonē abigit vir Dei.

ficultate vlla ad locum deſtinatum pertrahuntur.

Neque illud ob confirmandos Rhegienſium animos omittendum putauimus, quòd cùm beatiſſimus antiſtes ad baſilicam ab ipſo conſtructam ſacras reliquias ſummo cum honore pſallẽdo adduceret, vbi ad vrbis portam ventum eſt, ab improuiſo verſus ille ordine occurrit: Hæc porta Domini, iuſti intrabunt in eam. Vnde proculdubio colligi poteſt, eius precibus vrbem illam adeò eſſe munitam, vt ſicut hactenus, Chriſto propitio, nullos hoſtium incurſus longo temporum interuallo pertulit, ita deinceps quoque Deo fauente minimè perpeſſura ſit. Facilè enim eximius ille paſtor quem viuere teſtantur facta eius poſt deceſſum ſuum apud Deum obtinere potuit, vt vrbs illa, inqua ipſe fuiſſet Antiſtes, præclaris meritis ſuis perpetuis temporibus munita ſit virtute corporis ſui in templo ſacratiſſimo, quod condidit, coruſcante multis beneficiis, quæ illic omnibus præſtantur. *Pſal. 117.* *Viuũt Sancti.*

Cùm aliquando in eadem baſilica vir ſanctus inſtantia paſtorali vigilias celebraret, Anſani Diaconi Rhegienſis nepos, id eſt, fratris eius filius, quem paruulum parentes è vita abeuntes reliquerant, & ipſe nutriendum ſuſceperat, magiſque quàm ſi ſuus eſſet filius, diligebat, cũ in muro vrbis illius cum pueris luderet, è muro prolapſus, ceruicibus fractis, expirauit. Eius rei nuncio valdè cõſternatus Anſanus, accurrit celeriter, raptúmque pueri cadauer operuit veſtimentis, & ad Beatum Antiſtitem clàm deportauit, interim ſecum tractans, quemadmodum illum publicè ad pedes eius deponeret, & vt vitam ei reſtitueret, ſupplex obſecraret. Sed quia nouerat probatiſſimum Chriſti militem omnino fugere iactantiam, maluit perferre ad cubiculum eius, & in lectulo eius repoſitum operimentis illius tegere, prorsùs confidens, quòd excitare eum poſſet precibus ſuis medicus ſpiritualis, quippè qui ægris conſueuiſſet afferre ſalutem. Inde verò non ſine multo quidem animi mœrore, ſed tamen fiducia plenus, Epiſcopum adit in templo vigilantem, & ſtantem in loco ſuo. Eo viſo, clementiſſimus Præſul, vt ea, quæ geſta fuerant, explicaret, ſilentium pſallentibus indixit: precibúſque ſolita deuotione completis, Diaconum illum Anſanum propterea ea, quę fecerat, acriter obiurgauit. Sed ille non ſolùm terroribus abigi non potuit, ſed magis etiam animo compunctus, ad pedes eius ſe ſtrauit, exclamauitque ſe illos minimè laxaturum, niſi mortuum excitaret, dicens eum id poſſe facillimè, quandoquidem nullo indicante iam cognouiſſet, quæ de puero facta eſſent. Hac ille importunitate compulſus, & ratione conſtrictus, cum Anſano voluit ad lectulum ſuum ſecretò ſe conferre ſed populi frequentiam vitare non potuit, volentis tantæ rei miraculo intereſſe. Poſtquam igitur venit ad exanime pueri corpuſculum, diuina cœpit toto pectore implorare opem, apprehenſáque cum multa fiducia pueri manu, priſtinæ eum ſaluti reſtituit. Exclamauit autem populus vniuerſus: Gloria tibi Deus: nec quiſquam eorum indè remoueri ſe paſſus eſt, niſi videret mouentem ſe puerum, & loquentem audiret. Ex quo populi tumultu vix opera clericorum ſuorum ad vigilias reduci potuit. In hoc miraculo & magna Diaconi fides, & illuſtris Epiſcopi virtus enituit. *Ecce quomodo olim ſancti patres vigilias celebrarint.* *Mortuũ puerum reuocat ad vitam.*

Porro etiam cuiuſdam viduæ vnicam filiam adoleſcentem accidit è vita decedere: quàm cum mater miſerabilis in feretro pro more efferendam compoſuiſſet, ad beatum antiſtitẽ trepida properauit, cauſamq; doloris ſui lachrymis potius, quam verbis, & indicauit, orãs vt ad corpus exanime preces funderet. Id verò ſanctus præſul, pietate motus, nec negare, nec differre potuit: ſed ad cadauer accedẽs, ſublatis in cœlũ manibus, Deũ pronus implorat, & vita red- *Item puellam quandam.*

ditur extinctæ. Cõfestim enim illa, tanquã graui soluta somno, expergiscitur, oculos aperit prægrauatos, appellata surgit, mater eius immẽso afficitur gaudio, populus omnis obstupescit. Episc. qui virtutũ meritis mortis iura resoluerat fugiẽs iactãtiã, illicò se subducit: sed populus magnis vocibus laudãs Deũ, maximam vestimenti eius partem, reliquiarum loco eam habitum ciuili quadã violẽtia diripit & discerpit: ita vt propter eius declarãdas virtutes, id quod ægrè ad humeros eius relictũ fuit, hodierna fidelium deuotione asseruetur.

Subducit se vitandæ inanis gloriæ causa.

Adolescẽtulus quidã rabidi canis morsu prẽfocatus periit. Vidit id populus abit ad Episc. orat vt ad exstinctũ hominẽ veniat. At ille ancipiti cogitatione suspẽsus, dũ hinc non potest contẽnere lachrymas supplicãtiũ, inde ab ostentatione sibi metuit, tãdẽ pietate vincitur: facit quod rogabatur, venit ad mortuũ hominẽ, tollit manus in cœlũ, paritérq; stillãtes oculos, adspectãte populo excitat defunctũ. Adsũt parẽtes, pugnis sua verberãt pectora, ora lachrymis vsq; adeò rigãt super filio, vt è terra surgere non valeret, licèt iã rediuiuus. Interim manũ vnã patri, alterã matri porrigẽs, nutãtia mẽbra illa erigẽtibus sustollit. Acclamat populus, Deo gratias: ille vitæ redditus, ad suũ redit hospitiũ cui iã sepulchrũ parabatur, parẽtes incredibili exultãt gaudio: viuere hominẽ qui mortuus fuerat, vix ipsis oculis suis credũt. Ecce autẽ canis ille, qui & hũc adolescentẽ, & multos alios infestis morsibus laniarat, in Episcopi cõspectum venit: cõmotus Episc. proiecto baculo, erectis sursũ manibus orat Dominum, mox efflat in canẽ, isque vita destituitur. Non sanè admirandum videtur, beatum Episc. dum sibi commissum cupit tueri gregem, eius hostem ictu læthifero perdidisse: neq; id gladio, aut armata manu, sed flatu oris sui. Porrò vulnera quæ canis ille dentibus suis inflixerat, multo è plebe precibus & Crucis signo adeò curauit beatus Episcopus, vt nulla eorum vestigia apparerent.

Alium quendam excitat.

Flatu suo rabidum canem exstinguit.

Bos petulans cornu hominem miserè lacerarat, eius effusis intestinis. Mox illum adducunt quidam ad Episcopum. Is tametsi in cunctis miraculis timebat sibi ne animi elatione pulsaretur, attamen tamen tam malè saucium hominem clementer excipit, calidis fomentis exta eius manibus suis pertractata confouet, reponit in locum suum per vulnus à boue inflictum, ipsum vulnus adhibita spongia leniter obligat, seriò hortatur, nè quis præter ipsum, illud soluere ausus sit. Inde septimo die ligamina auferens, tam sanum reperit hominem, vt vix vllum vulneris signum relictum videretur.

Sanat hominem miserè saucium.

Teneros corporis sui artus vir sanctissimus perpetua cilicij asperitate domabat, quo pro interiori tunica vtebatur, nec id crucis studio vnquã deposuit sed in illo etiã se iussit sepeliri. Lauacris vti nunquã voluit, nè animi constantia qua calcatis carnis oblectamentis & illecebris, Martyriũ sustinebat, emolesceret. Cæcus quidã annis quindecim perpetua dãnatus caligine, virũ sanctissimũ continẽter deprecabatur, vt suis precibus lumẽ ipsi reformaret. Sed Episc. hoc obuitandã ostentationẽ differẽte, Rusticũ subdiaconũ, qui ei seruire cõsueuerat, cœcus rogauit, vt noctu Episc. Ecclesias visitãte, ipsum perduceret ad tẽpli vestibulũ, vnde ille esset egressurus, fecit id subdiaconus, & vir beatus dũ vult excedere è templo, in cœcũ pedibus molliter impingit: cœcus eius venerãda vestigia supplex amplectitur, orat visum sibi vt restituat. Itaq; Episc. fidẽter obseruat Dominũ, Crucis signum imprimit oculis eius, & diu extincta lumina mox reparãtur. Osculatur hominem Episc. obtestatur, vt rem apud se tacitã habeat, quod tamen ille præ immensa animi exultatione præstare non potuit: quamquàm etiã si celare ille voluisset, quod secretò factum erat, non potuit tamen manere occultum, quod palàm omnium oculis cernebatur.

Ciliciũ eius.

Crucis signo & precibus cæcum illuminat.

In nume

Innumera sũt beatiſſimi antiſtitis miracula,nec poſſunt omnia cõmemorari quãtũuis prolixa texatur oratio.Facillimũ ei erat illuminare cęcos,ſanare claudos,vita fũctos excitare.Deniq; nihil nõ efficere poterat, qui intra ſe manẽtẽ habebat ſpiritum ſanctum.Interea autem, dum tot claret miraculis & immenſis myſteriis, diem obitus ſui diuina reuelatione cognoſcit. Tum verò publicè ſumma humilitate ab omnibus contendit, vt ipſi permitterent prius natale ſolum & propinquos inuiſere ſuos. Quod etſi illis magnum afferret animi doloré,attamen abiit ille ad ſuos,obitúmque ſuum iam imminere illis prædixit. Itaque aduentu ſuo eos mirum in modũ exhilaratos,hoc triſtiſſimo nuncio non mediocriter perturbauit.Et ecce dum ille ſe tanquã ſomnum capturus,in lectulo reponit, interpſallẽdum ſub officio diuino,extremum halitum efflat,fœlicitérque commigrat in cœlos quinto Calend. Decemb. Tanta autẽ illic tum ſuauiſſimi odoris copia extitit, ac ſi vniuerſi flores verni temporis eum in locum comportati eſſent.Obitus eius fama velox nõ modo vrbem,ſed orbem compleuit vniuerſum.Occurrerunt vndique fideles populorum cateruæ certatim cupientes vel operimentum vehiculi eius contingere, eiuſmodi contactum ſalutaris præſidij loco habitura. *Fideliter exit è vita.*

Adoleſcentula quædam è vico,cui Decimæ vocabulũ eſt,mortua ad ſepulchrum deportabatur, cadauere iam in capſa linea compoſito, ſed arca ipſa necdum cooperta.Vt autem audierunt illi qui eam efferebant,voces Pſallentium,& ſacrum corpus beati Epiſcopi proſequentium,cum lachrymis petierunt,vt feretrum quod geſtabant,ſuper puellæ corpus traheretur.Illi verò ardore fidei incenſi,nec dubij de effectu,ſanctas eorum preces minimè reiiciendas putarunt.Cũque id fieret,quod illi petierant,homines inter ſe colloquebantur,virum Apoſtolicum B.Maximum,cui nũquam diuina gratia defuiſſet quamuis naturæ iam perſoluiſſet debitum,tamen virtutibus &meritis viuere. Simul igitur omnes fidiſſima animi deuotione ſeſe proſtrauerunt,prolixéque orantes,ac deinde ſurgentes,cùm ſepties *Kyrie eleiſon* clamaſſent, puellam viderunt rediuiuam.Quamobrẽ ingens eos terror inuaſit,cõmixtímque ſtupore & gaudio complebantur.Puella veſtibus reiectis funebribus,& aliis inducta,populi frequẽtis adiuncta turmis, publica vocis ſalutis ſuæ teſtimonium in ſancti Epiſcopi laudem dicebat his verbis: ô beatiſſima ſacerdotis merita. O beatum virum,vitámque beatam pontificis:qui vt ſe diuina remuneratione æternum viuere declararet,poſt mortem,mortuam ſuſcitauit. *Mortua puella ad eius ex anime corpus reuiuiſcit.*

Importatum denique eſt corpus beatiſſimi Antiſtitis in oppidũ Rhegienſe & cum multa celebritate humatum in Eccleſia B.Petri quam ipſe cõdiderat, quæ poſtea ipſius nomine appellata eſt, ob crebra eius patrocinia: vbi quicquid fidenter petitur,Chriſto auxiliante obtinetur.Non ſit igitur fides dubia cum ſit virtus infinita,nõ diu poſt cum in ſancti viri commemoratione multa referrentur à multis,Cariatto ſubdiaconus, vita ſanctiſſimus, publicè hæc teſtatus eſt.Nemo noſtrum dubitet,inquit, beatiſſimũ Maximũ, de cuius virtutibus tam multa ſuggerente veritate feruntur,cum in mortali degeret corpore,non minus tum Angelis,quam cum hominibus verſatum eſſe. Quem enim nobiſcum tenebat humana conditio,eum beatis ſpiritibus aſſiduum exhibebat dignitas meritorum.Quadã nocte imminente celeberrima B.Andreę ſolemnitate,cùm deputatus ego eſſem,qui ad vigilias excitarem,& primo noctis tempore blandus me ſollicitum oppreſſiſſet ſomnus,dulces Pſallentium, audiui melodias:moxque excitatus,non ſine perturbatione multa è lecto me proripui, quod putarem me oportunum excitandi tẽpus neglexiſſe. Tum ve- *Sepelitur ſanctum corpus eius in Eccleſia S.Petri quam ipſe extruxerat.*

rò longè etiam dulciores, quam humanis poſſint ſtudiis effici, ſpiritualium cantionum melodias hauſi auribus meis. Continuò igitur ad ipſius *arcis veſtibulum ſuſpenſo me gradu contuli, atque illic beatiſſimos Apoſtolos Petrũ, & Andream, ad cõplendam cum S. Maximo orationem, alternis honoribus ſe prœuenientes ego peccator audiui. Cũque tandem iugi oblatione cõpulſus B. Maximus, eos diutiùs differre non poſſet, his verbis compleuit officiũ: *Sit gloria Dei benedicta in æternum, & in ſæcula ſæculorũ.* Reliquis reſpõdentibus *Amẽ.* Ego verò perquirẽdi ſtudio propiùs accedens, neminẽ illic videre potui præter ſanctiſſimum Maximũ prono vultu & corpore in tẽpli pauimẽto proſtratum. Ille autẽ ſurgens, meã digni peccatoris curioſitatem his verbis reprehẽdit. Arduum eſt humanæ fragilitati, ſanctorũ ſecreta cognoſcere, & temerariũ velle rimari. Audi ergo, quæ tibi præſcius ego iam dicturus ſum: Ea quæ vidiſti & audiſti, caue ne euulges, quocumque enim die id feceris, ex hac luce migrabis, id vtrum iam euenturum ſit, ex Dei pẽdet arbitrio. Ego quidem excellentis eius virtutis memoriam, & teſtimoniũ poſteritati relinquo, vt ne quis mortalium inquiret, quẽadmodum iuſti homines ſanctorum poſſint frui cõmercio & conſuetudine. Huic autẽ narrationi abundè multã conciliauit fidẽ quod eodẽ die ſubdiaconus ille ſicut ei à B. Maximo prædictũ erat, deſiit eſſe in humanis: Et quia non potuit viuendi producere terminum, nec myſterium celare voluit.

* *vrbis. Viſio Cariatonis ſubdiaconi.*

S. Maximus prædicit ei obitum ipſius.

Nos igitur tota deuotione ſummóque animi ſtudio rogemus omnipotẽtem Deum, vt beatiſſimi præſulis huius patrocinio fretis, nobis det veniam peccatorum, animúmque noſtrum à lethalibus vitiis purum ſemper conſeruet is, cui præſens celebramus officium: in quo præſtando tales nos exhibeamus præſentia corporum, vt mentes fulgeant lumine charitatis: Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum coæterno patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum Amen.

Miracula fieri ſolita ad ſepulchrum beatiſſimi Maximi Epiſcopi ex Gregorio Turonenſi de gloria Confeſſorum cap. 83.

MAximus Regienſis Epiſcopus atque confeſſor, ſæpius ſe incolis in multis virtutibus manifeſtat ad cuius ſepulchrum non ſolum cœci illuminantur, ſed etiam & alia morborum genera eius virtutibus depelluntur: nuper autẽ, quæ geſta cognoui, referam. Puerulus erat quaſi annorũ trium adhuc ad matris depẽdens vbera: hic à febre correptus, dum genitricis manibus baiulatur, taliter eſt afflictus: vt nec papilã nec alium cibũ ſumere poſſet: interea dum per triduũ grauiter agẽs, amatorum baiularetur in vlnis, ait quidã ex famulis vtinã ad ſepulchrum B. Maximi hic paruulus deferretur. Confidimus enim de eius meritis; quod poſſit eum ſanitati priſtinæ reſtaurare: qui dum defertur inter amatorum manus, ſpiritum anhelus emiſit, quod cernẽtes parentes eius, fluentes ac clamantes, proiecerunt eum ante ſepulchrum B. Maximi confeſſoris clauſiſq́ue oſtiis reliquerunt corpus exanime. Nocte verò in lamẽtatione deducta cum redditus tertę dies alius illuxiſſet, reſeratis ædis ſacratæ oſtiis, infantulũ erectum ſuper cãcellos ſepulchri trahentẽ ſe atque ambulare conantem aſpiciunt. Nõdũm enim ei erat ætas perfecta, vt rectè poſſet incedere. Quod admirantes parentes, gauiſi ſunt: ſuſcepitque eum mater mœſta cum gaudio, ac domui reſtituit ſanum, ipſum autem iam puerum adultum vidi, qui nobis hæc retulit. Hæc Gregorius Turonenſis.

Baron. in Annal. Eccleſ. ann. Chriſti 466. Hilari Papæ ann. 6.

HOc eodem anno ſanctus Proſper Regienſis in Gallia Narbonenſi Epiſcopus ex hac vita migrauit, cum ſediſſet annos ſaltem viginti

quatuor. Erat Regienſis ſedes hoc tempore nobilis in Gallia Narbonenſi, cuius meminit Sidonius in Epiſtola duodecima libr. 6. ad ſanctum patrem Lugdunenſem Epiſcopum,primāque ponit poſt Arelatenſem,cui quidē poſt deceſſum ſancti Proſperi datus eſt Epiſcopus ſanctus Maximus Abbas monaſterij Lerinenſis, & poſt eum Fauſtus ibidem ex Abbate eiuſdem Cœnobij eſt creatus Antiſtes. Adeò vt quidem ſucceſſit Maximo in præfectura monaſterij Lerinenſis, idem ſubrogatus eidem fuerit in Epiſcopatu Eccleſiæ Regienſis.Hinc & idem Sidonius ad Fauſtum in carmine Euchariſtico.

——Fuerit quis Maximus ille,
Vrbem tu cuius Monachus, Antiſtes & Abbas,
Bis ſucceſſor agis,celebrans quoque laudibus illis.

Sed quando id contigerit,vt Maximo Fauſtus fuerit Epiſcopus ſubrogatus in notationibus Fauſti dictum eſt.

Item de ſancto Maximo Epiſcopo Regienſi & Monacho Lerinenſi Molanus in Martyrologio 27. Nouemb.

IN Galliis ciuitate Regienſi ſancti Maximi confeſſoris, qui à primæua ætate virtutum omnium gratia præditus primum Lerinenſis cœnobij pater,deinde Regienſis Eccleſię Epiſcopus ſignis & prodigiis inclitus extitit.

Annotatio.

Maximi vitam ſcribit Dinamius Patritius domino beatiſſimo patri vrbico Papæ. Item de eo eſt eruditiſſima homelia inter eas quæ titulum falsò habēt Euſebij Emiſſeni. Conſtat autem eius auctorem diſcipulum fuiſſe Maximi & vitæ eius teſtem Fauſtum ſcilicet Regienſe. De eodem Gregorius Turon. de gloria confeſſorum cap.87.

Idem in Indiculo ſanctorum Belgi. S. Maximus Epiſcopus Regienſis & antea Abbas Lerinenſis Inſulæ, multa ſanctitate iuxta nomen ſuum claruit, quod teſtatur grauiſſima ea homilia de Maximo, quæ Euſebij Emiſſeni titulo falsè eſt excuſa. Fertur Viennæ obiiſſe in territorio Taruanenſi cuius Eccleſiæ Breuiarium de eo quatuor habet feſta duplicia, depoſitionis, quinto Cal.Decembris:octauæ & relationis ex Bolonio, ſecundo nonas Decembris: Inuentionis, Idibus Septembris, quæ fuit anno nongenteſimo quingenteſimo quarto:& Aſſentionis, ſexto nonas Octobris quæ contigit anno milleſimo centeſimo ſexageſimo quarto,per Milonem Epiſcopum preſentibus aliis duobus Balduino Nouiomenſi,& Roberto Ambianenſi, propter vrbis excidium capſa reliquiarum eius eſt iuris Flandrorum,Antonium etiam Caſtrum haud procul à Tornaco congratulatur Gildæ,de portione reliquiarum ipſius. Hæc ille.

Petrus in cathalogo lib.8.cap.131.Item de ſancto Maximo Epiſcopo Regienſi qui & in eadem clariſſimè fuit habitus.

MAximus Epiſcopus, apud Reginenſem ciuitatem claruit, qui de vico qui dicitur de Comacho,ortus parentibus Chriſtianis ob infantia virtutibus & ſacris literis eruditus:relicto ſæculo Inſulam Lerin.Monaſt. petiit: vbi Monach.factus omni ſanctitate pollebat,multáſq; inſidias diabolici perpeſſus deuicit:poſtea verò factus eſt Abbas Monaſt.ſucceſſorq; S. Honorati, quē Diabolus nocte quadā exterrere volēs eidē in forma horribili apparuit: ſed ſigno crucis edito cōfeſtim euanuit.Moxq; S.febricitare cœpit.Cui decūbēti rurſum dæmon in ſpecie draconis ſe oſtēdit:ſed cum oraſſet ad dominū, monſtrum depellitur, & S. protinus à febre curatur.Nocte quadam orationis gratia ad littus egreſſus vidit nauem ad portum applicuiſſe, cuius nautæ *Die 27. Nouembris.*

ad eũ veniunt, eidemq́; dicunt, quod fama eius ad Syrię partes conuolauerat, multuſque populus eum deſiderabat, vbi ſi vellet accedere multum domino populum poſſet exquirere, offerentes ſe illum in ſua naue vecturos, qui diaboli figmenta perpendens, orauit, & ſigno crucis edito nauis fantaſtica cum nautis diſparuit. Electus deinde à populo in Epiſcopum Rheginæ ciuitatis gregem dominicum verbis nutriebat ex exemplo, qui etiam baſilicam ſanct i Albani intra caſtellum Rhegynenſe conſtruxit, ad quam ædificandam pauci boues eo præſente columnas faciliter traherent, abſente verò plurimi trahere non poſſent. Vocatus Epiſcopus vidit Dæmonem in forma parui Ethiopis plauſtro inſidẽtem, quem poſtquam ſua oratione fugauit boues opus ſolitum, etiam in eius abſentia celeriter perfecerunt. Cùm autem reliquias ad Eccleſiam conſecrandam deferrent puer quidam frater Rhegyni diaconi de muro lapſus cecidit & expirauit, cuius corpus draconus in cubile Epiſcopi collocauit: ad cuius preces finito officio Maximus talamum ingreſſus puerum oratione ſuſcitauit. Aliàs etiam filiam cuiuſdam viduæ nobilis ciuitatis defunctam motus maternis lachrymis ad vitam reduxit. Adoleſcentulum in ſuper morſu rabidi canis extinctum, ſua oratione priſtinæ vitæ reſtituit. Canem quoque qui multos laniauerat, leui ictu oculi peremit: vulnera etiam cunctis inflicta ſanauit, quendam hominem quem bos cornupeta feriens euiſcerauerat vulneribus alligatis infra dies ſeptem ſanum effecit. Cæcum quendam qui ab annis quindecim lumen oculorum amiſerat, dum ad matutinum pergeret, & pedibus ipſum cepiſſet, diutiùs poſtulatus ſigno Crucis edito protinus illuminauit. Obitum autem ſuum, & præſciuit & prædixit & in ſtatu * proprio quaſi leui ſopore detentus ſpiritum emiſit, tertio Calend. Octobris. Cuius corpus continuò mirò odore fragrauit. Sed dum in eius exequiis puella nuper defuncta loculo viri ſancti ſubtracta fuiſſet, protinus à mortuis reſurrexit, & vna cum cæteris corpori ſepulturæ interfuit, Deum collaudare cœpit, ſicque ſepultus in Eccleſia S. Petri Rhegynæ ciuitatis vbi iacet miraculis clarus.

**Statu. Die 29. Septembris.*

Annotatio Vinc. Saler.

Martyrologium Romanum cum Baronio & alii ponunt eundem die 27. Nouembris, quos ſecuti ſumus.

ITEM IN LAVDEM SANCTI MAXIMI EPISCOpi Regienſis, & Monachi Lerinenſis Hymni ex MM. SS. Reuerendiſſimi domini Maximi à Collomartio Abbatis & Monachi Lerinenſis.

IN VESPERE.

AXe phœbeo reuolutus annus
Explicat lucem, celebrandus omni
Laude, qua vectus ſuper alta fertur
Maximus aſtra.

Egerat tempus puerile, quando
Hic Honorato duce ſub relictis
Omnibus, Chriſto ſtatuit tenaci
Mente vocare.

Orat intentus, vigilat frequenter
Et cibi & potus nimio rigore
Impetus acres viridis iuuentæ
Frangere certat.

Tantus euaſit, bene vix Lerinæ
Intra iam factus taciturna clauſtra,
Vi ſuo multo fuerit repertus
Nomine maior.

Agmini ſacro voluit præeſſe
Hunc Honoratus, monitis recepit
Territus poſtquam ſuperum tiaram
Pontificalem,

Qualibus

Qualibus verò ſtudiis,& arte
Geſſit inuictum ſibi principatum
Plura teſtantur monumenta,clamant
Mira peracta.

Supplici voto ſuper eſt rogemus
Inſulam ſemper velit hanc tueri*
Ipſius ne gens inimica quando.
Applicet oris. Amen.

* *Alias Patriam.*

Ad nocturnum, Hymnus eiuſdem.

CYnthius latitans decore
Rebus inducit tacitam quietem,
Atque nocturnis facit eſſe tempus
Laudibus aptum.
Ergo ſolemnes modulemur hymnos,
Et ſacerdotem veneremur,hanc qui
Inſulam circum media ſubire
Nocte ſolebat.
More pergebat ſemel hic,ouilis
Septa perluſtrans,veniens ſubiret,
Ne lupus cauſas,mediis ſub vmbris
Inſidiator.
Obuium ſe fert mora nec doloſi
Hoſtis accepta ſpecie draconis,
Territet ſaltem,queat hunc vt optat
Fallere ſi non.

Inclitus nullo quatitur pauore
Paſtor, expreſſa cruce deteguntur
Dæmonis techna,velut has arachnes
Stamina ſoluit.
Terga dat victus,monachum tamen ſic
Pone qui patrem fuerat ſequutus
Torret,vt febri redeat laborans
Mox peracuta.
Nunciant diuo monachi reuerſo
Languidus fuſa prece ſoſpitati
Redditur prima,colubriq; fiunt
Irrita vota.
Supplices hunc nos rogitemus,orans
Curet vt morbos animi latentes,
Donet & nullo ſathan irruentis
Frangier ictu. Amen.

Ad Laudes carmen eiuſdem.

MAndat Eois rutilant ab oris,
Mane iam clarum,renouare noſtri
Maximi Laudes,radiant ſerena
Luce magiſque:
Cœnobi multos regimen per annos
Geſſerat,tandem dubiæ Regenſi
Plæbis aſſenſu ſtabili creatur
Præſul in vrbe.
Sedulus multa vigiliq; cura,
Erigit diuum veneranda templa
Atque nocturnis & diurnis
Laudibus ornat.
Sic boues tardat lapis in trahendo,
Vt queant nullis ſtimulis moueri,
Inſidens dæmon remoretur hos vt
Aſpicit ingens.

Bis duo caſu vario perempti
Priſtinæ ſolo iuuenes rogatu
Illico vitæ,noua res,potenter
Reſtituuntur.
Ambulat Claudus,loquiturq; mutus.
Surdus auditum recipit,ſaluti
Redditur languens,genus omne morbi
Cedit vbique.
Hæc ſub his auris poſitus patrauit,
Plura ſed terris modo derelictis
Poſſe,nobis eſt nihil ambigendum.
Ergo rogemus,
Hunc pijs cuncti modulis precemur:
Redde placatum miſeris deúmque
Iam graues lapſæ miſereſce caſus.
Relligionis. Amen.

ITEM DE SANCTO MAXIMO EPISCOPO Regienſi alius Hymnus ex M. S. pſalterio Lerinenſi ab hinc ducentos quadraginta quinque annos exarato.

OVir excelſi meritis,atleta Chriſti Maximè:
Quas deuotè effundimus tu preces noſtras ſuſcipe.

O ſacerdos digniſsime, nos tuas oues protege:
Tuiſq́ ſanctis precibus, tu dele quod delinquimus.
O vir vitæ puriſsimæ, ô confeſſor egregie:
Qui meruiſti quatuor reſuſcitare mortuos.
Tu pura Chriſti hoſtia, pure tractaſti omnia:
Ardens propter cœleſtia, ſpreuiſti ſæcularia.
Tu intraſti per hoſtium, factus præſul Regenſium:
Dignè tractans officium, curans langores omnium.
Nos tua interceſsio, gratos reddat altiſsimo:
Peracto vitæ ſpatio, cœli fruamur gaudio.
Patrem laudemus omnium, Chriſtumq́ eius filium:
Et vtriuſq́ ſpiritum, credamus omni tempore. Amen.

Sequitur & alter Hymnus ad Laudes.

STella fulgens matutina lux ſalubris animæ:
Ne claudamur ſub ruina cœcitatis intimi
Illuſtrare nos feſtina luce Chriſti maxime.
Per te ſumat rex cœleſtis preces quas effundimus
Vt ſit procul peſtis, nobis eſto proximus,
Dignitate fama geſtis, magnus, maior, maximus
Vir cuius vis olim ſtrauit dæmonum molimina
Virum nuper demonſtrauit in virtutis pagina
Latens cuius occupauit guttur plumbi lamina.
Cùm tu potens ſis patronus erubeſcat heſitans
Quod ſis quoque tutor bonus, tuos piè viſitans:
Quem quadrigæ preſsit onus probat lingua palpitans
Ad Honorem tibi cedit, & tuis ad meritum
Status ad quem puer redit, poſt ruinæ ſtrepitum
Quem fidelis chorus credit exalaſſe ſpiritum.
Genitori genitoq́ ſit laus honor gloria,
Procedenti ab vtroq́ adiuncta memoria,
Per quem clero populoq́ vitæ dantur præmia. Amen.

DE SANCTO SIFFREDO EPISCOPO CARPENtoratenſi, alias Vendacenſi ex monacho ſacræ Inſulæ Lerinenſis, & manuſcriptis peruetuſti codicis dicti cœnobij floruit circa annos Domini. 550.

Nouemb. 29. TEmpore quo florebant ſtudia Lerinenſis cœnobij in partibus Galliarum cœpit vndique religio Chriſtiana ſub iugo Domini creſcere quod portantibus leue eſſe dignoſcitur atque ſtudiis literarum ſeſe committere quo in loco paſtor præerat egregius faceréque Chriſti Cæſarius famulus qui poſtea Arelatæ Epiſcopus extitit. Cumque ad eum omnes vnanimiter concurrerent

pro

pro ſalute animarum ſine ſtudiis literarum, quidam miles de partibus campaniæ oriundus, ſed intra ciuitatem Albanum nutritus, quæ ſibi iure hæreditario media debebatur propinquitatis ſucceſſione Lerinum veniens cauſam pandit ſeque Monachum cum filio Siffredo magnopere optat fieri inibique humaniter ſatis ſuſcepti vitam arduam anguſtámque viam ſumunt. Miles cœnobij obedientia mancipatur, filius verò literarum ſtudiis tradditur qui in paruo temporis ſpatio viguit luculentiſſimè in grammatica, Rhetorica, Dialectica & in bonis actibus tam ſtudioſè vixit, vt meritò ſecundus à magiſtro prædicaretur: magis verò ac magis in domino proficiens ita vt viſitatione ſua fratres à lecto ægritudinis releuaret. Vexatione febrium fugata, tollitur interim à domino ex huius vitæ ergaſtulo pater eius, atque meritò bonæ conuerſationis, ſeptimo calendas Auguſti in cœlis collocatur. Poſt verò non multùm temporis tam audax contra dæmones filius eius Siffredus inuenitur, vt omnes ſibi exhibitos dominica oratione expelleret. Omnes itaque prouinciæ Galliarum clerici Epiſcopum, Monachi ſibi poſcebant Abbatem in cœnobio Lerinenſi: cúmque ætate iuuenili triginta ſcilicet pelleret annorum petitur vir ſanctus Siffredus à vicinis clericis Vendacenſis ſedis quia illorum paſtor caſtiſſimus iam in domino obierat. Recuſat ſe vir ſanctus non poſſe onus tanti ponderis ferre, nec tantæ ſanctitatis non tanti meriti, non tanti honoris: at prævaluit electio populorum, prævaluit adunatio clericorum, coactus tollitur in Vendacenſem Epiſcopum & Arelatem deducitur, ibique à magiſtro ſancto Cæſario benedicitur more præſulum acceptáque conſecratione cum ſumma humilitate ſe ad ſacrificium Deo celebrandum nouus ſacerdos præparat. Cúmque ex more pacem omnibus daret oſculatur cœcum cui dominicam crucem oculis imprimens ſtatim ille lumen recepit: tunc omnis populus in laudem noui Pontificis cœpit clamare, gloria, inquiens, tibi Chriſte qui talia famulis præſtas. Hoc denique peracto turmis clericorum atque populorum præcedentibus deducitur ad propriam ſedem Vendacenſem, vbi quantæ ſanctitatis fuerint quantæque virtutis non eſt noſtrum dicere. Cœpit ſanctæ conuerſationis & inſtitutionis normam prædicare quo liquidò clareſcerent ſacræ Inſulæ Lerinenſis ſtudia, quid quantúmque valerent. Aedificauit ergo ibi Eccleſiam ſanctæ Dei genitricis Mariæ, itémque baſilicam ſancti Ioannis baptiſtæ præcurſoris domini miro ſtudio, operéque non modico, tertiam verò conſtruens in Carpentoratenſi caſtro in honorem ſancti Antonij Abbatis, vbi die noctuque Deo ſeruiens aſſiduis orationibus permanebat. Quædam vidua de Maſſilia ciuitate ad eum deueniens precatur vt ſibi ſubuenire dignetur: filius enim ſuus à peſſimo dæmonio vexabatur, qui cum ante præſentiam viri Dei exhibitus fuiſſet cœpit furibundè dæmon proclamare, ô Siffrede cur me inſontem perſequeris, cur quod meum eſt quæris? de Inſula Lerinenſi me expuliſti, de meo habitaculo quoque eiicere tentas. Ad hæc ſanctus Dei ingemuit procumbens in oratione, domine, inquiens, Ieſu Chriſte ſaluator exaudi me peccatorem ad te clamantem, exaudi propitius ſeruum tuum, vt antiquus inſidiator non gaudeat de ouibus tuis, quas tuo pretioſo ſanguine redemiſti. Hæc dicens tetigit manum pueri & dixit exi malignus ſpiritus ab hoc pſalmate Dei: mox dirus ſerpens cum vlulatu magno exiit & puer ſanus eadem hora reſedit. Alio quoque tempore quidam homo ſe in grabato iacentem exhiberi fecit conſtrictis neruis & curuus

In comitatu Auenionenſi.

Fit monachus Lerinenſis.

Fit Epiſcopus Vendacenſis.

Illuminat cæcum.

Liberat energumenum.

quem vir Dei oleo ſancto perungens priſtina ſanitate recepta ad propria repetat liber à corruptione conſtrictionis neruorum. Alius quidam clericus boni meriti vir malè ſe habens diem præſtolabatur extremum, qui familiaritate coniunctus viro Dei à cunctis valdè diligebatur cùm eſſet in mortis limine annuens, vt poterat, manibus quo à ſuo charo domino & magiſtro viſitaretur citiſſimè præſuli ſancto nunciatur clericus moriturus. Ille orationis cauſa parumper ſubſiſtit, & interim viam vniuerſæ carnis expetiit ægrotus, ſodales hoc viſo flentes ad Epiſcopum concitè pergunt vt ſaltem ad ſepulturam chari fratris venire dignetur precantes. Cognita fratris morte vir Dei ad oratorium ſancti Ioannis Baptiſtæ quod ipſe conſtruxerat currens ſe cum lachrymis in orationem dedit. *Domine, inquiens, Ieſu Chriſte exaudi me peccatorem & indignum famulum tuum, tu enim dixiſti, nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat, & omnia quæcumque petieritis à patre meo accipietis, reddatur obſecro anima quam tuliſti huic defuncto quatenùs omnis mundus cognoſcat, quia tu es viuificator & reſuſcitator omnium mortuorum.* Hæc dicens cum ſumma feſtinatione, ad loculum chari diſcipuli venit, ibique proſtratus diutiſſimè orauit ab orationéque ſurgens manum defuncti tenuit eiúque taliter affatur, *ſurge frater, ſurge à mortuis ſuſcitat te Ieſus Chriſtus.* Statim is qui mortuus iacebat ſurgens ſanus ſtetit, tuncque fit non minimus concurſus omnium clericorum populorum vtriúſque vulgi magnalia Dei prædicante manus ad cœlum voluentes. Et poſteà idem clericus plurimis viuens diebus fœliciter gregi iunctus eſt viri Dei, ſanctus Pontifex poſtmodum in tanta corporis abſtinentia ſeſe arctauit & meritò ſecundùm dictum Apoſtoli fieret hoſtia viua mortificando carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis panem. Itaque mediocrem ſumens neceſſitate potus quam voluntate aquam ad menſuram tam paruo edulio lenticulæ corpuſculo præbebat: miſſarum quoque ſolemnia iugiter celebrabat, ſine intermiſſione egregij prædicatoris munus adimplebat, infirmos viſitans eis iugiter ſtipendia larga dabat, pauperes alebat, nudis legumenta præbebat, actibus ſæculi ſe extraneum faciens nunquam in foro, nunquam in vico niſi animarum lucris videbatur. Tanta ergo gratia in illo redundabat vt quoſcunque dextera benediceret in boni cultus perſeuerentia vltimam diem inueniret. Poſt longa autem annorum curricula ſeruus Chriſti beatus Siffredus cùm iam eſſet canitie venerandus & vitam inter homines Angelicam duceret, pauperem Chriſtum pauper ipſe ſequi cupiens, iuxta baſilicam ſanctæ Dei genitricis Mariæ, quam ipſe ædificarat domunculam conſtruens vbi in lege domini die ac nocte meditans indefeſſis precibus dominum exorabat, exactoribus Epiſcopi domum commendans ipſe in orationibus continuis peruigil omnibus infirmis ad ſe venientibus Dei fultus auxilio orãdo ſubueniebat mœſtis, lætitiam deſolatis cõſolationem exhibebat. De ſæculo ſiue craſtino nihil cogitabat, conuiuium ſuum abſq; paupere nunquam inueniebatur & pauperibus & egenis ſua ſemper ianua patebat Chriſtus ei in ore, Chriſtus in voce aſſiduè reſonabat ſine miſericordia, pietate pauperes non iudicabat. Quidam maligno ſpiritu præuentus de ſanctæ Mariæ quam ipſe fundauerat, baſilica reliquias furto abſtulit quo vir Dei perſpecto latrone coram omnibus ſic eſt allocutus. Frater quidem neſcio quis latro ſacrilegium in noſtra baſilica fecit. Et furtum in tali & tali loco poſuit, vade ergo & illud noſtris conſpectibus repræſenta deprehenſum ſe latro perſentiens abiit furtúmque in præſentiam omnium

Reſuſcitat mortuum.

Narrantur eius virtutes.

omnium deportat,ſicque vir ſanctus ſtuduit peccatorem corrigere non latronem prodere, qui ſtatim confuſus ad pedes ſancti corruit,eúmque deprecatur dicens, Domine vir Dei Siffrede, ſuſcipe pœnitentem accipe latronis confeſſionem, nec perditi hominis aſpicias peccata, ſed pœnitenti ignoſce clementer,da veniam reo,ſolamen mœſto, ſpem afflicto, quem vir Dei intuens benignè à terra leuauit,indictáque pœnitentia culpam & furtum abſoluit ſicque mulctatum ſalutiferè abire præcepit.Poſtmodum reuelatione diuina cognouit ſanctus in breui ſe ex hoc ſæculo receſſurum cõuocatiſque clericis & populo diem ſui obitus omnibus pandit. Fit concurſus vtriuſque ſexus & conuentus lachrymantium &dicentium. *Non nos,pater,adhuc deſeras de tua enim familia ſumus, cur ſine patre relinquis confidimus in te, oramus ne nos tuos filius quos in Chriſto genuiſti deſeras:gregem enim tuum te abſente perſuaſores Lupi inuadent.* His aliiſque quærimoniis motus ſacerdos Dei Siffredus eis vt poterat, dicit Saluator noſter qui pro peccatoribus deſcendit de cœlis ipſe vos eruet de formidoloſis laqueis inimicorum non vos minæ illorum terreant,non vos fraudes illorum decipiant,ſed monita Dei mementote vt vos in illa die tremendi iudicij in filios habeam,méque patrem poſſideatis & vos Deo repræſentare poſſim reuerentiam Eccleſiis eiúſque miniſtris exhibete, de pauperibus curam agite,quodque vidiſtis me facientem patrem vos imitando filij facite: feritatem prouincialium deponite, gentium immunditias idolorum culturas abiicite. His, aliiſque ſanctis admonitionibus omnes exhortans viam expetiit vniuerſæ carnis ſpiritum ab omni colluuione huius ſæculi in manus reddit creatoris,quinto Calend. Decembr: tanta mox flagrantia locum illum expleuit,vt cuncti mira ſuauitate ac dulcedine replerentur ſepultúſque eſt, in baſilica quam ipſe conſtruxerat in nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis,vbi beneficia quotidie præſtantur poſcentibus in nomine Domini Ieſu Chriſti,qui viuit & regnat per immortalia ſęcula ſęculorum. Amen.

Annunciat obitum ſuum.

Migrat ex hac vita.

Annotatio Vinc. Saler.

Præfata vitæ hiſtoria beatiſſimi confeſſoris & Epiſcopi Siffredi deſumpta eſt tã ex variis breuiariis membranis,quàm perantiquis ſecundum vſum ſacri monaſterij Lerinenſis olim compilatis,tum ex duobus peruetuſtis codicibus manuſcriptis bibliothecæ Lerinenſis,in quorum altero ſubnectitur ſermo in die natalitio eiuſdem,vt creditur à vitæ ipſius compilatore Lerinæ habitus geſta,laudéſque eius decantans cuius tenor ſequitur.

Sermo in celebritatis die ſancti Siffredi Epiſcopi Carpentoratenſis & monachi ſacræ Inſulæ Lerinenſis,ex manuſcr. vetuſt. codicis eiuſdem monaſterij.

BEatiſſimi patris Siffredi,atque glorioſi Pontificis proſequens à natiuitatis exordio laudabilem vitam, immenſam omnipotentis Dei depoſco clementiam adeſſe meæ fragilitati, vt qui ſuæ gratuitæ miſerationis dono illi inſigni & beato largiri dignatus eſt,tantæ efficaciam ſanctitatis,& virtutum operationem, mihi etiam bonorum indigo effectus enarrandi ea conferat facultatem,quo & in ſerui ſui ipſe Dominus meritò famulatum laudetur, & ipſe ſanctus in ipſo noſtræ exiguitatis precum ſuarum voto ſuffragator ſentiatur. Aggrediar iam nunc qua vigeo denotare ſancti viri vitam, induſtria,nec differam votis cultorum propalare,quæ fida proborum teſtium ac ſcriptorum relatione notuere mihi: & quæ nec per inertiam ſucceſſorum

tiam adeunt, Pontificem petituri, quæreloſiſque affatibus ſuum deceſſiſſe quin noteſcant intercipi potuere. Tempore igitur quo à Theodorico rege nefario quædam pars Galliarum improbè regebatur, ſub venerabili atque nobiliſſimo tunc patre Cæſario, poſt vero Arelatenſis præſulatum Eccleſiæ digna ſeſſione regente mortuo iam præceſſore ſuo Eonio cuius electione idem Cæſarius ad Pontificatus acceſſit honorem, omnium virtutum ſtudia apud Cœnobium Lerinenſe florebant. Ad quod quaquaverſum Chriſtiana religione confluere cœpit, animis deſtinatis: & quiſque tantorum inibi degentium patrum veloci alarum remigio fama longè latéque diffuſa regnorum iura luſtrante comperta alium præuenire ac ſub iugo dominicæ culturæ proficere: quod vltrò ferétibus leue eſſe dignoſcitur, atque ſanctæ diſciplinæ exercitiis, certatim ſeſe committere geſtiebat, De quo loco præfixo videlicet Lerinenſi præbita occaſione, parum quid inſidet animo ſub digreſſione liceat titulare quemquam mi Abba veſtri cordis meditullio pateant liquidiſſimè præſignata, vtpote per exilius indagatorius auidam ſolertia, cum ſint potioribus, quam exigi voluminibus exquiſita. Quem locum maris magni procelloſis omni de parte ſeptum marginibus, nullatenus remus callis ſemita adire quempiam fas eſt. Quo quidam heros non minus operum executione quam nomine Honoratus renunciatis omnibus quæ poſſint impediri ſolitudinibus, accinctus Chriſti militiæ ſingulo, virtutúmve aſſumptis armis, inuiſibilem debellaturus hoſtem futurus victor introiuit. Vbi monſtruoſorum animalium genere diuerſo repentia, horrore inexperto potuerit formidare, ſed vir Domini amabilis Honoratus, & honorandus fidei fiſus auxilio, propulſis exitialibus, ad omnium inibi virtutum exercitia promouetur. Ibique inſtructis orationum locis, præuius ductor multorum fortium extitit monachorum. Huius diſcipulatui hærentes magni meriti futuri ſacerdotes, Venantius ei frater germanus, Hilarius quo nemo honorabilior, eiuſque honorati affinis, Maximus ac Illadius, Cornelius, Leontius, Spanelaus, & eius frater Heumeneſilius, Capraſius, & prædictus Cæſarius cum Porcario, aliiſque millibus ſtipatis copioſa ſanctorum caterua.

Aliquot heroum ex diſciplina S. Honorati.

Huic patri Cæſario in prædicto Cœnobio ex campaniæ partibus oriundus adhæſit, quidam miles adueniens cum filio ſuo nomine Siffredo. Hic namque miles Romanorum nobilium proſapia natus, ſed intra ciuitatem Albanum alitus ſumpſit corporis incrementum. Vbi pubeſcentes emetiens annos, non diſparem ſtemmate impellentibus proximis ſortitur vxorem. Ex qua occulta Dei operatione ſumens humanam prolem paucis deliberauit cum ea temporum cultibus occupari. Sed quia ipſius ciuitatis municipium medietas iure hæreditariæ poſteritatis ex ſuorum annoſa parentum ſucceſſione deuenerat illi, hac occaſione, & proximorum affinitate præuentus morari cogebatur, proſequentium grauioris noxæ reum alienatione lati fundi, ac vxoris, & ſuſcepti liberi. Ille verò cui iam præſentia faſtidio erant & viuere Chriſtus, hæc ſurda aure adulantium verba ſub nulla reparans, non iugalis, molli amplexu, non affinium quereloſo affectu, non honoris corruptibilis ambienda poſſeſſione, miles tantus à concepta ſpe, quam intra præcordiorum clauſtrum matura iam meditatione ſignauerat, aut verſatilem reuelli quit, ſed deſtinat animum ad eundem inſcium, quo ſe diuinum auxilium conferat abeuntium. Audita denique prædicti Cœnobij ab his qui ex-

Aliàs Siffredo.

perimento

experimento probauerant fama opinionis, clandeſtinam nanſciſcitur horam, & cum vnico ſibi Siffredo omnibus expeditus curarum negotiis iter admouit truciq́ue pelago Carbaſa librans proſpero vſus flamine venti ad præoptatum properat portum: Rate relicta, anchora fixa, cum vnico nato ſe duxit ad clauſtra, quæritq́ue Prælatum Abbatem beatum, pandit ſecretum iam olim conceptum, precatur vt citò ducat ad effectum, & tam longè remotum habentem hoc votum, cum ſobole chara ne ſpernat hortatur, & cingulo liber militiæ mundi, quo hactenùs complex, noxia quæque contraxerat, inde ſe malle abſtemicorum auſtero rigore vinciri, diuiniſve vacare officiis, ſi Deo authore præceptorum eius compos effici mereretur. Non diſtulit Cæſarius militem Neophitum cum filio ſancto mancipare collegio. Vbi Magnifica admiratione ſuſcepti, vitam arduam anguſtamq́ue viam arcta virtutum perceptione aſſumunt. Miles ſynaxis officia dari & obedientiæ ſeruitutem ſibi prompto depoſcit amore, & auidus prouiſor exercet iniunctum competens vtilibus opus, filiúſque illius eruditionis ſacræ, ſtudiis annectendus ſubditur pedagogo, ad plenum litteras edocendus. In quo itaque diſcendi ſtudio paruo temporis ſpatio emerſo, ita luculentiſſimè viguit in Grammaticæ artis diſciplinis rationabilibus, ac dialecticorum predicamentorum argumentis exilibus, & Ariſtotelicis difinitionibus nec non Rhetoricorum facundis protelationibus manans in exhauriendis oppoſitionum fluctibus, vt conſiliorum polleret exemplis. Extra perceptis mandatis internis ita in bonis actibus ſuum applicuit ſtudium, vt meritò ſecundus magiſtro à cunctis prædicaretur, nec ſignorum efficacia Deo fauente, in quo proficieris bonorum capiebat augmentum caruit: qui viſitatione ægrotantium fratrum ſollicitus cum ad eos viſendos ingrediebatur extemplo fugatis febrium vexationibus, & priſtinis donati viribus à lectis ægritudinum incolumes ſoluebantur. Interea genitor ipſius à domino perfectionis primam ſuis ſtudiis debitam percepturus de ergaſtulo vitæ præſentis aſſumitur, & meritò bonæ conuerſationis, ſeptimo Calend. Auguſti in cœleſtibus collocatur lætus & omnimodis geniti profectibus exultans. Inde vnica proles ſumma proficiens auiditatis efficacia, diuino ſeptus auxilio tam audax ad ſpiritum nequam effectus eſt propulſionem, vt ad ſe vndecumque exhibitos data ſuper herili oratione, à ſedibus exturbaret, & quia huius nec vſpiam ad effectum oratio vacuabatur nec petita ſalus deffertebatur, erat ad eum aſſiduus aduentantium excurſus, vnde nomen ipſius, fama ferente, celebre per ipſius regni fines innotuit. Galliarum ſiquidem ſedium honorandi gradus votis ſibi in animis allegauerant, eius fama commoti, vt ſi ſuo quiſque priuaretur paſtore, hunc feſtina petitione poſcendum; qui ſe priorem popoſciſſe libera potuerit profeſſione fateri. Ipſius namq́ue capite cœnobialis fraterna commixtio & ſtemmate renitentem, & morum probitate pollentem, & præeminentium ſtudiorum compotem fida aſſertione notatum, poſſe, & debere ſibi præfici patrem ſignabat. Cúmque non votis fidelium diſſentiret ætas annorum videlicet probatorum triginta Eccleſia Vennacienſis* proprij opilionis priuatur ſolamine, cuius procuratorum ſumma prouiſio in vnum cõceptum contulit votum, & S. Siffredi paternitatem optantes fratres patris Cæſarij Arelatenſis Antiſtitis præſen-

Pater S. Siffredi diem claudit extremũ Lerinæ.

**Aliàs Vẽdacẽſis, ſeu Carpentoracenſis.*

paſtorem, ſeque minimè abſque rectoris ſolertia viuere velle vel poſſe, congeminant, ſeque eis electum quem petunt debere donari ſine dilatione Siffredum. Horum ſummus prouiſor, optimus, ſuum accumulans votis adeſſe, ſanctum deliberat eligendum Siffredum: Recuſat vir Dei, non ſe ad hoc aiens adſciri debere, nec ſuam mentem ignauam, inertémque ſenſum, velle vel poſſe, poſt per incuriam lapſus ad tanti honoris cauſam, vllo modo eſſe mouendum. Renitentem ſubiit admota patrum prouiſio, & tandem preualuit popularis electio, & præcipuè prælati Arelatenſis, viuida cum Clero propalanda exhortatio: Coactus inuenitur, & patri Cæſario benedicendus, in ſedis ſanctæ Vennacenſis Epiſcopio eligendus ſtatuitur. More Præſulum benedicto ad reddendum ſacrificium laudis rudis ſacerdos aptatur. Cúmque in ſacroſancta actione, vt moris eſt pacem omnibus offerret, præſto quidem aderat cœcus, & in pacis mora ſe quoque oſculandum præſtolabatur, quem intuetur Pontifex nouus & cæco adſtanti: ore porrecto, cuiuſque ocellis poſito ſigno procul amato, ocyùs vmbra olim negata lux noua ſurgit. Qui circumſtant lætantur, videntemque ſolantur, & vno ſub tripudio compreſſis vocibus vt in noui pontificis proſiliat laudem, incitantes affantur. Gloria tibi Chriſte ſit, laus, iubilatio ſemper, qui famulis propriis miracula talia præſtas. Hoc denique peracto, turmis clericorum ac populorum præcedentibus & ſubſequentibus deducitur ad propriam ſedem. Fit per omnium animis exultatio in protelatione ſacrati vulgique ſubdendi exultatio reboabat, excepti præſulis laudem. Fundenſque ſuam, in omnes omnium meruit benedictionem, ex ouibus paſtor, profecit Præſule vulgus, & prece prolata vicibus pia corda beantur. Inde vir amabilis Deo qualem quantúmve ſe præbuerit, ſicut ſuorum ſecrerorum neminem conſcium paſſus eſt habere, haud ſecùs quiuis cognitor poterit edocere, illi tantum innotuit, quod innumeram, ſignorum exhibitionem patrauit. Cœpit denique ſanctæ inſtitutionis normam prædicare, quo liquidò clareſceret quid ſacræ Inſulæ Lerinenſis exercitia poſſent: Ædificauit ergo vbi Eccleſiam ſanctæ Deigenitricis, item baſilicam ſancti Baptiſtæ Ioannis domini præcurſoris, ornatu miro non opere modico. Poſt aliquot annorum ſpatium, tertiam intra Carpentoratenſe caſtrum condidit in honorem ſancti Antonij, vbi creberrimé ſacris inſtitutis inſiſtens, aſſiduus orationibus permanebat. Tunc temporis quædam vidua apud Maſſiliam commorans erat, cuius filius peſſundatus à dæmone turpiter vrebatur, hæc illum adiens pro filio præcabatur, vt ſibi ſubuenire dignaretur, qui vexatitius cum ante præſentiam viri Dei exibitus fuiſſet, cœpit furibundè dæmon per os eius proclamare dicens: O Siffrede cur me inſontem perſequeris, Cur quod mei iuris eſt, tuum eſſe quæris? ex Inſula dudum me expuliſti: & nunc de diu poſſeſſo me habitaculo eiicere ſatagis? præiudicor, non ſunt ita tui, quæ das mihi iuſſa magiſtri, ille aliena vetat ſemper præſumere quenquam. Ad hæc ſanctus vir procumbens in oratione ingemuit, & orans dominum dixit: *Domine Ieſu Chriſte creator omnium cum Deo patre & ſpiritu ſancto, & Redemptor humani generis voluntate patris exaudi peccatorem ad te clamantem, exaudi propitius ſeruum tuum, vt antiquus inſidiator non gaudeat de ouibus tuis, quas tui precio ſanguinis redemiſti. Hæc dicens tetigit manum pueri, & dixit, exi maligne ſpiri-*

tus

tus à pſalmate Dei, exi ô pellax profligator, omnium nequitiarum incenſor, non pro te Dominus dignatur condere carnem, ſed potiùs pro ſe quo iuſtè ſeruiat illi. Abſq; mora ſerpens vlulãs diſceſſit ab illo, & iuuenis ſanus præſenti matre reſedit: alio quoque tempore quidam homo curuus ac debilis defectu virium & conſtrictione membrorum, diſutis neruis, adſtrictis compaginibus, à ſe prorſus alienatus ſe ſancto exhiberi præcatur, quem vir Dei intuitus triduo retinendum mandauit in quo olei ſacrati vnguine litus priſtina ſanitate recepta, liber ad propria repedauit. Aliud hoc præmiſſum ſequitur miraculum, quod poſteritati mandamus memorandum. Quidam clericus boni meriti vir, ex ipſius præſulis domeſticis, graui lapſus infirmitate, diem præſtolabatur extremum, qui in familiaritate ſancti Dei à cunctis diligebatur. Cumque iam eſſet in limine mortis annuens vt poterat manibus quo à ſuo Domino & magiſtro viſitaretur, hortatur, paſſibus ergo citiſſimis, nuntiatur clericus moriturus. Vir Dei audito patientis nuntio, orationis cauſa parumper ſubſiſtit, & morato in oratione, viam ægrotus expetiit vniuerſæ carnis, hoc adſtantes viſo, flentes referre factum præſuli pergunt, rogantes vt ſaltem exequiis intereſſe fratris domeſtici dignaretur, cognito patet obitu fratris, ad oratorium S. Ioannis Baptiſtę, quod ipſe conſtruxerat cucurrit, ſeq; ſuffuſum imbre maxillas ſolo procũbens enixè orauit; atque præcatur Dominum dicens. *Domine Ieſu Chriſte in cuius manu omnium eſt poteſtas, & omnis diſpoſitio rerum, exaudi me clamantem ad te, indignum famulum tuum: Tu enim dixiſti, nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat: & omnia quecumq; petieritis, à patre meo accipietis, reddatur oro anima iſti defuncto, quatenus omnes cognoſcant circumſtantes quia tu es viuificator, ac reſuſcitator omnium mortuorum:* Hæc dicens feſtinus ad lectulum venit, ibique procumbens lachrymas fudit ac diutiſſimè proſtratus orauit: ſurgens manum defuncti tenuit dicens, *ſurge cito frater, te Chriſtus ſurgere mandat, ſurge ſede viuens, excuſſo * funere mortis, te iubet vt ſurgas qui mortis vincula fregit, ſi ſine ſis macula ſemper victurus abibis, & compos regni retinebis iura ſuperni.* Extẽplo defunctus, anima viribuſq; reſumptis ſurrexit, ſtuporemq; gaudio mixtum patri cæteriſq; fidelibus non minimum fecit. Huius miraculi rumore circumquaque diffuſo, fit multorum vtriuſque ſexus & conditionis cõcurſus populorum ad hoc ſpectaculum inuiſendum magnalia Domini prædicantium. Poſtea clericus is plurimis viuens diebus fœliciter coniũgitur fidelis gregi opilionis, inſtabilibus fruiturus ac denuò moriturus. Sãctus itaque præſul inſequentibus tanta ſeſe corporis maceratione conſtrinxit, vt iuxta Apoſtolum mortificando carnem ſuam cum vitiis & cõcupiſcentiis, hoſtiam ſe Chriſto viuam offerret in odorem ſuauitatis æternæ, panis & aquæ edulium, exigua lenticulæ commiſtione corpori præbens, neceſſitate potiùs quam voluntate abſtemiorum rigorem auſterum inſectabile, admiranda potiùs quàm imitanda perceptione inuincibili vigore præibat. Et quia præcipui patriarchæ pediſecus in exterarum nationũ migrationem procul amoto ambiguo non diffidebat, ſi quid fixa mente tenebat eſſe iniuſtitiam reputandum, cum & prophetiali merito decorabatur inſigni, vt in ſequentibus aſtrui facillimum eſt, motu geſtuſq; ad ſummum Apoſtolorum faſtigium pertingere ſatagens, abrenuntiationis perfectionem ſummo venerabatur amore: qua & magiſtri omnis diſciplinæ diſcipulatum & cenſuram charitatis ambiendæ adipiſci mereretur. Non Chriſtus proprium votũ fraudauit alumnũ, inquiẽs. *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet.* Ecce fidem faciunt virtutũ ſigna patrata: Nouerat probè in aſſiduitate ſacrificiorum

Orat S. Siffredus pro reſuſcitatione defuncti.

* *Aliàs excurſo.*

non paruam purgationem peccatorum, miſſarum ſolemnia iugiter celebrabat, ſine intermiſſione egregij prædicatoris dicta orabat: infirmos viſitans ſtipendiis largiter fouens alebat. Pauperibus panes, nudis tegumenta miniſtrans, captiuos redimens, conſolabatur amicos: carcere compreſſis, precibuſque ergaſtula rupit: & cunctos miſerans eſt omnibus omnia factus: Nec meritis fidum quemquam vacuauit amicum, diſtulit haud cuiquã ſi nouit quidque neceſſe. Actionibus autem interrumpendis ita ſe omni de parte ſeptum probitatibus, extraneum redidit, quo ne cuiuſquam adulationis verbis facetè compoſitis ſuas ſuper omnium virtutum inſita deiici fundamina quiuiſſent. Nuſquam in foro, nec vbi intercipientium ventilatio rerum inuiſebatur, ſe miſceri paſſus eſt: aut in vicis quicquam vanis ſpebus hærens exercuit, quod cœnodoxiæ omninò cauendæ diuidicandum foret, niſi animarum lucris habilè prouideret. Tanta ergo in illo diuini muneris largitas affluens, & gratia viſceribus excolendis cœlitus infuſa redundabat vt quoſcunque benedixit, in boni cultus perſeuerantia dies inueniret extremus. Nec vnquam inſidiatorum procacitatibus reuelli ab intimis præcordiorum ſedibus poſſet, ſiquid iacturæ aut damnabilis caſus emerſum improbi præſtigiatoris ſuaſu fortè refflueret, ſolius boni oculis eluendum in conquiniſcentis reliquit. In temporalium rerum damnis auctori Deo omni niſu gratias agens conquexit: & quod turgenti tumidum faſtu reperiſſe fuit, obice charitatis reflexit: conabatur præuenire exterminabiles laqueos inimici munificentia fidiſſimæ largitionis, quærimoniarum emerſiones ac cautionum diuerſarum curioſitates, forenſéſque conuentus aufugiens, ſuis oppoſitoribus ventilanda procul linquebat auulſus. Quod omnifaria laude extollendum noſtris abſurdis conatibus memorare molimur, cùm ſi omnis facundiæ affluẽtia exuberaremus non vnius illius venerandi Pontificis meritum capeſcẽdum quiuiſſemus edicere. Non Arcadici rudientis ſtrepitus, aut apum bõbice penetrare ſidera norunt, quæ gratia imitandi patris curſus egerit finem, hæc ſtilus addat inops, non ſegniter abdat in antro occulenda vitæ, & blaterans laudis taceat nunc gloſa loquelis. Poſt longa autem annorum curricula ſacerdos Dei Siffredus cum iam eſſet canitie venerandus, & terris poſitus angelorum duceret vitam, pauperem per nobis Chriſtum pauper & ipſe ſequi cupiens ſpiritualium diuitiarum reditibus abundaret, vt copia ſuperi præcelſa palatia regni, iuxta baſilicum ſanctæ Mariæ quam ipſe conſtruxit domunculam ſtatuit, vbi in lege Domini die ac nocte meditans indefeſſis precibus Dominum exorabat, exactoribus Epiſcopij domum commendans ipſe in orationibus continuò peruigil permanebat, Chriſtus ei in ore, Chriſtus in vocis ſono & contritione ſpiritus aſſiduè prædicabatur ab eo, ſine pietatis miſericordia in iudiciũ pauperum non mouebatur, optimè nouerat ſanctum prophetam miſericordiæ amatorem priùs Domino miſericordiam ceciniſſe & poſt iudiciũ, quoniam miſericordia ira ſedatur, in iudicio ſeueritas exacerbatur. Quidam homo furtifero ſpiritu prẽceptus, de ſanctæ Mariæ quam ipſe fundauit baſilica reliquias furto abſtulit, hoc virum Dei in ſpiritu non latuit, ſed latronem præueniens coram omnibus taliter eſt alloquutus, frater neſcio quis latro ſacrilegium noſtræ baſilicæ fecit & furtum in tali, & tali loco poſuit, vade ergo tu frater & illud noſtris conſpectibus defer, deprehenſum ſe latro perſentiẽs, & latenter propolatum ad hoc quod abſtulerat occultandum veritus abiit, furtumque concito greſſu in præſentiam omnium deportauit: ac in conſpectu ſacri pontificis expoſito delator ſacrilegus adoranda pignora geſtans ſa-

cratis

cratis incumbens veſtigiis ſternitur veniam ex amiſſo ſacrilegio petiturus,& furtifer corrigẽdus cunctis quos latuerat liquido innotuit præſulémve præſagum allocutus taliter infit. Licet, mi domine vir Dei Siffrede, ſim præſtigiatoris aſtutia in amiſſione furti delapſus,graui perfoſſus iaculo, tamen tuo præuentus ſpiritu flagito enixè, ne ad animæ miſeræ meæ furti facinora queant interitum deuenire. Nunc à te ſemper prolata charitas remediabilis miſerationis tuæ intueri abnuat manifeſtum amiſſi peplo nudatum, ſuſcipe pœnitentem, & ſummi magiſtri clientelæ pedíſſecus, attende latronis confeſſionem, iam perditi ſacrilegi peccata non aſpicias, ignoſce clementer, vide pœnitudinem, da veniam peccatori, mœſto infer ſolamen, ne prorſus peſſimetur, ingere lætitiam lurido cauſatori, querela ſpectacula comitanti ſpes remeet deſperatio, cui ſolum ſupereſt buſto caput abdere triſte viuat adhuc anima precioſa morte redempta: ecce benignè Dei miſerãs me cerne proteruum, aduehe per lapſum male fida mente procacem excipe pœniſum non vltra velle latere, & meritò deditam diſtricti iudicis iram,quæ palam eſt miſeri fidei confeſſiõ flectat: Confiteor culpa ſi vis tranſibit inulta, & furti facti,me debita damna lucrabor, ora ne tetri me ſentiat ignis auerni, non vltra caſu reuehes per furta labantem, ferto præcipitem da lapſam ſiſtere mentem,mitis vt ignouit latronem more remouit, dant cõfeſſorem ſubeundo furta latronem,& recreant fidum veracis pacis amicum.Dixi nunc cœpi dexteræ mutatio celſi, ſicque vir Dei ſalus effectus eſt rei, ſolo remoto furto abſoluit,& conſcio facti culpam pepercit,iniuncto ne peccaret abire præcepit. Fuit itaque furtũ dum latuit hoſtis auctori ſuo,in propatulo fuſum correctio criminoſi terminúſque per acti mali ſic quoque reus alter ex altero factus in ſua ſatisfactione remiſſionem promeruit, & ſui correctoris meritum dilatauit,multis in exemplum deinceps profuturus.

De Tranſitu eiuſdem Sancti Siffredi Epiſcopi.

SIcut inde notando impoſſibile omninò probatur omnipotentis Dei poſſe magnalia comprehendi cùm nullius meditatio ſenſum ei penetrare quiuerit, haud ſecus reor cuiuſpiam argumentum, cœlitùs inſperata poſſe virorum Dei corda rimari, quia multiplicia ſunt quæ ab illis occultè gerunt, quorum ipſi ſunt conſcij, & quibus eſt cordi ſuam in ſupremis locare conuerſationem, nec quicquam dignantur iniare mundanum quam quæ humana nanſciſci facillimè queant. Nos verò quia pauca de pluribus vtcumque digeſta vobis intimaſſe poſſibile fuit,in vita ſancti Siffredi Pontificis,qualiter relictis corruptibilibus ſit adeptus æterna, indiguus neceſſariorum ſtilus depingere promit. Cùm iam igitur veneranda canicies annoſam gereret temporum metam hac albentes ſancti vertices canos, ſuperni palatij curialibus deſiderij immenſitate,&toto niſu ſatageret veſtitis in albis,nihilq; per omnia probatæ actionis impedimẽta faſſeſcer experiri poſſe pullis fuſcari inimicalibus regnis;præuentus gratuitè Dei domo benedictionis ſpirituali reuolutione ſuam de mundo vocationem percepit, qua & internus remunerator iuſtis competentem ſtudiis,repoſitam ſeruando mercedem ſuum militem munerare:miléſque diurni meritum laboris denarium ſumpturus abſque murmure poſſidet diuinitùs notum coactis in vnum vtriuſque condictionis fidelium cateruis ſui exitus diem cunctis audiẽtibus pandit. Indicẽs eis,iuſto per abruta mundi debere progredi calle,præuidẽdum ſtadio curſum,in iuſtitia diſcretionem, in creditis cuſtodiam, in correptione cenſuram, in diſciplina

modum, in aduerſis gratias, in proſperis timorem, in impenſis charitatem, in augmento largitionem, in motione ſoliditatem, in exceſſibus ſolicitudinem cauendam: ſpem bonorum in mente ſeruandam, nec poſſe perire meritum rependendum. Hac pij opinionis gregi fidelis, exhortatione ſuſpenſus erupit in lachrymas, & alium quiſque in fletu ſupergredi certa alterna, in commune diſpendium quærela huiuſmodi clamore ſuſpenſi vociferabantur, ecce pater tuum virtutum ſtudiis præmunitum ab ipſum infantiæ incrementis immaculatum tranſitum hactenùs præſignaſti: nec diutiùs tua, noſtris calamitatibus neceſſaria, vt apparet fruemur præſentia. Memento puſillorum gregum fidei ductoris indigorum, & quos ſolidioris paſcuæ pinguibus apparatibus alendo fouiſti, non incautos deſeras inimicorum iaculis vulnerari: non quibus vitalium ſeminum grana ſeuiſti ſinas interſeri Zizania, ſed abige luporum rictus in ſimplices greges hiantes, præuide tranquillos ſinus auidus propagator, para relictis tuæ quam percipies à pio domino requieſſionis portum, arce rabiem truculentam infeſtiſſimi peruaſoris, compeſce quietorum per innumeros meandros cordium agitatores ſuarum munimine orationum, vt quos omnis deuotionis diligenti cura nutritos ad catholicæ matris gremiũ humero baiulo prouexiſti, & ad beatorum prouehas gaudia premiorum, certus de propria, eſto ſollicitus de noſtra, obtentu pio nobis requie præparãda, habemus enim certæ ſpei confidẽtiam ſanam, ſi tuæ ſit curæ paternitati, quod non prorſus fruſtrabimur tibi repoſitis delitiis ſempiternis expedies iter tuum liber proficiſci paratus nobis nunc vſque curam adhibitam profectus precamur impende, corpore debitum factum ſoluente immortalis quod oramus ſpiritus nobis poterit obtinere, his aliiſque querimoniis motus Dei ſacerdos Siffredus circumſtanti familiæ prout potuit ait. Saluator, mi fratres qui pro peccatoribus deſcendit de cœlis ipſe vos eruet de formidoloſis laqueis inimicorum, non vos illorum minæ terreant, non vos fraudes decipiant, ſed memẽtote monitorum meorum, vt vos in die tremendi iudicij in filios habeam, meque patrem poſſideatis, vt vos Deo repræſentare valeam. Honoris Eccleſiarum reminiſcimini, pauperum curam agite, quodque vidiſtis me patrem facientem, vos imitando filij facite, feritatem prouincialium deponite, gentium in munditias execramini idolorum culturas abiicite, his nec non & aliis exhortationibus admonens omnes ſumpto viatico, viam expetiit humanè conditionis ſanctum Domino ſpiritum commendans, quinto Cal. Decembris. Hoc viſo circumſtantium multitudo, ſua quiſque damna deplorans, dum in parando quæ competerent exequiis deffunctorum animos affectarent, tanta mox fragantia locum illum occupauit, vt omnes mira ſuauitate, miráque dulcedine replerentur, & oblitis quæ mentes lamentis obſederant in ſolam conceptam dulcedinem tapiuntur, & ſedato dolore diffuſo odore de ſancti ſepultura ſumma peragitur cura, ſepultus eſt in baſilica quam ipſe conſtruxit in nomine ſanctæ Trinitatis, vbi beneficia eius exuberant vſque in hodiernum diem, Regnante domino noſtro Ieſu, Chriſto cui cum Deo patre & ſpiritu ſancto eſt omnis honor & gloria laus virtus poteſtas & imperiũ per immortalia ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Tranſlatio corporis ſancti Siffredi Epiſcopi à vendaco Carpentoratum, ex manuſcriptis Eccleſiæ Carpentoratenſis deſumpta, quæ Celebratur dominica tertia poſt paſcha.

POſt deceſſum inclitæ recordationis beatiſſimi patris Sifferdi, multorũ annorum curriculis euolutis fama interim crebreſcente vbique de clariſſimis mira

mis miraculorum inſigniis quæ virtute diuina de ſacri corporis pulueribus pullulabant ad ſepulchri locum quacumque infirmitate detentæ innumerabiles turbæ languentium confluxere quæ ſolita ſoſpitate recepta in Iubilo diuinæ laudis redeuntes ad propria, Deum in ſancto ſuo mirabilem dignis honoribus extollebant. Placuit itaque illi qui vbi vult, ſpirat ſpiritum, & ſecundum beneplacitum incomprehẽſibilis prouidentiæ ſuæ omnium ſapientiſſimus ordinator exiſtit vt ſuæ aliquando inſpiraret Eccleſiæ eiúſque miniſtris, & filiis locum eligere aptiorem, vbi beatiſſimi corporis pulueres cuſtodiri ampliori religione à fidelibus colerentur, vnde, nec caſu, nec fortuitò, ſed nutu diuino ſicut perhibet antiquorum fama celebrior contigiſſe putatur, vt fœliciorem arcam, quæ arcam in ſe contineret ſecretorum corpus videlicet beatiſſimi patris, quo tãquam organo ad omne opus bonum Spiritus ſanctus eſt vſus, & ſanctę Trinitatis baſilica ſepulchro effoſſo fures nocturni tolerent & de Vendacenſi vrbe ad amnem quæ lateri adiacet Carpentorati oppidi deportaret vbi diuinitus corporali cœcitate perculſi, vlterius progredi non valentes ab incolis loci per vias & in vna cernuntur, & inueniuntur quodam vago & incerto circuitu aberrantes, qui continuò capti intelligentes per diuinam potentiam quod rem feciſſent illicitam redarguẽtes, & quod theſaurum ineſtimabilem auſu nefario contingere præſumpſiſſent ſui latrocinij crimen prodere & cõfiteri publicè diuino iudicio ſunt cõpulſi quo percepto per loci clerum & populum ſacratiſſimo corpore tãquam ab iniuſtis & violentis poſſeſſoribus irreuerenter accepto atque in hac ſua Eccleſia cum gaudio & diuinis laudibus collocato. Ipſi ſacrilegi non immerito pœnitentes per merita S. cunis rapuerant & aſportabant reliquias oculorum ſuorum lumẽ ſolitum receperunt: cum autem locus ipſe pridem nuncupatus vocabulo cenſeretur fœlici deinde commutatione ſortitus eſt, & poſſidet nomen vrbis quæ reuerà corporis inibi trãslatione facta, effecta eſt famoſior & nobilior non tam epiſcopali honore claret quam & mirabilium emicat coruſcatione ſignorum, & ex tunc vrbs Vandacenſis ciuitas eſſe deſinit, & priſcorum fulgore miraculorum pollere ceſſauit nimirum ſignis tam claris támque pellucidis corpus illuſtre ſolita & nulla maiora miracula ſunt ſecuta, decuit enim vt translatis miraculis connumeratis corporis venerandi transferretur etiam pontificij principatus, & vbi corpus exiſteret illuc congregarentur & aquilæ, & virtus & honos ſuperni numinis, & nunc & in perpetuum inibi refulgeret. Sic itaque in propatulo claruit veritatis teſtimonium per opera clariora, ſic effulſit lũmen in tenebris vt quaſi ad ſolemnes epulas inuitati vndique circumferrentur ægroti, & ad ſanandam infirmitatem virtus quaſi de viuis pulueribus emanaret, ô quam magnificè, probant oſſa fœlicem illius animam præpotentem eſſe in Domino quæ corpus in terris mortuum ſic æternè viuere facit in tam admirabili virtute quod iam fluxerunt anni plurimi, nec beneficia defecerunt, ſed curſu & ordine continuato vſque nunc validiùs perſeuerant.

Fures corpus S. Suffredi effodiunt. Cœcitate per cutiuntur.

Defertur Carpentoratum. Viſum recipiunt fures.

Annotatio Vinc. Saler.

Porrò eius ſacra buſta per quam honorificè recondita habentur in præfata ciuitate Carpentoratenſi & in Eccleſia cathedrali in ſacrario nempe oſſa ſacri verticis Siffredi in ſtatua argentea inaurata & ornata à pectore ſurſum in habitu pontificali includuntur, reliquæ exuuiæ corporis in perpulchra arca argentea mirè adornata & inciſa magnificè ſumma cleri & populi deuotione cuſtodiuntur, vti ipſi vidimus.

DE SANCTO SIFFREDO CARPENTORATENSI & monacho Lerinensi carmen Reuerendi Patris. Domini Dionisij Faucherij monachi Lerinensis.

Siffredus hoc die graui,
Vinclo solutus corporis.
Cœlum petiuit præpotens
Victor subactis hostibus.
Lerina longè à turbidi
Curis remota sæculi,
Primis sub annis strenuum
Hunc educauit præsulem.
Hic innocenter vixerat,
Monasticæ legis feruens
Ceruice subdita iugum
Et moribus probis micans.
Intemperata viscera
Ieiuniis frequentibus
Et languidorum sensuum
Motus rebelles arcuit,
Vigil pias noctu preces
Fundebat ore cernuo,
Apto quietis tempore
Casto fruens silentio.
Antistes hinc votis pia
Plebis petentis accitus
Sumptis coactus insulis
Ecclesiæ præponitur.
Miraculis hinc claruit,
Morbos repellens corporum,
Sanctaq́; legis pabulo
Mentes pudicas nutriens.
Laruas fugabat dæmonum
Languentium de corpore
A corde fœdas sedulus
Sordes lauabat criminum.
Eius prece & fletu pio,
Is qui iacebat mortuus
Amicus ad vitam redit
Necis solutis nexibus,
Siffrede supplicum preces,
Clemens rogamus percipe,
Christi fauorem prosperum,
Sensu grauatis impetres.
Honor potestas gloria.
Patri sit atque filio,
Simúlque sancto flamini
In sempiterna sæcula. Amen.

Item hymni in honorem S. Suffredi Episcopi ex manuscr. Ecclesiæ Carpentoratensis. Ad vesperas.

Pangat omnis orbis Deo,
Plebs fidelis concinat
Psallat hymnum laus sonora,
Concrepando cantica,
Quo resultans clerus cunctus
Festa dat solemnia.
Nunc Episcopi Siffredi,
Dies festus agitur,
Quo relicto peplo carnis
Ad polum assumitur,
Vbi laudat regem regum
Ac corona comitur.
Nos in hoc cosmo manentes.
Laudum demus carmina,
Quæ decantant in Excelsis.
Angelorum agmina,
Quorum meritis non simus
Habere solemnia.
His coniunctus Deo charus
Siffredus Episcopus,
Cum quibus exultat semper,
Vt cum sanctis omnibus
Cuius meritis muniri
Nos omnes confidimus.
Te Siffrede deprecamur,
Ores vt pro famulis,
Specialius pro nobis
Hinc pro cunctis populis,
Quibus pastor exstitisti
Pius exorabilis.
Gloria sit Deo patri
At à quo salus omnium,
Simul Christo regi nostro
Decus & imperium,
Atque spiritui sancto
Per æterna sæcula. Amen.

Ad Laudes

Ad Laudes hymnus.

IAm venit feſtum celebrandum orbi
Præſulis noſtri meritis beati
Atque præclari pietate dulci
Patris amandi.
Cuius in feſto iubilemus omnes
Duplici voto dominum precantes,
Vt ſimul noſmet benedicat omnes
More paterno.
Quemque ſignorum meritis decorum
Nominis cuncto viguiſſe mundo,
Quique defunctum reuehit ſaluti
Soſpite vita.
Plura virtutum precibus peregit,
Nullus ex illo vacuus rediuit
Poſcitus cunctis maculas deleuit,
Cauſa ſalutis.
Ipſe pro nobis dominum precetur,
Quem fide ſcimus placuiſſe Chriſto
Cuius obtentu retinet ſupernum
Munere regnum.
Ad precum votum famulorum iuſta,
Præſul intentus ſcelerum piator,
Et quod ad culpam facinus patrarunt
Pelle luendum.
Te Deus noſter petimus rogantes,
Nos vt extorres facias piaclo,
Et gregem paſtor proprium reducas
Ad paradiſum.
Gloriam patri domino canamus,
Gloriam Chriſto reſonemus omnes,
Cum quibus regnat Deus atque compar
Spiritus almus. Amen.

VITA BEATI ANTONII CYRI MONACHI Lerinenſis à Magno Fœlice Ennodio Epiſcopo Ticinenſi deſcripta. Floruit circa annos domini 488.

PRÆFACIO.

VT præliantes adſurgunt bucinis, vt Equorum celeritas ad potiorem curſum ferrata calce prouocatur. Ita dum Maiorum virtus ſollicitat ingenia nouella cõfortat. Qui cana exercitia, & veterum geſta relegit, ad diſciplinarum frugem propoſitis laudum præmiis inardeſcit. Imago precedentis gloriæ, vt ad poſteros veniat, linguarum catena retinetur. Non licet per ætates perire, ſi quid lectio ſerenis actibus amica ſuſceperit. Itaque eloquentiæ diuturnitas mortalis naturæ ſine congreſſionis periculo vincit anguſtiam, per quam optimorum conuerſatio ipſis decidentibus, neſcit occaſum. Reſtituetur quidem corpus origini, & deſtinatus à ſuperis ſpiritus ad proprium recurrit auctorem. Quorum tamen probitas libris mandata fuerit, eorum vitalis eſt obitus. Dicat forſitan interpres auſterior, abiurat prædicationis dulcedinem perfuncta mens ſæculo, & carnis vinculis abſolutus non deſiderat quæ inter incerta mundi geſſit agnoſci. Sed illos humanus carcer ſine libertatis diſpendio refudit opifici. Dum inter polluta gradiens nitorem ſuum anima Deo noſtro intenta geminauit, & per mandatorum cœleſtium lineas lenocinantem huius lucis, non ſenſit errorem. Nobis verò iſta reuiuiſcant, nobis pro futura ſeruentur. Quib. ſi ab ſtudio deeſt ſectari meliora. De illorum qui facem conuerſationis ſuæ præferunt venire debet exemplo. Tu autem venerabilis Abbas Leonti *qui id operis iniunxiſti adiuua oratione titubantem, & ciuitatem ſtili ſanctarum precum imbre locupleta. Facies enim, vt confido meritis precipuum, quod aggredi me ipſe iuſſiſti, pronum eſt beatitudini tuæ ieiunam eloquentiam fecundis innocentiæ ferculis ampliare. Credite mihi vos reſpiciet extortæ aut culpa aut genius dictionis. Cuius niſi ſubſtantiam religioſa auctoritate firmaueris, videbitur iudicij tui clauda fides delegiſſe minus idoneum, cui venerandi laboris prouinciam commiſiſti.*

INCIPIT DESCRIPTIO VITAE BEATISSIMI Antonij Monachi Lerinensis.

IGitur B. Antonij narraturus insignia, primùm sancti spiritus mihi maiestas inuocanda est, vt qui illum rebus diuitem fecit, me in his explicandis per linguæ fræna moderetur, & labiorũ sordes prophetici carbonis diluere maturet incendio, ne conscientiæ nebulis lucem conuersationis illius, aut amplissimis pauperem faciam laudibus, aut infantia arcente deuenustem. Benedicitur indiuisa Trinitas Deus noster qui seruum suum Antonium tanta virtutum dote sublimen circa Danubij fluminis ripas in ciuitate Valeria Secõdino patre lucis huius ianuã iussit intrare. Qui quamuis de splendore natalium conscientiæ iubar hauserit, tamen fulgorẽ stirpis præcipuè morum radiis obumbrauit. Vincẽs decorem sanguinis ingenij claritate. Coruscantem germinis sui lampadem actuum serenitate trãscendit, & factus est victor stemmatis sui per quod vniuersos nascendo superauit. Qui dum adhuc de Matris penderet vberibus, quem præsciuit Dei gratia, non reliquit, nec passa est in opem fauoris existere dispensatio cœlestis, quã remunerãdis plenum studiis approbauit. Qui ne sensim instituta propositi per parentũ blandimenta frangeret, annorum fermè octo genitoris tutela nudatus est. Mox tamẽ illustrissimũ virum Seuerinum ignara fuci ætas deuolauit, qui dum eum mulceret osculis, futura in puero bona, quasi transacta relegebat. Fuit enim cuius meritis nihil est absconditum. Ille hunc sibi futurum participem pia vbique voce prædicabat. Credo vt incipientis tyrocinia spes annunciata solidaret. Sed postquã B. vir humanis rebus exemptus est, Cõstantij Antistitis ea tempestate florentissimi iunctus obsequiis gloriosis operibus vitæ rudimenta dedicauit qui eũ inter Ecclesiasticos exceptores, cœlestẽ militiam iussit ordiri. Erat enim venerabilis sacerdos, Antonij nostri Patruus. Sed nunquã ille magisterij rigorem consanguinitatis lege molliuit, nec fecit securum de necessitudine discipulum non timere, cui gratiã doctoris, nisi censura non præstitit. Tantus fuit circa sectatorẽ diligentiæ modus, quantum iudicia contulerunt meritum suũ in facie monitoris, agnouitq; peccatorũ cõsummatio. Pãnoniis mirabatur excidiũ, iam succisa radice substãtiæ regionis illius status in pronum deflexerat. Per incursus enim variarum gentiũ quotidiana gladiorũ seges messem nobilitatis absciderat, & fœcundas humani germinis terras, ira populante desolabat. Iam Franci, Heruli, Saxones, multiplices crudelitatũ species belluarũ more peragebant. Quæ nationũ diuersitas superstitiosis mãcipata culturis, deos suos humana credebat cede mulceri, nec vnquã propitia se habere numina nisi cuncta æqualiũ cruore placassent cessare confidebant iram cœlicolũ innocentis effusione sanguinis. Qui vt in gratiã redirent cum superis suis propinquorũ consueuerant mortes offerre. Quoscũque tamen religiosi titulus declarabat officij, eos quasi sereniores hostias immolabãt, æstimãtes quod piorũ iugulis diuinitatis cessaret indignatio, & fieret materię gratię locus offensè, inter quas tẽporum procellas Cõstãtius Põtifex, ne quid in mũdo haberet subsidij, terra hospitibus deputata, humana lege liberatus est. Post cuius resolutionẽ Ant. nostrũ famuli ad Italię partes quibus cœlitus fuerat deputat° Christo duce perducũt. Principe loco Tellinę vallis, quę id sortita est vocabuli limẽ ingreditur. Quã montiũ ex vtroq; latere brachiis fabricata

Patria & parentes S. Antonij.

Fit discipulus S. Seuerini Abbatis.

naturæ

naturę ditat amœnitas & de verticibus fœcūdis amniū plebe locupletat vber ſolū. Quod auaris reſpondet iuxta deſideria immoderata cultoribus. Non tamen ita ariſtis prægrauidum aut dotatum paſcuis, aut arbuſtis compoſitum, aut fluminibus lætum, vt non plus ſuperuenientis perſonæ gratia præſtaret, quam ipſius originis variata & diſtincta formoſitas, illic Mario presbytero qui ſpiritibus immūdis dominabatur adiunctus eſt, quia hæc eſt rerum conditio, vt noui hominis mores, diuulget inuenta ſodalitas, & qui ignoratur per originem ſimilium clareſcat affectu. Deprehenditur mens ſecreta per ſocios, & cui non licet ad liquidum ſuperueniētis exiſtimare conſcientiam, conceditur vt de ſuis deprehendat externos. Nam cum eum beatus Marius illis oculis quibus mentes videntur inſpiceret & interioris decorem hominis abſcōditis percantaretur obutibus, voluit eum clericorum ſociare collegio, & inter Eccleſiaſticos cœtus pręſtantem meritis dedicare perſonam: ſed fugit honorem velut veneni poculum, qui ſemper potentiam credidit ſubiacere, & ſeruire patienter prætulit regali dominatui, ne tamen diu humanè conuerſationis mixtus illecebris ſocietatem contagionis hauriret. Elegit receſſum haud procul à beati martyris fidelis ſepulchro. *Vbi larius*, ionij marmoris minas deponit quando ne euagetur longius obiectis ripis reſiſtunt frena telluris, illic inſerto nubibus vertice mons cotuſcat, qui ſublimitate ſua vincit aſpectum. Sed quam ſuperbus eſt magnitudine, tam difficilis aſcenſu, nā nullis ante monachorum noſtrorū patuit greſſibus, nec prærupta ſaxorum humani generis admiſit formidine repugnante veſtigium, in præciſis cautibus tuta feris longum præbuit nullo exterrente cubilia eo beſtiis blandior, quo terribilius agricolarum minatur excurſui. In hoc Dei famulus ſedem delegit, in quo ſola fuit placēdi cauſa, quia nequaquā lenocinobatur aſpectibus. Nihil ſecum amplius niſi parum leguminis & ligonem quo terram ſollicitaret de mundi beneficiis aſſumens, dedicauit callem ſubiecta aſperitate neſcitum iuga illa indomitam naturæ legem Antonio congrediente perdiderunt, reſerata itinera poſt ingreſſum eius patuêre cupientibus. Inuenit illic tamen duos ſenes, quos iam ita inter luſtra belluarum habitatio longa miſcuerat, vt nihil de illis mundo fama nuntiaret. Quorum vitam ſcientiamque plenè videor elocutus cùm expetitam prodit timore habitationem ſine nube vulgaui. Breui poſt horum vnus aſſumptus eſt terreni carceris mole depoſita ętheream valetudinem fœlix anima reſumpſit: nam abſolutionis eius tempore columna ignea beati Antonij oculis ingeſta eſt ad cœlum vſque pertingens. Credo vt venerabilis viri fides, & ardor ille vitiorum decoctor typico monſtraretur incendio. Tunc dum ibi Dei cultor tota diſciplinis cœleſtibus viriū ſuarum vela laxaret, & per ſinus animæ corporiſque extridentia palcas flabra ſuſciperet, cuius vigilias, ieiunia, lectionis aſſiduitatem, iure replicarem: ni haberem digniora memoratu. Nunquam ille cibum ſumpſit, niſi fatiſcente corpuſculo. Numquam niſi exemptis officij munus ſollicitudinem quiete laxauit. Sed quid retexam quę perfectionis habuerit inſtrumenta perfectus? aut per quos gradus ad celſa conſcenderit: quem liquidò declaratum eſt obtinere ſublimia: ſciuit ille ſic per labores varios diſciplinarum lineamenta ſectari: vt numquam aſſumeret arrogantiam de labore, & cum omnia eſſent dīgna prę-coniis quæ gerebat diſpendium virtutis credidit fuiſſe laudatum, ſic totum de eius actibus opinionis luce radiabat, vt nihil præberetur oſtentui. Preminebat cenſura mentis in corpore & iracundiam quam contra culpas anima eius ſuſceperat, facies infucata pingebat, videres aduerſus flagitia mundana

In regione Aſiæ.

Mira abſtinētia & exercitiū antiquorū monachorum.

toruos oculos, & indefeſſa contra ſæculi blanditias Chriſti militem bella tractare. Quãdo illa imago ſtatum ſuum reſoluit in riſum? & ab ordinis proprij rigore lætitiæ debilitate confracta eſt? Interea dum velut obſignatum Monachi in vniuerſis implet officium. Vir quidam quem ſponſæ ſuæ amor in facinus impulerat, & ad effuſionem humani ſanguinis affectu, & indignatione prouocarat. Dum conſcientiam ſe credit fugere mutatione terrarum, & in aliis prouinciæ partibus innocentiam reperiri quam furore duce perdiderat. Velatum ſimplicitate ad ſecreta heremi portauit homicidam putans in Dei obſequio conſtitutis de actibus ſuis præter effigiem nil patere, artifici humilem ſimulauit obtutu, & per doloſi commenta conſilij, fabricata ſubiectione compoſitus, cautioribus ſcelerum ſordes texit obſtaculis. Difficile eſt præter Dominũ deprehendere quidquid obſequendi argumentis inuoluitur prouidè flagitium celat abiectio, rarò in lucem erumpunt crimina, quæ auctor obtemperandi ſcierit fuco ſepelire: protinus tamen affuit ille index cõſuetus, & latentis ſecreta conſcientiæ diuinæ vocis claue reſerauit. In his ſermonibus adortus Antonium, quando eum plus quam homo poſſit docuit agnouiſſe, illum denundans qui craſſo indumento latronem tegebat, caue inquiens ne tanti criminis reum ſancto velis miſcere collegio, nec lupum ouibus, agnis viperam negligens æſtimator adiungas, iſte animam Dei manibus conceſſam per eliſi fragmenta gutturis effugauit, & interno fratre furore conſtricti, vitam è ſedibus ſuis dum infert faucibus vincla diſſoluit, hunc debitum exitium ſequitur, nec à iugo ſupplicij erit alienus, qui humano ſanguini non pepercit, miſericordia eſt circa facinoroſos ſeruata diſtrictio. Ergo ſopori terminum ponens, mandatorum cœleſtium hoſtem depelle, ne candida conuerſãtio tecum habitantium fuſca ſuperuenientis contagione violetur: illicò diuinis obſecutus imperiis hominem vocat mentientem conuincit, feriato ore male conſcij omnia eius geſta perſequitur. Expauit deprehenſus, cum flagitia ſua recenſeri videret ab homine quæ ſine teſte humani generis commiſerat, viaticum popoſcit, fugam tremens apparauit, continuò tamen pediſſequa reum vltio comprehendit, & expiatum ſcelus patratoris morte nuntiauit. Ita ſermo iuſti viribus carere non potuit, interea ſanctus vir per regiones finitimas inſidiatricis famæ linguis innotuit, quæ ne pareret, de celebritate iactantiam ante prouiſa ſunt remedia quam morbus adoleſceret. Qui enim grandęuus aut debilis duce diligentia non itineris illius transmeabat abrupta. Cum dantibus valetudinem deſideriis etiam egritudines corpora non tenerent, Hac perterritus frequentia ad ſecretiora heremi beatus Antonius credidit euolandum, ne ſingulorum deuotio inamabilis arrogantiæ mater exiſteret & de multiformi gratia rigidioris propoſiti ruina naſceretur. Mox tamen ſeceſſus quem pendula rupes commendabat electus eſt, in quo annis plurimis ſolus, & verè monachus vitam ſine humani generis conſorte tranſegit, dabat feras pro ſodalibus montana ſolitudo. Mugitus vrſi aliarumque belluarum minax immurmuratio pro blandæ confabulationis communione ponebatur. Denique ea tempeſtate vrſus petulantior gloriæ plus daturus, caules ipſius puberibus foliis lætiores, & quadam Domino hilaritate geſtientes immani ingrediens contritione vaſtauit ita, vt nuſquam de ſimplici fruge ſpes reſidua linqueretur, quem ille baculo multatum diſtrictius abire præcipiens teſtem virtutis ſuæ, & nuntium paſſionis ad alias ire beſtias mox coëgit: vt impleretur Domini fidelis pollicitatio quæ ſectatoribus ſuis totius veneni, & omnium ferarum promiſit obſequium. Rurſus tamen gradienti ei

per

Vana ſimulatio.

Non diu latet hypocriſis id eſt, teſtis cõſcientia.

Antonius verè monachus quia ſolus.

per deſtinatum callem rugiens ſe fera ſuggeſſit,quam ille ſola iuſſione turbatam,iter fecit aperire,& occupata viæ clauſtra deſerere, ſed ecce iterum alis pernicibus per prodictionis ſuæ ordinem Dei ſeruum in quo loci degeret fama vulgauit, aliud de ipſo pro ſententiarum varietate diuerſis opinantibus: tunc liquidò patuit per occurſus multiplices nihil obſtare cupientib. planari ardua,ſolidari ſciſſa, pendentia non timere. Sed potioribus inſidiis ne per arrogantiam hoſtis ſubriperet fortiori cõſilio manus oppoſuit ne iam grãdęuus perderet quod inter tirocinia virtute ſeruaſſet,acrius enim circa robuſtos diaboli certamẽ eſt & maioribus copiis illos aggreditur, qui cõflictus eius experti, ruboris ſudore domuerũt vniuerſa tamen ſecũ ipſe pertractans, breui animũ ſuum allocutione firmauit. Quid agimus mens adhuc mundani oneris faſce depreſſa,quã nondũ ad auctorẽ ſuum corporeus carcer euomuit? non tibi certa eſt de perfectione fiducia dum adhuc includeris fragilitate carnali,periculis plena ſunt quæ videntur eſſe tutiſſima, lenocinia hoſtis tui intelligis. Dum vniuerſorum voce laudaris,vide quãtis labores inſidiis:abſconditũ,eſſe non licet,quod adimus,latebrã noſtrã perſecutio manifeſtat hoſtilis Sanctorum petamus exercitum,& illam Lerinenſis Inſulæ cohortem irriguo inquiramus ardore, quem ſolùm hactenus pulſauit aduerſarius timebit inter inimicam ſibi multitudinem conſtitutũ,inſtructa præliis acies illa ſemper inuigilat,& variis perfoſſum ictibus abigit infeſtantem. Quot bella illis diabolus intulit numerant tot triumphos, non meruũt quotiens adeſſe Satan ãvt dimicãtes acuant claſſico fuerit ſtridẽte nuntiatum,ſemper eruditos,& fortes reddidit quotidiana decertatio: Quomodo prolixior pax, ſolutos. His dictis dimiſſam fratribus cellulam, quos ibidem prædicti amor cõgregauerat, apud Lerinum improuiſus apparuit,nũtiauit virũ inſignium meritorũ, facies ieiunij pallore decorata. Nam dum ſecreti nitorem hominis ſplendidiſſima macies indicaret,non defuit actuũ eius præco cõſuetus immaculatã cõuerſationis ipſius ſpeciẽ,ſub verborũ abundãtia,& elationis vbertate deſcribens,mixtus grãdeuis,& præcipuis geſtorũ ſuorũ lampadẽ, non minori intelligit igni rutilare,metitus eſt fomitis ſui lucem, dum vidit alieni quaſi inter ornamẽta cœli,& ſidera pleno fulgore micantia ſuperuenientis aſtri claritudo ſocietur, certãt ſine inuidia geminare radios,& per augmẽta luminibus ſpeciem ſuperare nouitatis,alia prolixiori crine facẽ ſuã ſtella cõmendat, alia puriore vnã ditat potior flamma,nobilitat alterã por ſpatia nocturna ſincerior. Sic Antoniũ noſtrũ per vniuerſas locorũ mutationes à Chriſto veniẽs diſciplina comitata eſt,prouidit tãmẽ ne cui in illa nutrice ſanctorũ Inſula, cũ præſtaret meritis,præferri videretur honoribus, ſciens in humilitatis radice plantatum,ad cẽtenos fructus adſurgere. Blandus iuuenibus,grauis maturis, doctus peritis, ſubmiſſus exiſtendo ſimplicibus totã illã dominici gregis legionẽ diſtinctam actu,variatã gẽtibus,quaſi vnam animã in ſua affectione collegit,ibi biennio ſe ipſo potior mundi iſtius ſarcinam deponens victor inſidiarũ, quas antiqui ſerpentis parat aſtutia. Diem noſtrũ,& lucẽ præſentis ſæculi perpetui luminis adeptione commutauit. Taceo qualiter vitam ipſius mortis claritudo ſignauerit ne vniuerſa dicerent non tam veritatem narraſſe,quam prædicti laudibus, videar immoratus veluti ſi quis conſitum lucũ frondium dẽſitate reppereit,ex quo coronã ferro ſtringẽte ſubripiẽs,geniũ ſiluæ dum preſumit parua non amouet. Melioribus equidem de Antonij noſtri factis,quæ ſtilo attigi narranda ſeruaui, vincat forte eloquentiæ flumine, nemo me circa illum ſuperabit affectu,habeat qui ſequutus fuerit de peritiæ meſſe iactantiam, mihi

Ecce quam accuratè declinanda eſt laus humana.

Ingens commendatio Inſulæ Lerinenſis Monachorúmque priſcorum.

Maximum præconiũ Lerinæ Inſulæ.

S. Anthonius ſuum claudit die Lerini.

gratiam beati hominis nemo præripiet, quia ad explicanda eius bona primus acceſſi.

Annotatio Vinc. Saler.

Fuit iſte S. Antonius diſcipulus S. Seuerini Abbatis, cuius celebrat Eccleclesia diem natalem ſexto idus Ianuarij, vt habetur in martyrologio romano in hęc verba. Eodem die apud Noricos ſancti Seuerini Abbatis, qui apud eam gentem Euangelium propagauit, & Noricorum dictus eſt Apoſtolus, eius corpus ad Lucullanum propè Neapolim diuinitùs delatum, inde poſtea ad Monaſterium ſancti Seuerini trãſlatum eſt. Obiit iſte ſanctus Seuerinus temporibus Odoacri regis Italiæ circa annum domini 482. quo tempore florebãt nouellæ plantationes diui Seuerini, nempè Eugipius qui eius ſcripſit vitam, & Antonius noſter poſtea Lerinenſis monachus, vt meminit Baronius in ſuis annalibus Eccleſiaſticis tomo ſexto, anno Chriſti 488. fœlicis Papæ ſexto, Zenonis Imperatoris & Odacri regis temporibus in hæc verba.

Baronius. *At verò non ſimul cum Seuertno præclarę eius Virtutes extinctę ſunt, nam & illa eum Deus auxit benedictione vt locupletem ſanctorum morum hereditatem veluti teſtamento relictam tranſmiſerit in diſcipulos quos egregia enituiſſe ſanctitate non ſolũ quæ vnus ex illis Eugipius ſcribit oſtendunt, ſed & Ennedius Ticinencis huius temporis ſcriptor celeberrimus docet: ſcripſit enim iſte vitam ſancti Antonij eiuſdem ſancti Seuerini diſcipuli: fuerat hic nepos æquè ſanctiſſimi viri Conſtantij Lauriacenſis Epiſcopi, cuius meminit pariter Eugipius in vita ipſius ſancti Seuerini: quomodo autem idem Antonius poſt obitum Seuerini è patria exire coactus pluribus annis vnà cum diſcipulis, quos collegit, vitam exercuit heremiticam, in qua mirifica reſplenduit ſanctitate dono prophetiæ, clarus atque moriculis: at quomodo fugiens humanas laudes demùm inde receſſerit atque vbi aliæ plures elucerent accenſæ lucernæ, nec ſolus ipſe verè lucerna ardens elucens intuentium pateret aſpectui in Lerinenſe Monaſterium ſe contulit & ſancto ibi fine quieuerit idem Ennodius pluribus narrat aſſeruari. Hactenus clarum miraculis eius venerãdum corpus in Eccleſia eiuſdem cœnobij Lerinenſis accepimus, ſolemnique ritu annis ſingulis eius diem natalem à Monachis ſancti Benedicti illic agentibus peragi certa relatione comperimus. Sed de his modo ſatis.* Hæc Baronius.

Monachi Lerinẽſes lucernæ accenſæ.

Cœptum eſt autem feſtiuitatis eius ſolemnia in præfato Monaſterio Lerinenſe peragi annis ſingulis anno dominicæ incarnationis 98. ſupra milleſimum quingenteſimum quo nobis procurantibus indultum capituli generalis noſtri ordinis Caſſinenſis Prataleæ celebrati benignè accepimus, ſub nota duplicis officij noſtro ſcribendi calendario & quotannis eius diem feſtum, celebri memoria recolendi. Nam antea nulla documenta etſi quæque perantiqua vigilanti ſtudio perluſtrauimus adinuenire quiuimus: Imo nec quod idem ſanctus Antonius vel alius huius nominis aliquando egerit in Lerinna, inquam, noſtrum compertum erat, vti ex Cathalogo ſanctorum Lerinenſinm tam impreſſo Pariſiis quam manuſcripto vetuſto lucidè conſtat, vbi nulla prorſus ipſius Antonij habetur nota. Contigit autem ſuperioribus annis ſcilicet milleſimo quingenteſimo nonageſimo primo, nos pro cauſa non minima Abbatiæ dicti Monaſterij vrbem contendere & præ cæteris nobis ſummæ fuit curæ vitam præfati beatiſſimi noſtri Antonij (iam eius notitiam in bibliotheca Vaticana didiceram) à ſancto Ennodio Ticinenſi Epiſcopo ſincerè deſcriptam & ſacræ bibliothecæ Vaticanæ manu-

ſcripto

ſcripto codice fideliter tranſcribi facere nobiſcúmque Lerinnam pro magno munere inferre. Túncque primo Epitaphinm in marmore inſculptum præ foribus capellæ ſanctæ crucis infra turrim dicti monaſterij clarè patuit, ſic enim ſe habet. *Hæc eſt capella ſanctæ crucis, quæ appellatur Sancta ſanctorum propter reconditas inibi reliquias ſanctorũ, videlicet Honorati, Capraſii, Venantij, Aygulphi martyris, Antonij & plurimorum aliorum ſanctorum.* Nam prius creditum eſt inſcriptum monimentum de illius Archimandritæ Aegyptij magni Antonij parte lipſanorum aliqua verba facere: verumtamen de noſtro ſancto Antonio Cyro confeſſore cuius corpus inibi requieſcit loquitur. Cuius ſolemne officium (cum infra octauam natalis Domini ipſa die ſanctorum innocentium cadat) à patribus Lerinenſibus prima feria non impedita poſt feſtum & infra octauam Epiphaniæ recenſetur.

De ſanctis Lerinenſibus, quorum certus natalis dies non præſcribitur.

Vinc. Saler. pio Lectori.

IAm depoſitio Chronologiæ Lerinenſis heremi per menſes vt commoditati conſultum foret & martyrologio calendarióque acta reſponderent auſpice Deo, ad anni circuli limen deuenit in qua vita ſanctorum Lerinenſium quotquot ad manus habere potuimus ſumma diligentia improbóque labore nullis parcendo expenſis hic tibi apponere curauimus, vt quales, quãtoſque ſanctitatis, doctrinæve. Olim illa nutrix ſanctorum terra Lerinenſis protulerit fructus, ex his exilibus metiri valeas, non enim tot ille fatalis Troianus equus viros fudit martiales, quot inſula parua miſit ad aſtra viros, quos ſi dinumerare tentem tempus inane teram, & vt ait propheta, *ſi dinumerabo eos, ſuper arenam multiplicabuntur:* ſoli enim Deo ſunt cogniti & in libro vitæ aſcripti, ex his autem quos priſca deuotio in ſuis annalibus & tabulis ſcriptos ad poſteros tranſmiſit horum memorias & geſta in ſcriniis, bibliothecis & cartophilaciis Eccleſiarum & cœnobiorum diuerſorum vndique perquiſita & nacta in vnum hic compegimus. At (quod valde dolemus) non ſingulorum in illo vetuſto cathalogo Lerinenſi notati habentur res geſtas adinuenire datum eſt. Sed neque diem certum exceſſus eorum ex hac lachrimarum valle nec notam aliquam temporis quo hunc ſuo ſanctitatis & doctrinæ exemplo ornarunt mundum: vnde illorum nuda nomina ſola nobis cognita recenſemus ne eos ſilentio præteriiſſe videamur profundo, ſunt enim hæc eorum nomina ex vetuſtis tabulis Lerinenſibus.

Sanctus Apollinaris, Monachus Lerinenſis.
S. Ardemius Abbas Lerini.
S. Ebidobius Abbas Lerini.
S. Euodius Abbas Lerini.
S. Ferriolus Confeſſor.
S. Vincentius Epiſcopus Sanctonenſis.
Sanctus Maguntius, Epiſcopus Viennenſis.
Sanctus Sedaſtus, Epiſcopus Viennenſis.
Sanctus Nazarius Epiſcopus Arelatenſis.
Sanctus Polemius, Abbas Lerini.
Sanctus Theodorus, Monachus & Martyr.
Sanctus Thomas Epiſcopus Tarautacienſis.

Sanctus Concordius Epiſcopus Arelatenſis, cuius Concordij Epiſcopi & monachi Lerinenſis ſolam inſcriptionem hanc ſepulchralem è Sarcophago

illius marmoreo exiſtente in Eccleſia diui Honorati Campi Eliſij deſumptam,quæ talis eſt.

Integer atque pius,& vita & corpore purus
Æterno hic poſitus viuit concordius æuo.
Qi teneris primum miniſtrum fulſit in annis
Poſt etiam lectus cœleſti lege ſacerdos
Triginta & geminos decem vix reddidit annos,
Ann.50. *Hunc cito ſydeream raptum omnipotentis in aulam*
Et mater blanda & fratres in funere quærunt.

Et infra Alpha & Omega Chriſtus & duæ columbæ ramum oliuæ in ore geſtantes cuius Concordij & reliquorum nihil amplius habemus,eorum tamen acta ſuffragiis eorundem ac ptiorum hominum induſtria fore ſperamus, ad laudem factoris vniuerſi reperienda.Interim monitum te volumus quod quę ſequuntur ad Chronologiæ conſummationem iuxta annorum ſeriem diſpoſita curſum ad finem vſque peragent ſuum.Bene vale.

SEQVITVR CATHALOGVS ABBATVM Lerinenſium,ab anno quintodecimo: ſupra octingenteſimum, vſque ad annum milleſimum quingenteſimum quintum decimum, in quo cœpit congregatio Caſsinenſis ipſum regere monaſterium.

LEotmũdus Abbas ſacri monaſterij Lerinenſis,anno vndecimo Ludouici Imperatoris primi,filius Caroli magni qui cœpit regnare anno Domini. 815.regnauítque ann.26.De quo Baronius in Annalibus tomo 9. Et de conuentibus habitis Aquiſgraui tenebat clauum Abbatiæ ſacri aluearij monaſterij Inſulæ Lerinenſis venerabilis vir Leotmundus,quo ſanctiſſimè gubernante ſanctam congregationem Lerinenſem(cùm omnes ad ſe bono odore ſanctimoniæ attraheret) venerabilis vir Noto Archiepiſcopus Arelatenſis (de quo etiam Baronius in Annalibus tomo decimo, anno Chriſti 853.) de conſenſu & voluntate prædicti Domini Imperatoris & totius cleri ciuitatis fecit commutationem cum illuſtri viro Leybulpho comite de Eccleſiarum rebus ſanctæ Mariæ,ſancti Stephani, ſancti Geneſij in pago Arelatenſi & in Inſula ſuburbana ipſius ciuitatis, quæ de vtriſque partibus circundatur à Rhodano flumine,tum de duabus Eccleſiis nempe ſancti Andreæ & ſancti Vincentij & domibus,campis, pratis & fere innumeris aliis rebus & poſſeſſionibus. Et è contra nobilis Leybulfus tradidit præfato Notonj omnes res ſuas proprias & Eccleſias quas habebat in pago Arelatenſi in agro argentea domos, campos,terras,curles & alia penè infinita,quæ nimis longum eſſet recenſere:quæ omnia tanquam vtilia,Eccleſiæ idem Ludouicus imperator eodem anno ſuo reſcripto dato tertiò Nonas Ianuarias in Aquiſgraui palatio laudauit & confirmauit. Anno verò quinto decimo Imperij præfati Domini Ludouici Illuſtris Leybulfus & vxor eius Odda ſacroſanctæ Dei Eccleſiæ ſancti Honorati & ſancti Capraſij monaſterij Lerinenſis quod ſitum eſt propè pagum foroiulienſe vbi & venerabilis Leotmundus Abbas præerat de rebus ſuis propriis dederunt ea quæ habebant in pago Arelatenſi, in Inſula quæ eſt ſuburbana illi ciuitati quæ illis per commutationis Epiſtolam & licentiam Domini ac ſereniſſimi Ludouici Imperatoris obuenerant ad proprium,vbi etiam Eccleſiam ſanctæ Mariæ, & ſancti Honorati, & ſancti Vincentij fundauerunt,cedentéſque Eccleſias dictæ Inſulæ,domos,ædificia,vineas, loca,pa

Noto Archiepiſcop. Arelat.

ca, pagos, & villas, & alia penè infinita, acta ſunt hæc decimo ſeptimo Calendas Aprilis, anno quinto decimo Ludouici imperatoris. Signarunt autem hoc ſcriptum ipſi donatores Leybulfus & vxor eius Odda, tum dominus Benedictus Archiepiſcopus, Noto Archiepiſcopus Arelatēſis, Heldebonus Epiſcopus, & multi alij Eccleſiaſtici & nobiles ſæculares.

Vuarnerius Abbas Lerinenſis.

ADminiſtrationem Abbatiæ Lerinenſis antè S. Odilonem tenuit. (Et datur coniici) dominus Vuarnerius Abbas, quo potiſſimùm præfixo tempore fuerit ordinatus quādiúve rexerit, ſeu quando èviuis deſierit nō liquido aliquo monumento liquet: hoc tantum habemus quod ſinchronus erat cum Reuerendo domino Almerardo, ſeu Almeralio Epiſc. Regienſi, à quo variis donariis & oblationibus ſibi & Monaſterio Lerin. conceſſis honoratus fuit.

S. Odilo Abbas Lerinenſis.

ANno verò nongenteſimo nonageſimo ſeptimo regebat Abbatiam præfatam ſanctus Odilo Abbas Cluniacenſis & Lerinenſis, de quo vide ſuprà primo Ianuarij, & poſt ſanctum Honoratum. 997.

Amalricus Abbas Lerinenſis.

ANno Chriſti milleſimo vigeſimo octauo regēte Abbatiā Lerin. Amalrico Abbate dominus Aldebertus gratia diuina Epiſcopus Antipolitanus benè memor & recordans Eccleſiam S. Michaelis Antipolitanæ vrbis antiquitùs ſubiectam fuiſſe ſanctæ Eccleſiæ & monaſterio Lerinenſi, ab eoque ſubſtractam inuidorum malignitate & pecuniæ cupiditate motus non pro terreno lucro neque humana laude, ſed Dei timore eſt ipſius monaſterij exaltatione prædictam Eccleſiam S. Michaëlis cùm omnibus ſibi pertinentibus ſanctæ Lerinenſi Eccleſiæ reſtituit, & liberè tradidit anno quo ſupra: decem librarum auri, & centum argenti penè conſtituta contrauenientibus in futurum. Ipſíque Abbati & conuentui circa annos domini milleſimum trigeſimum Nobilis Belieldis genitrix duorum Antipolitani regni principum è quibus alter præſul (id eſt Aldebertus Epiſcopus Antipolitanus) altérque miles, (ſcilicet Guilliermus Gauceranus) erat, ipſa terroribus gehennæ perculſa memorans, quanti danti dabuntur præmia cum conſilio ſupradictorum filiorum ſoſpes adhuc carne, nimis licèt infirma (vt ipſa aiebat) ſpiritu, dedit ex iure proprio ſuo hæreditario ſacroſanctis altaribus S. Mariæ & S. Honorati Lerinenſis monaſterij Abbati quoque & Monachis domum, & terras & pertinentias omnes in territorio Sartophili adiacentes. 1027. *Aldebertus Epiſcopus Antipolitanus.* 1030.

Sexto nonas Iulij anni milleſimi trigeſimi tertij, egregia fœmina Adalgalda, & eius filij pro remedio animarū ſuarum dederunt ſacræ Dei Eccleſiæ S. Marię, nec nō S. Honorati Inſulæ Lerinēſis cœnobij vbi venerabilis Abbas Dominus Amalricus præerat res ſuas proprias, quæ erāt in pago Regiēſi tam Eccleſias quàm terras & reliqua bona. Idēq; fecit quidā nomine Francus foroiulienſis tradendo præfato Abbati Eccleſiæ ſancti Lamberti ſecus littus maris foroiulij. 1033.

Currente verò anno trigeſimo octauo ſupra milleſimū Reuerendiſſimus dominus Gācelmus foroiulienſis Epiſcop. ſicuti animo ſuo placuit cōcedere Deo, vnà cum conſilio, conſenſu omniū Canonicorum ſuorū & baccalariorum & aliorum quampluriū vtriúſque ſexus, qui omnes communi voluntate ipſum Reuerendiſſimū deprecantes & firmiter rogantes vt aliquid daret domino Deo, quorū deprecationibus & voluptatibus ipſe obediens dedit monaſterio Lerinenſi & domino Abbati Amalrico Monachiſque tam præſen- 1038. *Gancelmus Epiſcopus Foroiulienſis.*

tibus quàm futuris in ipſo monaſterio Deo militantibus quinque Eccleſias cũ omnibus altaribus & pertinẽtiis ſuis,quæ fundatę sũt in comitatu foroiuliẽſi.Imprecationéſq; cõtra infringẽtes prędictã donationẽ idẽ pręſul in hęc verba tulit.*Sanè ſi ego aut quiſquã de ſupradictis perſonis vel ſucceſſoribꝰ meis cõtra huius donationis cartulam aliqua fraude tentauerit,aut eam irrũperevoluerit incurrat in Dei maledictionem & particeps ſit cum Datã & Abiron vſque dum venerit ad congruam emendationem & ſupradicto monaſterio componat in vinculo centũ libras auri & mille argẽti:* Aliam oblationẽ præfato Amalrico & monachis fecit idem Gaucelmus de Eccleſia quæ vocatur S.Petri ad Figolas cũ ſuo ſponſalitio & quæ ad eam pertinet.Item fecerunt Nobilis Hugo princeps Calianenſis cum vxore ſua Ermergarda & filiis de hæreditate quę eis ex donatione Guilliermi comitis aduenerat.

Hugo princeps Calianenſis.

1041 Creſcẽte deuotione an.milleſimo quadrageſimo primo, Aldebertus Epiſc. Antipolitanæ ſedis,audiens in Euang.*Theſaurizate vobis theſauros in Cœlo.*Imitanſque piũ genitricis ſuæ Belierdis erga monaſt.Lerin.affectũ,placuit ei dare rebus ſuis Deo perpetuóq; virgini ipſius genitricis Marię,nec nõ & B.Honorato Inſulę Lerin.cœnobij patrono,vbi pręorat Dominus Abbas Amalricus ſicut & fecit transfundendo monaſterio Lerinenſi cuncta altaria quæ erant in comitatu Antipolitano cum ſuis pertinentiis.

Ipſomet anno Otto & Cõradus germani fratres,& comites Vintimiliẽſes, & Adalais mater eorum & Armilina, dederunt præfato Abbati & Monachis Eccleſiam S. Michaelis præfatæ ciuitatis, quẽ deuotum animum ſequentes quidã Laugerius Ruffus,cõceſſerunt prędicto Lerin.& Amalrico Abbati omnia bona ſua quæ ſunt ſita inter duo caſtra, videlicet Rocha & Cobriũ,vnde non parum auctum eſt monaſterium Lerinenſe ſub venerabilis patris Amalrici gubernatione,quo tempore autẽ fuerit ordinatus, quod annos vixerit, vel quãdo è viuis exceſſerit non poſſumus explicare,cũ nullo monumento conſtet.Credimus tamen debitum carnis ſoluiſſe circa annos domini. 1046.cui ſucceſſit Aldebertus primus.

Aldebertus huius nominis primus, Abbas Lerinenſis.

1046. ANno domini milleſimo quadrageſimo ſexto(vt legitur in quodẽ cathalogo codicis perantiqui monaſterij Lerin.in quo omnes Abbates recẽſentur ab iſto anno vſq; ad annũ milleſimũ quadringẽteſimũ vigeſimũ)ordinatus fuit Abbas Lerin. dominus Aldebertus primus huius nominis, quo Abbatium miniſtrãte legitur ibi deſtructum fuiſſe primo anno ordinationis illius monaſterium Lerin.& non reædificatũ neq; erectũ,ni poſt annos quadraginta duos ab illius ſucceſſore Aldeberto ſecundo,cui ruinæ nõ de facilè aſſentimur cum nullos exprimat inuaſores: codex ille antiquus imo è contra infra id tẽpus multi inueniantur benefactores & florentiſſimus appareat ſtatus monaſt. Lerin.Nã præfato anno ordinationis illiꝰ Gaucelmus Dei gratia Foroiulienſis Epiſc.de nouo conceſſerit Deo & S.Mariæ ſanctóq; Honorato Aldeberto Abbati præfato, & monachis quoddam altare ſeu Eccleſiam cum decimis & oblationibus ſuis tum vniuerſa quæ antea præceſſori illius conceſſerat confirmauit.

1056. Inſuper decimo anno ordinationis ſuæ nempè quinquageſimo ſexto ſupra milleſimum Guillelmus, Gauceranus Phidáque vxor nec non & eorum filij Gotfredus Epiſcopus Raimbardus & Aldebertus plurimis ſanctis aſſertionibus tam veteris quàm noui teſtamenti informati donarunt de honore ſuo domino Deo &ſanctæ Mariæ ſanctóque Honorato ac Lerinenſi Abbati Adeberto ca, quæ ex paterno iure ſibi euenerant in proprium.

Gotfredus Epiſcopus.

Aldebertus Epiſcopus Antipolitanus.

anno milleſimo quinquageſimo octauo Aldebertus Epiſcopus Antipolitanus in venerabili Synodo habita antipoli, ceſſit varia bona Monaſterio & Abbati monachiſque Lerinenſibus, confirmanſque ea quæ à præceſſoribus tradita fuerant. Nam iſte ſacer præſul Aldebertus feruenti amoris deſiderio, ſemper erga ſacrum aluearium ſanctorum Lerinenſe incenſus Monaſterium, omnia quæ poterat illis ſanctis cœtibus monachorum prompta manu erogabat,& alios ad ſimilia agenda opera pia animabat,qui præter id quod præſenti anno contulit, etiam ſubſequentibus temporibus bona bonis accumulauit:nam anno Chriſti ſexageſimo primo vltra milleſimum, exiſtens præfatus Aldebertus in Inſula Lerinenſi legali donatione ceſſit beati Dei genitrici ſemperque Virgini Mariæ & ſancto Honorato Aldeberto etiam Abbati & cœnobitis Eccleſiæ Lerinẽſis quoddam munuſculum vt eorum iugibus orationibus ab inſtantibus anguſtiis eriperetur, futuriſque cum defeciſſet,gaudiis inſereretur. 1058. 1061.

Anno milleſimo ſexageſimo quarto operatæ ſalutis,& decimo octauo regiminis Aldeberti primi,illuſtriſſimus Robertus, comes clarimontenſis, & Stephanus de vetuſta Briuate donarunt Eccleſiam ſancti Iuſti,quæ ſita eſt in territorio Briuatenſi, in loco qui vocatur Luciacus totam ex integro Monaſterio Lerinenſi fundato atque ſacrato in honore ſanctæ Dei genitricis ſemperque Virginis Mariæ, nec non glorioſiſſimi Chriſti confeſſoris Honorati, vbi etiã reuerendiſſimus dominus Aldebertus Abbas præerat vt Deus omnipotens per interuentum dictorum ſanctorum & aliorum inibi quieſcentium & orationes monachorum illis ſubueniret:qua etiam tempeſtate reuerendiſſimus Dominus Stephanus Epiſcopus claromentenſis & nepos eius Guillermus canonicus Briuatenſis conuenerunt in manu Domini Gisberni monachi Lerinenſis hoc modo ſcilicet,quod ipſe antiſtes & nepos eius dederũt corpora ſua & animas ſuas in manu iam dicti monachi ad habitum ſuſcipiẽdum monaſticum in Monaſterio Lerinenſis cœnobij & Eccleſiam ſancti Iuſti ſupradictum cum omnibus pertinentiis vt Deus illis ſubueniret precibus ſancti Honorati, quam Eccleſiam iniuſtè à quodam Abbate Briuatenſi ablatam ſanctiſſimus Caliſtus Pontifex Romanus per ſuum reſcriptum reſtitui curauit monachis Lerinenſibus, tempore Petri ſecundi Abbatis Lerinenſis, aliaque donaria plurima facta ſunt his temporibus quæ conſultò Miſſa facimus. Ex actis & geſtis ſupra memoratis liquidò apparet non deſtructum hac tempeſtate imò florentiſſimum extitiſſe ſtatum Monaſterij Lerinenſis, porrò præfatus Aldebertus primus rexit Abbatiam annis viginti & obdormiuit in Domino. 1164. *Epiſcopus fit monachus Lerinenſis.*

Aldebertus ſecundus,huius nominis Abbas Lerinenſis.

ANno milleſimo ſexageſimo ſexto, ordinatus fuit in Abbatem Lerinenſem Aldebertus huius nominis ſecũdus, cuius acta & geſta tam eximia præclaraque ſunt,& tam multa numero vt à nobis explicari penè non poſſint triginta ſex annos rexit præfatum Monaſterium, quo in tempore tanta erat fidelium erga præfatum cœnobium deuotio, vt non dicam annus ſed menſes, hebdomadæ & dies vacui ab oblationibus factis præfato Aldeberto & Monaſterio nulli effluxerint.Nos tantummodo aliquas hic breuiter inſinuabimus. Nam ſecundo anno ordinationis ſuæ,(iam primis duobus variæ donationes factæ extiterant)Illuſtriſſimus Reymondus Comes Barchinonenſis & vxor eius Almodis ſacro ſanctæ Dei Eccleſiæ ſanctæ Mariæ & ſancti Ho- 1066.

norati Monaſterij Lerinenſis vbi præerat venerabilis Aldebertus Abbas, vt apud piiſſimum Dominum noſtrum veniam obtinerent donarunt Monaſterium ſancti Pauli maritini in comitatu Barchinonẽſi cum omnibus,quæ habebat,vel habere poterat in futurum cum pœnis & imprecationibus in con-
1068. trauenientes, acta ſunt hæc anno milleſimo ſexageſimo octauo incarnationis dominicæ menſe Ianuario. Anno milleſimo ſeptuageſimo menſe Ianuarij
1070. vltio diuina apertè demonſtrauit hominibus, verum eſſe quod Deus ſemper tuetur ſuos:ex ſequentibus enim audies quid in hominem iniuſtè rapientem & inuadentem bona diui Honorati Lerinenſis Monaſterij patroni exercuerit hæc ſunt eius verba. *Ego Guillelmus de Eyras recognoſcens iuſtam Dei vindictam in me & pro iniuriis multis quas contra beatum Honoratum commiſi, corpus meum infirmatum atque deſtructum. Idcirco dimitto atque relinquo omnimodè abſque vlla retentione ſiue dolo quartam partem caſtri Auriluci quam hactenus iniuſtè detinui ac beato Honorato & Abbati Aldeberto ac Lerinenſibus monachis malè & per violentiam abſtuli,nullam ſpem alicui hæredum meorum vlterius relinquens,deprecanſq́ Dominum & beatum Honoratum vt culpam quam mihi contraxi mihi dimitti atque neceſſariam miſericordiam conſequi merear.* Facta eſt præſens dimiſſio in capitulo Lerinenſi in præſentiam prædicti Aldeberti Abbatis & omnium monachorum, & poſita ſuper altaria beatæ Mariæ Virginis & ſancti Honorati anno prælibato.

1073. Anno milleſimo ſeptuageſimo tertio, Reuerendiſſimus Dominus Roſtagnus Auenionẽſis præſul,iiſdem Eccleſiis & Abbati monachiſque dedit gratis Eccleſiam Lauratæ cum ſuis omnibus appenditiis, teſte Reymundo Egidienſi & aliis quo etiam anno vir religioſus & pius Epiſcopus Foroiulienſis animi ſui deuoti erga Lerinenſes clarum iudicem dedit ſua donatione,in qua
Tũc fuit ſchima triũ Pontificum Romanorum. ſic præfatur. Ego Bertrannus Foroiulienſis Epiſcopus,licet indignus, preſpiciens totum mundum vrgeri diuerſis anguſtiis & tribulationibus & ſacerdotale regnũ decidere & ferè annihilari noſtris culpis exigentibus,poſſe vellem eorum præſulum ſequi veſtigia, qui cœnobia fundauerunt & ditarunt ſuis opibus & maximè illa in quibus complentur ea quæ Beatus Benedictus præ-
Extollitur Monaſterium Lerinenſe. Omnes nationes amplectitur. cepit in ſuis ſalutiferis inſtitutionibus:ſed dum conſidero qualiter mihi,vt in melius proficiſcar ſit agendũ nõ reperio mihi adeò in noſtra patria habilem locum cui me prærogatiuo amore commitam præter Lerinenſe cœnobium, quod olim ſic effloruit in omni genere virtutum vt habitatores haberet in Dei laudem ex omni genere linguarum: nec debeo ſeparari à ſocietate illorum qui ibi die noctuque in Dei famulatu perſeuerant vnanimes, quia ſanctus Leontius & ſanctus Honoratus, vt legimus, fuere amici & vnicordes.
1078. Inſuper anno milleſimo ſeptuageſimo octauo facta eſt oblatio Monaſterio
Gaufredus Epiſcopus Antipolitanus. Lerinenſi in hæc verba. Ego Gaufredus Antipolitanę ſedis Epiſcopus quamuis indignus ſemper tamen apoſtolicis allegationibus ſubditus ſanctis aſſertionibus eruditus, ac Dei timore informatus conſideranſque futuros caſus conſilio canonicorum meorum ductus concedo Domino Deo beatæ Mariæ ſanctoque Honorato confeſſori Chriſti Lerinenſis Inſulæ patroni vbi præeſt domnus Aldebertus Abbas qui mihi linea conſanguinitatis adhæret Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Graſſa cum pertinentiis ſuis.

Libet hic breuitatis cauſa aliquos intercallare annos, nam vt dictum eſt nõ fuit dies abſque aliqua oblatione huic Aldeberto, quas intermittimus, &
1093. aliquas factas à præſulibus Eccleſiæ aliſſve perſonis illuſtribus inſerimus. Anno itaque ab incarnatione Domini milleſimo nonageſimo tertio, præſul

Cathedræ

Cathedræ Vencienſis oblationem ſequentem (vt ad noticiam præſentium & futurorum veniret animi ſui deuotio) formauit. Ego Petrus Vencienſis Eccleſ. præſul, cõſilio ductus canonicorum meorum, bonorúmve vicinorum caſus in melius præuidens futuros, Pontificali authoritate trado domino Deo & ſanctæ Mariæ ſanctiſſimóque Honorato ac cœnobio Lerinenſi, vbi à pueritia elegantiſſimè nutritus ſub regulari ſolertia ſum altaria cuncta, monaſterij ſancti Verani, quod in pago prædictæ vrbis ſitum eſt ſecus fluuium Lupi vt amodo Abbas ac Monachi præſentes & futuri teneant ac perenniter poſſideant: authoritate verò ea qua ſuperius diximus excommunicamus, & anathematiſamus, ne quis in poſterum hunc concutiat donum, ſiquis autem præſumpſerit, ſub pœna prædicta ſuccumbat niſi reſipiſcat. Petrus Epiſcopus hoc donum manibus propriis ſuper altare ſanctæ Mariæ ſanctiſque Honorati poſuit, & teſtibus aſpicientibus ad roborandum in futuro tradidit, videlicet domino Aldeberto Antipolitano Epiſcopo, nec non ſeniori etiam Berengario & Gaucerano fratribus ipſius donatoris. Hæc fuit potiùs confirmationis illius donationis ſuperius factæ à Pontio Abbate ſancti Verani in anno milleſimo quinquageſimo, vide ſuperius in ſancto Verano decimo ſeptembris.

Petrus Epiſcopus Vẽcienſis.

Aldebertus Epiſcopus antipolitanus.

His temporibus tanta erat fœlicitas Monaſterij Lerinenſis, vt ex variis mundi partibus illuc ſubdere colla Chriſti iugo ſuauiſſimo certatim concurrerent, & ſe ſuáque cœnobio ſancto traderent. Inter quos vir egregius Bonifacius omnipotente Deo inſpirante eius obſequio deuictus filium ſuum nomine Aldebertum ſub Aldeberto Abbate in Monaſterio obtulit Monachandum, poſtque ſanctam illam filij oblationem accreſcens obtulit, atque cum tradidit Deo & beatæ virgini Mariæ almoque confeſſori Honorato in quorum memoria & veneratione conſecrata Lerinenſis Inſula dignoſcitur Abbatique Aldeberto & Monachis totam integram partem quam in caſtro & villa quæ lingua ruſtica Podium Muxonem nominatur.

Anno etiam ſequenti ſeptimo calendas maij nobiles milites Hugolenus & Petrus, & Fulco vterini fratres filij ingenuæ fœminæ Emenonis Caſtri Reynardi pauentes humanos caſus & ne volubilis huius æui rota eos conculcaret inferiùs poſtpoſitis huius ſæculi pompis ad dominum totis animis conuertuntur, deponentéſque in ſacro Monaſterio Lerinenſi comam capitis Monachalémque habitum ſumentes, dederunt ſolemni oblatione Deo, beatæ Mariæ ſemper virgini almóque patri Honorato & præfato Monaſterio ſe & ſua quicquid ſcilicet habebant & poſſidebant in Epiſcopatu Auenionenſi & caſtro Reynardo. His etiam temporibus Vrbanus ſecundus Gallus ex dioceſi Remenſi ortus & ſummæ tenens clauum Apoſtolicæ ſedis ad humilem huius Aldeberti ſecundi petitionem Apoſtolicum conceſſit priuilegium, quo maledictionibus ſubiacent qui contra Monaſterium Lerinenſe bona ſeu perſonas iniuſtè aliquid committunt, quod opto attentè legant, qui nihil magis ambiunt, quam bona Eccleſiaſtica ad ſe pertrahere. Cuius tenor talis eſt. Vrbanus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Dilecto filio Aldeberto Lerinenſi Abbati eiúſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtinendis in perpetuum. Iuſtis votis aſſenſum præbere, iuſtiſque petitionibus aures accommodare nos conuenit qui licet indignè iuſtitiæ cuſtodes atque præcones in excelſo Apoſtolorum principum Petri ac Pauli ſpeculo poſiti, domino diſponente conſpicimur tuam igitur venerabilis in Chriſto Aldeberte petitionem

1093.

Vrbanus ſecundus Romanus Pontifex.

iuſtam eſſe perpendens clementer annuimus ob deuotionem, namque ac reuerentiam dominæ noſtræ ſanctæ Dei genitricis virginis Mariæ ſanctiq́ue confeſſoris Chriſti Honorati Lerinenſe cœnobium, cui authore Deo tua religio præſidet, quod ipſe Chriſti confeſſor honoratus quondam fundaſſe cognoſcitur, nos ſanctæ Sedis Apoſtolicæ gremio ſpecialiter confouendum ſuſcipimus. Per præſentem igitur decreti noſtri paginam Apoſtolica authoritate ſtatuimus, vt quæcũque hodie idem cœnobium iuſtè poſſidet ſiue in futurum conceſſionem pontificum, libetalitate principum, vel oblatione fidelium iuſtè ac canonicè poterit adipiſci firma tibi tuiſq́ue ſucceſſoribus ac illibata permaneant. Decernimus ergo vt nulli omninò hominum liceat idem Monaſteriũ temerè perturbare aut ei ſubditas poſſeſſiones aufferre vel ablata retinere, vel minuere, vel temerariis vexationibus fatigare: ſed omnia integra conſeruẽtur eorum prędiorum quorum ſuſtentationi & gubernatione conceſſa ſunt vſibus omnimodis profutura. Quicquid præterea iuris, quicquid immunitatis prædeceſſores veſtros à noſtris conſtat prædeceſſoribus accepiſſe, nos quoque præſentis decreti pagina concedimus atque firmamus: ſi quis autem in craſtinum Archiepiſcopus aut Epiſcopus Imperator, aut Rex, dux, Marchio, Comes, Vicecomes aut perſona quælibet magna vel parua, huius noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temerè venire tentauerit ſecundo tertióve commonitus, ſi non ſatisfactione congrua emendauerit, honoris & officij ſui dignitate careat, & à ſacroſancto corpore & ſanguine domini noſtri Ieſu Chriſti alienus fiat, atque in extremo examine diſtrictæ vltioni ſubiaceat cunctis: autem eidem Eccleſiæ iſta ſeruantibus ſit pax domini noſtri Ieſu Chriſti, vt, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & in futuro præmia æterna pacis inueniant. *Amen.*

Contra perturbantes monaſterium Lerinen.

Verùm non ſolùm durante fœlicis regiminis huius Aldeberti ſecundi tempore lucris temporalibus, ſed & ſpiritualibus conuerſione videlicet multorum ad vitæ melioris frugem auctum eſt Monaſterium Lerinenſe, vt ſuprà iam aliqualiter tetigimus, inter quos non vulgari & humana cõuerſione, ſed mutatione facta dexteræ excelſi numeratur quidam nobilis Petrus Signarius Antipolitanæ ciuitatis cuius conuerſionis verba notanda ſunt hæc. Notum igitur ſit omnibus hominibus Antipolitanæ terræ commorantibus cognoſcátque in circuitu vniuerſa vicinitas populi tam maiores quam minores, etiam & paruuli, quoniam Petrus cognomento Signarius timens ne mea perpetrata mala propria quæ hactenùs totis niſibus impiè geſſi extremo mihi ineffabiliter occurrant, ſicque in locis minis pœnalibus me miſerum captiuúmque deducant, vt ibi etiam de infœliciſſimis commiſſis pœnas æternaliter luam: & ideò ea quæ ſunt ſuperiùs dicta ne mihi aliquando vllo modo cõtingant, offero memetipſum & filios meos cum omni honore meo Deo & ſanctæ Mariæ, ſanctóque Honorato ac Lerin. loco, Abbati quoque Aldeberto ſucceſſoribúſque ſuis cunctis Monachis tam præſentibus quã fututis vt amodo & deinceps ſalua fide in me & filiis meis in diſpoſitione illorum iure conſiſtat perpetuo, ſi autem aliqua (quod abſit) poſt hæc ſurrexerit perſona qui hæc ptoteruè aut impudenter contra dicere audeat Deo & ſanctæ Marię ſanctóque Honorato cum cæteris Lerinenſis Inſulæ ſanctis vindictam æternæ retributionis committo. Guillelmus etiam filius (certè maior natu) dicti petri Signarij dedit ſemetipſum filiúmq; ſuum domino Deo, ſanctóq; Honorato totúmq; honorẽ quẽ habebat ex parte patris, & omnes monachi effecti ſunt in Lerinenſi Cœnobio, infinitáque erat tunc multitudo ad conuerſionem

Maximum exemplum conuerſionis.

in Le

in Lerinam current, currentium magna & ineffabilia ſunt huius Aldeberti opera, vt inuitò à nobis inſinuatum eſt, quæ quidem prolixitatis vitandæ cauſa omittuntur, hoc ſolum compendiosè referimus ſuper vitam & regularia inſtituta cum monachis monachorum ipſum die noctúque religioſiſſimæ obſeruaſſe, annoque milleſimo octuageſimo octauo monaſterium & Eccleſias reparaſſe & cultui diuino iterum dedicaſſe, atcémque turris Lerinenſis conſtruxiſſe alterníſque in caſtro Canois prima ieciſſe fundamenta, quibus omnibus egregia virtute peractis plenus bonorum operum ſupremum cœlorum domicilium hoc corporis ergaſtulo commutauit, anno Domini milleſimo centeſimo primo imminente ſecundo, ætatis ſuæ ſeptuageſimo, abbatiæ verò trigeſimo ſexto, Sepultúſque Lerini appoſitáque eius monumento ſepulchralis hæc inſcriptio, qua breuiter eius vita comprehenditur.

Incepta eſt arx turris Lerinenſis.

Epitaphium.

Hic Aldebertus *iacet Abbas pace refertus*
Quam grauiter geritur, quod tumulo teritur?
Hinc populi plorant, monachi triſtantur & orant
Nocte, dieq; Deum, quo tueatur eum,
Námque ſui dextra conſtruxit intus & extra
Turres, atque tholos Eccleſiaſq; polos.
Ipſe fuit norma Monachis, via, ſemita, forma,
Nec quis plus quærat, omnia ſolus erat:
Ex ſeptendenis quos vixit ter duodenis
Annis vt decuit, paſtor, & Abas fuit.
Et quoderis lector fuit, es quod tu modo Lector.
Filius ergo Dei, dic ita, parcat ei. Amen.

Pontius Fortis Abbas Lerinenſis. 1102.

ANno milleſimo centeſimo ſecundo, poſt exceſſum è viuis magni Aldeberti ſecundi ordinatus eſt Abbas Pontius cognomento Fortis, qui veſtigiis prædeceſſoris inhærens ipſomet primo anno ſuſceptæ adminiſtrationis priuilegium à ſanctæ recordationis Paſchaſij ſecũdi antea monachi cluniacenſis dignatione obtinuit, quo ob reuerentiam ſanctorum Lerinenſium ipſum monaſterium cum omnibus ſuis & potiſſimùm in Epiſcopatu Antipolitano ſub ſanctæ ſedis Apoſtolicæ gremio ſpecialiter confouendum ſuſcepit: anno verò ſecundo ſuæ cathedræ varias oblationes habuit & potiſſimum à reuerendo Domino Augerio, ſiue Otgerio Epiſcopo Regienſi non ſemel tantùm, ſed bis & ter, quas dictus Epiſcopus firmauit, fecítque firmari à Domino Groſſolano Mediolanenſi Archiepiſcopo Domino Petro Vencienſi Epiſcopo aliiſque inſignibus viris, cuius pietatis opera imitatus eſt & munificus benefactor Lerinenſium patrum Reuerẽdus Berengarius Foroiulienſis Eccleſiæ tunc præſul interuentu omnium ſuorum canonicorum. Fecitque iſte Pontius aliquas conuentiones & emptiones monaſterio valde proficuas, anno vltimo ſui regiminis Aldebertus Emenonus frater trium militum monachorum Lerinenſium (vt ſupra habes) filium ſuum Fulconem Deo beatæ Mariæ, ſanctoque Honorato in manus domini Pontij Abbatis tradidit ac centum ſolidos Melgorenſes inſuper & portionem, quæ ei contingebat ſubſtantiæ ipſius, qui Pontius cum egregiè, deuotè annos octo adminiſtraſſet appoſitus eſt ad ſuos prædeceſſores.

Augerius Epiſcop. Regienſ.

Petrus primus huius nominis Abbas Lerinenſis.

1110. CVrrente anno decimo ſupra milleſimum centeſimum communi conſenſu electus eſt Abbas Lerinenſis dominus Petrus, huius nominis primus,qui vinculo pacis tenaciſſimus procurauit, & ſopiri fecit varias quærimonias,quæ vertebantur inter homines caſtri Mugini eos inter ſe reconciliando in fauorem monaſterij. Tum diſſiniuit iurgia & lites quæ verſabantur inter ipſum & dominum Manfredum Epiſcopum Antipolitanum, donatia accepit à nonnullis nobilibus & potiſſimum à Domino Martino Vintimilienſi Epiſcopo,& domino Imberto Glaudatenſi etiam Epiſcopo aliiſque ſæcularibus, cui etiam Abbati Epiſtolam dedit Archiepiſcopus Ebrudunenſis, qua in fauorem religionis & monaſterij quod multum & honorare deſiderabat confirmat quidquid in ſuo Epiſcopatu habet & iuſtè acquirere poterit: peracto denique quinquennio ſuæ adminiſtrationis, Abbatialis carnis ſoluens debitum migrauit è mundo.

Manfredus Epiſc. Antipolitanus,

Martinus ventimilienſis,

Imbertus Glandatenſis Epiſcopi.

Fulco huius nominis primus Abbas Lerinenſis.

1115. REdemptionis quinto decimo milleſimo centeſimo peracto ſuffectus eſt in cathedra Lerinenſi Dominus Fulco huius nominis primus,quo moderante quidam monachus Lerinenſis fuit conſecratus in Epiſcopum qui Antipolitanum à Legato ſummi Pontificis Paſchalis ſecundi qui renuentes eum recipere Epiſcopus Ianuenſis, ſemel atque iterum ſcripſit cunctis Antipolitanæ vrbis clericis, vt vniuerſo populo adimplendo ea, quæ dominus Papa mandauerat,vt præfatum monachum Lerinenſem reciperent in pace & concordia.Poſtquam Legatus Romanæ Eccleſiæ eum conſecrauerat.Tum eo regente variæ oblationes factæ monaſterio leguntur à variis deuotis Chriſticolis & potiſſimũ à nobili Iubilino filio Bonifacij,quando in monaſterio Lerinenſi pro indulgentia peccatorum ſuorum obtinenda ſe in ſacrificium ſub habitu monachali Deo totum obtulit & comam (figuraliter ſuperflua deſignantem)radendam tradidit,ſimul cum omnibus bonis ſuis quæ ſibi è fratribus ſuis à progenitoribus contingebant,peractóque curſu luſtri debitum humanæ fragilitatis exoluit.

Monachus Lerinenſis. fit Epiſcopus Antipolitan.

Petrus huius nominis ſecundus Abbas Lerinenſis.

1120. DEfuncto Fulcone ſucceſſit Petrus huius nominis ſecundus anno 1120. quo anno Calixtus ſecundus ſummus Pontifex,qui ſedem accepit ann. Domini 1119. confirmauit dicto Petro Abbati & ſucceſſoribus ſuis per reſcriptum Apoſtolicum ſibi directum conceſſionem ei factam Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Sylua ab illuſtriſſimo Petro Portuenſi Epiſcopo S.R.E. Quantum verò fuerit ſollicitus & anxius iſte Abbas Petrus ſecundus pro conſeruatione iurium ſui monaſterij Lerinenſis vel ex eo coniici datur, quod non multum poſt ſuam electionem Romam adiit & coram ſummo Pontifice de variis ſuis cœnobij oppreſſionibus eſt conqueſtus: benefactores autem monaſterij valde commendãs,vt ex duobus bullarum monumentis facilè percipitur.Quarum tenor hic eſt.Caliſtus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabili fratri Petro Nicienſi Epiſcopo,ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.Dilectus filius noſter Petrus Lerinenſis Abbas & fratres eius ad nos venientes multa nobis bona de fraternitate tua dixerunt, quod eos & monaſterium ipſorum paternæ charitatis intuitu diligas,protegas,& ſuſtentes. Cæterum Eccleſiam ſancti Torpetis quæ ipſius monaſterij iuris eſt & quam fratres iidem diuturna iam poſſeſſione ſine interruptione legitima tenuerunt à clericis tuis

Caliſtus Pontifex Romanus Petro Nicienſ.Epiſ.

tuis ablatam fuiſſe queruntur, monemus itaque fraternitatem tuam atque præcipim⁹ vt Eccleſiã ipſam eiſdẽ fratribus facias ſine vlla dilatione reſtitui.

Sequitur ſecundum diploma eiuſdem Pontificis.

CAliſtus Epiſc. ſeruus ſeruorum Dei venerabili Berengario Foroiulienſi Epiſc. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Filius noſter Petrus Lerinenſis Abbas cum ſuis fratribus ad nos veniẽs querelã in conſpectu noſtro depoſuit, quod Troandus miles parrochianus tuus quandam villam ipſorum deuaſtauit & eiuſdẽ villæ habitatores monachos & Laicos multis exactionũ oppreſſionibus infeſtauerit: queſtus eſt etiam quod Aldebertus & frater eius Raymundus ſimiliter parrochiani tui eandem villam igni combuſſerunt, in cuius nimirum villæ deſtructione maximum detrimentum Lerinenſe monaſterium pati cognoſcitur, vnde fraternitati tuæ mandamus atque præcipimus, vt Troandum ipſum commoneas, quatenus prædictam villam cum habitatoribus & pertinentis ſuis Lerinenſibus fratribus omninò liberam quietamque dimittat, nec eam deinceps vllis vexationibus inquietet. Quod ſi contẽpſerit, tu chariſſime frater & Coepiſcope, talem inde Lerinẽſi monaſterio (quod noſtrum eſt) iuſtitiam facias, qualem tibi à nobis in tuis deſideras negotiis exhiberi. Porrò ſuper illos qui combuſtionem fecerunt ſententiam proferas, quæ de ignem mittentibus à dominis prædeceſſoribus noſtris Vrbano & Paſchale facta & à nobis ipſis confirmata eſt: excepto tamen quod diſcretionis tuæ prouidentia & Abbatis Lerinenſis vel congregationis conſilio pro ſatisfactione quam fecerint miſericorditer fuerit condonatum. Datum Laterani, nono Calendas Ianuarij.

Iam currente vltimo anno præfati Petri, dum in perficiendo opus arcis turris pro tuitione monaſterij ſui non ſegniter incumberet ſanctiſſimus dominus Papa Honorius ſecundus (malè enim habet codex vitæ ſancti Honorati impreſſus, qui circunfertur tribus libris vti ex ſecundo diplomate hic poſito videre licet dato venerabilibus Epiſcopis Augerio regenſi, Berengario Foroiulienſi, Petro Nicienſi & Manfredo Antipolitano, qui temporibus iſtius Honorij ſecundi, & non tertij poſt centum annos ſuis Eccleſiis ſolicitè præſidebant) qui inquam præfatus Honorius ſecundus ſedem aſcendit Apoſtolicam anno domini. 1124. tenuitque paucos menſes ſupra luſtrum ſuo priuilegio & indulgentiis præfatum monaſterium Lerinenſe muniuit, cuius tenor talis fore dignoſcitur. Honorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, omnibus in Chriſto fidelibus, ad quos litteræ iſtæ peruenerint ſalutem & Apoſtolicam benedictionẽ. Charitas gemini præuia luminis per amorem proximi quoſdã gradus ad dilectionem Dei pertingentes nobis oſtendit, per humanã enim quã videmus creaturam: ſi eam tanquã nos ipſos diligimus ad amorẽ creatoris & deſideratã eius cõtemplationem poterimus peruenire. Illud nãque beneficiũ quod homini pia intentione impẽditur Deus in ſeipſum recipere non dedignatur. Non ſolum ergo populus precioſo ſanguine Chriſti redemptus debet ab aduerſariis Chriſtiani nominis protegi: ſed ſæua etiã paganorum rabies à fidelium confiniis. Labores perſecutionis damna & pericula, quæ religioſi fratres Lerinenſis monaſterij S. Honorati longo tempore à Sarracenorum tyrannide paſſi ſunt non ſolùm vicini eorũ, verùm etiam in longinquis habitantes partibus cognouerunt. Idcircò vniuerſitatem veſtram præſentibus literis viſitantes rogamus & obſecramus in domino atque in peccatorum veſtrorum remiſſionem vobis iniungimus vt prædictis Dei ſeruis ad conſtruendam contra Sarracenorum impetum munitionem de

Commendat Fabricã turris ſummus Pontifex.

conceſſis à Deo vobis facultatibus auxilia porrigatis. Quatenùs B. Honorati & aliorum ſanctorum interceſſionibus & eorumdem fratrum orationibus ad æterna mereamini gaudia peruenire, quicunque autem pro amore Dei & animæ ſuæ remedio indulto tempore propriis expenſis in loco illo commoratus fuerit per trium menſium ſpatium vel præditos fratres ab impugnatione crudelium defenderit. Nos & authoritate ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum principũ illã eis peccatorum ſuorum remiſſionem cõcedimus quæ à predeceſſore noſtro S. memoriæ Eugenio Papa, Hieruſalem pergentibus conceſſa fuiſſe cognoſcitur: qui verò illic per ſeipſos ſtare nõ poſſunt & propriis expenſis vnum hominem ad præfati monaſterij defenſionem vel auxilium ſtare per tres menſes fecerint nos eis de peccatis ſuis vnde pœnitentiã cœperint trium annorum veniam indulgemus. Datum Laterani, ſexto Calẽdas Ianuarij. Per idem tempus dictus Abbas Petrus non æquanimiter ferens (vt dictum eſt) bona & iura ſui monaſterij à quibuſdam diripi & vaſtari in maximum præiudicium & enormen læſionẽ prædicti ſui cœnobij, cõqueſtus eſt etiam coram præfato ſummo pontifice Honorio ſecundo, qui has literas laxauit. Honorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabilis fratribus Angerio Regiẽſi, Berengario Foroiulenſi, Petro Oniciẽſi, & Manfredo Antipolitano Epiſcopis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionẽ, filij noſtri Lerinẽſis Abbas & monachi ante Sarracenorum fauces poſiti captiones, cathenas, & mortis pericula metuentes de vobis lachrymabiliter conqueruntur quod eis quaſdam Eccleſias violenter auferre præſumitis. Cùm enim de vobis neceſſarium expectarent præſidium ordine in contrarium verſo importabile ſentiuit detrimentum, vnde fraternitati mandamus quatenùs prefatas Eccleſias Lerinenſi monaſterio ſine dilatione reſtituatis in integrum. Conqueruntur etiam ſatis miſerabiliter ſuper parrochianis veſtris Petro ſcilicet de Alãſone: vxore Guillelmi Augerij & militibus de monte Briſone, qui villam eorum deprædantes incendio vaſtauere & deſolauerent: & ſuper eadem vxore Guillelmi, quæ aliam villam cum monaſterio in ſolitudinem omnino redegit, quamobrem vobis præcipimus quatenus eos, vt monaſterio Lerinenſi & fratribus ſatisfaciant compellatis. Tu verò Antipolitane Epiſcope, Fulconem parrochianum tuum commoneas, vt de pecunia quam Hieroſolimitano itineri, quod facturum ſe deuouerat, præparata prædeceſſor noſter bonæ memoriæ Paſchalis Papa Lerinenſi monaſterio dari præcepit: cum eiuſdem loci fratribus in pace conueniat. Pecuniam quam de theſauro cœnobij fratres pro ipſo à Sarracenis redimendo dederunt & quam ſe redituram iurauit & villam quæ iuris monaſterij eſt ab eo ablatam reſtituat & de caſtro Aurei luci quod deuaſtare præſumpſit Abbati & monachis ſatisfaciat, alioquin nos ceſſare à noſtri officij ſententia non poterimus datum Laterani, multa bona operatus eſt iſte Petrus per quinquennium quo rexit præfatum monaſterium & obdormiuit in domino.

Garinus Abbas Lerinenſis

1125. IPſo initio anni ſalutiferæ Redemptionis vigeſimi quinti ſupra milleſimum centeſimum, euectus fuit in ſedem Abbatialem Lerinenſem dominus Garinus, quo anno Canonici Regienſis (ſeu præcedenti) Inuaſerant Eccleſiam B. Mariæ de Monaſterio, quam monachi Lerinenſes liberé diu tenuerant & poſſederant, quam requirentes & recuperare non valentes Romam adierunt & domino Papæ Honorio ſecundo proclamationem

tionem facere, qui per literas ſuas Epiſcopo Regiēſi eiuſque præpoſito mandauit vt Eccleſiam iam dictam monachis Lerinenſibus redderent aut vſque ad proximā feſtiuitatem ſancti Michaëlis ante eius preſentiam venirēt, quod Epiſcopus atque prepoſitus audientes apud caſtrum præfatum Abbatem Lerinenſem Garinum Petri tunc defuncti ſucceſſorem conuocauere & in præſentia totius populi liberam tradidere prædictam Eccleſiam: Epiſcopus veniens in eadem die dominica populum totius caſtelli ad miſſam aduocauit, & ne aliquam ſuſpitionem haberet, quod monachi Lerinenſes non canonicè acquiſiſſent eandem Eccleſiam, ſecundum quod canonici dicebant malè ſibi memores dicto Euangelio & ſermone facto ab eodem Epiſcopo manū ſuam videntibus cunctis verſus altare & crucem extendit atque omnibus audientibus Dominum omnipotentem eiuſque ſanctos teſtes inuocauit, quod præfatam Eccleſiam Beatæ Mariæ iuſtè & canonicè monachis Lerinēſibus tam preſentibus quàm futuris dedit, nullamque pecuniam pro hac donatione datam vel promiſſam habuit. Hinc intelligis ſuſpicionem qua vrebantur canonici contra ſuum Antiſtitem: huius ſolemnis reſtitutionis teſtes fuere Dominus Manfredus Antipolitanus Epiſcopus, Petrus de Sparrone, & alius Petrus monachi Lerinenſes, omniſque populus qui in eadem Eccleſia aderat. Variæ inſuper quæſtiones & rixæ ſuo tempore definitæ ſunt, & potiſſimū quæ vertebantur inter viros Fulconem & Guillelmum de Graſſa Germanos fratres, & Guillelmum & Goffredum de Relania & milites Brianconēſes alioſque cōtra Monaſteriū de quibus omnib' ipſi ſatisfecerūt, Monaſterio & ſcriptis ſuis ſe obligarunt de cætero nullā vim vel violentiā inferre rebus Monaſterij. Et hæc in præſentia Domini Comitis Reymundi Berengarij Barchinonenſium ac prouincialium & Dominorum Epiſcoporum Berengarij, Gerundenſis, Bertianni Foroiuliēſis & Manfredi Antipolitani & Imberti Glandatenſis Epiſcoporum: cuius tempeſtate etiam quidam nimis iniurius nomine Bertrannus de Graſſa illud quod in villa Canois non ratione, ſed inſtigatione quorundam peſſimorum hominum requirebat ea quæ minus licebant veniēs in manus Domini Garini Abbatis reliquit & manu ſua ſuper ſanctum textum Euangelij, quod nec ipſe nec aliquis ſuorum ſuo conſilio contrarius Monaſterio exiſteret, firmauit, verè fuit iſte Garinnus Abbas amator pacis & concordiæ cum tot querimoniatū tumultus ſint ipſo procurante ſedati, vt ex præcedētibus & ſequēti ſcripto patet: ait enim quidā de remiſſionibus factis, quarum tenor talis eſt. Cunctorum hominū tam præſentiū quam futurorum noticiæ tradendum eſt, quod Fulco de Graſſa ad obitū deueniēs quidquid iniuſtitiæ Beato Honorato & monachis Lerinenſibus in valle aurea faciebat totum cum integritate Domino Deo & Beatæ Mariæ ſanctoque Honorato & domino Abbati Garino ac monachis pro animę ſalute & peccatorum ſuorum redemptione dimiſit & nihil penitus retinuit. Huius rei teſtes fuerunt Manfredus Antipolitanus Epiſcopus, Guillermus de Graſſa, Gauffredus de Sartonolo, Petrus Criſpus. Paucis quoque diebus elapſis Petrus de Miſone, Fulconis eiuſdem filius Lerinum ingreſſus eſt, qui ſuper beati Honorati altare manum tenens prædictum patris donum non inuitus, ſed voluntariè ſine vlla fraude confirmauit. Verum non multùm poſt hæc totum quod factum fuerat nihil ſacro Lerinenſi cœnobio proficiens periurus præfatam villam adiit, ibique noſtrorum hominum & bonorum prædas fecit, vnde querimoniam facientes nihil recuperatum eſt, & hoc non ſemel, ſed iterato commiſit. Ad vltimum verò ipſo à tāta iniuria non ceſſante Domino Papæ Innocentio

Reſtitutio facta publicè Monaſterio Lerinenſi.

Epiſcopi teſtes.

Alia reſtitutio facta Monaſterio.

(erat is Innocentius ſecundus creatus anno Domini 1130.)proclamationem fecerunt Abbas & monachi à quo vſque ad emendationem cõgruam eſt excommunicatus & Berengarij foroiulienſis ac Manfredi Antipolitani Epiſcoporum ac conſilio ſe ſatisfacere dicens, non ſolum ſub iurerando firmauit, quod nunquam deinceps in eadem villa vnde homines conquererẽtur quicquam ipſe nec alius ſuo conſilio acciperet,aufferret, hoſpitaretur, vel vllam violentiam faceret.Portrò Guillermum de graſſa & Bertrannum de Buſſolo pro mille ſolidis,ac Berengarium Foroiuliẽſem Epiſcopum fideiuſſores exiſtere fecit,quod ſi fortè horum quicquam operaretur infra octo dierum ſpatium admonitus ſatisfaceret.Acta ſunt hæc anno Domini 1131. præſentibus ſupra memoratis. Varia dona & oblata habuit hic Garinus non ſolùm bonorum & poſſeſſionum, ſed etiam hominum tum dominus Otto Albiganenſis Eccleſiæ Epiſcopus, cum clericis ſuis tradidit ei & dono dedit Monaſterium ſancti Laurentij de Vatigoto, vt ſecundum inſtituta Monaſterij Lerinenſis regeret & gubernaret, priorque Lerinenſis nomine Fulco de mandato dicti Abbatis poſſeſſionem accepit, ipſomet anno in præſentia omnium canonicorum & cõſulum præfatæ ciuitatis, quam donationem laudauit Bonifacius Marchio & Agnes comitiſſa vxor eius multiſque aliis bonis operibus plenus Abbas Garinus expleto ſeptimo ſuæ ordinationis requieuit in pace.

Otto albiganenſis Epiſcopus.

Fulco ſecundus Abbas Lerinenſis.

1132. INſtante anno trigeſimo ſecundo poſt milleſimum centeſimum operatæ ſalutis.Fulco huius nominis ſecundus, habenas Abbatiæ Lerinenſis regendas ſuſcepit, quo illuſtriſſimi Berengarius Reymundus comes Mergurienſis & Marchio prouinciæ in manu ipſius,Fulconis Abbatis conſiſtens præfactus princeps in capitulo Lerinenſi hæc dicit:ô vos monachi Lerinenſes laudo & confirmo, caſtellum quod olim dicebatur Marcellinum liberum & immune ab omni inuaſione comitis & vt nullus ibi hoſpitetur vel aliquam redemptionem inferat ſicut & anteceſſores mei tenuerũt propter quam libertatem volo vt deinceps appelletur. Francum recipio verò ſub mea defenſione & Monaſterium, & omnes quæcunque ſub mea poteſtate per Prouinciam habetis, vt ſi aliquis vobis per vim vel contra iuſtitiam aliquid abſtulerit ego defenſor ero. Non caruit autem iſte Fulco donariis & oblationibus ad ſupportanda oneta Monaſterij & alendum greges monachorum. Fuit enim honoratus donis à domino Ioſepho Abbate Monaſterij Inſulæ Gallinariæ, tum à Domino Bertranno Foroiulienſi,& Domino Imberto Glandatenſi Epiſcopis,tum ab illuſtriſſimo Anfoſſo Comite Toloſano, & nobilibus Martino & Oberto & Anſaldo de Auria,& aliis plurimis hominibus, quos recẽſere longum eſſet, concordauitque maximã litem,quæ verſabatur inter Manfredum Antipolanum & Monaſterium Lerinenſe authoritate Apoſtolica,quæ reſcriptum dedit nobilibus viris de Graſſa, Bertranno & Reymũdo fratribus Guillermo eiuſque nepotibus,nec non Guillermo de Ralianno, quatenus fratres Lerinenſes omnimodis adiuuarent, vt ipſis dicta concordia firmiter obſeruaretur:tandem prædictus Abbas vita functus eſt poſtquam gubernauit Abbatiam annis duodecim.

Caſtrũ Francum nunc Canoe.

Hugo Abbas Lerinenſis.

1144. VOluente rota annorum mille centum quadraginta quatuor, in locum Fulconis ſecundi electus eſt Dominus Hugo, qui determinauit quandam

dam litem quarundam prætenſionum, vertebatur Epiſcopum & canonicos ventimilenſes & monachos Lerinēſes authoritate ſanctiſſimi patris. Eugenij Papæ III. qui in Cathedra Petri eſt aſſumptus eſt anno domini 1145. in fauorem monaſterij Lerinenſis quæ determinatio confirmata eſt, per diploma eiuſdem Pontificis cuius initium tale eſt, Eugenius & cætera, Dilectis filiis hugoni Lerinēſi Abbati eiuſque fratribus, &c. Qui Hugo pro defenſione rerum Monaſterij conqueſtus eſt in Monaſterio ſancti Laurentij in ciuitate Albiganenſi coram conſulibus de quadam terra Lerinenſi cœnobij vſurpata & facta à conſulibus ſubtilis inquiſitio teſtium (cum ſcripta non extarēt) adiudicata eſt eidem Abbati & Monaſterio ſancti Honorati aliaque digna peregit & incepit ſed morte præuentus ſecundò anno ſuæ vocationis viuos reliquit.

Raimundus primus, Abbas Lerinenſis.

ANno milleſimo quadrageſimo ſexto ordinatus eſt Abbas Lerinen. Raimundus huius nominis primus, cuius temporibus quidam Petrus de Morſans veniens ad cōuerſionem in Lerin. Inſula dedit omnia ſua, idem fecit & Bermundus ipſius frater & alij nonnulli. Rexit Abbatiam annis quatuor. 1146.

Raimundus ſecundus de Clauerio Abbas Lerinenſis.

ANno verò milleſimo centeſimo quinquageſimo ſucceſſit præfato Reymundo Reymundus ſecundus de Clauerio, cuius opera in nullo conſiſtunt rexit præfatam Abbatiam annum vnum. 1150.

Boſo Abbas Lerinenſis.

ANno domini milleſimo centeſimo quinquageſimo primo creatus eſt Abbas Lerin. Dominus Boſo quo gubernāte anno ſecundo accepti regiminis acceſſit Maſſiliam, & ibi cum domino Abbate maſſilienſi Guillielmo nomine fecit quandam bonorum permutationem pro cōcordia vtriúſq; partis cōſeruanda. Tertio verò anno dicti Boſonis ſublimatus fuit in ſede Apoſt. ſanctæ recordationis Papa Adrianus quartus qui audiens à piratarum & ſarracenorum aliorúmque perfidorum hominum excurſionibus, & aliis incommodis Monaſterium ſancti Honorati ſacræ Inſulæ Lerinenſis variè diuexari eius vtilitati & indemnitati intentus conſulibus & populo ciuitati Graſſæ literas Apoſtolicas tenoris ſequentis dedit. 1151.

Adrianus pōtifex Romanus pro defenſione Monaſterij Lerinenſis.

Adrianus Epiſc. ſeruus ſeruorum Dei dilectis filiis conſulibus & vniuerſo populo in caſtro Graſſæ cōmorantibus, ſalutem & Apoſt. benedictionē. Cùm ex iniuncto nobis Apoſt. officio vniuerſorum Chriſti fidelium vtilitati intendens debeamus, illos tamen oportet nos ſpeciali quadam prærogatiua diligere, de horum quiete ac pace propenſius cogitare, qui & religione & honeſtate ſunt prædicti & ad ius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ noſcuntur ſpeciáliter pertinere: huius igitur rationis intuitu prouocati dilectos filios noſtros religioſos videlicet fratres Lerin. Monaſterij & poſſeſſiones ac bona eorum deuotioni veſtræ attentius commendamus: rogantes plurimum & in peccatorū veſtrorum vobis veniam iniungentes, vt eos pietatis intuitu & pro Beati Petri ac noſtra reuerētia diligatis, manu teneatis, & eis ſtudeatis modis omnibus ſuam iuſtitiam conſeruare. Si verò Sarraceni chriſtiani nominis inimici aut perfidi Chriſtiani Monaſt. ſiue aliquod caſtellū ipſorum inuadere forte præſumpſerint eis viriliter aſſiſtaris, & tam cōſilium quam auxilium quibuſcunq; modis

poteritis impendite. Datum &c. Ad iſtam pietatē ſectandam prouoco ex intimo cordis affectu nunc deuotos conſules & plebem Graſſenſis ciuitatis, vt quo nunc & numero & copiis tum authoritate officiorum regalium exiſtunt maiores ita promptiores ad iura Eccleſiaſtica tuenda inueniantur, vti benè confidimus pro ſibi innata humanitate non defecturos: rogamus deſertores fidei ſiqui adſint vt reſipiſcāt & vultus contēplentur ſuos in ſpeculo præceſſorum ſuorū qui tam integerrimę fidei habiti ſunt vt ſedes Apoſt. defenſionē Eccleſ. & Monaſteriorū non ſemel tātum ſub fidei cōmitteret quod habes in-
1154. fra, in Roſtagno Deflayoſco Abbate an. 1188 Idem Boſo an. 1154 etiam amplum priuilegiū obtinuit à prędicto pōtifice Adriano quarto pro libera ſepultura in Inſula Lerin. quod poſtmodum ampliare fecit ab Alexādro tertio an.
1159. domini 1159. quo anno Fridericus dictus Barberouſſa Monarchiā regni Romanorum Alexāder tertius ſanctam ſedem Apoſt. regnū verò Francorum vir

Eccleſia S. Mariæ in Lerino perficitur & conſecatur.

ſummæ pietatis Ludouicus iunior ſeptimus regebat Eccleſia ſanctæ Dei genitricis Mariæ in ſacra Inſula Lerinenſi toti mundo venerabili eſt fœliciter conſummata ædificari, ſub præfati viri Boſonis fœlici gubernio: placuit autem dicto patri qui omni pietate regebat cœnobium & deuoto conuentui Lerinenſi vt præfato Eccleſiæ conſecrato fieret ipſa eadémque die quarto nonas octobris, ſcilicet qua priſcis temporibus facta fuerat dedicatio Eccleſię maioris ſancti Honorati & baſilicæ ſanctæ crucis, vt ſuprà in Aldeberto ſecundo vnde prædictus Boſo & conuentus concluſerunt ad ſolemnem dictæ Eccleſiæ ſanctæ Mariæ conſecrationem peragendam aduocare honeſtos &

Enardus Senecenſis, Iſnardus Glandatenſis Epiſcopi.

Reuerendiſſimos dominos Enardum. Senecēſis Eccleſiæ præſulum, Petrúmque virum nobilem & Iſnardum Epiſcopum Glandatenſem, qui ad Dei gloriam cum ſpirituali gaudio in ſacram Lerinam Inſulam cōuenerunt, & quarto nonas octobris, qui dies dominicus tūc habebatur cū ſatis religionis honeſtate & ſolemni pompa conſecrauerunt prælibatam Eccleſiam ſanctæ Mariæ & altare in honore victorioſiſſimæ crucis & perpetuæ virgini Mariæ ſanctorúmq; martyrum Lerin. & omnium ſanctorum inter quod altare poſue-

Reliquiæ appoſitæ in altari S. Mariæ.

runt de puluere corporū Petri & Pauli Apoſtolorum de reliquiis Gordiani, & Epimachi & quinque dentes ſancti Caprafij Abbatis Lerinenſis & vnum os ſancti Quirini martyris & de maſſa candida, & his peractis indulgentiiſq; ſolitis publicatis miſſæ factæ ſunt variis præclariſque rebus geſtis clarus cum fluctuantis in mari Inſulæ tanquam nauis clauum per annos vndecim menſéſque quinque fœlici gubernatione rexiſſet operum mercedem à domino accepturus in ſuperna migrauit.

Reymundus tertius cognomento Richardus Abbas Inſulæ Lerinenſis.

1162. ANno milleſimo centeſimo ſexageſimo ſecundo, euectus fuit in Abbatem Lerin. dominus Reymundus, huius nominis tertius cognomento Richardus, & quintoſui regiminis anno ſereniſſimus Reymundus Berengarius comes Prouinciæ & Germanus Aragoniæ Regis Ildefonſi, ſuo diplomate confirmauit omnia bona conceſſa antea ſacro Monaſterio Lerinenſi & ſua authoritate ſimul & clementia aliquas lites & querimonias ſopiuit: & hæc omnia inſuper roborata ſunt à rege Aragoniæ Ildefonſo, paucis his verbis. Anno dominicæ incarnationis milleſimo centeſimo ſexageſimo ſeptimo. Ego Ildefonſus Dei gratia Rex Aragoniæ comes Barchinonenſis, vel dux prouinciæ pura voluntate omnia præſcripta quæ conſanguineus meus comes prouinciæ conceſſit, laudo, concedo & confirmo

confirmo. Is tandem cum octo annis in Lerinenſi cathedra venerabilis præſul extitiſſet prædeceſſorúmque virtutibus inhæſiſſet, eos etiam carnis debitum perſoluens eſt ſecutus ad præmium.

Gaufredus primus Abbas Lerinenſis.

ANno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo, Lerinenſis Abbatiæ clauum ſuſcepit Gaufredus, huius nominis primus, qui cum ab electionis die vnius tantum anni ſpatium ad abbatiæ regimen tum ad vitæ prorogationem habuerit, aut nihil ſitu dignum edidit, aut certè temporum iniuria ad nos vſque perlatum non eſt. Quicquid demum egerit illius præmium percepturus exceſſit. 1170.

Augerius Abbas Lerinenſis.

ANno Domini 1171. eſt conſtitutus Abbas Lerinenſis dominus Augerius, cuius temporibus incuria, vel potius malitia vicinorum incerta & confuſa reddita erant confinia territorij ſanctæ Mariæ vallis aureæ, cui incommodo & damno ſolertia iſtius Reuerendi Abbatis prouiſum fuit, acceptis hominibus Eccleſiaſticis & ſæcularibus medio eorum iuramento ſuper ſancta Dei Euangelia prædictum territorum limitari fecit cum adiacentium conſenſu. Anno Domini 1181. Iã imminente vltimo præfati Augerij Lucius Papa III. qui hoc anno ad Pontificatum fuit euectus audiens monaſterium Lerinenſe ab inimicis crucis Chriſti ſæpius infeſtari & præfatum Abbatem & monachos pro viribus dictum locum cœpiſſe communire ipſius turris, ſcilicet proſequendo iam ante annos nonaginta & amplius inceptum opus ſub Aldeberto ſecundo, videnſque ad tanta onera portanda vires & facultates monaſterij nõ ſufficere per Apoſtolica ſcripta monuit & exhortatus eſt omnes Chriſti fideles per prouinciam Narbonenſem conſtitutos eis in remiſſionem peccatorum ſuorum iniungens, vt prædictis religioſis Lerinenſibus ad muniendum dictum cœnobium & Inſulam de propriis facultatibus erogarent, vt ipſius loci munitione redderentur tutiores hoſtium ſublata formidine. Alia pleraque edidit annis vndecim quibus abbatiæ magna cum laude præfuit, quæ ne moleſtus ſim nimia forſan prolixitate prætereo, his ille, vt piè credimus, æterna in pace fruitur. 1171.

Lucius Papa commendat tuitionem & fabricam turris.

Reymundus quartus de Moſteriis Abbas Lerinenſis.

ANno octuageſimo ſecundo ſupra milleſimum centeſimum ordinatus fuit Abbas Lerinenſis huius nominis quartus, Reymõdus de Moſteriis quid egerit non cõſtat, cum vix annũ in abbatiæ adminiſtratione cõpleuerit. 1182.

Andebertus Abbas Lerinenſis.

ANno 1183. euectus in abbatiæ cathedram Andebertus, qui ne anno quidem expleto vita excedens alteri abbatiam regendam reliquit. 1183.

Roſtagnus primus Deſloyoſco Abbas Lerinenſis.

EOdem anno ſuffectus eſt ſupradicto Andeberto dominus Roſtagnus huius nominis primus Deſlayoſco, anno verò quinto ſuæ ordinationis & & noſtræ ſalutis cẽteſimo octuageſimo octauo ſupra milleſimũ. Clemẽs huius nominis tertiꝰ ſucceſſor S. Petri in cathedra reſidebat Romana, qui nimio amore & zelo deuotionis, quo erga monaſterium ſancti Honorati Lerinenſis 1183. 1188.

flagrabat permotus & ſupplici rogatus huius Roſtagni Abbatis litteras perbenignas & exhortatorias conſulibus Graſſæ dedit quas hic quia breues ſunt ſubiicimus vt moderni ad inſtar priſcorum ſe beneuolos & defenſores componant cœnobiorum tales enim ſunt.

Clemens Papa ciuibus Graſſenſibus commendat monaſterium & Eccleſiam S. Honorati.

Clemens Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectis filiis conſulibus de Graſſa ſalutem & Apoſtolicam benedictionem commiſſum vobis conſulatus officium ſecundum beneplacitum geritis creatoris ſi Eccleſiam Dei & viros in eis impendentes domino famulatum habueritis in reuerentia & curaueritis poteſtate vobis commiſſa ab aliorum iniuriis defenſare. Inde eſt quod vniuerſitatem veſtram monemus in domino & rogamus quatenus Eccleſiam ſancti Honorati & perſonas commorantes in ea habeatis attentius commendatas & ita ab aliorum iniuriis defenſare curetis quod vobis ad æternum præmium pertineat & Eccleſiæ ipſe per defenſionem veſtram optata perfrui ſeſe quiete lætentur. Datum Laterani duodecimo Calendas Iulij pontificatus noſtri anno primo. Currente verò anno milleſimo centeſimo nonageſimo

1192. ſecundo, horrendum & inexpiabile ſcelus à perfidis perditiſque homuncionibus anno ſecundo Apoſtolici viri Celeſtini Papæ III. nono verò præfati Abbati Roſtagni commiſſum fuit in ciuitate Graſſenſi: nam cum Eccleſia ſancti Honorati in dicta ciuitate de mandato Clementis Papæ III. honorificè fuiſſet conſecrata circa annos Domini 1189. quidam prophani homines

Eccleſia S. Honorati Graſſæ per inuaſores prophanata.

nocte cum diuina celebrarentur officia manu armata in prædictam Eccleſiam irruerunt ad aram dominicam (proh pudor) in minutos lapides redigentes nimis horribiliter omnia euertere & temerariis auſibus profanare minimè formidauerunt in ſuæ animæ perniciem dedecus ſanctæ ſuæ matris Eccleſiæ & offenſam diuinæ maieſtatis, cui non dederunt honorem nec ſanctiſſimum ſacramentum ibi præſens reuerentes. Vnde præfatus Romanus Pontifex Celeſtinus III. ne tam enormis exceſſus impunitus relinqueretur per Apoſtolicas litteras mandauit Epiſcopis Foroiulienſi & Vencienſi, quatenus rem diligenter inquirant & memoratos ſacrilegos appellatione remota excommunicationis vinculo auctoritate Apoſtolica innodent, & omnibus denuncient vſque ad condignam ſatisfactionem & ſi Antipolitanum Epiſcopum culpabilem (vt ſuſpicabatur) huius temeritatis aut infamiæ reſperſum fuiſſe nouerint ipſum remoto appellationis obſtaculo, eadem auctoritate Apoſtolica à Pontificali officio ſuſpendant & ad præſentiam ſummi Pontificis cum ſuis litteris deſtinent. Tum eis iniungit vt intra terminum quindecim dierum poſt acceptum mandatum, præfatam Eccleſiam ſancti Honorati in ciuitate Graſſæ conſecrent.

Reliqua opera quæ geſſit hic Roſtagnus præclara quidem, ſed non hic neceſſario inſerenda: adminiſtrauit autem Abbatiam magna cum diligentia & ſollicitudine annos duodeuiginti & fœlici obitu viuos reliquit.

Roſtagnus ſecundus de Muiolis Abbas Lerinenſis.

1201. ANno milleſimo ducenteſimo primo accepit regimen Abbatiæ Lerinenſis dominus Roſtagnus huius nominis ſecundus de Muiolis, in cuius adminiſtratione vix annum integrum peregit.

Guillelmus primus de Gordono Abbas Lerinenſis.

1202. ANno ſequenti, qui erat Chriſti ſecundus ſupra milleſimum ducenteſimum ordinatus fuit Abbas Lerinenſis dominus Guillielmus primus de Gordono qui rexit dictam Abbatiam annis decem, quid egerit nulli conſtat.

Guillelmus

Guillelmus ſecundus de Sclapono Abbas Lerinenſis.

OPeratæ ſalutis currente anno milleſimo ducẽteſimo duodecimo, ſublimatus fuit in Abbatia Lerin. dominus Guillelmus de Sclapono, huius nominis ſecũdus, qui vir doctus & pius, ſanctã congregationẽ illã inſtruebat doctrinis & informabat exẽplis: vnde multi nobiles aliiq; ad ipſum cõcurrebant, ſe ſuáque dedentes, qui anno milleſimo ducenteſimo quinto decimo cõmunicato totius conuentus cõſilio precibúſque multorum virorũ prudẽtiũ ſupplicantiũ cõfidens de fidelitate cuiuſdã Antonij Roſſeti prępoſiti Vapicenſis cõmiſit ei ſua vita durante Eccleſiã & domũ S. Mametis monaſterij Lerin. cũ omnibus ad eã pertinentibus pro cẽſu annualivnius Biſantej ad regendã & gubernandã, & hæc Abbatem ad milleſimũ ducentẽſimũ decimum nonũ virginei partus annum opera edidiſſe cõperimus, nõ dubiũ quin plura magiſq; cõmendanda egerit cum virtutum fama celebri & morum ſanctitate dignus ſit habitus qui ex Abbate in excelſam Gapenſis Epiſc. ſedem euheretur, Abbatiam quidem fœlicibus per ſeptem annos rexit auſpiciis. 1212.

Giraudus Abbas Lerinenſis.

ANno milleſimo ducenteſimo decimo nono, electo in Epiſc. Guillelmo ſucceſſit dominus Giraudus in Abbatia Lerin. qui priùs monaſterij S. Bointi profeſſus fuerat & Abbas qui ſeptimo anno ſui regiminis præuidẽs in futurum ne incuria ſeu intercapedine, loci bonæ Eccleſiæ & monaſterij deperiret, cũ diminutione diuini obſequij quædã bona depẽdẽtia à monaſterio Lerin. fratribus & canonicis regularibus, S. Auguſtini tradidit regenda cum clauſulis & obligationibus neceſſariis vt ex ſequenti publico ex tractu patet. 1219.

Donatio canonicis regularibus S. Auguſtini facta.

Notũ ſit omnibus tã prẽſentibus quàm futuris, quod anno ab incarnatione domini milleſimo, ducenteſimo, vigeſimo ſexto. Ego Giraudus Abbas Lerin. cœnobij & vniuerſus conuentus ejuſdẽ monaſt. intuitu pietatis, & miſericordiæ donamus & tradimus in perpetuũ ſine fraude & circumuentione Eccleſias S. Mametis, & S. Mariæ de Fonte vinoſo, cũ omnibus pertinẽtiis ſuis tibi Hugoni præpoſito & ſucceſſoribus & ſociis ſuis perenniter ſecundũ regulam S. Auguſtini victuris: ea conditione vt ſine moleſtia ac inquietatione habeatis & poſſideatis à Lerinenſi monaſterio, & illud caput veſtrum ſemper recognoſcatis in ſignum quoque huius ſubiectionis Capucia nigra ſuper veſtra ſuperpelicia portabitis, & ſoluetis nobis & ſucceſſoribus noſtris ſingulis annis in feſtiuitate Pentecoſtes nomine penſionis duos biſanteos aureos: retinemus autẽ nobis & ſucceſſoribus noſtris in eũdo & redeũdo per partes illas hoſpitia & debitã reuerentiam & benedictionẽ canonicorũ, aut cui dare voluerimus & medietatẽ rerum nobilium, tã canonicorũ quàm donatorũ ſiue ſint libri, ſiue res aliæ exceptis libris Eccleſiaſticis, quos volumus penes eſſe ipſam Eccleſiã S. Mametis remanere. Itẽ retinemus quod præpoſitus prædictarũ Eccleſiarum ſemper ſecũdo anno ad capitulum noſtrũ veniat vel aliam ſufficientẽ perſonam mittat. Item retinemus in ipſis Eccleſiis quiſtã faciendam ſicut in aliis Eccleſiis noſtris ſecundum poſſe domus. Et ſi aliqua diſcordiæ cauſa inter canonicos orta fuerit quæ per eos ſedari non poſſit ante omnẽ perſonam nos aduocabunt. Prępoſitus quoq; mortuo vel depoſito prędeceſſore ſuo intra annum ab ordinatione ſua veniet ad monaſt. & in generali capitulo tactis ſacroſanctis Euangeliis iurabit, quod nunquam per ſe, nunquam per ſuſpectam perſonam ſcienter facier, aut dicet quod Lerin. Eccleſia ſui iuris aliquod detrimentũ patiatur, aut conuentio iſta corrũpatur. Damus etiam vobis vt in eũdo & redeundo ad monaſteriũ domus noſtræ quæ in via

ſunt,omnem vobis hoſpitalitatis humanitatẽ pro poſſe ſuo exhibeant.Si verò minus neceſſario factũ fuerit per nos corrigetur.De omnibus quoque acquiſitis quæ feceritis quartas ſub nomine B. Honorati & S. Mametis facietis & prænotabitis.

Per hæc etiam tẽpora idem præfatus dominus Giraudus Dei gratia Abbas Lerin.cõmuni fratrum deliberato conſilio,omnes pariter congregati volentes adimplere ob maximam vtilitatẽ & decorem monaſterij Lerin.quod omnes prædeceſſores ſui facere decreuerant conceſſerũt licentiã dominæ Aycelenæ vxori quondam R.de Scauola volenti & hoc petenti cõſtruere & dotare monaſterium monialiũ in loco Valliſaureæ in remediũ animæ viri ſui R. defuncti & Petri Monachi filij ſepultorum in monaſterio Lerinenſi in omnibus & per omnia ſubditũ Abbati & conuentui Lerin. Inſulæ,quod & præſtitum eſt, & ipſa Aycelena fuit Abbatiſſa vita eius durante cum variis obligationibus & prærogatiuis in fauorem Reuerendi Abbatis & monachorum Lerinenſium.Acta ſunt hæc in capitulo Lerinenſi prætaxatis temporibus.Iſte dominus Giraudus rexit Abbatiam Lerinenſem annos duodecim vita functus eſt.

Reymundus V. de Crocis, Abbas Lerinenſis.

1231. ANno milleſimo ducenteſimo trigeſimo primo, electus eſt Abbas Lerinenſis dominus Reymundus de Crocis, huius nominis quintus, quo regnante & perſeuerãte deuotione fidelium, quidam nobiles laici dicto Abbate & conuentu Lerinenſi permittente elegerunt ſibi locum ſepulturæ in Inſula & Eccleſia Lerinenſi vti adhuc viſitur in porticu ſeu ambitu,qui inter Eccleſiam maiorem S.Honorati & ſanctæ Mariæ de Lerinis iacet in quadam cripta ſeu arcu, iuxta portam quæ olim erat capituli primi & antiquiſſimi ſubtus campanile in his verbis inſcripto. Coniuge cũ propria iacet hic Bertrandus Auniſa ſumptu, qui proprio criptam conſtruxit, & idem inſtanter petiit ne quis tumuletur ibidem 1236.Auguſtus Nouennio Raymundus iſte in Abbatiæ gubernaculo aſſedit quibus fœliciter exactis ad domini ſui mercedem properauit.

Albertus tertius Abbas Lerinenſis.

1240. ANno domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſuffectus eſt præcedenti dominus Aldebertus huius nominis tertius: qui cum Abbatiam annis quatuor menſibus tribus ſeipſum ſponte ſua à gubernatione remouit, quibus autem de cauſis non ita eſt compertum.

Aycardus de Torreues Abbas Lerinenſis.

1244. ANno quadrageſimo quarto elapſo milleſimo ducenteſimo poſitus fuit in adminiſtratione Lerinici monaſterij dominus Aycardus de Torreues vir tenaciſſimus regularium inſtitutorũ & profligator vitiorũ anno ſeptimo ſui regiminis qui erat Redemptionis noſtræ milleſimus ducenteſimus quinquageſimus primus fœlicis recordationis.Innocentius IIII.ad humilem petionem eiuſdem Abbatis benignè conceſſit ei priuilegium, vt Abbas ſacri Monaſterij Lerinenſis omnes ſibi ſubiectos, tam in prioratibus quàm aliis locis punire poſſit authoritate Apoſtolica, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, compeſcendo non obſtantibus, ſub datum Peruſij vndecimo Calendas Februarij ſui Pontificatus anno nono. Anno verò vltimo ſui regiminis,qui erat domini 1255.Alexander IIII.ſummus Pontifex mandat Epiſc.Foroiulienſi,vt ſi Epiſc.Ianuenſis(cui iam mandata dixerat) hoc nõ perfecit,ipſe,inquam Foroiul.inducat in realẽ poſſeſſionem præfatũ Aycardũ

Abbas Lerinenſis habet authoritatẽ puniendi ſuos ſubditos.

Abba

Abbatem & monachos Lerinenſes, Monaſterij ſancti Antonij de Ianua, de quo tunc quædam lis agitabatur: rexit verò Abbatiam annis duodecim.

Bernardus Ayglerius Abbas Lerinenſis & poſtmodum Caſſinenſis & S.R.E. Cardinalis ampliſſimus.

CVrrente anno noſtræ redemptionis milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſexto, prouiſum fuit Monaſterio Lerinenſi de egregia perſona Domini Bernardi Aglerij monachi profeſſi & Sacriſtæ Monaſterij Sauignianenſis Lugdunenſis dioceſis ſanctiſſimi Domini Alexandri IV. Papæ capellani, qui vir ſtrennus & ſolers in omnibus actionibus ſuis. Primo anno ſui regiminis obtinuit ab ipſo ſummo Pontifice confirmationem Monaſterij ſancti Antonij Ianuenſis in fauorem Monaſterij Lerinenſis: anno verò tertio dicti Bernardi & die nona menſis Iunij Gaulterius Archiepiſcopus Ianuenſis & capitulum canonicorum confirmant & ratificant tranſactionem & concordiam factam paulò ante inter ipſos & procuratores Abbatis Lerinenſis & monachorum. Eodem quoque anno, qui erat Domini 1259. præfactus ſummus Pontifex ad inſtãtem dicti Abbatis conceſſit priuilegium cœnobio Lerinenſi ad inſtar fœlicis recordationis Innocentij Papæ III. præceſſoris ſui, in quo Monaſterium præfatum quod ſpecialiter Beati Petri iuris exiſtit ſub eiuſdem principis Apoſtolorum, & ſua protectione ſuſcipit ac omnia beneficia & bona à præfacto Monaſterio dependentia infra decem & octo diocœſes exiſtentia vt in perpetuum ipſi illibata permaneant ſcripto ſuo confirmat & communit: inſuper prohibet ne profeſſus Lerinẽſis monachus à quocunque retineri poſſit abſque ſuperioris ſui literarum cautione, tum ne quis infra clauſuras locorum ſeu grangias dicti Monaſterij rapinam, furtum facere, ignem apponere, ſanguinem fundere, hominem temerè capere vel interficere ſeu violentiam audeat exercere & alia valdè vtilia decernendo vt nulli omnino hominum liceat præfatum Monaſterium temerè perturbare, aut eius poſſeſſiones aufferre vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare, ſi quis autem contra ipſam conſtitutionis paginam contrauenerit ſciens, niſi congrua ſuum reatum ſatisfactione corrigat, poteſtatis & honoris careat dignitate reumque diuino iudicio exiſtat & à ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini noſtri redemptoris Ieſu Chriſti alienus fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ſubiaceat vltioni: cuncti verò eidem Monaſterio ſua iura ſeruantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen.

Alexander Papa IV.

Gaulterius Archiepiſcopus Ianuẽſis.

Qui Reuerendus Bernardus rexit præfatam Abbatiam ſancti Honorati Lerinenſis in Gallia Narbonenſi annos ſeptem vſque ſcilicet ad annum milleſimum ducenteſimum ſexageſimum tertium ex qua aſſumptus iuſſu Vrbani Papæ quarti ſuffectus eſt Abbas Caſſinenſis quinquageſimus nonus Domino Theodino monacho & Abbate Caſſinati Accerrarum electo Epiſcopo, præfuitque idem Bernardus annos decem & nouem in dicto Monaſterio quo tempore ſublimatus fuit ad ſummum Cardinalatus gradum à quo autem Pontifice ſit creatus non expreſſum habetur: Creditur tamen vel ab ipſo Vrbano quarto vel eius ſucceſſore Clemente quarto qui ambo Galli erant in purputatorum numerum aſcitum. Obiit Caſſini vbi & ſepultus iacet anno Domini 1282. pridie nonas Aprilis. Scripſit hic vir doctiſſimus & pius non contemnẽda opera quæ ſunt hæc. Expoſitio ſuper regulam ſancti Benedicti, Speculum monachorum cunctis vtiliſſima cœnobitis. Et alia, quæ ſola ſunt vſui Monaſterio ſacro Montis Caſſini videlicet. Collationum beneficiorum

Opera Bernardi Aygleriij.

& officiorum montis Caſſini Regeſtum vnum. Inquiſitionum iurium & bonorum in caſtris & villis dicti Monaſterij Regeſtum alterum.

Nicolaus Abbas Lerinenſis.

ANno milleſimo ducentiſſimo ſexageſimo tertio in locum Bernardi Ayglerij electi Abbatis Caſſinẽſis ſubrogatus eſt Abbas Lerinenſis Nicolaus prior de villamaura qui cum parum temporis intra ſepta Monaſterij ſe ſe continuerit nulla eius extant acta. Tenuit autem præfatam Abbatiam annis octo & obiit Maſſiliæ vbi & ſepultus eſt in cimeterio Eccleſiæ ſanctæ Trinitatis.

Petrus tertius de ſancto Paulo Abbas Lerinenſis.

1271. DEcedente Nicolao Abbatę anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo primo, electus eſt per viam compromiſſi à toto capitulo Lerinenſi Dominus Petrus de S. Paulo. Vencienſis dioceſis huius nominis tertius, qui conſtituit annuatim pridiè nonas Aprilis celebrari vniuerſariũ pro anima Domini Bernardi Ayglerij primum Abbatis Lerinenſis tum Caſſinenſis. Quid aliud egerit non eſt facilè explicare cum nulla ipſius extent acta authoris alicuius monimentis conſignata: obiit autem & ſepultus in cœnobio Lerinenſi iuxta Eccleſiam Beatæ Mariæ ad manum ſiniſtram in capitulo veteri, loco in quo conſueuerunt Domini Abbates conſepeliri, qui rexit Abbatiam annis viginti & quatuor.

Ganſelmus de Mayreris Abbas Lerinenſis.

1295. ANno milleſimo ducenteſimo nonageſimo quinto adiuit Abbatiã Lerinẽſem Dominus Gãſelmus ſeu Gauſelmus de Mayreris monachus profeſſus Monaſterij S. Theofredi in Aluernia, & Abbas ibidẽ qui ſtrenuè decertans pro manutenſione iuriũ Monaſterij & monachorũ Lerinenſium cõſtanter ſe oppoſuit Reuerẽdo Petro Regienſi Epiſcopo qui quidem varia grauamina inferebat Monaſterio & monachis Lerinenſibus, tum minabatur idem Epiſcopus multa inferre ſe velle incommoda & oppreſſiones monachis & prioratibus dependentibus à præfato Monaſterio in ſuaque dioceſi exiſtentibus vnde dictus Abbas viſa proteruitate appellauit ad ſedem Apoſtolicam, & ſe tanquam alter Cantuarienſis Thomas viriliter in omnibus ſe geſſit, cœnobiumque ab oppreſsione liberauit, ſub quo etiam conceſſa ſunt Monaſterio Lerinenſi aliqua beneficia in Inſula & regno Corſicæ: tum Bonifacius VIII. Confirmat omnia priuilegia (ad ipſius inſtãtiã & humilẽ petitionem) & indulgentias Monaſterij S. Antonij de Ianua anno verò milleſimo tricenteſimo ſexto die ſexta Aprilis cõſtituit & ſua authoritate totiuſq; cõuentus Lerinenſis poneretur ſupra numerum iam deputatũ vnus præsbyter monachus Lerinenſis in dicto Monaſterio ſancti Antonij & domus hoſpitalis Ianuenſis ad miſſas & alia diuina officia peragenda eodem anno idem Ganſelmus literis dedit Reuerendiſſimo Porcheto Ianuenſi Archiepiſcopo, & Dominũ Roſtagnũ de Corneto, monachum Lerinenſem per collationem ſibi factam à ſe & toto conuentu Lerinenſi prioratus ſancti Antonij de Ianua in poſſeſſionem realem inducat qui Roſtagnus poſtea fuit Abbas Lerinenſis, vt ſic infrà. Fecit item idem Ganſelmus quædam ædificia cõſtrui intra turrim dicti

Petrus Regenſis Epiſcopus.

Bonifacius VIII. Põtifex Romanus

Porchetus Epiſcopus Ianuenſis.

Mona-

Monaſterij & chorum in Eccleſia ſancti Honorati & multis aliis bonis operibus plenus requieuit in pace cum rexiſſet Abbatiam annis quatuordecim.

Fulco tertius Planicampi Abbas Lerinenſis.

POſt exceſſum ab humanis domini Ganſelmi anno milleſimo trecenteſimo nono prouiſum fuit Monaſterio Lerinẽſi de Abbate de Domino Fulcone(huius nominis tertio)Plani campi monacho profeſſo,itidem Monaſterij S. Theofredi in Aluernia alias Camaliaci,qui eodem primo anno ingreſſus in menſe martio Fuſto ſcilicet ſancti patris Benedicti & triennio reuoluto eadem die ſepultus eſt in ſepulchro anteceſſoris ſui & vt fama eſt potionatus fuit Graſſæ poſt reſtitutionem factam de quadam terra Monaſterij Lerinenſis, ſicque morte præuentus tertio,vt dictum eſt,ſui regiminis anno viuos reliquit. 1309.

Hugo Carolus Abbas Lerinenſis.

MIlleſimo trecenteſimo duodecimo fuit electus in Abbatem Lerinẽſem dominus Hugo Carolus à toto capitulo Lerinẽſi Monachus profeſſus dicti cœnobij, priórque ſanctę Mariæ de Moſteriis,quo tempore exceſſerunt è viuis aliqui nobiles tum ſæculares tum Monachi, qui ſepulturam apud Lerinam eligerunt,& potiſſimùm ex illuſtri familia de Corneto vti ſepulchralis inſcriptio in veteri claustro Lerinenſi iuxta portam antiqui refectorij docet quæ talis adhuc extat in marmoris tabula parieti affixa S. Id eſt ſepulchrum domini Tarioneti militis de Corneto & fratris Tarioni Monachi qui frater fuit prior Ianuæ. Obiit anno domini milleſimo trecenteſimo tertio decimo die decima februarij, quorum inſignia gentilitia ſunt in vmbone bipartito ex alto deorſum habentia ex vna parte cornu cordula appenſum,& ex altera Zonas veluti vndas, in quo ſepulchro poſtmodum appoſitus fuit dominus Roſtagnus de Corneto Abbas Lerinenſis anno domini 1331.qui Abbas Hugo vitam cum morte commutauit in curia Romana anno primo ſuæ electionis. 1312.

Nicolaus ſecundus Auriolus Abbas Lerinenſis.

ANno milleſimo trecenteſimo tertiodecimo die vltima Iulij datus fuit Abbas Lerinẽſis dominus Nicolaus Auriolus Monachus profeſſus ſancti Victoris Maſſilienſis,qui obiit die vltima Iulij anno integro videlicet reuoluto ſuæ ordinationis. Iſte licet rigidè regeret: erat tamen benè religioſus & Zelotipus inſtituti religioſus, ſed data ſibi potione à quodam ſuo affine & propinquo vt amplius ab ipſo diligitur ei mortem propinauit. 1313.

Roſtagnus tertius de Corneto Abbas Lerinenſis.

ANno milleſimo trecẽteſimo quarto decimo die quarta ſeptembris fuit electus Abbas Lerinenſis dominus Roſtagnus, de Corneto huius nominis tertius,Monachus profeſſus eiuſdem cœnobij priórque ſancti Antonij de Ianua per viam compromiſſi & lætanter à toto Lerinenſi capitulo generali receptus anno ſexto eiuſdem. Inter alios vita functus eſt quidam, Monachus Lerinenſis, non contemnendæ pietatis qui ſuum curauit erigere ſarcophagum in clauſtro veteri ſupra portam moderni capituli ſeu capellæ ſancti Leonardi,nunc ſancti benedicti his obſignatum verbis. 1314.

Hic eſt tumulus fratris Petri de Manuaſca Monachi cœnobij S.Honorati Lerinenſis, obiit anno domini milleſimo trecẽteſimo vigeſimo.Idem Abbas de conſenſu & Authoritate capituli Monachorum Lerinenſium congregati mandato domini Hugonis Raymundi, prioris clauſtralis ſedauit & concordauit cum Reuerendiſſimo Glandatẽſi Epiſcopo domino Anſelmo quaſdam

quæſtiones, quæ inter ipſos vertebantur & remiſſa ſunt omnia in fauorem monaſterij Lerin,idem anno vigeſimo ſeptimo vltrà milleſimum trecenteſimum & die vigeſima ſexta Maij ſollicitudinem maximam gerens magis de Eccleſiis & rebus diuinis quàm de perſonis & rebus ſibi commiſſis, vt Eccleſiarum vtilitati conſuleret,fecit quaſdam permutationes de conſenſu omnium: vixit autem in Abbatia annis decem & ſeptem, obiitque die ſecunda quadrageſimæ, & ſepultus eſt in ſepulchro ſuo iuxta Ianuam veteris refectorij,vt dictum eſt ſupra in Hugone Carolo.

Giraudus de Suſa Abbas Lerinenſis,& Raymundus Clari.

1331. ANno milleſimo tricenteſimo trigeſimo primo electus eſt Abbas Lerinenſis dominus Giraudus de Suſa per dominum Ioannem vigeſimum ſecundum, qui audiens dominum Reymundum Clari electum eſſe per conuentum Lerin. ipſum in Abbatiali adminiſtratione dimiſit:retenta tamẽ ſibi præeminentia & dignitate Abbatiali,beneficiorúmque collatione. Nam poſt decem annos ſuæ promotionis ſcilicet anno domini 1341. die vigeſima prima menſis Iulij præfatus dominus Giraudus ſuo reſcripto, cùm ageret in remotis, dedit in mandatis ſuo Priori clauſtrali venerando ſcilicet Guillelmo de Bleuis qui poſt in Abbatem meruit acciri, vt cõferret quædam beneficia à præfato Monaſterio dependentia,quibuſdam Monachis Lerinenſibus & hoc cum conſilio,aſſenſu & conſenſu totius capituli cõuentus Lerinenſis,vt ſemper fuit conſuetum,anno ſequenti obiit nobilis domicellus Hugo de Bleuis, qui ſepultus fuit in ſepulchro marmoreo affixo in patiete iuxta portam clauſtri veteris verſus arcẽ turris in quo inſculptæ ſunt imagines crucifixi & hinc inde ſancti Honorati & ſancti Benedicti, vt datur coniici ex habitus textura & equitis armati quo ſignatur ipſe nobilis Hugo tandem Monachi imago quem putamus eſſe ſupra nominatum fratrem de Bleuis inſignia gẽtilia ſunt ramus arboris quinque continens folia. Inſcriptio autem in hunc modum ſe habet.Hic iacet nobilis domicellus Hugo de Bleuis.Obiit anno domini milleſimo tricenteſimo quadrageſimo ſecũdo,die decima Septembris,cuius anima in pace requieſcat. *Amen.* Obiit autem præfatus Abbas & ſepultus eſt infra dictum Monaſterium in capella ſancti Benedicti.Iſte fecit fieri vineam de Canois & porticum in domo & caſtro de Canois. Et multa alia bona peractiſque annis ſedecim in Abbatia vita functus eſt.

Bertrandus Furoni Abbas Lerinenſis & Guillelmus de Solethatio.

1347. ANno milleſimo tricenteſimo quadrageſimo ſeptimo prouiſum eſt Monaſterio Lerin. de domino Bertrãdo Furoni Monacho profeſſo Monaſterij Inſulæ Barbaræ apud Lugdunũ in fluuio Araris per dominum Clemẽtem ſextum exiſtente auditore in Romana curia dimiſſo tamẽ domino Guillelmo de Solethatio priore de Calliano electo per cõuentum Lerin.Ad regimen ipſius Abbatiæ licet ſatis ad id eſſet ineptus ipſamque rexit anno vno.

Guillelmus de Bleuis tertius Abbas Lerinenſis.

1348. ANno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo octauo electus eſt Abbas Lerin.per viã S. Spiritus à toto cõuentu dominus Guillelmus de Bleuis Monachus dicti Monaſt. profeſſus Priórq; de Neapola,& cõfirmatus per dominũ Papã Clementẽ ſextũ, qui ſtatim poſt ordinationẽ ſuã cõgregauit capitulũ generale vti moris erat dicti cœnobij Lerin. ſed quid in ipſo egerit vel ordinauerit nõ poſſumus explicare cũ ipſius acta nõ viderim aut legerim An.

verò

verò 1351.de quinta mẽſis Martij celebrauit ſuũ ſecundũ capitulum generale 1351.
in ſacro Cœnobio inſulæ Lerin. in præſentia totius conuentus, & omnium Priorum vel monachorum. In quo ea quæ pertinent ad reformationem tam ſpiritualium quam temporalium, & quæ videbantur neceſſaria & vtilia de conſilio & aſſenſu omnium ſalubriter ſtatuta & ordinata ſunt: quo tempore propter nimiam hominum mortalitatem imminutus eſt numerus Monachorum (& tamen erant adhuc numero centum & decem) tum pœnæ pecuniariæ inflictæ ſunt tranſgreſſoribus inſtitutorum & applicatæ operi turris dicti monaſterij. Ex quo patet diu perduraſſe huiuſmodi fabricæ ædificationem. Nam cœpta erat ſub Aldeberto ſecundo anno Domini 1088. poſt biennium à ſupradicto capitulo & die tertia mẽſis Martij idem venerabilis Guillielmus Abbas celebrauit modo quo ſupra ſuum tertium capitulum generale in ſacra inſula Lerinenſi. In quo quędam capitula & ſtatuta præceſſorum ſuorum quæ in duobus præcedentibus capitulis generalibus minùs plenè perſpexerant in arduis cauſis occupati & quæ aliquas difficultates & inobſeruantias pariebant experientia rerum magiſtra edocente reformarunt & modificarunt totius capituli vnanimi cõſenſu & alia laudabilia promulgarunt. Anno Dominicæ incarnationis 1360.die decima nona menſis Martij anno ſcilicet vltimo præfati domini Guillielmi Abbatis Reuerendus in Chriſto pater dominus Laurentius Epiſcopus Nicienſis cauſa deuotionis totam quadrageſimam in ſacra Lerina peregit, ibique rogatu prædicti Abbatis & monachorum ordinationes habuit in Sabbatho ſitientes pro monachis tantum. Tum in Eccleſia maiori ſancti Honorati conſecrauit altaria fixa quinque, ſcilicet in honorem ſancti Andreæ, ſancti Stephani, ſanctæ Catharinæ, Sanctorum Coſmę & Damiani, & ſancti Martini varias inibi recondens reliquias ſanctorum, quæ altaria in præſentiarum non extant, omnia tempore corrodente. Iſte Guillielmus Abbas dedit duodecim argenti crateres Marchales conuentui Lerinenſi & multa alia bona perfecit: cuius tandem anima ſoluta corpore migrauit tertio decimo anno ſuæ adminiſtrationis.

1360. *Laurentius Epiſcopus Nicienſis.*

Conſecratio quinque altarium Lerini.

Alziarius Arelatenſis Abbas Lerinenſis, & Roſtagnus quartus de Cobrio.

ANno ſexageſimo primo iam tranſactis milleſimo trecenteſimo, prouiſum eſt monaſterio Lerinenſi pro Abbate de Domino Alziario Abbate, monacho profeſſo & camerario monaſterij Montiſmaioris Arelatenſis per dominum Papam Innocentium VI. demiſſo tamen domino Roſtagno quarto de Cobrio per conuentum Lerinenſem electo, qui Alziarius poſt annos quatuor euectus eſt in Cathedram Epiſcopalem Glandatenſem. 1361.

Ioannes Thornafortis Abbas Lerinenſis.

ANno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo quinto, aſſumptus eſt in abbatiæ Lerinenſis adminiſtrationem dominus Ioannes Thornafortis, monachus profeſſus & Abbas ſancti Pontij de Nicea per dominum Vrbanum V. ſummum Pontificem, qui nono anno ſui regiminis tanquam verus zelator honeſtatis & decoris monaſtici per ſua ſcripta mandauit & iniunxit Priori ſancti Antonij de ianua membri ſui Lerinenſis monaſterij, vt præcipiat & iniungat omnibus monachis ſibi aſſignatis & in futurum aſſignandis, vt in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub pœna excommunicationis de cætero caueant, ne quauis occaſione præſumant exire ſepta dicti loci, niſi de licentia Prioris & induti cucullis ſeu flocis honeſtis iuxta ordinem & ne extra dictum 1365.

beneficium præſumant miſſas celebrare nec pecunias aut oblationes accipere & ſimilia,& ſi quis monachorum inobediens fuerit cito curet intimare domino Abbati Lerinenſi.Anno 1381.inter alia ſuæ adminiſtrationis opera pia ordinauit vt informati ſeu infantes quotidie preces pro animabus magiſtri Raibaudi Barralis Notarii de Luceramo diœceſis Nicienſis.Et eius vxoris ac parentum benefactorum Cœnobii Lerinenſis publicè effunderent,quibus & aliis piis operibus meruit, dum habenas præfati monaſterii Lerinenſis regeret,honorati & ditati ſacro corpore ſanctiſſimi patris Honorati primi fundatoris Lerinenſis cuius tranſlatio contigit anno ſalutis nonageſimo primo poſt milleſimum trecenteſimum,cuius plenam hiſtoriam fuſiùs habes ſupra tertio decimo Calend Febr.Vnde anno ſequenti die quarta decima menſis ſeptembris Capellam intra arcem turris Lerinenſis dedicata fuit ad honorem diuini nominis ſub inuocatione ſanctæ & ſalutiferæ Crucis & altare conſecratum per ipſum Reuerendum dominum Ioannem iam ſublimatum ad Nicienſis ciuitatis Epiſcopatum,in quo conditæ fuerunt de reliquiis beati Honorati & de menſa Domini conceſſæque ſolitæ ſemper in tali conſecratione indulgentiæ: qui etiam venerabilis præſul nunquam à bono opere torpens perfecit turrim de Canois cooperuitque Eccleſiam maiorem ſancti Honorati,tum varia priuilegia à ſancta ſede impetrauit & maximæ exemptionis ſubiectionis ſui monaſterii aliáque plurima præclaré magnáque cum laude geſſit,his triginta quatuor annis quibus eum ſacra Lerinenſis inſula Abbatem meruit habere.

Tranſlatio corporis S. Honorati.

Præfatus Abbas Lerinenſis effectus Epiſcopus Nicienſis.

Roſtagnus quintus monachi cognomento Abbas Lerinenſis,& Nicolaus tertius Abbas Lerinenſis.

1300. *Bonifacius Papa IX.*

POſt exceſſum è viuis præfati Reuerendi Ioannis Thoruafortis anno nonageſimo nono ſupra trecenteſimum milleſimum prouiſum eſt monaſterio Lerinenſi per ſanctiſſimũ Bonifacium IX. de domino Roſtagno quinto,cognomento monachi,monacho dicti Cœnobii Lerinenſis vti diploma illius promotionis Abbatialis docet,& habet perantiquus cathologus manuſcriptus monacho profeſſo monaſterii Montiſmaioris Arelatenſis,olim priore beati Nicolai monialium de Taraſcone, qui Roſtagnus die vigeſima ſexta menſis Iunii dicti anni immiſſus fuit in realem poſſeſſionem & regimen præfatæ abbatiæ,à Reuerendiſſimo in Chriſto patre domino Nicolao tituli ſanctæ mariæ trans Tyberim præsbytero Cardinali ad hoc ſpecialiter à ſancta ſede Apoſtolica delegato,in præſentia omnium monachorum in capitulo infra turrim & Capella ſanctæ Crucis congregatorum,qui cũcti vnanimiter tanquam verè filii obedientiæ,præfatum Roſtagnum in ſuum patrem & Abbatem acceptarunt & ipſe Abbas eos ſigillatim amplexando in oſculo pacis in legitimos filios habuit,tum capitula & inſtituta quædam prædicti monaſterii ſibi exhibita obſeruare & illibata cuſtodire ſe iuramento aſtrinxit.

Eodem quoque anno erat eius Vicarius Generalis & prior clauſtralis vir religioſus dominus Ioannes Laugerius ciuitatis Niciæ prouinciæ prior valliſaureæ,qui coram ſe litigantes dominum Guillelmum Bacconem monachum & infirmarium dicti monaſterii, & dominum Antonium de Moreriis etiam monachum & camerarium Lerinenſ.de quibuſdam penſionibus aliiſque pertinentiis ad inuicẽ amicabiliter cõpoſuit:nec permiſit aliò diuerti iurgia & differentias eorum,qui quidẽ dominus Ioannes Laugerius vt cordis ſui quam geſtabat flammã deuotionis erga beatiſſ.P.noſtrum Honoratum cunctis pa

palàm oſtentaret, circa hæc tempora elaborare & cudere munificè curauit caput argenteum à pectore ſurſum eleuatum præ ſe ferens effigiem Epiſcopi infulis, ſtolis & thiariis pontificalibus redimiti, in quo ſacri verticis Archiflaminis Honorati, Lipſana condita futuris ſæculis honorificè aſſeruarentur. *Caput argenteū S. Honorati cuditur.* 1400.

Currente verò anno quadringenteſimo ſupra milleſimum, die decima menſis Maij, qui ſecundus erat præfati domini Roſtagni (vti in prægrandi breuiarij membrani manuſcripti dicti monaſterij continetur hiſtoria, in qua mendum de Pontifice Romano, cum his temporibus non Benedictus XIII. qui nullus fuit, ſed Bonifacius IX. præſideret, item & de Rege Galliarum, cùm non Ludouicus II. longè ante, ſed Carolus VI. regnaret, vel in nota annorum error irrepſit, non enim concurrunt) arx turris intra cuius ambitum cœnobium ſancti Honorati Inſulæ Lerinenſis continetur fuit per inuaſionem & ſcalarum aſcenſum noctu capta & deprædata à prædonibus Ianuenſibus, ſemper Lerinenſibus infeſtis, & prouincialibus, quorum caput & anteſignanus erat quidam nefandiſſimus latrunculus & proditor nomine Salagerius, de Nigrorum Pogio Ianuenſis famoſiſſimus pirata (cuius adhuc ſunt pullulantes ramuſculi) cuius primo Ianuarij præſentis anni intempeſtæ noctis incurſu quædam ipſius nauis bellica ſceleratorum hominum diuerſarum nationum oppleta, plus mille naufragio in valle Freineti abſorpta fuit in qua ducenti quinquaginta perierũt, ipſo furcifero Duce cum reliquis euadentibus, quo immenſo ab altiſſimo munere accepto correctiorem certè eum euadere: ſed qui ſordibus totus erat magis ſordeſcere cœpit, & in profundum malorum ſubmerſus ſceleratiora aggreditur, ſacriq; promptuarij cœnobij Lerinẽſis arcem aëream ſolidiſſimæ turris ſanctorum Martyrium Pontificum & Confeſſorum artuum ſacrorum cuſtodem noctu aggreditur valido impulſu, & inuadit cũ potenti manu armatorum: quę tamẽ ſummo factore ſic omnia diſponẽte citiùs fuit priſtinæ libertati reſtituta die vigeſima ſexta menſis maij, in vigilia Aſcenſionis domini noſtri Ieſu Chriſti, per nobiles & ſtrenuos viros huius patriæ prouinciæ, quorum erat Primicerius ſpectabilis vir illuſtriſſimus dominus Georgius de Marlio, miles & regi⁹ Seneſchalus huius comitatus prouinciæ, in cuius comitiua affuerũt infraſcripti nobiles viri nempè, dominus Ioãnes Gonſaluus miles, dominuſq; de Soleriis cum ſua quinqueremi & bireme iuſſu domini Seneſchali, Antonius de Villa noua domin⁹ de Barema. Lucas de Grimaldis dominus de Caigna. Ludouicus dominus de Sclagnola. Bertrannus de Graſſa dominus de Albarno. Dominus Diego Gonſaluus, nepos ſupradicti domini Ioannis Gonſaluj gubernator quinqueremis & biremis. Ioan. Drogulus regius Cõſiliarius & Magiſter rationalis Prouinciæ. Antonius Iſnardi regius ſecretarius & rationalis prouincię. Petrus de Vaudamõte etiam ſecretarius regius. Guido de Intermillio dominus de Caſtellaro. Bertrandus de villa noua dominus de Torretis & Guichardus de Vencia dominus de aliis Torretis. Philippus Balbi, Guido de Palude, Iacobus Renaudi de Draguiniano. Iacobus Gilli Vicarius & Capitanus Graſſæ. Honoratus Bonifacij Caſtellanus palatij ipſius ciuitatis Ludouicus Bonifacij Sindicus Graſſæ cum plurima ſocietate. Dominus Honoratus Cormæ Iuriſperitus: tum adfuerunt multi ad arma parati de ciuitate Toloni, Antipolis, Venciæ, & Caſtro Canois Moginis, ſancti Pauli, Cagnæ. Neapolæ & aliorum vicinorum oppidorum. In qua furtiua nocturnáque inuaſione & ſacrilega cœnobij deprædatione hæc euenere. Notanda primò, quod in ipſa captione bis Scala (etſi fortiſſimæ) fractæ ſunt. Secundò, quod non ſemel, ſed

Turris Lerinenſis capta per inuaſionem.

Fuit recuperata ars Lerinenſis per nobiles viros hic enumeratos.

Quædam admiranda notatu digna.

pluries conſtituiſſent argentea inaurata vaſcula, in quibus ſacra pignora ſanctorum aſſeruantur & pretioſa quędam minutatim effringere & inter ſe diuidere nunquam effectui demandare voluerunt,ſed ſpiritu vertiginis acti ex S. crucis Cappella vbi ſacra ſanctorũ oſſa includuntur nimio timore repleti retrocedebant re quidẽ infecta: tertiò,quod cimbã Maſſilienſem transfretãtem deprædare fuiſſent aggreſſi,duo ex ipſis prædonibus interempti ſunt, vnus è duobus erat qui manus ſacrilegas primus in ſacrum S.Honorati verticẽ vt eũ cõminueret temerariè intulerat,&ei in cõflictu caput confractũ eſt,alter verò qui deriſoriè accepto baculo paſtorali more prælatorũ benedictionẽ impertiebatur ſociis duos digitos manus dextræ ante ſuum infœlicem amiſit exitum,& in eo quo quis peccat in eo & puniatur.Cęteri quinque Maſſiliam captiui ducti fuere & ab his ſumptum ſupplicium: quartò, quod cum ipſi prædones,duos ex primoribus &fidelioribus ſpeciales actores cum aliis aſſociatos ſecum ducentos nummos aureos ferentes pro victualibus & neceſſariis emendis in arcémque turris inferendis miſiſſent, ipſi duo cupiditate pecuniæ ducti ad inuicem, dum adhuc eſſent in mari,ſeipſos gladiis confoderunt & vitam præſentem & futuram & pecuniam ſimul amiſerunt. Non enim eſt pax impiis, dixit dominus: quintò, quod etſi numero funeſtorum nebulonum, armis furialibus, cibariiſque frugalibus, & ſoliditate eminentis turris muniti exiſterent in quibus confidere poterant: tamen grauiter acceptis quibuſdam pactionibus poſt ſedecim dierum curſum ſui aggreſſus, vltro ſeſe dedere.Articuli conuentionis hi fuere, & eis vita ipſorum ſalua quædamque taſſæ argenteæ ac certa quantitas pecunia condonata eſſet, reliqua illibata & intacto monaſterio remanerent, quod prædicti fures nefarij ac fœdifragi neutiquam obſeruarunt, ſed varios libros, taperes linteamina Eccleſiaſtica aliáque diuerſigena ſecum ſubdolè & furtiuè aſportarunt bona, quæ derepentè propè Inſulam eis à regalibus viris & miniſtris ſunt ſubſtracta iuxta illud. *Deprædaſti?nonne & ipſe deprædaberis?*Denique non pauci ex ipſis ſacrilegis poſtmodum captiuati fuerunt, aliqui in ciuitate Aguenſi,Nicea,Antipolitana aliiſque locis &vltimo trium lignorũ ſupplicio affici,Aquis Sextiis & Graſſę condignũ ſuorũ meritorũ reportantes præmiũ.

Anno autem quarto decimo præfati domini Roſtagni,redemptionis verò humanę milleſimo quadringenteſimo tertio decimo,ſuffectus reperitur ei in Abbatiæ Lerin. cœnobij regimine eo viuente(exiſtimo ob eius in agibilibus ineptiã)Reuerẽdus in Chriſto pater dominus Nicolaus Abbas,vt clarè patet ex quadã collatione ab eo capitulariter Lerini facta, in mẽſe Februario anno quo ſupra domino fratri Bertrãdo Turreli monacho Lerin.de Capellania ſeu cura parrochiali Eccleſiæ S.Antonij de Ianua, iuris ipſius monaſterij Lerin. ad inſtantiam & petitionẽ domini Roſtagni de Romulis, prioris dicti prioratus S. Antonij Iannenſis, in quo tunc erat numerus Monachorum viginti octo ſimul Lerinenſiũ,ex quo ſanè conſtat interpellatam fuiſſe dicti domini Roſtagni Cathedræ Abbatialis adminiſtrationem,quid verò aliud egerit,vel quantum ſederit Nicolaus iſte nõ eſt aliquo documento compertum nobis, ſicut & de Roſtagno ſimul cum eo Abbate, quorum bona in modico conſiſtunt, durauit eiuſmodi regimen forſitan ſchiſmaticum (quia non capit duos vna ſedes vno tempore)per annos viginti.

Petrus de Hiſpania Cardinalis Abbas Lerinenſis.

1419. ANno decimo nono iam cõpleto milleſimo quadrigẽteſimo,ſupradictus dominus Roſtag.fuit depoſit° à præfata Abbatia Lerin.per illuſtriſſimũ dominum

dominum Petrum de Hiſpania, Epiſcopum Sabinenſem, tituli ſanctę Praxedis, presbyterum Cardinalem, quibus verò de cauſis non ita eſt compertum, qui quidem Dominus Cardinalis ſolùm anno vno tenuit dictam Abbatiam & debitum carnis perſoluit.

Gaufredus de Monte electo Abbas Lerinenſis.

POſt obitum Domini Petri Epiſcopi Sabinenſis, tunc tituli ſanctæ Praxedis, presbyter Cardinalis, qui contigit anno milleſimo quadringenteſimo vigeſimo, prouiſum fuit Monaſterio Lerinenſi, de perſona Domini Gaufredi, de Monte electo, decretorum Doctore, & in ſacra pagina Baccalario monacho Monaſterij ſancti Martini propè Turones per Dominum Martinum V. ſummum Pontificem, qui Dominus Gaufredus Abbas anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo, agente decimo ſuæ promotionis ad incrementum cultus diuini, & Eccleſiaſtici ordinis dignitatem, ceſſit liberè prioratum de Veteri Spiſſa dioceſis ſancti Flori iuris ſacri Monaſterij Lerinenſis presbyteris & Canonicis Eccleſiæ nouæ ſanctæ Mariæ, ſancti Flori: vnde & præfati canonici, vt ſe à vitio ingratitudinis purgarent vicem beneficij accepti rependentes infrà ſcripta in fauorem & honorem Lerinenſium monachorum vnanimiter ſanxerunt. *Martinus Papa V.* 1430.

Vniuerſis præſentes literas inſpecturis & audituris. Nos Gitbertus Bethonis, Raymũdus Eſtlani, Bernardus vitalis, Antonius Boſchonis, Petrus Amalrici, Petrus Iuuenis hominis, Robertus de aquis, Guitbertus Baſterij, Guillermus Benedicti, Guillermus de Orto, & Ioannes Grayſſac, presbyteri Canonici Eccleſiæ nouæ beatæ Mariæ ſancti Flori, in capitulo noſtro ad ſonum campanæ, vt moris eſt, vnanimiter congregati pro capitulando & capitulum noſtrum tenendo congregati, ſalutem in Domino & præſentibus in dubiam dare fidem. Licèt cunctis qui Chriſtiana profeſſione & cenſentur charitatis affectum & ſecundum perſonarum qualitatem & ſtatus exigentiam præſentionem debeamus impendere: in ipſius tamen charitatis officiis primo loco illis tenemur obnoxij à quibus nos cognoſcimus beneficia recepiſſe. Cùm igitur Reuerendus in Chriſto pater Dominus Abbas ac religioſi viri conuẽtus Monaſterii ſancti Honorati ſacræ Inſulæ Lerinenſis ordinis ſancti Benedicti Graſſenſis diocœſis, ſanctæ ſedi Apoſtolicæ immediatè ſubiecti, nobis capitulóque noſtro atque ipſi Eccleſiæ noſtræ pro eius augmento & vtilitate dederint & cõceſſerint prioratum ſuum de Veteri Spiſſa dioceſis ſancti Flori membrorum à dicto Monaſterio dependens cum omnibus iuribus & pertinentiis ſuis, pro vt in eorum patentibus literis ſuis maioribus ſigillis roboratis pleniùs ac latiùs continetur. Hinc eſt quod nos in capitulo noſtro prædictæ Eccleſiæ collegiatæ beatæ Mariæ ſancti Flori ad ſonum campanæ, vt moris eſt, loco & hora conſuetis propter hæc alia dictæ noſtræ Eccleſiæ negotia adunati capitulantes & capitulum noſtrum more ſolito celebrãtes prędictas donationem ſeu cõceſſionem de dicto prioratu de Veteri ſpiſſa nobis Eccleſiæ noſtræ, vt præmittitur factas, ratas, habentes & gratas, cupientes vt tenemur vicem reddere pro gratia & totius ingratitudinis notam euitare, habito ſuper his ſolemni & diligenti per plures dies tractatu vnanimi conſenſu & voluntate omnem noſtram nos & ſucceſſores noſtros Eccleſiam noſtram ante dictam ſubmiſimus & obligauimus, ac de præſenti ſubmittimus & obligamus ad faciendum, tenẽdum & obſeruãdum perpetuis temporibus, ea videlicet quæ ſequuntur. Et primo à modo & deinceps nos & ſucceſſores *Litera Canonicorum ciuitatis S. Flori in Aluernia.*

noſtri ac omnes & ſingulæ dictæ noſtræ Eccleſiæ perſonæ,quæ ſunt & erunt pro tempore pro dictis Dominis Abbate & conuentu ac proſpero dicti Monaſterij ſtatu pro vt altiſſimus dederit, orabimus tam in miſſis quàm aliis orationibus noſtris eoſque omnium & ſingulorum bonorum ſpiritualium quæ hactenus in dicta Eccleſia noſtra fient participes & conſortes, quantum cum Deo poterimus,faciemus.Item quod in præfata Eccleſia noſtra ſingulis annis decimo ſeptimo calendas Februarij die videlicet ſexta decima menſis Ianuarii feſtum illius glorioſi confeſſoris Chriſti Beati Honorati olim dicti Monaſterij Lerinẽſis Abbatis poſtmodum Arelatenſis Archiepiſcopi ſolemniter celebrabimus, cum pulſationibus & aliis ceremoniis ac ſolemnitatibus vniuerſis in feſtis duplicibus adhibere conſuetis. Item ſi aliquando contigerit dictum Dominum Abbatem dicti Monaſterij Lerinenſis vel aliquem ſucceſſorum ſuorum ad dictam noſtram Eccleſiam perſonaliter accedere: nos omnes vſque ad valuas ipſius Eccleſiæ noſtræ eidem proceſsionaliter occurremus,atque ſibi debitam reuerentiam impendemus. Item quandiu idẽ Dominus Abbas vel aliquis ſucceſſorum ſuorum ſiue monachorũ clauſtralium dicti Monaſterii in ipſa ciuitate ſancti Flori ſteterit aut moram fecerit perſonalem, nos & ſucceſſores noſtri qui erunt pro tempore, talem & tantam quantitatem ſeu portionem qualem & quantam vnus canonicus Eccleſiæ noſtræ continuè reſidens habere & percipere conſueuit,eidem Domino Abbati ſeu eius ſucceſſori vel monacho dicti Monaſterii ibi perſonaliter exiſtẽti, dare ac miniſtrare tenebimur per triduũ duntaxat,& nõ amplius:quæ omnia & ſingula præmiſſa facere, tenere pariter & ſeruare, ac non contra venire quocunque modo,de iure vel facto nos, vt & tanquam capitulum prædictum pro nobis & ſucceſſoribus noſtris qui erunt pro tempore bona fide promittimus ſub obligatione omnium & ſingulorum bonorum noſtrorum & dictæ Eccleſiæ noſtræ præſentium & futurorum, renunciantes omni allegationi præſcriptionis,conſuetudinis,priuilegii impetrati vel impetrandi, & omnibus aliis oppoſitionibus ſeu allegationibus iuris vel facti per quæ ſeu quas omnium vel ſingulorum præmiſſorum effectus impediri poſſet quomodo libet vel differi. Actum & datum in capitulo noſtro prædicto,teſtibus præſentibus Domino Raymundo Guy, & Petro Malaſſanhas presbyteris ad præmiſſa vocatis die vigeſima prima menſis Martij anno ab incarnatione Domini milleſimo quadringẽteſimo trigeſimo,in cuius rei teſtimonium has præſenter literas fecimus ſigilli dicti noſtri capituli appenſione muniri & per Iacobum Iabre Notarium ſignari.

Ipſo etiam Gaufredo Abbatiam Lerinenſem moderante admodum venerabilis pater Dominus Melchior de Berra monachus profeſſus ſacræ Inſulæ Lerinenſis,& magna quam gerebat erga domum Vallis Benedictionis ordinis Carthuſienſis deuotione,à reuerendo patre fratre Guillermo maioris domus Carthuſiæ priore & omnibus diffinitoribus in eorum capitulo generali congregatis, fuit admiſſus ad participationem omnium Miſſarum, Orationum,Vigiliarum,ieiuniorum,Eleemoſinarum,&aliorum bonorum ſpiritualium dicti ordinis, vt patet ex duplicatis literis benè obſignatis, quas nunc nos in noſtra congregatione Caſinenſi literas gratioſas appellamus.

Ordinat diuinũ officium. Conſtruit chorũ intra turrim.

Iſte etiam vir eloquẽtiſsimus Gaufredus ordinauit diuinum officium cum ſumma diſcretione ſecundum regulam diui Benedicti: & librum de profeſſione monachorum:& impetrauit bullam pœnitẽtiariorum à prædicto ſummo Pontifice,nec non fecit fieri chorũ in ciuitate Toloni pro baſilica ſanctæ

crucis

Crucis intra turrim ſumptibus ſuis an. domini 1432. qui cum eſſet fons ſciẽtiæ indeſinenter adhæſit conuentui, die noctúque diuinis officiis interfuit, & allegationes perdoctas dictauit pro Monaſterio Lerinenſi. Inſuper fuit miſſus legatus per Sereniſſimum principẽ Ludouicum III. Hieruſalem Siciliæ, &c. cum aliis prælatis ad concilium Baſilienſe, deinde poſt concilium fuit electus legatus ad dominum Eugenium quartum exiſtentem Florentiæ & ibidem dominus Papa dedit ei Abbatiam ſancti Germani propè Pariſios & reuerſus Baſileam ius ſuum proſequẽdo contra vnum electum in præfatam Abbatiam Pariſienſem. Clauſit ibi diem extremum & (vt dicitur) veneno fuit appetitus medio aduerſarij ſui, rectis Abbatiæ Lerinenſis fœliciſſimè & ſanctiſſime habenis annis quatuordeuiginti.

Legatus mittitur ad concilium Baſil.

De domino fratre Iacobo Gaſtolij Graſſenſis ciuitatis & Monacho Lerinenſi qui in vita & morte ſpeciem non modicam ſanctitatis pratulit.

LIbet hic antè quam vlteriùs progrediamur nonnulla ſcitu digna, quæ per hæc tempora euenere, hic ex vetuſto codice manuſcripto Lerin. deprompta inſerere. Nam anno domini milleſimo quadringenteſimo vigeſimo ſecũdo, die verò vigeſima tertia menſis Iulij moderãte Abbatiã domino Gaufredo de monte electo, obiit religioſus vir dominus Iacobus Gaſtõlii Monachus & operarius huius Monaſterii Lerin. homo vitæ laudabilis & conuerſationis honeſtæ, qui de ciuitate Graſſenſi oriundus, ex probis & honeſtis parẽtibus procreatus, in primæuo Iuuẽtutis ſuæ flore ſortitus eſt vxorem, & ex ea prolem ſuſcepit, poſtmodum verò vxore cum prole ſua viam vniuerſæ carnis ingreſſis, ipſe cupiens fallacẽ mundum deſerere & Chriſtum ſequi Monaſterium Lerinenſe petiit & obtinuit recipi in Monachum vbi per annos multos laudabiliter conuerſatus ab eſu carnium abſtinebat etiam infirmus, aliquando totam quadrageſimam in pane vt aqua ieiunauit, nonnunquam totum tempus illud ſacroſanctæ quadrageſimæ abſque vino & omni tempore quintam feriam ſolo pane & aqua contentus ieiunabat, deinde accepta licentia tempore indulgentiarum anni Iubilei ſanctum ſepulchrum domini cum aliis ſanctis Locis trãſmarinis, nec non limina Apoſtolorum Petri & pauli & beati Iacobi de Galicia deuotè viſitauit, cum magnis laboribus & periculis innumeris, cùm autem Reuerendus in Chriſto pater dominus Ioannes Tornafortis Epiſcopus Nicienſis, qui fuit creatus antea Abbas Lerinenſis anno ſcilicet 1365. ex Monacho ſancti Pontii de Nicea (vt ſupra habes) prędicto domino Iacobo officium operariæ contuliſſet & commiſiſſet exercendum ipſe onus ſibi impoſitum deuotè ſuſcipiens & efficaciter complens de bonis ſuis paternis & maternis, quæ Monaſterio contulit, capellam turris, in qua nunc diuinum officium celebratur fecit ædificari, refectorium etiam ipſius turris & puteum, qui eſt in medio (ciſternam ſcilicet) fecit etiam conſtrui, & alias multas magnas reparationes in dicto Monaſterio fecit, dotauitque quandam capellaniam in Altari ſanctæ crucis intra turrim. Inſuper conſtituit celebrari duo etiam Anniuerſaria, vnum ſcilicet quolibet menſe, & hoc de licentia domini Hugonis Martini prioris clauſtralis dicti Monaſterii pro animabus parentum ſuorum, & maximè Stephani Gaſtolii & vxoris, qui dotarunt operarium, & quia erat homo compatiens & charitatiuus de reſiduo bonorum multas & largas eleemoſinas habita licentia faciebat maximè circa redemptionem captiuorum, qui in manibus infidelium detinebantur afflicti: tandem ſenio confectus, ac pœnis & laboribus con-

quaſſatus ad tantam corporis debilitatem deuenit, vt vix propriis pedibus valeret ſuſtentari, aut de loco ad locum ſe transferre: ſed ipſe corpore infirmus, fortis tamen ſpiritu nunquam aliquid de ſui propoſiti rigore ſiue de eſu carnium matutinarum vigiliis aut aliis regularibus exercitiis relaxauit, & in hebdomade qua obiit ipſe maiorem miſſam quotidie celebrauit, licet grauiùs ſolito ægrotaret, & cum ipſe in officio matutinarum cũ aliis Monachis interfuiſſet quinta feria iſtius hebdomadæ poſt matutinas ad proprium ſtratum regreſſus placidè & quaſi in ſomno quietis in domino obdormiuit. Anno & die quibus ſupra, cuius corpus in ligneo ſarcophago repoſitum cum floribus odoriferis in ſepulchro lapideo, quod Abbas & conuentus ei fecerunt ædificari ſepultum extitit in clauſtro dicti Monaſterij iuxta portam à parte turris, vbi etiam parentes iacent inhumati illud magnæ reſurrectionis tempus, qua in nouiſſimo die de terra ſurrecturi ſunt præſtolantes. *Amen.*

Antonius Abbas Lerinenſis.

1436. HIſcè temporibus ſcilicet anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſexto, vt ex publicis conſtat documentis, regnabat in Abbatia Lerinenſi
1441. Antonius Abbas, qui anno dominicæ incarnationis 1441. & ſeptimo calendas Martij Florentiæ obtinuit à ſummo pontifice Eugenio IV. quandam bullam vnionis in fauorem Monachorum, & Monaſterij ſacræ Lerinenſis, quo regente dominus Ioannes Mainerij Monachus Lerinenſis, & prior Beatæ Mariæ de Moſtaireto conſtrui fecit, intra turrim quandam cellam in dormitorio in parte occidentali iuxta portam & gradus, quibus nunc itur ad refectorium, in qua nunc manet reuerendus dominus Abbas & Guillelmus Guiſolus de Graſſa quandam pecuniam & cementum pro cameris dicti dormitorij cõplendis. Vigebat adhuc iſte Antonius annis ſequẽtibus nempè milleſimo quadringẽteſimo quadrageſimo quinto, vt liquidò patet ex quibuſdã actis capitulariter habitis Lerini ipſo præſente, in quo capitulo interfuit etiã dominus Andreas de Placentia Monachus & infirmarius dicti Monaſterij & Prior de Brianſono, qui poſtmodum in Lerinenſem Cathedram Abbatialem meruit euehi, quot annos dictus Abbas Antonius præfatum Monaſterium rexerit, non certo ſcitur: putatur tamen ad nouennium perueniſſe.

Guillelmus Vayſerius Abbas Lerinenſis.

DVm circulus annorum rota præcipiti circa milleſimum quadringenteſimum quadrageſimum ſextum volueretur, dominus Guillelmus Vayſerius prouiſus fuit de Abbatia Lerinenſi, authoritate Apoſtolica literis deſuper confectis, vti aſſerebatur, qui nulla grauiſſima grauamina prætextu prædictarum literarum Monaſterio & perſonis inferebat, ex quo nonnullæ appellationes ad ſedem Apoſtolicam interpoſitæ extitere, tum quidam Bernardus de Candia pro Canonico Foroiulienſi ſe gerens, eiuſdem Guillelmi Vicarius Monachos coniunctim ac ſeparatim nominatimque & alias perſonas Eccleſiaſticas ac ſęculares ipſis adhærentes, ſeu auxilium conſilium vel fauorem præſtantes pro eo quia nonnullis monitis & mandatis eiuſdem vicarij ad ipſius Guillelmi inſtantiam prætextu earumdem literarum parere & obedire neglexerant, plures & diuerſas excommunicationum, ſuſpenſionum & interdicti ac nonullas alias ſententias, cenſuras & pœnas fulminare: eóſque ligatos fuiſſe declarare, ac vt tales nunciare,

& nun

& nunciari facere non dubitauit. Quo in diſcrimine poſiti monachi Lerinēſ. ad ſupremum ſanctã ſedem Apoſtolicam tanquam generalem matrem, vt eos à tantis tórque oppreſſionibus, calumniis & aliis incommodis vindicaret, recurrere minimè dubitarunt. Moderabatur tunc retinacula ſedis Romanæ Nicolaus quintus qui his auditis benigno fauore eos proſecutus eſt: & non monaſterium Lerinenſe (quod immediatè ſubeſt ſedi Apoſtolicæ) tam in ſpiritualibus, quam temporalibus detrimenta ſentiret, eorúmque ſupplicationibus inclinatus, omnes & ſingulas perſonas à ſententiis, cenſuris, pœnis, quibus forſitan præmiſſorum occaſione ligatæ eſſent, auctoritate Apoſtolica abſoluit, & ſuper irregularitate diſpenſat, diſtrictè inhibendo canonico prædicto nec non aliis dictarum litterarum executoribus, & ab eis pro tempore deputatis, nec poſtquam litteræ Apoſtolicæ eis intimatæ fuerint aliquid vlterius in præmiſſis contra monaſterium, & perſonas facere vel attentare quoquomodo præſumant, donec aliud de mandato dicti domini Papæ ordinatum ſit irritum & inane, quicquid ſecus actum fuerit, vti ex dicta bulla claret. Sub datum Romæ anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſeptimo duodecimo Calendas Auguſti Pontificatus eius anno primo. Interrumpitur & miſcetur tempus Abbatiale iſtius cum ſequente, vt videbis.

Andreas de Fontana aliàs de Placentia Abbas Lerinenſis.

ETſi præceſſor Guillelmus Vayſerius prouiſus fuerit de abbatia Lerinenſi, non tamen conſtat vſque modo liberam illius poſſeſſionem exercuiſſe, vnde præſenti anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio die ſexta decima Aprilis, regnante domino illuſtriſſimo ac ſereniſſimo Renato comite prouinciæ, Reuerendus in Chriſto Pater dominus Andreas de Fontana, aliàs de Placentia Abbas ſancti Honorati, electus per capitulum Lerinenſe celebrauit ſuum primum capitulum generale in dicta inſula, cum interuentu omnium monachorum ipſius conuentus & omnes priores prioratuum ab ipſo monaſterio dependentium & maximè Abbas ſancti Antonij de ianua dominus Benedictus de Negrono per procuratorem ipſe in aliis detentus vbi procedentes ad reformationem capitis & membrorum, vt facilius cauſæ promouendæ in dicto capitulo terminarentur & definirentur, elegerunt quatuor definitores, cum plenitudine poteſtatis, cum variis cerimoniis & iuramentis, tum duo promotores, qui neceſſaria proponerent, concluſiſque omnibus in dicto capitulo permotis proceſſerunt ad confectionem ſtatutorum nouiter editorum & reformationem etiam antiquorum in primíſque ordinarunt, vt quæcumque reuerendus dominus Gaufredus Abbas præceſſor circa diuinum officium & cerimonias diſpoſuerat ſeruarentur, tum ſtatuendo ordinarunt in virtute ſanctæ obedientiæ, vt ob reuerentiam ſanctiſſimi patris noſtri Honorati cuius meritis monaſterium & membra eius valde decorantur, quod feſtum translationis ipſius inſcriberetur Calendario ſub nota duplicis feſti, die quinta decima Maij, & ſolemniter celebraretur à cunctis monachis & prioribus tam in monaſterio quàm in prioratibus ab ipſo dependentibus & hoc potiſſimum faceret ſub pœna qua ſupra Abbas ſancti Antonij Ianuenſis, ſimilíque modo ordinarunt celebrari & inſcribi Calendario feſtum trãslationis ſanctorũ martyrũ Aygulphi Abbatis & ſociorũ videlicet die decima ſeptima Maii, quo die tranſlati fuerunt ab Inſula Marutuma interiacente inter Corcycam & Sardiniam Inſulas. Porrò in dicto capitulo generali fuerunt

13.

Tranſlatio S. Honorati iuſſa inſcribi in Calendario.

pluſquam centum promulgata ſtatuta ſaluberrima,tam circa ſpiritualia quàm temporalia, vt bonos mores & verè iſte Abbas Andreas, quæ prius in ſacra Lerina monachus ſeminauerat Abbas creatus recollegit, ſuiſque paſcendis ouibus diſtribuit.

1454. Anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quarto honorabilis vir Petrus Garnerius de Nicea,ære & opere ſuo fecit fieri & pingi à Iacobo Durandi de Nicea pictore Iconem maiorem capellæ ſanctæ Crucis infra turrim Lerinenſem, in quo ſumma pietas viri & munifica erga Lerinenſes liberalitas comprobatur,& non his contentus idem fecit fieri indumenta ſacerdotalia alba & rubra ſolemnia.

1455. Anno autem Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quinto, die quarta decima octobris Pontificatus ſanctiſſimi Caliſti diuina prouidentia Papæ III. iterum ſe immiſcet in abbatiali gubernatione(forſan rebus in melius compoſitis) dominus Guillelmus Vayſerius, & vigore litterarum Apoſtolicarum inducitur in poſſeſſionem realem abbatiæ dicti Monaſterii, qua quidem iam pridem fuerat expoliatus & nunc reintegratus & reſtitutus & à toto conuentu monachorum in maiori Eccleſia ſancti Honorati & capitulo veteri capellæ ſancti Leonardi, nunc ſancti benedicti in oſculo pacis receptus eſt , oblatíſque ei ſtatutis monaſterii & antiquis , laudabilibúſque conſuetudinibus medio iuramento omnia ſe obſeruare & recipere illibatè promiſit. Sed his nihil obſtantibus Reuerendus Abbas Andreas annis ſequentibus inuenitur adminiſtrationem abbatiæ Lerinenſis exercuiſſe forſan quia ipſe Guillelmus vel ceſſit,vel deceſſit è viuis.

1464. Anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo quarto iſte Reuerendus Abbas Andreas fuit per ſanctiſſimum in Chriſto Patrem ac dominum Pium diuina prouidentia Papam ſecundum promotus ad Epiſcopalem dignitatem Ciſtaricenſis Eccleſiæ ex Abbate & monacho Lerinenſi, & ei ſubrogatus in dicta Abbatia Dominus Iſnardus, vt in ſequentibus patet.

Iſte reuerendiſſimus dominus Andreas non immemor beneficiorum & fructuum bonorum operum , quos in agro Lerinenſi recollegerat, cùm iam ageret ſextum decimum annum in Epiſcopatu Ciſtaricenſi, vniuerſam Beati patris Honorati iconibus, figuriſque egregia pictoris induſtria digeſtam vitam in prægrandi maioris altaris tabula depingi curauit , quo, aliiſque beneficiis acceptus , vt vicem benefactori conuentus rependeret illius anniuerſarium quotannis in præfata Eccleſia celebrari conſtituit vndecimo Calendas Maii, inuenitur autem abbatiam annos circiter vndecim adminiſtraſſe , licet interpellatè , vt vidiſti. Ex inde commendæ.

Iſnardus de Graſſa Abbas Lerinenſis.

1464. ELapſis ſexaginta quatuor annis ſupra millenum quadringentum die vigeſima nona Maii Pontificatus ſanctiſſimi Pii, diuina prouidentia Papæ II. & ſereniſſimi principis Renati comitatus promoto ad Epiſcopatum Ciſtaricenſem Reuerendo patre domino Andrea de Fontana aliàs de Placentia monacho Lerinenſi,prouiſum eſt de Abbate monaſterio Lerinenſi, de perſona Domini Iſnardi cognomento de Graſſa Epiſcopi Graſſenſis,eiuſdémq; Domini noſtri Papæ referendarii, qui Romæ exiſtens conſtituit die quarta Februarii anni ſequentis ſuos procuratores nempe venerabilem magnæque nobilita

nobilitatis virum dominum Nicolaum ex comitibus Vintimilij prædicti monaſterij Monachum & operarium. Dominum Ioannem Filioli decretorum doctorem propoſitum Graſſenſem. Carolum de Graſſa, dominum de Albarno, Petrum de Graſſa, dominum de Borma, & Georgium de Graſſa, dicti domini Reuerendiſſimi fratres, & eodem anno currente vndecima menſis Nouembris præfatus Reuerendus Epiſcopus & Abbas poſt obitum Pij Papæ II. (cui ſuffectus eſt Paulus II.) diſcedens Roma venit Lerinum, & ibi venerabiliter ſuſceptus omnia monaſterij ſtatuta obſeruaturum ſe iuramento aſtringit, quod verò annos Abbatiæ Lerinenſis habenas rexerit, non conſtat, cuius temporibus anno ſcilicet 1480. reuerendiſſimus Andeas de Fontana, Epiſcopus Ciſtericenſis Iconem maiorem ſancti Honorati (vt ſupra habes) curauit.

Ioannes Andreas de Grimaldis Abbas Lerinenſis.

CIrca annos domini milleſimum quadringenteſimum nonageſimum primum, optinuit adminiſtrationem Abbatiæ Lerinenſis dominus Ioannes Andreas de Grimaldis quo moderante anno 1497. deuotus pater & religioſus dominus Antonius Siramandus profeſſus dicti Cœnobij, & prior Vergonis, fecit reędificare Eccleſiam ſancti Petri Apoſtolorum principis & Lerinenſium protectoris diem ſuum extremum obiit anno quinto vltra quingenteſimum milleſimum, qui ante arcam argenteam fieri fecit ad oſſa ſancti Honorati recondenda. 1491. 1497. *Vide in annotatione tranſlationis S. Honor. 20. Ianuarij.*

Auguſtinus Grimaldus, Abbas Lerinenſis.

ANno milleſimo quingenteſimo quinto, præceſſori ſuffectus eſt in Epiſcopatus Graſſenſis, & Abbatiæ Lerinen. adminiſtratione Reuerēdiſſimus dominus Auguſtinus de Grimaldis, qui Zelo Dei & amore religionis inincenſus in ipſa diuinum cultum & corruptam veterno Monaſticæ inſtitutionis diſciplinam ipſúmque monaſterium reformandum curauit, ſupponens illud in perpetuum, & vniens ſacræ congregationi ſanctæ Iuſtinæ de Padua, dictæ vnionis, & ſocietatis nunc Caſſinenſis, & multa alia præclara opera geſſit, exceſſitque è viuis anno trigeſimo ſecundo ſupra milleſimum quingenteſimum. 1505.

Anno milleſimo quingenteſimo quinto decimo ſacra congregatio Caſſinenſis ipſum monaſterium & Abbatiam Lerinenſem gubernandam regendámque ſecūdum eius inſtituta regularia ſuſcepit, & deinceps Abbates alioſque officiales inſtituit & deſtituit atque ita (ſic fœliciter auſpicante Deo) perfectam & integram regularium inſtitutionum obſeruationem eſt conſecutum ſacrum Lerinenſe cœnobium, qua vt Deus illud in perpetuum frui faciat votis omnium noſtrûm contendendum eſt. 1515.

De aduentu ſummi Pontificis Adriani VI. ad Inſulam Lerinenſem, & indulgentiis in die ſancti Porcharij Abbatis.

ANno à natiuitate Saluatoris milleſimo quingēteſimo vigeſimo ſecundo, die duodecima Auguſti, in qua recolitur memoria S. Porcharij Abatis & quingentorum ſociorum vna die à barbaris occiſorum Adrianus VI. Flandrus in Pontificem ſummum à ſacro Senatu Romano, cum eſſet in Hiſpaniis electus Romam cum quatuordecim triremibus proficiſcens in Inſulam Lerinenſem applicuit, dans illo die indulgentiam plenariam perpetuò duraturam Monachis præſentibus & futuris, regnante in Gallia magno Franciſco Valeſio huius nominis primo. 1522.

COROLLARIA QVEDAM SANCTARVM Reliquiarum quæ in ſacra Inſula Lerinenſi aſſeruantur.

CATHALOGVS EX ORDINE DIGNITATIS.

Domini noſtri Ieſu Chriſti.

De ligno ſanctæ crucis.
Spina coronæ domini.
De ſanguine miraculoſo.
De terra, in qua cecidit ſanguis tempore ſuæ paſſionis.
De pallio in quo fuit reuolutum corpus domini.
De tunica.
De ſudario.
De columna.
De tunica alba quando Herodes miſit Chriſtum ad Pilatum.
De ſepulchro.
De ligno menſæ in qua fecit cœnam diſcipulis ſuis.
De cera quando fuit præſentatus à ſancto Simeone.
De cunabulis ipſius Saluatoris.

Beatiſſimæ Mariæ ſemper Virginis.

De lacte miraculoſo.
De cunabulis.
De capitergio.
De tunica.
De ſudario.
De velo capitis.
De monumento.

Sancti Ioannis Baptiſtæ.

Vnus digitus.
De ſudario.

Beatorum Apoſtolorum domini

De oſſibus.

Sancti Petri. S. Pauli.
Sancti Andreæ, & de manu eius.
Sancti Iacobi. S. Philippi.
Sancti Bartholomei.
Sancti Simonis. S. Iudæ.
De lapidibus criptæ in qua capto domino Apoſtoli latuerunt.

Sanctorum Innocentium.

Vnum brachium.

Sanctorum Martyrum de oſſibus.

Sancti Stephani Protomartyris.
Sancti Dioniſij Areopagitæ.
Sancti Laurentij vnus dens.
Sancti Vincentij.
Sancti Blaſij Epiſcopi.
Sancti Sixti Papæ.
Sancti Zenonis Epiſcopi.
Sancti Marcellini Epiſcopi.
S. Thomæ Canturienſis de cilicio, oſſibus, ſanguine & Infula.
Sancti Theodorij & Claudij.
Sancti Luperici & Victorici.
Sancti Agapiti. S. Anaſtaſij.
Sancti Nerei. S. Aquilei.
Sancti Irenei. S. Fœlicis.
Sancti Nicomedis. S. Iuſtini.
Sancti Cucuphati. S. Chriſtophori.
Sancti Faſtini. S. Fauſti.
Sancti Gricioni. S. Orphiſij.
Sancti Exuperati. S. Fortunati.
Sancti Benedicti Martyris.
Sancti Petri Martyris de ſanguine.
Sancti Exuperij. S. Candidi.
Sancti Iuſtiniani. S. Fauſtiniani.
Sancti Cricentiniani.
Sancti Gricimani.
Sancti Viriani. S. Exuberanti.
Sancti Orphiſini.
Sancti Leuticij & ſociorum.
Sancti Placidi & ſociorum.
Sanctorum Porcharij Abbatis Lerinenſis, & quingentorum monachorum corpora cuncta.
Sanctorum Aygulphi Abbatis Lerinenſis & triginta monachorum martyrum corpora cuncta.

Sanctorum Confeſſorum Pontificum.

Sanctiſſimi patris noſtri Honorati Archiepiſc. Arelatenſis fundatoris ſacri monaſterij Lerinẽſis corpus.

De oſſibus.

Sancti Gregorij Papæ de capite.
Sancti Marci Papæ.
Sancti Bricij Epiſcopi.

S. Eu

S.Eutropij Epiſcopi.
S.Lamberti Epiſcopi vnus dens.
S.Turiani Archiepiſcopi Dolenſis os Vlnæ allatum Pariſiis anno Domini 1599.
De pallio vbi tranſlatum fuit corpus S. Auguſtini à Sardinia Papiam.
De Oleo ſancti Nicolai Epiſcopi Miren.
Duo dentes ſancti Maximi Epiſcopi Regienſis.

Sanctorum Confeſſorum non Pontificum.

Sancti Capraſij Abbatis corpus.
S.Venantij fratris, S.Honorati patris noſtri corpus.
S. Vincentij Lerinenſis corpus
S.Antonij Ciri monachi corpus.

De Oſſibus.

S.Antonij Abbatis.
S.Romani Abbatis vna coſta.
S.Leofridi Abbatis in Nortmania os vlnæ, allatum Pariſiis anno Domini 1599.
De tunica S.Franciſci de Aſſiſio ſacri ordinis ſui inſtitutoris.
De cuculla S.Bernardi Abbatis clarauallenſis.

Sanctorum virginum & Martyrum De Oſſibus.

Sanctæ Mariæ Salomæ.
Sanctæ Mariæ Magdalenæ.
Sanctæ Agathæ,S.Luciæ.
S.Apolloniæ.
S.Eulaliæ de cerebro & ſudario eiuſdem.
Sociarum ſanctæ Vrſulæ de oſſibus, allatis anno Domini.1504.& pars cranii allata anno 1586.
De oleo & ſepulchro ſanctæ Catharnæ virginis & Martyris.
De baculo ſanctæ Brigidæ virginis.
Innumeræ ſunt aliæ ſanctorum reliquiæ quæ in ſacro Inſulæ Lerinenſis alueario requieſcunt, nobis ignotæ.

TENOR LITERARVM MONACHORVM SANCTI Germani à Pratis Pariſienſis, in elargione ſanctarum reliquiarum Monachis Lerinenſibus.

IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen. Nos frater Philippus Laurẽs humilis prior clauſtralis Monaſterii ſancti Germani à Patris propè Pariſios, & totius eiuſdem loci conuentus, haud quaquam immemores prima ſanctæ reformationis documenta à deuota congregatione Montis Caſſini aliàs ſanctæ Iuſtinæ de Padua ad noſtram Caſalis Benedicti congregationem dimanaſſe, vt hanc tanquam matrem reuereri & honorare teneamur, maximè cum in capitulo generali anno immediatè præcedenti in Monaſterio ſanctæ Mariæ de Pratalea dioceſis Paduanæ celebrato, nouas mutuæ vnionis literas tranſmiſerint per Reuerendum in Chriſto patrem dominũ Hilarium ab Antipoli, Abbatem ſancti Honorati, ſacræ Inſulæ Lerinẽſis, præfactæ congregationis ſanctæ Iuſtinæ, non infimum membrum, quem quidem diu apud nos religiosè conuerſari contigit, vt à faucibus ſingularis feri ſuos ſuaque domus ſubſtantiam eriperet: quod magni momenti negotium deo primum ac deinde Chriſtianiſſimo Francorum Rege Henrico IV. nonnulliſque proceribus fauentibus penè omnino confecit ea propter hinc migrare contendens ſupplex (vt eſt admodum deuotus & humilis) rogauit, vt ſibi quædam ſacræ reliquię beatorum Thuriani quondam Archiepiſcopi dolenſis Britanniæ minoris: & Leufredi Abbatis Abbatiæ crucis ſancti Andoëni nũc autem crucis ſancti Leufredi denominatæ, & in Normania ſitæ concederemus. Cuius ſanctæ petitioni acquieſcentes loculis ipſorum ſanctorum ad ima demiſſis in ſacrarium ſeu ſacriſtiam honorabiliter deportatis, coramque omnibus apertis dedimus ei os vlnæ ſeu humeri ſancti Thuriani aliudque os ſimile

vlnæ ſiue humeri ſancti Leufredi. In annis rei teſtimonium præſentibus literis ſigilla noſtra iuſſimus apponi, anno Domini milleſimo quingenteſimo nonageſimo nono, die penultima menſis Auguſti. Signatæ

LAVRENS Prior du Breul ſcriba capituli.

Porrò ſciendum quod feſtum ſancti Thuriani agitur tertio decimo Iulii, & & mirè claret eius virtus ad pluuiam impetrandam. Sancti verò Leufredi Abbatis recolitur memoria vigeſimo primo Iunii, & eius ſuffragiis aëris maximè ſerenitas impetratur, quibus de cauſis ſæpè in præfata ciuitate Pariſiaca & Monaſterio Germaniano ſolemni pompa eorum ſacra pignora proceſſionaliter deferuntur. Dum hæc typis demandanda eſſent, miſſa nobis fuerunt à multum venerandis & religioſis patribus deuoti Monaſterii præfati Pratenſis, eorũ geſta obnixè obſecrantibus, vt in calce noſtri operis inſerer ecuratemus: quod & libenter fecimus, cum nouiter è bibliotheca eiuſdem cœnobii nouiſſimè prodierint.

INCIPIT PROLOGVS IN VITAM SANCTI AC BEATISSIMI TVRIANI EPISCOPI Dolenſis & confeſſoris, cuius dies feſtiuitatis colitur iij Idus Iulij.

Ex veteri manuſcripto bibliothecæ regalis cœnobij ſancti Germani à Pratis parrochiæ in quo eiuſdem ſancti confeſſoris corpus religioſè aſſeruatur.

Iulij 13. PRiſcorum mos fuit ſcriptorum, vt de rebus maximis locuturi, quo laboris ſubſequentia tenderent in initio operis commonere ſatagerent. Horum nos proſequi cupientes non æquo ſanè gradu veſtigia, in laudem beatiſſimi ſacerdotis Thuriani, qui ſecundum gratiam quæ data eſt ei, ſic in Eccleſia laborauit, propenſiùs cupimus vitæ illius ſeriem explicare, cuius ſicut lilium fulgens renitent clara opera. Primitus itaque ſecundùm veridicam hiſtoriæ aſſertionem veriſſima ratione patefaciemus, genus patriamque illius, vt ſequentia vitæ eius nemo ambigere velit. Ergo cœli terræque omnipotens creator Eccleſiæ ſanctæ fulgurãtia immenſa lumina æterna claritate radiantia, tanquã perpetuarum ſtellarum per totum mundi ſpatium diffudit lumina, ſanctos videlicet viros diuini operis fructu pleniſſimè refertos. Repletus eſt enim iam nunc & redũdat totus mundus multis Dei fidelibus qui cõuiuificati Domino Ieſu in nouitate vitę, ablutionis gratiam præferentes, hæreditatem Dei examinatam atque probatam, crebris perſecutionibus, creuiſſe nobis ſignificarunt, victorioſiſſimis beatorum laborum ſuorum titulis. Magno ſiquidem dilectionis ſuę myſterio Chriſtus inter paradiſiacos perpetuæ amœnitatis non marceſcẽtes floſculos, confeſſores ſcilicet ſanctiſſimos, qui Deo digni patres, & Pontificatus ſacerdotio pollentes fuerunt, & eorum ſuauiſsima ſermonum doctrina, mundus in fide Dei hodieque floret, vernantes purpuræ martyrii nitore violas, quaſi quoddam mirabile ſertum, vario virtutum emblemate compactum inſeruit. Ornatur denique electio florenti Prophetarum, auro ſplendenti Apoſtolorum, nitidis gemmis martyrum, argento ſuperprobato confeſſorum, biſſo purpuraque virginum. Inter tot itaque tantorumque ſanctorum ſacra præconia,

æterna

æterna clarus memoria, præcipua laude pollens fœlix Thurianus in Eccleſiæ regimine ſacris litteris eruditus ſingulari auctoritate, qua quoddam coruſcum iubar præcelſius refulget. Etenim miraculorum complurium lumine clariſſimo totam vitam ſuam quaſi quandam in Eccleſiæ lucernam mirabili fulgore lampauit. Ex quibus aliquanta dilucidare ad notitiam poſterorum cupimus, ſecundum quod diſpenſatio diuina inſpirare menti noſtræ dignata fuerit, ne tanti ſplendor luminis, inerti obnubiletur deſidia. Igitur quia iuſtis poſtulationibus non eſt denegandus piæ petitionis effectus, nil ferè commodius duxi quam ſpiritalibus offerre ſpiritalia. Ob hoc huius noſtri ſtudij rudimenta, veſtræ paternitati remittens, vt benigna gratia noſtrum prouehatis opus, & laboris noſtri munia, doctiſſimo iudicio veſtro roborare flagito velitis. His ita ſeſe habentibus, quod in hac re ſit conſequēs inueſtigemus, fautrice cunctipotentia vniuerſorum cōditoris, & glorioſiſſima beatiſſimi Pontificis Thuriani interceſſione, necne idipſum veſtris obtinentibus orationibus.

Explicit prologus.

INCIPIT VITA BEATISSIMI THVRIANI Epiſcopi & Confeſſoris.

INclita nobiliſſimorum parentum progenie fœlix propago Thurianus beatiſſimus, in Britannia minori eſt exortus, iuxta Monaſterium Vallone nuncupatum, quod ſubditum eſt poteſtati Monaſterij ſancti Sanſonis. Quæ celſa & ſplendida pharus, non immeritò ſub occidui axis, tenebris, huius lucis ſumpſit exordium, vt poſt diſcuſſis obſcuritatibus, ab infidelium fide algidis mentibus vſque ad Gallicæ regionis fines, protenderentur radij claritatis virtutum ipſius: quo nunc præordinante, Clementiæ miſericordiſſimi Dei prouidentia, condigno honore requieſcit tumulatus. Sanctitatis igitur vas Thurianus, egregium ſpecimen pueritiæ ſuæ Deo vouere cupiens, ethimologia ſui Chriſto chari nominis quantum in ſe erat vti ſatagebat. Nam quia à Thure, quod Dei in ſacrificio adoleri ſolet, nomen deriuatum habebat, ſemetipſum odoriferum incenſum laudis, in ara ſui cordis adurebat, vt ſecundùm Apoſtolum bonus eſſet odor Deo in omni loco. Ardore nempè flagrans diuino, ſpiritu ſancto præmonitus, quaſi alter futurus Abraham, natales reliquit illuſtres, propriámque hæreditatem, portionem patrimonij ſui in cœlo ſtatuens, atque fœlici gaudio feſtinās patriam deſerere, vt liber à peccati contagione ſe liberius offerret, quod per ſolam diuinā gratiam potuit: & dum hic terrena reliquit cœleſtia prædia acquiſiuit. Quia denique portionem patrimonii ſui elegit ſibi Deum: oſtendēs nil ſibi eo charius eſſe: Chriſtus illi portio: Chriſtus illi eſt perpetim poſſeſſio. Iure igitur cum Petro Apoſtolo Ieſu, proclamare potuit? *Ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te*, merito imitator illius eſſe cupiens, qui dilectoribus ſuis dixit: Nolite poſſidere aurum neque argentum neque ea quę in mundo ſunt diligatis. Quia ergo ipſi viuere Chriſtus fuit & mori lucrum, cum Apoſtolo quæ ei lucra fuerant, duxit propter Chriſtum detrimenta, non habens gloriationem niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti. Chriſtus itaque qui eſt perfecta merces & retributio ſoli laborantium, ipſe eſt Euangelicum illud centuplum, quod quis dum habet vitam æternā habet, quam hic beatus diuite cōmercio fœlici promeruit mercimonio. Verum vt ad ſuperiora redeamus iuſtus præmonſtrando Thurianus,

timorem esse Dei initium sapientiæ ob ipsius castum timorem, sanctiq́ue Sansonis feruentissimam dilectionem, Dot metropolim adiit, vbi tunc temporis, hic preciosus cõfessor erat humatus. Quò dũ peruenisset, vir Christianus quidã errantem quasi eum reperit, quem secum adducens, protinus illũ custodẽ animaliũ sibi instituit. Errauit & puer Ioseph istũ præsignans, non vt ouis perdita sed quærendo oues. Errauit & Thurianus beatus, præsago spiritu quęrendo oues quas iusto moderamine gubernare deberet, sed non aberrauit quia Christus vera via reduxit eũ manu suę pietatis ad viã rectitudinis. Quod verò animaliũ custos destinatus est, declarabat eũ superna gratia, pastoris summi doctorem illũ atque rectorem fidelium fore animarum, ac si iam apertiùs illi diceretur *Pasce gregem Christi*. Post hæc sciẽs iam Deo deuotus puer Thurianus, neminem omnipotenti sinceriter seruientem, irretiri posse actionibus sæcularibus: cùm vtiq; nemo sit docente Deo, qui duobus possit dominis ritè famulari, cõcupiuit ardentiùs Christo militare quàm sęculo. Delegit nẽpè spirituali ludo edoceri, atq; scolę Christi cupiens cõnecti, à quodã clerico expetiit litteras sibi pręmõstrari, quia beatus homo quẽ erudit dominus & de lege sua docet eũ. Bonũ est porrò homini qui iugũ à iuuẽtute sua ferre cœperit, veritate pręmonẽte, tollere iugũ eius super se fidelẽ debere, quod leue est & suaue, liquet ergo magisterio doctrinæ cœlestis, cibatũ pene sapiẽtiæ & intellectus, atq; spirituſsancti gratia debriatũ, qui docet hominẽ sciẽtiam & intellectũ, breui tẽporis spatio sibi à magistro traditas litteras, ac si dulcẽ potũ ebibisset. Quinetiã ita cœlestis gratiæ radij in eo refulgebãt vt grãmaticæ artis peritiam pleniſsimè atq; efficaciſsimè insigni cõmendaret memorię. Rimabatur velut ouis sagaciſsima, inter spinarũ fruteta carpere suauiſsimi gratum florem graminis. Ne verò vllius artis expers haberetur, armoniã prædulcis cantilenę susc ipere nõ renuit, qua apud Deũ & homines valdè profecit, dante illi Deo à quo bona cũcta procedunt, elegantiſsimã vocis claritatẽ prę reliquis coęuis pueris. Hinc factũ est aliquo sub tẽpore vt dũ tinnulis fibris dulcẽ elegãter reboaret canticorũ diuinorũ melodiã, iucũdo modulamine lepidioris, non solũ populares demulceret aures: verum suauitate dulcedinis cãtus sui, delectaret animũ Archipresulis Tiarmaili, Dolẽsi tũc Ecclesiæ præsidenti, oblectatione quadã deo amabili. Ea ergo occasione, imo spiritu sancto patrãte, qui vbi vult spirat, in notitiã venit prędicti Antistitis, vt tali agnitione, qui charus iam esset Christo, acceptior corã cũcto fieret populo. Accersens igitur illũ vt spiritalis pater, deiferũ sibi adoptauit filiũ, quẽ obnixè diligẽs, cõmodis humanæ naturę dapsiliter munerauit cibo carnali aluit, lectionibus sacris sufficiẽter educauit, vt quemadmodũ exterior homo carnali pasceretur edulio, sic interior saginaretur diuinorũ præceptorũ viuifico mysterio. Interea cernẽs Tiarmailus inclita docilitate animi, iuuenem Thurianũ, gratia lucis cœlestis quotidiè refulgere, vt pote in quo cõgeries virtutũ omniũ per dies augmẽtando cumulabatur præfecit, illum post se suis Abbatem clericis prænoscẽs ipsum ad hoc opus idoneũ satis fore ministrũ, eo præmonitus spiritu, qui in cordibus filiorum Dei, quotidie proclamat Deum patrem esse nostrũ fœlicem se ritè potuit prædicare Tiarmailus, pro adoptato sibi lucis filio Turiano inclito quem septiformis sancti spiritus gratia vndique circũfultum, opima exuberantia virtutum, reddebat conspicuũ. Inerat ei & virginalis pudicitia, veráq; innocentia ac vera simplicitas, necnon virtutũ regina humilitas, quæ informauit hũc sãctum virũ omni deuotioni deditum, quasi se regere deberet actione. Prętera studebat semper castimoniã sectare, sciẽs nihil præcelsius, nihil modestius esse virginitate, quæ ita hunc Deo proximum reddidit, vt angelorum societati vs-

que ad ſolium æternæ viſionis interſit. Quia denique generoſiſſimos mores, animi liberalitas facit, refrænabat inundantem caſtrimargiam, reſecabat omnem vanam gloriam, effrænatum comprimebat luxum, reſtringebat gulæ appetitum, deuitabat ſeria, atque huius nequam ſæculi deſpiciens erat contagia cuncta. Ergo talibus hoſtiis timeretur Deus. Ita nullis vitæ huius captus illecebris, moriebatur mundo vt viueret Deo, quia carnis mortificatio prudentia ſumma eſt ac ſi apertiùs diceret: *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Qui cum præmonebat audientes, ne illos inermes & vacuos, mortifera ſpicula tenebroſi hoſtis opprimerent ad virtutum tramitem bonámque conuerſionem oberrantes reducebat. Particeps autem factus omnium Deum timentium & mandata ipſius obſeruantium, non enim eſſe piger poteſt, qui Domini mandata cuſtodit ipſe meritò potuit dicere ſe conſortem metuentium Chriſtum extitiſſe: Sic præcellentiſſimus Thurianus firmiſſimè in vera petra fundatus, vtpote qui omnem fidei ſumpſerat firmitatem, firmamentum plenitudinémque ſubſtantiæ, Chriſtum ſignis & prodigiis adſtruebat eſſe fidelium ſuorum. Hoc Deo amabili ludo hiſque ſpiritualibus exercitiis, egregius Turianus metas tranſigebat piæ iuuentutis, donec ad perfectioris ætatis incrementa paritérque opera excreſceret excellentioris ſanctitatis. Abhinc reſtat de maximis perfectiſque virtutibus huius Deo dilecti diſſerere, quæ magnam vim in ſpeculatione miraculorum eius perſpicientibus ea obtinent. Fœlici iam ſenio & multorum longæuitate confectus dierum præſul Tiarmaillus cernens perfectiſſimæ vitæ virum illuſtriſſimum Thurianum, aſcendere quotidie de virtute in virtutem delegit eum conſortem ſibi fore oneris & honoris. Fauorabili igitur collatione cunctorum, prouexit eum ad ſummum ſacerdotij gradum, ſtatuens eum prædicatione, ſede & poteſtate pro ſe dominum & patronum. Quo intromiſſo, exhilarantur cunctorum animi ſummo gaudio, pro tali tantóque ſibi collato diuinitus paſtore, quia erat omnium virtutum ornamentis decoratus, & omni diuinarum diſpoſitionum ſtudio firmatus, iuſtus, fortis, prouidus, temperatus, qui impetus carnis omnes prouidentiæ ratione ſuperaret. Præceptis autem pleniùs inſtructus cœleſtibus caſtitatis & ſimplicitatis ſpiritale ſacrificium acceptum Deo ſeipſum quotidie offerens, vtpote verus miniſter altaris hiſtoriam ſanctam & irreprehenſibilem ſe exhibebat, nocte, diéque frequentans orationem deuoto mentis affectu. Porrò ſinceriſſima ſinceritate præditus moderans Deo placiti regiminis habenas, ſtemmate fidéque præpollens efficaciſſimè delegatum miniſterium implens, vigilanter vigilando gregi ſibi commiſſo attentiùs inuigilabat. Inerat ei cum parcitate ſufficientia, irreprehenſibilis potentia, grata claritas, Deo digna iucunditas, nihil habens commune cum ſæculo, nihil mundi huius ſibi vindicans, non corporalibus cupiditatibus ſubditus, non auaritia ſtimulatus, non inuidia maceratus, non ambitioni deditus, non aliqua negotiorum ſæcularium cura ſollicitatus. Is in patria poſitus, primo bonorũ omnium contempſit inſignia, illos veros æſtimans honores, quoſcunque illi, diuinum prudentiæ magiſterium contuliſſet. Nulla illum diuitiarũ deſideria ceperant, ſed has veras reputabat diuitias, quibus animi ornatus adipiſci quiret, & quibus auctorem ſuum cognoſcere poſſet, vel inuenire. Interea dum glorioſiſſimus vir Domini Thurianus talibus, vt dictum eſt actibus, omni morum probitate conſpicuus vitã ſuam quotidie condecoraret: volens Deus hominibus clareſcere, quanto apud ſe, pro hoc culmine ſublimandus foret gloriæ notum cunctis fecit, ſibi ſatis pretioſam benigniſſimæ precationis eius orationem. Nam

quanticunq; lãguidi cum ſuis morbi genere preſſi,præſentiæ eius fuiſſent adducti,illicò ſub inuocatione nominis Ieſu Chriſti priſtinę reddebantur ſoſpitati.Inter innumera porrò miraculorũ eius, quæ per eũ Dominus operare dignatus eſt inſignia in reſuſcitatione mirificus apparuit mortuorum.Denique antiqua fertur opinione,quod ad inuocationem viuificę Trinitatis trium corpora mortuorũ, redintegrare ad vitam meruerit. Nec diſpar prophetæ prędicandus Heliæ,cuius os cœli facta eſt ianua.Multoties quippe a quibuſcunque rogatus ſiccitatem terræ compeſcuit, fixo terræ eius baculo cum oratione nominis Domini Ieſu Chriſti.Euidentibus autem indiciis, illuſtratio ſignorum patefacit,vt ſubiecta declarant,non priuari munere ſuo apud Deum bonæ voluntatis affectum. Nam nouimus cunctis fidelibus à Deo legem inſtitutã precationum dies ante quadrageſimam reſurrectionis Dei diem agere quam beatus Thurianus fulgore cœleſtis præſentiæ irradiatus, pura & ſincera deuotione,eadem diuina munia celebrabat. Tum more ſolito adſtantibus turbis,ſalutaria virtute obumbratus altiſſimi depromebat monita. Stigmata enim crucis Chriſti,corde,ore & habitu circunferẽs, non ad oſtentationẽ intuentium,ſed ad incrementum fidei fidelium augmentãdum: nil niſi quod ei vera vitæ ratio ſuaſiſſet intimabat,aſſeuerans quod quãdiu in hoc corpore ſumus peregrinamur à Domino.Denique non habemus hic manentem ciuitatẽ ſed futuram inquirimus, ſupernam videlicet Hieruſalẽ quæ eſt mater omniũ noſtrũ,quæ quotidie ædificatur ex viuis & electis lapidibus,ſuper fundamẽtũ Apoſtolorũ & Prophetarũ Chriſtũ lapidem angularẽ ſummum.Inter hęc eleuatis in terra luminibus,diuinitatis claritudine circumſeptus,iuſtum ordinem ſpiritalis officij cõſummans,mira & vere mirãda manifeſtata eſt viſio,ex qua præclara,&admirãda nimiũ nobis aſſurgit laudatio,vt & potẽtia Dei dignius prædicetur &quis iſte beatus fuerit,euidẽtiùs approbemus.Vidit quippe cœlum apertũ,& benigniſſimũ Ieſum in ſede maieſtatis ſuæ reſidentẽ, ſanctoſq; Angelos arcã Teſtamenti Dei,proceſſiones more ferẽtes.Sane ſtupẽda & mirãda Chriſti mira,quis nõ obſtupeſcat,planè inquã mira,dum præſtitũ eſt homini,terræ mole circũdato,cœlorũ reſeratis aditibus eorũ conſpicere ſecreta, prophetis aliquibus æquiparãdus,& ob hoc verè beatiſſim⁹prædicãdus:quid enim clari⁹, quid luculẽtius fari poteſt quã hominẽ propria induſtria ſatagere arcana cœli cõſpicere.Credo docere Deo volente,per dilecti ſerui ſui viſionẽ illos dies ſanctos lætitiæ dum recolũtur in terris,à sãctis Angelis ante cõſpectũ diuinę maieſtatis,frequẽtari in cœlis.Igitur veri ſplẽdore luminis illuſtratus Deifer Thurianus,ordine quo præſcriptum eſt,in contẽplatione cœleſtiũ virtutũ poſitus,circũdantes eũ oues velut proprtiũ patrem,& paſtorẽ indicat eis ſagaciter,quo tenore pleni & perfecti ſplẽdoris claritas,Deus illi ſe demõſtrare dignatus fuerit, quod falsã ſpeciẽ beatitudinis nemo dixerit eſſe, cum non inſolẽtis arrogãtiæ,ſed puriſſimæ innocẽtiæ eſt adſcribendũ.Sũma enim gratia declarat eũ beatiſſimũ,qui cœleſtia patefacta ſunt myſteria, & nimirũ quia eius præſentiã intuebatur in cœlo,cuius gerebat in corde amorẽ animo puro & perfecto.Cognita itaq;tali tantáq; Dei virtute pleniſſimè omnipotẽtiã Chriſti collaudauerũt,paſtorẽq; ſuũ preciosũ Thurianũ deinceps maximi honoris veneratione excoluerũt.Ob iuſtiſſimã porrò recordationẽ tam præcelſi à Deo oſtẽſi miraculi,crux lapidea iuſſu S.Põtificis in eodẽ loco eſt exaltata ad teſtificationẽ miraculorũ Dei proteſtandã,cunctæ vẽturę generationi. Enimuerò,vt eius promamus clara geſta,altiora debemus de illo inueſtigare opera:hęc autẽ sẽtẽtia quã relaturi ſumus,cautè ac ſollicitè intellectũ videtur expetere rationis manifeſtæ,quia ineſt in ea profũda quædã & mirãda ſpecu-

latio. Quã qui cũ audierit nemo derogare velit,ſeries enim propoſitorũ,aut virtuti cõcordat aut gratiæ, aut miraculo & ob hoc audiẽtibus non videatur abſurdum.Inuidia igitur diaboli,cuius aſtu mors introiuit in mundum, cuius etiam iugum graue aggrauatum eſt ſuper filios ſuperbiæ,peſtifer quidã homo ex primatibus Britanniæ, procaci nominis ſui vſus vocabulo: nam Riuallo dicebatur,quod rebellem ſignificat & proteruum ſagitta diaboli,ictus,quoddam monaſterium in Dioceſi beatiſſimi Thuriani ſitum nullis exiſtentibus cauſis voracibus tradidit flãmis.Diſtabat autem idẽ cœnobium à Britannorũ metropoli quaſi millibus viginti. Cognito ergo à relatoribus, huius immani ſceleris execrabili facto, Deo acceptabilis Antiſtes Thurianus pro cõmiſſo immani piaculo,anxius fluctuãti laborat animo.Sed memor Beatus promiſſorũ cœleſtiũ,in periculis &aduerſis poſit⁹,ſpe quã hauſerat ex ſeriè ſcripturarũ in Deo patre totius conſolationis, ſe pleniſſimè conſolabatur.O ſceleſtũ & audacẽ virum, qui proterua inſania,nõ ſolùm S.Dei templi combuſſit parietes, verum etiã ſacros teſtamẽti S.libros, ipſaque ſanctæ ẽdis ſacra vtenſilia ignibus adurenda commiſit, illorum iam deputatus contubernio, qui lætantur cùm malè fecerint &exultant in rebus peſſimis.Pro huiuſmodi facto irritatus animo,Dei ſeruus Thurianus,ſumptis ſecũ duodecim monachis,pedeſtri expeditione ad eum properare deliberat,quẽ reſidentem inuenerũt in vico *Lãkafruth*,dicto. Qui proſpectãs eminus pedeſtrẽ venientem ſummũ ſacerdotẽ, animaduertens ob patrata à ſe ſcelera iuſtum ad ſe venire, conſternatus animo totus intremuit inclinatóque vſq; ad terram toto corpore, percunctatur quid ſic humilis & abiectus veniſſet. Mox beatiſſimus ſacerdos acriter eum redarguẽs,fidentérq, conatus eius molimina ſubſannãs nimia(ait) crudelitatis tuæ feritate exacerbatus, qui vltra humanæ rationis modũ ſeuerus & vehemens,non metuiſti S.*Maoky* Eccleſiam ſuccedere,& S. Dei miniſteria diſſipare.Adeò deniq; ſuper excellit & ſupereminet immanitas tui ſceleris quaſi ſi brachium S.contriuiſſes Sanſonis.Attamẽ, ſi me ſatis audias iuſtè loquẽtẽ pœnitebis,quia inſignem attenuat Deus qui valet ima ſummis mutare,qui mẽbris ſanctis ſuis,hoc eſt fidelibus ſuis polliceri dignatus eſt dicẽs.Qui tangit vos quaſi qui tangit pupillã oculi mei.Ergo age pœnitentiã vt ſcelera tua deleri mereantur.Mox veræ rationis auctoritate conuictus Riuallo Tyrãnus, virtute Dei exterritus quæ ſola poteſt ſuperbiæ vir⁹ habetare, ſe reũ omninò profitẽs, plenam ſpondet emendationẽ,verens omnipotentis iudicium,ob S. Archipreſulis Thuriani irã, ſuper ſe venturã.Promittit ergo ſi longioris vitę ſpacia ſuccederent,ſeptẽpliciter cuncta combuſta reſtauratũ. Tunc egregius Dei miles Thurianus, pietatis ardore flagrans, non renuens verborum eius humilitatẽ,mitigato animo ſeceſſit ab eo cũ monachis ſuis oraturis Deũ,dari facinoroſo illi terminum pœnitentiæ ad corrigẽda ipſius praua opera. Vir enim S. cœleſtis habens protectionẽ gratię, dum meliora à Deo ſperat leuioribus frangi non potuit.Inſtantia itaque precũ & afflictione corporis orat ſecreta Dei ſibi manifeſtari & perſiſtens in oratione hæc domino reuelãte cognouit.Deniq; ſanctis precibus cõpletis ſurrexit,beatiſſimus Michaël Archãgelus,mirũ dictu & auditu cunctis mirãtibus & ſtupẽtibus, improuisè ſuper humerũ Deo digni Thuriani in colũbæ ſpecie reſedit.Quod nemo ambigere velit,quia ipſius hoc opus eſt,qui angelos ſuos preparat ſpiritus.Si enim fidelis pura mente conſideres potentiã magnaliũ Dei hæſitationẽ tantæ rei non habebis. Multa denique fecit Deus miribilia ſua, & cogitationibus ſuis non eſt ſimilis illi: Quicũq; ergo miramini tantæ rei arcanũ, tam magnum fidei

myſterium tã præcelſum diuinitatis opus,perpẽdite ſanctarũ teſtimonia ſcrituratũ, in quibus fructus latet cœleſtis myſterij, qui nos ne videamur procacem tantũ proferre ſententiã,ex ipſis dictis ſanctis ſcripta inſerimus,quæ roborationẽ afferant tantę auctoritati. Sub veteris vmbra legis multotiens ſanctos reperimus Angelos patrib⁹ apparuiſſe,& præcipuè in prophetę Danielis viſione, hunc beatiſſimũ de quo tractatus habetur Archangelũ ipſi creberrimè apparuiſſe. Rectè igitur in columbæ ſpecie,illuſtriſſimo præſuli apparuit Thuriano, puritatẽ atq; innocentiã ipſius animi excellẽter indicãs, cum Danieli vt legimus in ſimilitudinẽ viri apparuerit,quia vtiq; non vir erat,ſed viri ſimilitudinẽ habebat. Non enim angelica natura ita corruptelę dedita eſt, vt natura generis humani.Ob hoc hic Deifer S.Danieli eſt æquiparãdus, qui rectè vir deſideriorũ dici poteſt,quia Dei amore erat dignus & pro deſiderio ſuo Dei ſecreta audire mereretur & eſſe cõſcius futurorũ.Nũc iuſtũ videtur, vt ad narrationẽ vnde ſuperius digreſſi ſumus reuertamur.Exacta vt ante dictũ eſt glorioſus confeſſor glorioſa oratione, à præfato Riuallone,cuius nimius horror,tanto conſpecto miraculo,mẽbra inuaſerat,ſed rurſus reſumpta ſpe,virtutis huius admiratione gauiſus erat,cõſulitur quęnã mirãda viſio eſſet quã cernerent ipſi. Qui magna dulcedine ſupernæ gratiæ repletus,indicat illis,S.ſibi Archangelũ Michaëlẽ à Deo miſſum,ad dandũ illi pœnitendi ſpatiũ ſeptẽ annorũ termino,& ad reſtaurenda ſacrilegia à ſe patrata incendia. Alacrior ergo Riuallo redditus,pro collatis ſibi à Deo beneficiis paternis, plenè omnipotentiã in ipſius collaudauit & paſtorem ſuũ inclitum Thurianũ,cuius ſancto adminiculo ſalutẽ promeruerat,ex tunc veneratione venerabili venerare non deſtitit.Crucẽ lapideã ſuperius adnotauimus conſtructũ,ob memoriã Deificæ viſionis precioſi iuſſu Thuriani,in qua omnibus intuẽtibus,quaſi euolans reſedit,& poſt in cœlũ à Deo qui ſe miſerat Ieſum in dextera ſtãtem paterna, regreditur. Inclitus porrò & plenus veræ miſericordiæ affectu ſuis querela verus Dei miniſter Thurianus, inculcãs illi pœnitẽtię ſancita,regreditur ad propria.Sed & pręſcriptus ſępiuſculè homo,põtificali non deſtitit inſiſtere exactioni, quo ad promiſſis finẽ imponeret ſuis,& expoſtulato à principibus patris plenè adminiculo, voti cõpos effectus,iuxta pollicitũ reſtituit ſeptẽpliciter omnia.Reſtat porrò adhuc,quoddã clarificũ miraculũ in prędicto incẽdio patratũ, quod ſummopere eſt intuendũ,his qui diuinis auctoritatibus ſunt ſuffulti,nullis argumentorum contradictionibus,eſſe Dei verbum corrodẽdum quia qui ſcrutator eſt maieſtatis opprimetur ab ea. Cùm igitur ædes ſacra Deo in S. Honore Moaky dicata edacibus conſumeretur vt præſcriptum eſt ignium globis,codex S.Euangelij ſuper altare poſitus fuerat ipſius Baſilicæ. Qui itaque non ardentem ardere rubrum dudum ſuo ſe timendi famulo præmonſtrauit,renouauit & tunc, arcana miraculorum ſuorum myſteria.Etenim impetu ſpiritus Dei euolans liber à mẽſa Chriſti horridoſq; flãmarũ ſupergrediens cumulos,tereti rotabatur gyro,quaſi ſeſſionis ſuę perſcrutãs locũ,moxq; nõ ſine cũctorũ intuentiũ ſtupore &admiratione,placido deſcenſu in hortum adlapſus eſt cœnobitarũ fratrum.Poſito ergo quo prędictum eſt ordine ſancto Euangelio in monachorũ horto, vulpis inter reliquas feras animal omninò ſubdolũ, quod fraudibus cibũ quærit,& ſalutem ſuã calida illuſione tuetur,illud iacentẽ reperiens appetit ore corrodere.Quod beſtialę genus ſępiſſimè in ſcripturis ſanctis pro malo ponitur,ſicut in Euãgelio legimus dominũ dixiſſe de Herode.Ite dicite vulpi illi,perfidiã illius demonſtrare volens,quia cũ neci tradere moliebatur. Salomon quoq; in Canticorũ

Canticis,

canticis,ſub voce Eccleſiæ, capi paruulas iubet vulpes demolientes vineas, hæreticorum deuitandam infauſtam ſignificans ſocietatem. Sed vulpis præſcripta,dum rodere mauult Euangelium, ante mortem ſuam quam cibum in illo inuenit, patenter indicans abſurdum & periniquum eſſe omninò diuinis Euãgeliarum virtutibus roborationum derogari.Et vtiquido clareſceret hominibus,quantæ apud eos Dei verba eſſe deberent reuerentiæ,quicunque temerario ore poſt hæc ſuper eundem codicem auſus fuit deierare ſtatim morte temporali,pœnas luit periurij ſui.Et merito,quia dicente Chriſto,omnem ſpiritum blaſphemiæ remitti poſſe hominibus, qui autem ſpiritum ſanctum blaſphemauerit,non remittendum illi neque in hoc ſæculo neque in futuro. Omnes igitur qui ſe doloſis & fraudulentis praua voluntate coniungunt,ſecundum prophetam regium partes vulpiũ ſunt.Quia verò ſuperiùs inſertum eſt trium mortuorum reſuſcitatione,hunc egregium ſacerdotem Thurianum omnipotentẽ clarificè nobilitaſſe:ne indiſcuſſa tãti honoris inſignia pertranſiremus,vnum ſolum inſerimus,quod fidelium mentibus ſufficere poſſe non diffidimus. Denique maximam & arduam eſſe rem examinatum viuificare Euangelicis præmonemur inſtructionibus, dum ſciamus Dominum Ieſum Chriſtum ſicut omnipotentẽ multorũ cadauera exſuſcitaſſe,è quibus tres ſolummodo legimus ab eo præſenti luci redditos.Ita & huic venerabili confeſſori tãta eadem gratia ab eo largita eſt. Sed nos reſuſcitationem vnius auctore Deo patratam,meritiſq; incliti Thuriani gloriosè exhibitã,ad ſufficiẽtiam credentiũ digerere cupimus. Igitur in adminiſtratione verborum Dei aliquo ſub tempore occupato omnipotentis ſermonum diſpenſatore precioſo Thuriano,iuſta Monaſteriũ Britannica lingua *Kamfruth*, dictum in loco vbi crux lapidea,iam prætitulata poſita eſt factũ eſt huiuſmodi miraculũ. Circunſtantibus ſe multis populorũ turbis, diuerſiq́ue ſexus & ætatis & Euangelizationi ipſius vnanimi voto pariter intentis, contigit ante illos, exanimen ad tumulandum efferri puellam.Hæc ex nobilioribus eiuſdem loci erat,vt coniici datur ſecũdum hiſtoriam:cuius pater nuncupatur Guridgal, nomen verò defunctæ fuit Meldoch. Cernens multæ compaſſionis vir plenus pietate Thurianus,gemitum populi parentumq́ue & propinquorum corpus ambiẽtium, præuideſq́ue orbitatem ipſorum,ſiquidem vnica ipſis erat,compatiẽs eorum dolori,ſicut & ſemper cunctis mœrentibus,præmonuit feretrum ferẽtes ſtare. Quamuis enim iam talium,multipliciter exercitatus foret factorum,nequaquam tamen fortitudini ſe credidit ſuæ, ſed cauta humilitate, diuinum ſibi precando adſciſcit auxilium, & oratione ſuperedita inuocauit Deum dicens. *Omnipotens Ieſu Chriſti fili Dei viui cœli & terræ conditor & gubernator qui Archiſmagogi filiam ſolutis mortis vinculis reduxiſti ad vitam, ad laudem & gloriam glorioſi nominis tui,hanc puellam viuifica, in conſpectu omnis huius populi,vt glorificetur laudabile nomen tuum per cũcta ſæcula ſæculorum.* Finita ſanctus ſacer Thurianus Deo accepta oratione ſua,& reſpondente omni clero ſimul & populo. *Amen.*Obtinẽtibus preſtante Chriſto ſanctis ſuis meritis, ſurrexit incolumis puella,ineſtimabile gaudiũ ſuis ingerens parentibus, animoſq́ue cunctorum qui hæc noſſe poterant ad collandandum Deum,pleniter extollens. Non tamen hic ſanctus pro tanti muneris beneficio ſupernè ſibi collato,iactãtię ſuccubuit vitio, nec gloriationem habens in aliquo, ſolum ſibi Deum gloriam reputabat eſſe, ſecundum Apoſtolicam ſententiam. Qui gloriatur,inquit in Domino glorietur,non enim qui ſemet commendans laudatur,ſed qui à Deo commendatur.Huic itaque beatiſſimum ſacerdotem, mirum in modum ſu-

perna gratia ita prouexit vt ornamento precioſo decoris gratiæ Chriſti redimitus, ſanctam vitam ſuam normam nobis viuendi pręberet. In eo denique non ſolummodo bonorum operum elucebat gratia, verùm etiam, intimę puritati reſplendebat gratiæ, ſicque ſplendidum ſibi huius vitæ curriculum virtutum lumine declarabat. Augmentari igitur propenſius ſatagebat quotidianis exercitiis, cœleſtium incremẽta bonorum vt omiſſis corruptibilibus carnis exuuiis, atque euadens laborioſam preſentis ſæculi ſeruitutẽ, habere glorioſam mereretur futurorum quietem. Beata ſiquidem mens eius, exercitata multis patientiæ abſtinentiæque documentis, anguſtum hoc corporis horrebat diuerſorium geſtiẽs capeſſere beatam cœleſtis latitudinem habitationis. Habens ergo hic beatiſſimus ſemper nobis memorãdus Thurianus bonæ fiduciam conſcientiæ, in ſuis gratulabatur nouiſſimis operibus Deum ſibi præſentem ſemper adeſſe ſciens, quo docente ſe intelligebat exitu ſuo à vitę huius laboribus liberari, mercedemque bonorum operum & factorum præſtolabatur dicens, *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ quam reddet mihi Dominus.* Omnium denique virtutum dote ſubnixus, ſcientia diuina pręditus, mortis diem expectauit lætus: quia vbi æſtimabatur finiri, ibi incipiebat perpetua eius vita oriri, vt pſalmiſta ait: *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hereditas Domini.* Qui mitæ ſimplicitatis & innocentiæ vir, ſummæ cardinem fœlicitatis attingens, vt in noſtris antiquioribus, ſed veracibus reperimus libris iij. Idus Iulij, triſte hoc ſæculum deſeruit, cœleſtiſque ſenator curiæ cœli palatium perpetuo poſſeſſurus introiuit. Sed quia in hac aſperrima cõditione fragilitatis humanæ, aliquoties diuerſis languoribus hebetata, nunquam verò ærumnarum miſeriis & aſſiduis calamitatibus implicata, caduca mortalitas diſſoluitur, inter tot enim ardentiſſimas moleſtiarum miſerias, vario curſu vita hominum ſemper tranſigitur, & ob hoc his omnium mortium generibus, ſubueniri neceſſe eſt, piis operum patrationibus, ſanctorumque poſtulationibus: ideò nunc nobis exorandus eſt ſpecialis patronus noſter Thurianus, cuius precioſiſſima pignora poſſidere meruimus, & ante cuius ſacratiſſimam tumbam, quotidiano adſumus officio, vt qui laborioſa tentatione carnalis moleſtiæ deuicta, perfectæ promiſſum gloriæ conſequutus, anguſta radiatione fulgeſcit, nunc in cœlo, impetret nobis à Chriſto æternæ lucis præmium & faciat nos ſanctis meritis, perpetuis intereſſe gaudiis quibus in cœlo ſine fine perfruitur. Ergo, beatiſſime Thuriane, diſſolue inuiſibiles criminum nexus noſtrorum, ſolue vinculum noſtræ nequam conſcientiæ, vinculum auaritiæ, vinculum crudelitatis & ſuperbiæ, triſtitiam vitæque labores releua. Poſtula nobis tua prece ſancta, diuinę donum reconciliationis, debiles eleua, captiuos redime, eripe eos qui ducuntur ad mortem, eripe interceſſione beata, eripe gratia ſancta, eripe ſubſcriptione indulgentiæ, & munere tuæ benedictionis erige. Hoc verò ineſtimabile donum hancque nobis tuam ineffabilem gratiam glorioſsimi patroni noſtri Thuriani obtinentibus meritis de fonte benigniſsimæ pietatis tuæ præſtari cupimus Deus, qui regnas in Trinitate per ſæcula ſæculorum. Amen.

Contigit in vrbe Pariſiorum, quod pro ſcelere liquet prauorum eueniſſe ciuium ibidem nempè degentium. Dum denique quadam nocte cuncti detinerentur ſopore, cuiuſdam prædiuitis fœnile deflagratum, adeò flammas emittebat ingentes, quo reliquas corripere cœpit, magnitudine flammarum rogus ædes eidem adherentes fœnili. Huiuſmodi igitur ignem videntes vrbis cuſtodes, cuncta iam ſibi pœnè affinia, comprehendentes loca, quantocyus

ciulare

ciulare coegerunt ciues mortem eis adeſſe clamantes. Quibus è ſomno aſſurgentibus mulciber oppidò intumeſcere non deſiit præ fœni congerie, atque vicinas vt dictum eſt domos conflagrare. Triſtabantur æqualiter omnes, flebant ſe parua intercapedine amiſſuros, quę multo labore acquiſierant. Neque enim igni reſiſtere quibant, enormiter diducto impetu pluuigeri ſpiraminis. Cúmq; tantis intereſſent quæſtibus, ſuffragia diuerſorũ cœperunt implorare ſanctorum, vt eorũ interceſſionibus, tantorũ ſedarẽtur vires igniũ. Sed neque ſuperna pietas, homines volẽs perdere ſe deprecantes, cõſilio ac ſi dicatur diuino cœperunt beatiſſimũ ſpecialiùs inuocare Thurianum, quẽ multis nouerant virtutibus ac miraculis exornatũ. Sancti igitur Confeſſoris Germani Eccleſiæ cuſtodes cum reliquis Monaſterij cœnobitis, ad altare ſuper quod Archiãtiſtitis requieſcebãt mẽbra Thuriani accedẽtes, ocyus eundẽ egregiũ ſanctum ſcilicet Thurianũ deferre cœperũt ad ignem. Vbi autẽ maius vigoris eũ habere conſpexerunt ibidem fidentes fauſtiſſimum detulerunt Thurianum. Mox verò flammarum cœperũt euaneſcere globi, ac ſi innumerabilibus fuiſſent aquarum decurſibus perfuſi: ſicque paulatim creſcẽdo ablata eſt immanitas ignis. Quod cernẽtes qui ante flebãt cœperũt Chriſto domino grates referre iucũdi, cuius ſuffragiis tantorũ erant viribus ignium eruti. Proſecuta eſt nihilominus eum copioſa vtriúſq; ſexus multitudo, virorũ ſcilicet ac mulierũ clericorúmq; non minima, cũ cereis & crucibus pſallendo. *Te Deum laudamus te dominũ confitemur.* Cum omni quoq; hymnorũ gloria, repoſuerunt eum ſuper ſancti Michaëlis Archãgeli Aram, quę eſt in monaſterio ſancti Pontificis Germani, ſuper quam ante iacebat. Quibus peractis rediere ſinguli in ſua, Deum qui ſuper omnes eſt glorificando, quo largiente omnia ſubſiſtunt. Egregiúmque confeſſorem, perſpicuè prędicando, cuius interuentione, à magnorum viribus ignium ſaluati atque eruti exiſtere dignoſcuntur.

Huic miraculo aliud ſubſcribere dignũ duximus. Quod in eadem vrbe diuina virtus, quæ ſemper in electis ſuis glorificatur, ob declarandum meritum confeſſoris ſui operari dignata eſt. Erat conſuetudo ab antiquis inſtituta, vt die precedenti ſolẽnitatem beati Thuriani Cõfeſſoris denunciaretur per vrbem & per vicos ei adiacẽtes, celebritas ſolẽnitatis beatiſſimi cõfeſſoris, quatenus populus omnis relicto rurali opere, cõfluerent ad poſcẽda ſuffragia diuinæ pietatis, per meritũ cõfeſſoris ſui Thuriani: & quod ſinguli, ſuis non merebãtur impetrare meritis, obtinerent piis precibus ſuffragatoris. Cõtigit ergo vt miniſtri qui præcones erant tãtæ ſolẽnitatis tranſitũ haberẽt iuxta Eccleſiam quę edificabatur in eadẽ vrbe in honore beati Stephani protomartyris, ij autẽ qui præerãt operi audientes pulſationẽ ſigni, quo eadem futura denũciabatur ſolẽnitas, interrogauerũt, cuius eſſet hæc quæ prænũciabatur futura feſtiuitas. Reſpõſum eſt verò quia S. Thuriani Cõfeſſoris prænũciabatur celebritas. At ille qui præerat operi, inuſitatũ habẽs audire huiuſmodi nomẽ quia quaſi quoddã barbarũ reſonaret, deſpectui habẽs quod audierat dixit nõ ſe opera ſua interrumpere, ne ad ſancti celebritatem accederet: Operariis autẽ quibuſdã ſucclamãtibus, bonũ eſſe eos celebratoribus tãtę ſolẽnitatis intereſſe, cõminatus eſt illis nunquã ex opere illo aliquid quæſtus vlterius acquiſituros, ſi recederent ab opere & ſancti ſolẽnitatẽ curarent celebrare, huic preſumptioni & temerariæ cõminationi vltio diuina nõ defuit. Nam ſequẽti die cum ad opus præfatæ Eccleſiæ temerariè redirent diſpoſitis operariis infra & ſupra macerią quæ cõſtruebatur, corruit diuina virtute quicquid ante operatum fuerat, ita vt nemo inultus abiret. Nam confractis aliorum brachiis, alio-

rũ cruribus,aliorũ pedibus oppreſſis,omnes cõpulſi ſunt fateri Dei & S.Thuriani meritũ.Cuius quia ſolẽnitatẽ celebrare deſpexerãt,ſuã ſinguli coacti sũt deplorare miſeriã.Magiſter verò qui ad hãc eos cõpulit præſumptionem fractis ceruicibus ſpiritũ reddens, diuinã in ſe iuſtè exhibitã excepit vltionem.

Opere preciũ eſt,huic quoque aliud ſubnectere:quod ex diuina virtute per meritũ B.Thuriani in eadẽ vrbe cõtigit eueniſſe.Propinquãte vindemiarũ tẽpore reficiebãtur in regali cellario, quod adhęrebat palatio dolia,quibus ſeruaretur regalibus mẽſis,neceſſaria vini copia. Cũ autẽ pice ſuperfundẽda,calefierẽt ipſa dolia ex ſuperflua materiæ,vires ignis excepit validas, ita vt ipſa cremarẽtur dolia deinde cellarium,deinde totũ ignis occuparet palatiũ.Concurrentibus cũctis ad reprimẽdas vires incẽdij,delatæ ſunt ſanctorũ reliquiæ ex vicinisEccleſ.vt per eorũ meritũ tantũ reſtingueretur incẽdium,quatenus inuſtũ reſeruaretur palatiũ. Deus verò omnipotẽs qui sãctos ſuos sẽper glorificat,vt sãcti per latũ orbẽ declararet meritũ Thuriani, dignitatẽ huius miraculi eius preſẽtię reſeruauit:nã petẽtibus his,quos incẽdij vires vrgebãt fratres ex Monaſt.S.Germani Põtificis,in cuius Eccleſ.quieſcit ipsũ eius corpus deferẽtes ad palatiũ cuius interitum ignis minabatur impoſitũ vehiculo in medium ignis impulerunt,Mox totius incẽdij vires ita defecerunt:ac ſi vnda fluminis deſuper effuſa totũ teneret locũ quod occupauerat incendiũ.Plura denique aliis referentibus de eo comperimus miracula, quæ nec lectori faciant faſtidium ſcribere diſtulimus gratum operi noſtro imponẽtes compendium.

Hymnus de ſancto Thuriano.

VOcibus Chriſto pariter melodis,
Temporis pleno,
Cuius acceptos domino labores
Luce virtutum.
Moribus clero ſpeculum honeſtis
Actibus complens monitus celebres.
Pontifex demum viguit ſuperna gratia.
Mortuis vitam tribuit,& viuis
Sorte ſuprema reuocans puellam.
Greſſibus viuam dedit hanc redire,
Eloqui plectro modulante linguæ.
Iuncta quæ viuens domini patrauit,
Supplices per quem veniam mereri
Gaudiis necnon ſuper aſtra iungi.
Conferat nobis,deitas hoc alma.
Spiritus cuius honor idẽ & par. Amen.

VOta ſoluamus Thuriani feſta,
Redeunte curſu ritè colentes,
Vitam mox fœlix iuuenilis æui
Nimium micantes reddidit omnes.
Extitit vitæ decus & perennis
Prædice Chriſto
Chriſto meritis & iunctus
Æthera pandit
Mente compunctus lachrymis parentum
Patris ad ædem.
Facta vix poſſunt luculenta valde
Munere largo
Poſcimus cuncti ſcelerum canendo
Summe beatis
Patris & proli ſimus atque ſancti
Claret vbique. Amen.

EX CHRONICIS V. P. IACOBI DV BREVL Monachi S. Germani à Pratis,fol. 53.

De ſancto Thuriano Archiepiſcopo Dolenſi.

CLaromõtenſes Aruerni de hoc beato Archipreſule feſtũ trium lectionũ quotannis celebrãt quæ tales in eorum breuiario habentur. Beatiſſimus Thurianus in regioni Britanniæ fuit, in pago Treçoit(* Trecorenſi ni fallor intelligit)oriundus Pater verò eius Lelian nomine, mater verò Magcẽ nobili genere editi,in eleemoſinis largi domini miſericordia ſublimati erãt. Quadã verò

* *Hæc du Breul.*

verò die, cùm eſſet Thurianus in agro ad cuſtodiendũ gregem patris ſui ecce vox domini ad eum ait. *Thuriane non oportet te hunc gregem cuſtodire, ſed vade in Balon monaſterium, ad diſcendum litteras.* Ille autem ſtatim relicto grege pergens ad patrem indicauit ei, quod ſibi Angelus nunciauit. Pater verò ipſius reſpondens ait. *Deo gratias, fili, & ego ita in animo meo habeo, ſicut tibi reuelatum eſt per Angelum.* In tantum autem in illo apparuit diuina gratia, vt malè habentes per eius preces impetrarent remedia. Cœci viſum, claudi greſſum, ſurdi auditum, multi loquelam, dementes ſoſpitatem, & quod permaximum eſt nullus ad eum acceſſit, qui non melioratus receſſerit. Hæc in præfato breuiario. Iam quod ad ſedem eius pontificiam attinet, ſciendum Archiepiſcopum Turonenſem ſub ſe vndecim ſuffraganeos Epiſcopos, ſcilicet Cenomanum Andegauẽſem, Redonenſ. Venetenſ. ſeu Cyathum, Cornubianum, aliàs Coriſopitenſ. ſiue Cornoüaille Leonenſem qui & S. Pauli, ad Saliuncanũ portum Trecocenſem, aliàs Landruſcium ſeu Ripercorentinum. Sancti Brioci, Nannetenſem, Aletenſem ſiue ſancti Maclouij, qui Gallis eſt *S. Malo.* Rotomagenſibus *S. Maclou*, & Dolenſem ſemper habuiſſe, vſque ad tempora Gequelli ſeu Induati Britannorum Principis. Qui infenſus Archiepiſcopo Turonenſi tunc exiſtenti, ei nouem ſedes Epiſcopales in ſua Armorica, id eſt, Britannia minori conſtitutas ſubtraxit, ita vt duo tantum reſeruarentur Cenomanenſis & Andegauenſes, & à Pelagio Pontifice Romano ad hoc conniuente obtinuit, vt Dolenſis Eccleſia in metropolitanam ſublimaretur, cui reliquæ octo ſubeſſent, fuítque primus eius Archiepiſcopus ſanctus Sanſon ex paris dignitatis Anglicana ſede Eboracẽſi: vulgò *Diorch*, ab impiis & hæreticis prius eiectus. Sanſonem temporibus imperatoris Iuſtini iunioris, Ioannis III. R. Pontificis & Sigiberti, magna ex parte Galliam regentis vita functum ſecuti ſunt Præſules S. Maglorius, Budocus, Goëulanus à diuo Greg. magno conſecratus, Gueueneus, Roſtoaldus, Harmaelus & S. Thurianus, vſque ad tempora Caroli calui in Galliis, & in Britannia Salomonis, huius nominis tertij, ſceptra ſua retinentis. Tunc enim Athardo Nannetenſi præſule renuente amplius ſubdi Dorenſi Archiepiſcopo, ſedes præfatæ decreto Nicolai Papæ I. Turonenſi metropolitano ſunt reſtitutæ, & Eccleſia Dolenſis in priorem ſtatum ſcilicet Epiſcopalem reducta. Vt tamen perpetua remaneret memoria, hanc fuiſſe quondam Archiepiſcopalem, conceſſum eſt, vt coram eius Pontifice, non pedum (ſicut ante omnes alios Epiſcopos fieri ſolet) ſed crux quod eſt Metropolitani ius præferretur. Idque etiamnum obſeruari ab ipſis Britannis didicimus. Renatus Choppinus *libr. 3. de Domanio Regis tit. 8. art. 7.* addit Dolenſes ius Metropolis, quod illi ſummo Pontifice & Caluo Rege, pro Turonenſi ſtantibus afferebatur ſeu potiùs ipſi reddebatur in Synodis generalibus Conſtantiana & Baſilienſi, proſequutos fuiſſe: ſed irrita ſpe. De hac controuerſia agit Guimerius in fine pragmaticæ ſanctionis. Fuit ergo vltimus Archiepiſcopus Dolenſis S. Thurianus, quem perperam reclamantibus vetuſtiſſimis codicibus chirographis Thurianum, v, in n, mutato pronunc iant ac ſcribunt. Sed nec ibi vltimos finiuit dies, Nam ſolitudinem Pontificiæ dignitati præferens ad Benedictinum S. Leufredi Abbatis monaſterium, aliàs crucis S. Andoëni dictum conceſſit, habitúmque Religionis ab ipſo Leufredo ſuſcepit. Illud autem conſtructum eſt in Normania, iuxta pagum Calliaci Naſturtio peroptimo abundantem, & propterea etiam à Pariſienſibus Calliacum ſeu Calliacenſe cognominatum, diſtátque à Gailloneo caſtro duabus leucis & totidem ab oppido Ebroicenſi, nam inter vtrumque medium eſt. Ibi reliquum eſt vitę

Vid. Rob. Cenalem libr. 2. hiſt. Gallica.

tranſegit B.Thurianus,ac tandem vitæ ſanctitate & miraculis clarus obdormiuit in Domino. Sepulchrum eius vacuum & apertum retro maius altare etiamnum viſitur,cum duobus aliis ſimiliter patẽtibus.Quorum vnum ipſius D. Leufredi,alterum S. Barſenorij eiuſdem loci abbatis, eſſe perhibent Leufrediani Cœnobitæ. A quibus cum in eorum eſſem monaſterio, hæc quæ ſcribo didici. Superioribus conſonat tractatus inuentionis ſacri corporis D. Amandi Epiſcopi Traiectenſis,quem ex veteri martyrol. Pergameno noſtræ S.Germani baſilicæ,extructũ infra ſub anno virginei partus 1267. referemus in eo quippe hęc habentur.Et Nortmania ad monaſterium inuictiſſimi martyris Vincentij, necnon glorioſiſſimi Confeſſoris Chriſti Germani Pariſienſis Epiſcopi detulerunt glorioſum Archipræſulem Thurianum, qui minoris Britanniæ Dolenſium rexit Eccleſiam cum beato Leutfredo Abbate ſanctiſſimo, ſub quo dictus Archipræſul decus Pontificis derelinquens, monachi ſumpto habitu,monachatus eſt in ordine ſacro.Quamobrẽ Robertus Cenalis Epiſcopus Abrincenſis,lib.2.hiſtoriæ Gallicæ,perioche quinta fol.173. allucinatur,credens eum ad noſtram S.Germani ædem trãſportatum fuiſſe,ob timorem paganorum per Oceanum aduentãtium recenſet ibidem multorum aliorum ſanctorum translationes ob eandem cauſam factas, atque imprimis translationem B.Sanſonis ex Dolenſi Eccleſia ad Aurelianenſem.Hæc autem Britannię ciuitas ſeu ſedes pontificia,non Dolum(vulgò *Dol*)vt ipſę voces ſonant & accipiuntur,ſed Dolor à beato Sanſone nuncupata fuit,ob ſcilicet dolorẽ quẽ vir potens nomine Priuatus, ex coniuge lepra percuſſa & filia à dæmone vexata diuturnum habuerat: vtramque enim ipſe ſanctus ex ingrata & tanto viro indigna Anglia illuc aduenıens ſanauit,hoſpiti ſuo à quo humaniter ſuſceptus agróque ad Cœnobium conſtruendum donatus fuerat gratiam rependens.Dolenſes primitus Diabilintres, quaſi vtrimque bilintres appellatos fuiſſe aſſerit idem Cenalis libro ſecundo,perioche 6. fol.168. quod maris accolæ,lintribus ita nauigio ſua commercia tractarent,vt vnà merces conueherent altera reueherent.

1599. Anno Domini milleſimo quingenteſimo nonageſimo nono die trigeſima Auguſti,os vlnæ ſancti Thuriani datum eſt monachis Inſulæ Lerinenſis, in prouincia prouinciæ Narbonenſis Galliæ, propè Antipolim & Foroiulium.

INCIPIT VITA SANCTI Leufredi Abbatis.

CAPVT PRIMVM.

21.*Iunij.* BEatus vir Leufredus intra Gallias, pago Ebroicenſi exortus eſt, ſanguinis nobilitate conſpicuus, parentibus Chriſtianiſſimis natus.Hic ab adoleſcentia ſua, cum in vana mundi huius gloria excreſcere poſſet, totam militiam ſuam Domino vero regi deuouit, magis cupiens pauper Chriſtum nudus ipſe ſequi, quam diuitiis ſæculi veſtitus, ad tempus ſicut flos fœni florere. Mox ergo adhuc puerulus, diuino ſpiritu tactus, æſtuabat animo: aſſiduè parentes deprecans, vt acceſſum poſſet habere ad aliquem locum, vbi exercitia litterarum in ſcholis inuenirentur. Ad hæc cum pater nullo modo aſſentiret, & filij diceret ſe non poſſe abſentiam ſuſtinere: puer ille deuotus occaſionem

inue

inuenit, qua id quod deſiderabat perficeret. Petiuit ergo à patre, vt liceret ſibi cognatos & affines ſuos viſitare, qui in Caſtro Ebroicenſi morabantur. Cumque viſionis mutuæ & allocutionis eis impendiſſet officium, continuò ad propria reuerteretur. Poſtquam itaque optinuit quod poſcebat, ad ſuburbium præfatæ ciuitatis tetendit: vbi venerandus confeſſor Chriſti Taurinus, præſul quondam eiuſdem loci requieſcit. Veniénſque ad locum, & Ædituum domus Dei allocutus, ei voluntatis ſuæ reſerauit arcanum. At ille libenter eum audiens, vnanimo affectu tractauit: & quia mente ſincerus, & corpore pulcher eſſet, fraterna dilectione ei miniſtrare curauit. Vt autem magiſtrum reperit, qui ſibi operam in litterarum eruditione impenderet: cum documento linguæ, morum probitate cœpit alios anteire.

Caput II.

INterea cum ibidem diutiùs moraretur, parentes quos reliquerat, abſentiam eius grauiter ferentes, & in exteris regionibus ad aliquam eremi vaſtitatem profugiſſe credentes: mox cœperunt circuire loca diuerſa, ſi forſitan eum alicubi reperire poſſent. Et cum dies & noctes, in quærendo eo agerent: in monaſterio quodam inuentus eſt. Cumque ei vehementius inſtarent, vt parentum dolorem reuerſione ſua releuaret: Euangelica voce reſpondit. *Nemo mittens manum ſuam in aratrum, & aſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* Luc. 9. Nam poſtquam me dominus meus Ieſus Chriſtus ad ſibi ſeruiendum aſſumere dignatus eſt, indecens omnino eſt, ſi ab eius nunc militia, ad carnis & ſanguinis tranſeam amicitias: Præſertim cum ipſe dicat, *Qui amat patrem plus aut matrem quam me, non eſt me dignus.* Matth 10. Et *ſi quis venit ad me, & non odit patrem ſuum aut matrem, aut vxorem aut filios, aut fratres aut ſorores, adhuc autem & animam ſuam: non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Luc. 14. Tali ac tanto pondere dictorum victi parentes cum reſiſtere non poſſent, in propoſito ſuo eum manere paſſi ſunt. Illiſque abſcedentibus, cœpto operi magis ac magis inſiſtere cœpit: quouſque omnibus ſodalibus tranſcenſis, magiſtrum quoque ſuum æquiparare videretur.

Caput III.

CVmque omnia epotaſſet in quibus idonei doctores erant, quos in eodē vico inuenerat, ad alium vicum, cui Condatus vocabulum eſt feſtinus migrauit. Condé. Sed cum nec ibi virum inueniret, qui ſibi ſatisfaceret ad omnia quæ quærebat: quā citiſſimè loco ceſſit, ad vrbem Carnotenſem, conuolauit: vbi diuerſorum ſtudiorum doctrinam abundare cognouerat. Quo cum peruenisſet, iuuante ſemper Dei gratia, ita ad plenum eruditus eſt: vt omnes eum cum attentione diſcipulum mirarentur factum eſſe magiſtrum. Miróque modo induſtriæ ſapientiæ, & conuerſationis ſancta ſimplicitas in eo refulgebat: vt cum verborum ſtudio, & litterarum affluētia, bonorum operum incrementa conſurgerent. Vnde factum eſt, vt ipſe vir Dei experiretur, quod cæteri ſancti patres ab inimicis religionis ſuæ perpeſſi ſunt. Etenim quanto ipſe amplius flumine gratiæ ſpiritus ſancti debriabatur: tanto maleuolorum ſociorum inuidentia contra illum acrior erumpebat. Et hoc de verſutia antiqui hoſtis, miſeris hominibus accidit vt alter alterius fœlicitate torqueatur. De quo ſcriptum eſt. Inuidia diaboli, mors intrauit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui ſunt ex parte eius. Sap. 2.

Caput IV.

PORrò vir Dei cum contra ſe venena antiqui hoſtis,& inuidiam hominum graſſari conſpiceret: velociter inde digreſſus, ad propriam poſſeſſionem remeauit. Cùm autem fama reuerſionis eius ad vicinos peruenisſet: cognoſcentes in eo diuinarum litterarum ſapientiam coruſcare, filios ſuos ab eo edocendos offerebant. Quos ille & litterarum peritia imbuebat, & religionis modeſtia informabat. Denique dum ſpiritualibus ſtudiis occuparetur, inter cętera ſemper memor verborũ Domini,quibus in iudicio fideles
Matth.25. alloquetur dicens,*quod vni ex minimis mei feciſtis, mihi feciſtis:* neceſſaria indigentibus,viduis, ac pupillis & orphanis procurabat. Et eos in domum ſuam introducens,ciborũ ſatietate reficiebat:& prout poterat abſceſſuris viaticum tribuebat. In eodem loco poſſeſſionis ſuæ Oratorum ſtatuit: quod etiam reliquiis diuerſorum ſanctorum, exornauit: Vbi nullus introitus neque acceſſus fœminis dabatur. Sane quamuis adhuc in laico habitu detineretur, opus tamen veri monachi aſſiduè Domino perſoluebat: pernox in vigiliis & oratione perſeuerans, in ieiuniis promptus, in eleemoſinarum largitate benignus.

Caput V.

Matth.19. POſt hæc maiora ac perfectiora ſemper animo perquirens, cœpit intra ſemetipſum cœleſtis oraculi verba reuoluere,quibus dicitur: *Si vis perfectus eſſe,vade,vende omnia quæ habes,& da pauperibus, & veni,ſequere me.* Quapropter dignum duxit, vt omnibus mundanæ dignitatis affectibus funditus deſpectis monaſticum ſubitò conuolaret ad habitum. Nec in longum deuo-
Eccleſ.5. tionis ſuæ diſtulit propoſitum. Legerat quippe dixiſſe ſapientem:*fili,ne differas conuerti de die in diem.* Quadam igitur die, cum honeſtioribus cibis præter ſolitum conuiuium inſtruxiſſet: patrem & matrem, propinquos quoque in domum ſuam conuocauit, & abundantia cibi & potus refecit: xenia inſuper eis largitus eſt. Cúmque iam veſpertina hora adeſſet,& illi in epulis lætarentur:ſeruus domini in corde domino decantans,ſecretum aliquod ſecum meditabatur. Dixitque eis. Audite me, chariſſimi parentes, noti & vicini, & quicumque pauperculam domum noſtram introire dignati eſtis. Iam nox imminet, dignamini hic hac nocte requieſcere: & mane ad veſtra ſinguli reuertimini.Ego verò (iuuante me Domino meo Ieſu Chriſto) quod deſidero,feſtinus implere curabo.Hoc autem ad quid dixerit, omnibus incognitum eſt.

Caput VI.

CÚmque illi ſopore graui depreſſi eſſent, ipſe concupitum iter arripiens, parentibus relictis, & omnibus quæ in mundo tenere videbatur, intra profundæ noctis tenebras,veram lucem,id eſt Chriſtum,habere meruit.Cui iter facienti,pauper quidam nudus obuiam venit.At ille pallio quo erat amictus,eum protinus veſtiuit.Indéque paululùm progrediens, alterum pauperem obuium habuit nudum.Quem ſimiliter veſtimentis ſuis circuntexit,re-
Eſa.58. miniſcens propheticæ monitionis: *Cùm videris, inquit, nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris.*

Caput VII.

PEruenitque ad monaſteriolum, quod vocatur vulgò Varenna. Cumque charitate illic habitantes aliquantum temporis eum detinere vellent, nullo modo acquieuit: quia fœminarum habitaculum illud erat.

Egreſſus

Egreſſus itaque petiuit locum qui dicitur Calliatus : vbi Dei hominem Bertrannum inuenit, cuius in rebus diuinis indefeſſa mentis agilitas ferebatur. Qui dum ſermone mutuo inuicem de ſpiritualibus agerent, viſum eſt eis vt aſpectibus hominum ſe ſubducerent:& quaſi catena colligati, intra clauſtra domus vſque ad finem vitæ in hymnis & precibus permanerent. Sed vir Domini Bertrannus,relictis omnibus quæ habebat,peregrè profectus eſt.Deuotus verò miles Domini Leufredus in cœptis perſiſtẽs,ibidem ſe velut in ſpecu retruſit. Ibi die noctuque orationibus & vigiliis intẽtus,fonte lachrymarum ora ſuffuſus,pietati omnipotentis ſeipſum commendabat:vt ipſe in quo ſperabat intentionem & opus ſuum vſque in finem fœliciter dirigeret.

Cailly, haud procul ab Abbatia S. Leufredi.

Caput VIII.

EVoluto autem tẽpore cum iam diſpenſatio diuina per eum plures lucrandos decerneret,audita fama Beati Sidonij, vir Dei Leufredus Rothomagenſem vrbem protinus aduenit:vbi prædictus homo Dei Sidonius, Hibernia Britanniæ inſula ortus, virtutum ſplendore venerabilis habebatur. Poſtquam autem venerabilis vir Dei Leufredus vera eſſe comprobauit,quæ fama ad eum detulerat:homini Dei arctius ſe coniunxit, & per ordinem voluntatis ſuæ patefecit arcanum. Satiſque ab eo in regulari tramite ac monaſtica conuerſatione edoctus,& habitu corporis immutatus, accepit ſignum capitis,quo milites Chriſti à populari cœtu diſcernuntur:& ſub ipſo patre, voto ſe ipſe conſtrinxit, omnem obedientiæ diſciplinam ſeruaturum : ſciens ſcriptum, Obedire magis placet Deo,quam victimæ : & auſcultare magis quam offerre adipem pacificorum. Et Samuel ad Saül ait. *Quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare:& quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere.*

1. Reg. 15.

Caput IX.

IN diebus illis Domnus Ansbertus in Rothomagenſi vrbe põtificatum gerebat. Hic frequenter egregium virum Sidonium & ſanctum Leufredum ad familiare colloquium inuitans, de acquirendis Deo animabus cum eis tractabat. Factum eſt interea, vt hortatu præſulis & Beati Sidonij,ad natale ſolum vir Domini reuerteretur:vt in patria ſua homines in via erroris ambulantes, ad lumen veritatis reduceret, cuius rei ipſe magis quam alius ſufficiens eſſet.

Caput X.

EGreſſuſque vrbe,ſpiritu ſancto Duce,deuenit in fines Madriacenſis pagi, ad locum quidem virtutibus inſignem,nullis tamen habitaculis adornatum. Dudum namque cum vir Domini Audoënus Rothamagenſium Antiſtes,ſpiritu ſancto plenus, diuerſas prouincias peragrans, verbum Dei diſſeminare non ceſſaſſet,iamque graui ſenio confectus equitare non valeret:vſus eſt vehiculo,in quo iacentem eum duo muli vehebant.Quodam igitur tempore cum ſic incederet:accidit vt tranſiret per vallem illuſtrem,iuxta fluuium Aucturam, vbi via erat ab occaſu in orientem. Porrò alia via ducebantur à Meridie in Septentrionem. Dumque ſuper ipſum locum,vbi viæ in ſimilitudinem Crucis iungebantur,vehiculum ſancti viri peruenisſet:illicò tanquam terrore diuino,animalia ſubſtiterunt,nec à loco moueri potuerunt.Tunc vir Domini non abſq; myſterio rem tantã fieri ſentiens,familiare cũ Domino ſecretũ iniit.Et ecce reſpiciens in cœlũ,vidit ſignũ ſanctæ Crucis miro fulgore radiãs. Statimque animaduertit vir Deo plenus,reſplendẽte cœlo ad terrã, & terra ad cœlũ,quod locus ille futuris tẽporib⁹,Crucifixi Domini Ieſu Chriſti

La Reuiere d'Vne.

De hoc vide vitam ſancti Audoëni.To. 4. Surij de ſanctis. Die 24 Auguſti Cap.18.

veros cultores habiturus eſſet, qui Crucis mortificationem in corde & in corpore ſuo euidenter geſtaturi eſſent. Tali igitur viſione glorioſus Domini Pontifex lætificatus, iuſſit ſibi afferri lignum, vnde ſignum ipſius viuificæ Crucis effigiare poſſet. Sed cum miniſter non inueniret: à ruſtico quodam in eodem loco terram arante, partem ſtimuli precio comparauit. De qua vexillum Crucis figurauit: & ceſpite cõgeſto deſuper illud compoſuit, ſanctorumque reliquias ibidem colligauit. Quo facto iter quod cœperat proſecutus eſt. Ipſoque itinere perductus eſt ad prædium, quod vocatur Clippiacus. In quo finem vitæ præſentis accepit: & ad aulam regni cœleſtis tranſlatus, vitam æternam eſt adeptus. Locus autem ſupraſcriptus crebris miraculis reſplendebat: ita vt aduentantium illuc miſerorum multitudo, priſtinæ ſanitati reſtitueretur. Quinetiã continuis noctibus nubes ſplendidiſſima ſuper ipſum locum videbatur, pertingens à cœlo vſque ad terram. Vicinis ergo in circuitu commanentibus tantæ rei nouitate ſtupefactis, quidam eorum caſulam horrei ſui ſuper pignora ſanctorum (quæ præfati ſumus) ſtabilire curauit. Hunc denique locum vir Dei Leufredus poſt aliquot annos deceſſionis ſancti Audoëni Archiepiſcopi inuiſere tẽtauit. Viſoque loco, amœnitate eius (eo quod eſſet aquarum nemorumque & vinearum fertilitate iocundus) miraculorum quoque prodigiis, quæ ibi fiebant, plurimùm lętificatus: Domum ſacram Domino Deo ibi conſtruere accelerauit, in honorem ſcilicet viuificæ Crucis, & ſanctorum Apoſtolorum, ac præcipui confeſſoris Chriſti Audoëni põtificis. Atque in eo loco altare ſtatuit, vbi Crux ſemitarum apparuerat. Sed & poſt modicum tempus congruentibus habitaculis eandem cellulam cinxit, atque monachorum conuerſatione nobilitauit. Siquidem ex diuerſis partibus ad eum confluebant: qui poſſeſſiones agrorum ſuorum vendentes, precia ante pedes eius, ſecundum morem primitiuæ Eccleſiæ deferebant: vt deſtribueretur omnibus prout cuique opus eſſet. Alij autem de facultatibus ſuis eundem locum ditare certabant: vt de redditibus rerum ſuarum per futura tempora ſerui Dei inibi habitantes neceſſaria acciperent. Dici non poteſt quanta celeritate locum ſuum Dominus exaltauerit: ita in breui ſpatio multi, pompa ſæculari abdicata, conuerſi ſint ad Dominum. *Act. 2.*

Caput XI.

PEr idem tempus Pontificatum Ebroicenſis Eccleſiæ Deſiderius agebat: à qua non lõgè duabus ſcilicet leucis ipſe locus diſtabat. Qui cum opinionem viri Dei audiſſet, & quia plures ab ipſo, lumine veritatis accenſi, vitam Apoſtolicam ſequerentur: zelo inuidiæ ſuperatus, quod in dioceſi ſua talia agere præſumpſiſſet: quadam die conſcenſo equo, aſſumptis Officialibus ſuis, ad cellam viri Dei perrexit. Ventum eſt ad locum: & ſubitò virum Dei iniuria verborum exacerbauit. Sed cum ad hæc patronus noſter immobilis perduraret, & patientiam fortiter conſeruaret: magis ac magis Epiſcopus exagitatus furore, imperat ſuis, vt eum in equum leuarent: cum ipſe vir Domini iam decreuiſſet nunquam equum aſcendere. Cumque pariter ambularent, & eum Epiſcopus ad ciuitatem perducere conaretur, vt ibi in eum quæcunque vellet liberius exerceret: necdum milliarium à cella hominis Dei compleuerant, cum ſubito equus cui vir Dei ſedebat in terram concidit, & dirupta ſunt omnia viſcera eius. Mirantibus cunctis Epiſcopus nimio terrore conſternatus eſt: atque leuitatem ſuam admodum reprehendit, quod virum Dei lædere præſumpſerit. Sicque ad genua eius prouolutus, indulgẽtiam poſtulauit. Cui

vir

vir Domini memor orationis Dominicè placidè omnẽ iniuriã remiſit. Pontifex autem cum ſumma veneratione & obſequio, eum ad cellam ſuam redire fecit. Vbi poſtea diuino adiutorio comitatus, per multa annorum curricula, & verbo fidei claruit, & miraculis corruſcauit.

CAPVT XII.

DEnique die quadã vnus monachorũ, nomine Giſlehardus, tanta antiqui hoſtis malitia perculſus eſt, vt ſubitò animã exhalare ſe crederet. Curréníq; ad hominem Dei, voce lacrimabili, aiebat Succurre pater ſuccurre: quia modo ab hac luce diſceſſurus ſum. At vir Domini ad familiaria ſibi arma recurrit: hortatúſque eſt ſuos, vt precibus obnixè inſtarent: vt verus & æternus paſtor Ieſus, vnam ouem ſibi creditã à iugo diaboli eripere dignaretur. Cum autem ſurrexiſſet ab oratione, benedixit ei: dans præceptum vt in ieiuniis deuotus eſſet: Memor verbi Domini, quod ad diſcipulos ait. Nam interrogantibus eis, quare ipſi non potuiſſent à puero immundum ſpiritum eiicere, reſpondit. *Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione & ieiunio.* Poſt hæc tradidit ei baculum, quem ipſe manibus geſtabat: & dixit ei. Conſtans eſto fili: non morieris modo. Viriliter age: & in operibus bonis meditare iugiter. Et ſanatus eſt frater ille: nec vlterius tale aliquid paſſus eſt. *Matth. 17.*

CAPVT XIII.

ALio ítidem tempore, noctu flamma ignis cum caſu validiſſimè per omnia monaſterij habitacula cremando peruolaret, repente vir Dei manus ad cœlum leuauit: Omnipotentem inuocans, vt ipſe flammarum vires conſtringeret, qui fornacem Nabuchodonoſor nihil valere fecit, vt tres pueri liberarentur illæſi. Deinde oratione completa, tanto imperio impetum ignis coarcuit: vt nihil vlterius contingere poſſet: ſed tota violentia ventorum in vnum conglobata, quaſi inundatione imbrium in ſemetipſo emarcuit. Vbi euidens miſericordia Dei, & interceſſio ſancti viri apparuit. Nam cum domus hæreret domui, omnia citiſſimè deperiſſent, ſi non ſerui ſui Dominus precibus placatus fuiſſet. *Daniel. 3.*

CAPVT XIIII.

ALio quoque tempore certamen antiqui hoſtis quendam hominem inſtigauit: vt contra virum Dei iniquè ageret, & de rebus cellulæ ipſius diminutionem facere tentaret. Pro qua re, vir Domini zelo domus Dei permotus ad iudicem feſtinauit. Cúmque ſanctus Domini famulus querelam ſuam exponeret: homo ille turpibus ſermonibus ei cœpit exprobrare, atque falſidicum appellare. Cui vir Domini concitato ſpiritu ait. Deus ipſe iudicet inter me & te. Et in hoc apparebit quis noſtrum iuſtíciam impugnet: ſi modo dentes ei radicitus omnes ab ore ceciderint: Et ſit hoc ſignum per omnem illius progeniem. Vix verba compleuit, & pondus condignæ vltionis ipſum & ſemen eius percuſſit: ita vt omnes de illius progenie nati hac maledictione deturpati ſint vſque in hodiernum diem.

CAPVT XV.

ALiud ſimile miraculum geſſit per eum ſpiritus Domini. Nã cum quondam in Auctura fluuio piſcando laboraret: ex aduerſo reſpexit eum quędam fœmina, & quaſi ſubſannans, in corde ſuo dixit. Verè iſte caluus omnem hunc fluuium piſcando exhaurieus euacuabit, nec quicquam poſt ſe aliis capiendum relinquet. Sic autem hoc ipſum intra labia ſe ſubmurmuraſſe puauit: vt nullo modo ad aures viri Dei pertingeret. Sed quia tumor verborum

ad virum Dei peruenerit ipsa experta est postmodum claruit. Denique vir Deo familiaris conuersus ad eam ait. O mulier quid inuides, aut cur molesta es super bono, quod mihi cum cæteris hominibus cõmune est? fiat tibi retrò, & omni semini tuo, quod mihi à frõte accidisse vides: vt sicut frons ista capillis nudata est, ita tuum caput & seminis tui retrò decaluetur. Quæ verba viri Dei mox adimpleta sunt: sicut vsque hodie rei veritas testatur. Nec mirum quia omnipotens Deus, nec ea quæ à fidelibus famulis suis vel leuiter proferuntur, ociosa & vacua patitur præterire.

Caput XVI.

ALio quoque tempore cum orandi gratia vrbem Turonicam peteret, limina sancti Martini visitare cupiens, transibat per pagum Vindocinensem. Cúmque iam vespere ingressus esset quandam villam Solemniacum nomine, & fatigatus ex itinere aquam ad bibẽdum postulasset: respondit hospes. O homo Dei, penuria aquæ patria nostra laborat: Non est nobis puteus, non est fons. His auditis, vir Dei ait ad fratres qui se comitabantur. Perennem fontem Dominum nostrum Iesum Christum fratres deprecemur: vt de venis terræ huius, fontem indeficientem manare faciat. Illicò ab oratione surgens, virga quam manu tenebat decies terram percussit: & continuò fons viuus effluxit, qui permanet vsque hodie. Omnisque populus gauisus est in mirabilibus, quibus per seruum suum Dominus penuriam eorum releuare dignatus est. Ipse autem iter quod cœperat prosecutus est.

Caput XVII.

CVmque loca sanctorum circuisset, peractis omnibus ad proprium monasterium repedauit. Præterea cum optimè in cœnobio suo turba monachorum in lege Dei floreret, & grandi feruore ad supernam patriam anhelaret: pro quibusdam necessariis negotiis euenit, vt reuerendissimus patronus noster nobilissimum Principẽ Carolum Martellum, Maiorem domus adiret: qui eo tempore quo Dagobertus rex, Childeberti glorioſissimi & æquissimi regis filius, regnum francorũ tenebat curam reipublicæ nobiliter administrabat. A quo honorificè susceptus est, & humanè tractatus: & quæcunque suggessit consecutus est. Nam & pro merito sanctitatis eius, idem princeps familiarissimè eo vsus est: & gauisus occasionem se inuenisse, de animæ suæ salute cum eo diutius tractauit. Iámque cum reuerteretur ad propria deuenit ad Castrum Laondunẽse, quod Clauatum vocant. Postquem prefatus Princeps festinanter direxit, qui eum ad se celeriter reducerent. Nam filius eius Gripho grauissimis febribus torquebatur: Cui mortem vicinã adesse credebant. Propter quod princeps multis precibus virum Dei flagitabat: vt ei sanitatem pristinam orationibus suis reformaret. Cúmque ille negare non posset, quod paterna deuotio extorquebat: iussit vt à ministris sibi offerretur. Igitur manibus ministrorum puer ad eum delatus, nocte illa cum eo fuit. Cum autem aquam sanctificasset, & membra pueri ex ea superfunderet, signo Crucis eum muniẽs in diuinis laudibus & officiis noctẽ illã exegit. Inter quæ cœpit puer melius habere, & humores febriũ per os effundere. In crastinũ autẽ seruus Dei, Christiq; sacerdos missarum solemnia celebrans, puero corporis Dominici sacramentum tradidit. Post hæc optimè cõualuit puer: & sibi salutem se reportare gauisus est, & patri gaudium. Porrò vir venerabilis postquam innotuit populis cuius esset meriti, reuersus est in sua. Venerabantur hunc principes, diligebat manus plebeia: atque ad imitandum eum non solum sui, sed etiam externi de aliis Monasteriis properabant.

Est Dagobertus secundus Childeberti. 2. filius.

Caput

CAPVT XVIII.

QVodam verò tempore, cum à reclamationibus rerum Eccleſiaſticarum, quas apud iudices ſæculares diſpoſuerat reuerteretur, hoſpitium cuiuſdam propinqui ſui ingreſſus eſt. Vbi cum feruenti ſole muſcarum inſolentiam pateretur, & miniſter iam laſſaretur, non prævalens abigere muſcas: vir domini manus conſerens ſuper oculos, Deum exorauit vt requieſcerent iam membra hac fatigatione laſſata. Tunc ſubitò omnis illa inquietudo muſcarum ceſſauit: nec vltra viſa eſt muſca in eadem domo.

CAPVT XIX.

DAemonum quoque phantaſmata potenter euaneſcere faciebat. Aliquãdo namque cum intempeſta nocte aliqui è fratribus ardentioris deſiderij ante tempus vigiliarum ſurrexiſſent, vt ſecretiùs orationi vacarent: adeſt immundus ſpiritus, ſedens in loco vbi vir Dei ſedere conſueuerat, aſſumpta eius effigie. Nec mirum: cum ipſe Sathanas transfiguret ſe in Angelum lucis. *2. Cor. 11.* Cúmque à tranſeuntibus veneraretur, quia æſtimabant ſecundum morem, virum Dei illic conſediſſe vnus eorum non oblitus, vbi virum Dei dimiſiſſet, citius venit ad eum dicens. Similis tibi (O Pater) homo ſedet in baſilica vbi ſedere conſueuiſti: Et modo illudit fratribus, qui per errorem illi reuerentiam exhibent. Audiens hæc vir Deo dilectus, præſtigium diaboli mox recognouit: & eadem hora ſurgens, oſtia & feneſtras eccleſiæ, vexillo crucis depinxit, ac impetum in eum fecit, & flagellis vexare cœpit. Ille verò per diuerſa fugiens, non inueniebat aditum quo exiret. Tandem autem vnum inuenit locum, vbi vir Dei ſignum Crucis non direxerat: foramen ſcilicet cameræ, vbi funis dependebat, per quem ſignum per horas canonicas pulſabatur. Et velociter funiculo illi innixus faſtigium templi conſcendit. Sed illo aſcendente, chorda poſt eum quaſi ab igne combuſta eſt. Adhuc autem lædere ſe poſſe ſanctum virum arbitratus, ſignum illud à templo aſportauit, non longè à monaſterio: & in defoſſo terræ aggere abſcondit. Quod poſtea vir Domini releuari fecit. Non enim latebat eum vbi repoſitum eſſet. Cognoſcétes equidem immundi ſpiritus dolos ſuos & phantaſmatum figmenta coram eo nil valere ceſſerunt loco, meritorum eius ſanctitate fugati. Hanc namque poteſtatem Dominus Apoſtolis ſuis, ac omnibus fidelibus ſuis tribuit: qui ei inconcuſſa fide & perfecto corde deſeruiunt. *Ecce (ait) dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit.* *Signum hic pro campana ponitur.* *Luc. 10.*

CAPVT XX.

DEnique etiam per idem tempus puella quædam Guntarij Comitis maligno ſpiritu infeſtabatur, intantum vt & linguæ officium amitteret. Cúmque in præſentia viri Dei deducta fuiſſet: ille aqua benedicta eam aſperſit, & crucis ſanctificatione ſignauit. Deinde digitos ſuos in os mulieris componens, expuénſque in faciem eius, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti immundum ab ea ſpiritum expulit & continuò ſolutum eſt vinculum linguæ eius: & ad imperium viri Dei mox loqui cœpit rectè. Sícque ſana facta eſt mulier ex illa hora.

CAPVT XXI.

ALio tempore dum ipſe venerabilis pater cum fratribus in labore manuum occupatus eſſet quadam die, cum iuxta ripam fluminis Aucturę quæ ipſi monaſterio à plaga meridiana adiacet, dumos & ſpinas toto adniſu ſuccideret: cuidam fratri excuſſum de manubrio ferrum à manu cecidit, & in interiora fluminis demerſum eſt. Illud autem ferramentum vocant ruſtici

bidubiũ:quod à quibuſdam falcaſtrum vocatur:eo quod in falcis ſimilitudinẽ curuum ſit. Cum autẽ ad notitiã viri Dei hoc peruenisſet ipſe ad fluuium acceſſit:& cœpit perquirere ab operantibus, locum vbi ferramentum illud cecidiſſet.Et agnoſcens locum,ſtetit è regione,& baculum quem manu ferebat in flumen porrexit,Statímque ſicut piſcis ad hamum,ſic ferrum illud natauit & baculo illi inhæſit.Quod vir Dei reddidit operario ſuo,cohortans eum lenibus verbis,vt fidem diſceret habere in Deum per quem talia fieri cerneret. Ipſe namque in Euangelio ad fidem nos exhortans, ait. Habete fidem Dei. *Amen dico vobis ſi habueritis fidem ſicut granum ſinapis,dicetis monti huic, Tollere & mittere in mare ſtatim obediet.* Verè venerabilem virum iſtum dixerim: qui etiam gratia & meritò prophetarum exuberauit. In hoc etenim facto Eliſæum imitatus eſt: plenus vtique eodem ſpiritu, per quemtanta facere Eliſæus promeruit.

Matth.17.
4.Reg.6.
Simile miraculum fecit S.Benedictus lib.2.Dialog. cap,6.

Caput XXII.

SEd & illud adiiciendum eſt,quod famulus Domini æmulatione Chriſtianæ Religionis ſtimulatus,geſſit in vicino monaſterij ſui loco.Nam propè monaſterium erat locus,vbi armentorum cuſtodia habebatur: vnde & boues ad excolendam terrã producebantur.Contigit denique aliquando,vt ab agricolis die ſabbathi,ſecundum cõſuetudinem legis ſuæ in cultura terræ debitũ ſeruitium perſolueretur. Sed cum ad terminum ſuum eo die non potuiſſent peruenire,quia iam ſol ad occaſum feſtinabat:bubulci memorati loci precio ab eis accepto, contra vſum Chriſtianitatis,in craſtinum,id eſt,die Dominica auſi ſunt terram arare,volentes perficere quod imperfectum reliquerant. Illis verò in hoc laborantibus adfuit vir Domini,veniens à cœnobio ſuo,poſt completa tanti diei ſacramentorum ſolemnia. Vidénſque tantum facinus, grauiter ingemuit & ait.Heu miſeri quid hoc feciſtis?Quare tam grande nefas tentaſtis?Et cõuerſus ad Dominum,cum lachrymis imprecatus eſt dicens. Fiat Domine terra iſta ſterilis:& nullus fructus ex ea proueniat in æternum. Quod ita factum oculis comprobamus:ita vt vſque hodie locus ille plenus ſit ſentibus & infructuoſis arbuſculis,neque nucem,neque fructum aliquem vtilem proferentibus.

Caput XXIII.

ALiquandiu ergo cella parua iuxta Baſilicam vſus eſt.Vbi cum appropinquare iam cerneret finem vitæ ſuæ,diebus & noctibus in ieiuniis,in vigiliis & orationibus Domino indefeſsè vacabat. Interea contigit vnum ex monachis è ſæculo migrare.Cúmque fratres qui corpus eius tractabant,inter veſtimenta eius tres nummos abſconditos reperiſſent: continuò patri reuerendiſſimo retulerunt.At ille vehementer ad hæc infremuit:& eum à ſocietate fratrum excommunicandum eſſe decreuit: dixítque fratribus Ite & eiicite eum in aliquem locum ſeorſum & non in cœmeterio fratrum.Et accipientes nummos proiicite ſuper eum,clamantes.Pecunia tua tecũ ſit in perditionem. Qui abeuntes,omnia ſicut iuſſerat executi ſunt. Factum eſt autem poſt circulum fermè quadraginta dierum,cum deprecaretur vir Dei facié Domini & ſe in lachrymis ac vigiliis, vel ieiuniis nimiis pro noxa fratris illius affligeret reuelatione didicit abſolutum eſſe fratrẽ,& ad preces eius indulgentiã peccati collatam. Statímq; conuocatis fratribus ait.Fratres tempus eſt,vt miſereamur fratri, quem iudicio excommunicationis extra ſortem veſtram fieri cenſuimus. Dominus Deus noſter precibus veſtris placatus, veniam ei contulit. Ideóque & vos communicantes ei, corpus eius ad Polyandrum veſtrum

veſtrum reuocate. Sicque factum eſt. O quantum poſſunt, qui omnipotenti Deo fideliter famulantur! Ecce enim cum hic adhuc corpore commorentur, animas defunctorum in alia regione & ligare poſſunt & abſoluere. Certè videmus quia iam hic ex parte incipiunt ſancti viri, quod eis Dominus in futuro repromittit. *Vos (inquit) qui dereliquiſtis omnia? & ſecuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper duodecim ſedes, iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Per duodecim qui ſeſſuri ſunt omnem plenitudinem ſanctorum iudicum voluit intelligi: ſicut & per duodecim tribus Iſrael omnes qui iudicandi ſunt. Vir namque ſanctus ſententia diuina animã fratris cum voluit ligauit, & cum voluit abſoluit. Sancti namque viri ſeueriſſima ſententia peccatores feriunt: vt poſt iram diuinę animaduerſionis fręnare poſſint. Quaſi enim ad vota ſanctorum ſuorum & iraſcitur Dominus & parcit. Ait quippe ad Moyſen. *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos.* Sed Moyſes poſtquam iram Domini multis precibus à populo remouit, mox cõuerſus ipſe vltor in eis extitit: & peccatum plurimos occidendo purgauit: & ita Dominum placauit.

Matth. 19.

Exod. 32.

CAPVT XXIV.

LOngum eſt enarrare per ſingula, quantam gratiam Dominus Beatiſſimo ſacerdoti ſuo contulerit. Nam & tempus me deficiet, ſi velim omnia geſta illius comprehendere: licet plurima ſint, quæ homines ipſe latere voluit. Vnum eſt, quod obliti ſumus, & neceſſarium duximus illud commemorare, quod inter cætera pietatis opera geſſit. Prævidẽs enim tempora ergo religionem refrigerenda, xenodochium monaſterij ſui ad ſuſcipiendos pauperes rebus ſufficientibus ad huiuſcemodi eleemoſimam ditauit. Et vt opus miſericordiæ ſemper inuiolatum permaneat, teſtamento corroborare decreuit.

CAPVT. XXV.

POſtquam igitur per multa curricula annorum, cœtum monachorum diuina pace rexit, quos ipſe Domino exemplis & monitis ſalutaribus acquiſiuit, appropiauit tempus vocationis eius de ſęculo. Cúmque iam omnipotẽs Deus fidelem militem ſuum vellet à labore quieſcere: & brauio ſupernæ remunerationis curſum eius remunerationis decreuiſſet: plen' ipſe ſpiritu ſancto mox febre corporis tactus eſt. Et deficientibus quotidie membris congregari fecit ad ſe filios ſuos, quos in Chriſto ipſe genuit: & exhortabatur eos multis ſermonibus. Deinde miſit eulogiarum benedictionẽ per loca ſanctorum, & in vicino & procul: petens vt religioſorum virorum interceſſionibus, apud ſanctorum memorias indulgentia ſibi & delictorum remiſſio obtineretur. His ita expletis, reuerſi ſunt ad eum qui miſſi fuerant. Et expectantibus omnibus diem vltimum vitæ eius, ipſe vir Dei animum à laudibus Dei non patiebatur quieſcere: ſed noctem illam vltimam totam in vigiliis & laudibus Dei deduxit: & pſalterium ex integro cum ſuis decantauit. Matutinorum igitur ſinaxi cum fratribus peracta, exitum ſuum ſacramentorũ perceptione muniuit: & inter verba orationis & deprecationis vale dicens fratribus, vltimũ diem clauſit. Compleuitque dies ſuos in ſenectute bona, ſenex & plenus dierum: & quod ſemper deſiderauit, & forti certamine quæſiuit, inter ſanctorũ ſpirituum agmina ſuſceptus, de perpetua viſione conditoris ſui ſine fine lætatur. Sepultus verò eſt in Eccleſia, quam ipſe in honorem Beati pauli Apoſtoli fundauerat. Indeq; noſtris temporibus tranſlatus eſt à Ioãne venerabili Epiſcopo Dolenſis Eccleſię & Abbate loci ipſius in ſeniorẽ Baſilicã quę ędificata eſt in honorẽ viuificę crucis, & S. Audoëni præcipui cõfeſſoris Chriſti.

Militauit autem vir Domini Leufredus bonam militiam ſub principibus frã-
Iuniores nominat, id eſt, horũ nominũ ſecũdos. corũ, Childeberto, Dagoberto, & Chilperico, iunioribus ſcilicet regib⁹. Quo tempore Grimoaldus & Carolus ſenior, per ſucceſſiones Maiores domus palatij, curam regni adminiſtrabant. Præfuit huic monaſterio per annos circiter quadraginta & octo: & requieuit in pace vndecimo Calendarum Iuliarum. Cuius patrociniis nos apud omnipotentẽ Deum ac dominum noſtrum credimus adiuuari: vt & in ſæculi tranſeuntis excurſu rectè & piè conuerſemur: & poſt coheredes illius in retributione iuſtorum exiſtere mereamur: præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Grimoaldus autẽ fuit filius Pipini craſſi & Plectrudis reginæ Lotharingiæ: qui fratrem nothum habuit Carolũ Martellum, qui hic ſenior cognominatur.

INCIPIVNT QVAEDAM MIRACVLA AD Sepulchrum Beati Leufredi patrata.

CAPVT. I.

EXplicuimus ea quæ de vita & actibus Beati viri Leufredi Dominus donauit poſſe deſcribere: Nunc dicamus paucis, quæ poſt exceſſum eius virtutum inſignia, ad memoriam illius omnipotentia ſanctæ Trinitatis operari dignata eſt. Nam ad cineres ipſius (ſi petentium adſit fides integra) cœci illuminantur: ſurdi auditum recipiunt, claudi greſſum: obſeſſi à dæmonio liberãtur. Superbi quoque, qui ſeruos Dei ante memoriam eius die noctúque excubantes, infeſtatione tyrannidis ſuæ opprimere non metuunt, terribili vltione feriuntur.

Hic & vbiq; author ſepulchrũ appellat memoriam.

CAPVT II.

IN diebus igitur magni & glorioſiſſimi principis Caroli, Hucbaldus Abbas non paruæ ad ſæculum dignitatis, ipſi monaſterio præerat. Hic quendam ex domeſticis ſuis nomine Batericum eidem loco præfecerat: vt eius cura res ipſius Eccleſiæ adminiſtrarentur, & alimenta ibidem Deo famulãtibus, ſecũdũ ritum inſtitutionis monaſticæ, præberentur. Qui cœpit in eos ferus & auſterus apparere. Accidit autẽ vt adueniente die, quo ſolemniter tranſitus ſancti confeſſoris Chriſti Leufredi Abbatis erat excolendus, cum nihil præter ſolitũ ad vſus ſeruorum Dei lautioribus cibis præpararet, Offa decanus memorati loci ad eundem Oeconomum accederet: Et vt mitius cum eis ageret gratia tantæ feſtiuitatis perſuaderet. Ille autẽ, vt nomen S. viri Leufredi audiuit, blaſphemauit: & ſuperbiæ ſpiritu tumidus, ſpreuit dicẽs. Leufredũ nominas? Quis eſt ille Leufredus? Sic & ſubulcus patris mei vocatur. Sed ſcito, quia pro eius memoria, nullus vobis apparatus à me exhibebitur. Poſtera autẽ die ſurgens venatum abiit: & ceruam albi coloris inſecutus, cum poſt eam nimiũ fatigaretur, nequiuit comprehendere. Monachi verò lętaniis & precibus Dominum totis viribus in commune deprecabantur: vt ſuper eos tandem clementer intenderet: & indignaretur ſuper tantis blaſphemiis nomini ſuo irrogatis. Et ecce cum ſederet ad menſam cum vxore & neceſſariis amicis, inter cætera allatus eſt piſcis: & ait. Omnino ex iſto non manducabunt clerici Leufredi. Cui ſubito apparuit quidam monachus ex eadem congregatione, nomine Hercus dudum vita perfunctus, habens baculum manu ſua. Ait autem Batericus. Video Herçum baculum tenentem, & contra me venientem. Certè vt video, in malum meum feſtinat. Cúmque vxor eius & omnes qui aderant ſtupefacti eſſent, vt pote qui nihil tale viderent: ille affirmabat ſic

ſe

ſe habere. Sed is qui videbatur terribiliter in eum impetum faciens, baculo eum in pectore percuſſit. Qui ſtatim exiliens menſa, proiecit ſe in terram, & ſanguinem ore & naribus excreans concidit: & illicò mandauit ad monaſterium omnia neceſſaria de ſuo fratribus honeſtiſſimè præparari. Ipſe autem ipſo vulneris dolore ingraueſcente, poſt modicum humanis rebus exceſſit.

CAPVT III.

NVpèr quoque quidam pene viginti annorum cæcus, ad memoriam viri Dei acceſſit. Vbi die tertio poſt feſtiuitatem ſancti Leufredi, miſericordiam Domini, & auxilium interceſſionis eiuſdem viri Dei præſtolabatur. Factumque eſt, vt fratribus veſpertinali hora in precibus incumbétibus, & prædicto cæco in Eccleſia perſtante, columba (ſicut ipſe aſſerebat) à parte altaris veniens, in oculos cæci inſiliret. Et continuò cæcus voce magna exclamauit dicens. Adiuua me ſancte Leufrede. Ad hanc vocem venerunt quidam è fratribus ad eum: & viderunt ab oculis eius guttas ſanguinis defluere, & inuenerunt eum veraciter viſum recipiſſe. Et poſtulans ſibi potum dari, bibit & confortatus eſt, & ſanus factus abiit.

CAPVT IIII.

ALia item fœmina cæca iuxta monaſterium adueniés, cum cognouiſſet nullum aditum fœminis illuc ingrediédi patere: miſit candelam ad memoriam viri Dei per quendam hominem. Cumque accenderetur cãdela ante ſepulchrum ſancti viri, fœmina illa ſtatim lumẽ recepit. Dæmoniaci quoque catenati & loris aſtricti, ſæpe ad eundem locum adducti, virtute & meritis ſancti viri, priſtinæ ſanitati reſtituti ſunt.

Nota obſeruãtiã regularẽ quæ quõdam fuit in monaſterio Sancti Leufredi: quãdo fœminis ad eius ſepulcrum non patebat aditus.

CAPVT V.

PLurima omiſimus, quæ etiam recenti tempore ad memoriam eius facta referuntur: timentes ne fortè cum religioſorum virorum paremus voluntati, legentibus faſtidium gigneremus. Sed reſpiciat omnipotens Deus deuotionem ſeruorum ſuorum, & obedientiam noſtram: & ad eius nos ſocietatem (de cuius meritis etſi imperito ſermone ſed deuoto diſputamus) peruenire faciat: vbi eſt gloria omnibus ſancti eius per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Ex Chronicis fratris Iacobi du Breul, Monachi Sancti Germani à Pratis.

ANno incarnationis Dominicæ octingenteſimo quinquageſimo primo, regni autem Caroli calui duodecimo, die 22. Iunij, Gunbertus Epiſcopus Ebroicenſis corpus ſancti Leufredi Abbatis, quod propter incurſiones Normannorum adhuc infidelium humi defoſſum fuerat, inde leuauit: atque illud in noua & decenti capſa poſitum ad primariam monaſterij Aedem, Sanctę Cruci & Beato Audoëno Rothomagenſi Archipręſuli dicatam, tranſtulit. Idem quoque fecit de Beato Agofredo, ipſius S. Leufredi fratre.

851. *Corpus ſancti Leufredi quod defoſſum fuerat, ad Eccleſiam S. Crucis reportatur*

De tranſlatione corporis ſancti Leufredi, ex eius Abbatia, ad monaſterium ſancti Germani à Pratis.

TEmporibus Caroli ſimplicis, Francorum regis, monachi Crucis ſancti Audoëni (quæ nunc eſt Sancti Leufredi) Abbatiam ſuam à Nortmannis expilatam, penéque totam dirutam deſeruerunt: & cum ſacris corporibus Audoëni Archiepiſcopi, Thuriani pariter Archiepiſcopi Dolenſis in Britannia (qui Archiepiſcopatus non multò poſt in Epiſcopatum reductus eſt) & Leufredi atque Agofredi fratrum, ad Cœnobium Sancti Germani à Pratis venerunt, ſe ſuaque omnia eis dedentes: vt in confortium aliorum adſumpti, bo-

Leufrediani Abbatia ſua derelicta, monaſterio ſancti Germani, ſe eum omnibus bonis ſuis dedunt.

norum quoque huius loci ex æquo participes fierent. Quod quidem humaniſſimè illis aliquot annos pręſtitum eſt. Præuidens autem Robertus Comes & Marchio, Odonis quondam regis frater, & Hugonis magni pater, necnon tam nominis Abbatis Sancti Germani quam redditiuum eius primus ſecularium vſurpator, Leufredianos monachos, fœliciore aura aſpirante, poſſe à propoſito deſciſcere, & bona data perfidè repetere (quod euentus docuit) hãc Abbatiam Sanctæ Crucis non tam confirmari cœtui Germanico, quam de nouo dari à Carolo ſimplice petiit, & impetrauit. Et huius donationis priuilegium anno ſalutis 918. datum, adhuc integrum manet in tabulario dicti ſancti Germani. Vbi hæc inter cætera leguntur. 918.

Donauimus & ſubiecimus illam Abbatiam Crucis ſancti Audoëni (cuius caput eſt in Madriacenſi pago ſuper flumen Autura) ſancto Germano, eiuſq; monachis ad eorum menſam: cum omnibus villis, terris, cultis & incultis, vineis, pratis, ſyluis, aquis, aquarúmque decurſibus, farinarijs, cum mancipijs & colonis, & cum omnibus aliis appenditiis.

Leufrediani monachi monaſterium ſuũ repetunt.

EOdem tamen anno, Leufrediani monachi, cum bellum Normannicum tandiu Gallis infeſtum & exitiale per Rollonem primum Nortmanniæ ducem (qui à Francione Rothomagenſi Archiepiſcopo baptizatus, atque à Roberto Comite ſuperiùs memorato ex ſacro fonte ſuſceptus, Robertuſque nuncupatus, hanc regionem prius Neuſtriam dictam, cum Egidia Caroli ſimplicis filia dotis nomine accepit, finitum minimè renaſci viderẽt: ad proprias ſedes repedare ſatagunt. Quamobrem monachi prędicti ſancti Germani pratenſis, piè aſſentientes, illis Abbatiam ſuam reddiderunt: ita tamen, vt in memoriam humanæ eorum receptionis, ac per aliquot annos nutritionis, & modò indulti regreſſus, remaneret in præfato Sancti Germani Cœnobio Corpus Beati Leufredi Abbatis. Retulerunt etiam ſecum Beatorum Audoëni Archiepiſcopi, & Agofredi fratris ſancti Leufredi corpora: quæ prius ad S. Germanum allata fuiſſe patet ex prefato Caroli ſimplicis priuilegio. Arbitrãtur etiam monachi Sanctæ Crucis, hic remanſiſſe cum ſancto Leufredo corpus Beati Barſenorij, quondam eorum pariter Abbatis: Sed nulla extat memoria.

1222. Corpus ſancti Leufredi in noua capſa argentea ponitur: & qua dam eius oſſa diuerſis perſonis dantur.

ANno Domini 1222. Galterus Abbas 46. Sancti Germani à Pratis, Corpus ſancti Leufredi ex vetere capſa in nouam ligneam tenuiſſimis argenti laminis (quæ eius præcipua miracula cœlo ſculpta referebant) opertam transferri per Guidonem Carcaſonenſem Epiſcopum curauit. Adfuit etiam huic trãſpoſitioni Abbas Crucis ſancti Leufredi: Qui de volũtate ipſius Galteri Abbatis & Conuentus Eccleſiæ ſancti Germani recepit os vnum de reliquiis ipſius ſancti, cum duabus vinciis digitorum. Data fuit præterea coſtæ vna Eccleſiæ Suriſnarum: Et os vnum prædicto Epiſcopo Carcaſonenſi. Os autem quod Leufredianus Abbas accepit, illud eſt vnius brachij, quod à cubito ad manum protenditur. Vnciæ verò ſunt duo articuli pollicis, quos ſeparatim argento incluſos deoſculandos præbent. Ob has receptas reliquias, Leufrediani monachi feſtum ſolemne quotannis certa die celebrant: quod relationem reliquiarum ſanctiſſimi Leufredi à Pariſiis in ſuum Cœnobium appellant. Qui ſi quid iuris in toto eius corpore habuiſſent (vt quidam noſtris temporibus aſſerere non erubuerunt) nequaquam illud repetere prætermiſiſſent: Maximè cum eorum Abbas huic de capſa in capſam tranſlationi adeſſet. Qui tamen ſatis bene ſecum actum credidit, quum præfatas reliquias de manu Abbatis ſancti Germani recepit.

Anno

ANno domini 1563. Monachi ſancti Germani à Pratis neceſſitate compulſi, & de conſenſu Reuerendiſſimi Cardinalis Borbonij, Abbatis ſui commendatarij, vendiderunt reliquias argenteas, ad duum millium & viginti trium librarum ac ſeptemdecim ſolidorum turonenſium ſummam: vt noua torcularia apud Antoniacum & Verrerias conficerent, loco aliorum quæ impij Hugonotæ bella mouentes combuſſerant. Túncque die 20. Iunij capſa S. Leufredi ſuperius memorata argento exuta fuit. Pro quo quatuordecim marchas ponderis conficiente, Aurifices centum ſexaginta octo libras turonenſium dederunt: marcha non pluris quam duodecim libris æſtimata: quoniam tale argentum, eorum iudicio, minime erat purum putum. 1563. *Argentum capſæ S. Leufredi vēditur.*

ANno Domini 1577. die 20. Iunij, incolis & habitatoribus Suriſnarum (qui coſtam ſancti Leufredi quam tempore Galteri Abbatis habuerant, vt ſupra refertur, perdiderant) religioſi S. Germani dederunt Mentum eiuſdem ſancti, cui tres dentes molares inerant, cum oſſe vnius cruris. Sed his reliquiis non niſi annis tredecim potiti ſunt: Nam an. Chriſti 1590. die decimaquinta Octobris, cum eorū Eccleſ. incendio perierunt. Quod quidem militares copiæ Henrici quarti, Francorum Regis, ab hæretica labe necdum expurgati, immiſerunt. 1577. *Secunda reliquiarum S. Leufredi donatio Suriſnēſibus facta.* 1590.

LVteciæ inter pontem molitorum, & magnum (vt vocant) Caſtelletum Capella eſt ſancti Leufredi. Quæ cum nullas eius reliquias haberet: Anno Chriſti 1592. die ſeptima Iunij, partem coſtæ ex eius loculo erutæ, à religioſis ſancti Germani prędicti, deuotionem populi erga tantùm confeſſorem vbique augeri cupientibus, accepit. *Pars coſtæ S. Leufredi, data Capellæ eiuſdem ſancti.* 1592.

ANno Domini 1595. die 16. Iulij, Beati Leufredi oſſa è capſa tempore Galteri Abbatis facta, per Arnaldum Pontacum Vaſatēſem Epiſcopum extrahuntur, & in nouam ligneam forinſecus deauratam transferuntur. *In nouam capſam oſſa S. Leufredi trās feruntur.*

FVlienſes Monachi, Ordinis S. Bernardi, & eius iam pene lapſi veri reparatores (qui in Luteciano Sancti Honorati ſuburbio degunt) digitum vnum ipſius ſancti Leufredi, cum quibuſdam aliis aliorum ſanctorum reliquiis, à Monachis ſancti Germani, reformatos regulares præ cæteris colentibus, anno Chriſti 1597. die 19. Iulij, acceperunt: profeſſionaliter eò profecti, miſſáque alta voce magno cum affectu ibidem celebrata. *Digitus S. Leufredi datus Fulienſibus monachis.* 1597.

ACiuilibus externiſque bellis (quæ pene omnem populi ſubſtantiam exhauſerunt) reſpirante tandem Gallia, Suriſnenſes incolæ non meliorem modum retinendæ diu pacis meritò cenſuerunt: quam ſi corruptæ vitæ moribus emendatis, Deum ſanctius ſolitò colerent, & pro offenſarum ſuarum remiſſione, patronos apud eum gratos conſtituerent. Quorum ſpecialem ab Eccleſiæ ſuæ prima fundatione ſanctum Leufredum Abbatem habuerunt. Sed reliquiis eius abhinc octo annos in cinerem per truculentos impios & hæreticos milites redactis, minus confidenter eum implorare videbantur. Rogarunt itaque Dominos ſuos, Priorem & conuentum ſancti Germani, vt alia quæ vellent eiuſdem ſancti ſacra pignora largiri rurſum dignarentur. Qui anno Domini 1598. die veneris, vigeſima prima Auguſti, vt deuotioni huius populi ſatisfacerent, capſam Sancti Leufredi è ſublimi tabulato ſacelli Diuæ Margaritæ virginis & martyris ad ima deſcendentes, & in ſacrarium ſeu ſacriſtiam deportantes, inde, omnibus qui aderant ſpectantibus, tulerunt tibiæ os gracile ac tenue, decem vnciarum geometricarum, ſeu pollicū longitudinis, quod vſque ad maleolū (vulgò cauillam) pedis extenditur. Sumpſerunt etiam articulum ſuperiorem, ſiue partem priorem medij digiti manus, *Tertia reliquiarū S. Leufredi donatio Suriſnenſibus facta.*

duos pollices longitudine æquantem. Deinde ipſam capſam in Abſide Capellæ S. Germani (quæ quondam corporum ſanctorum nomen habuit) ſub eius capſa collocarunt. Die autem 28. eiuſdem menſis, Curio ſeu Vicarius perpetuus Suriſnarum, omnéſque ſacerdotes eiuſdem loci & Puteani vici cum maxima vtriúſque ſexus plebe huc aduenerunt, non alio quam reliquiarum promiſſarum deſiderio permoti. Quas (prius tamen miſſa ſolemniter de eodem ſancto celebrata, hymniſque & antiphonis in eius laudem decantatis) ſumma cum exultatione receperunt: Eoſque regredientes aliquot religioſi, melioribus Eccleſiæ ornamentis veſtiti, Suriſnas vſque comitati ſunt. Huic reliquiarum donationi adfuit Notarius Apoſtolicus Stephanus Cordonnier: qui literali inſtrumento ſuper hoc confecto non prætermiſit addere: vt illas ad nos referre cuſtodiendas tenerentur, quoties bellum aut aliud euidens periculum finibus eorum immineret.

1598. ANno Chriſti 1598. die 28. Octobris, Domino Alexandro Rupifucaldo, S. Porciani Priori Commendatario (quem pietas, doctrina, & generis nobilitas notiſſimum reddidere) os vnius digiti manus Beati Leufredi cum eius vita nuper noſtro impulſu typis cuſa tradidimus: vt ex ipſa lectione, quãtus hic Abbas fuerit melius cognoſcat, ſacrúmque S. Maximini Nunciatenſis pedum (quod offertur) adeptus, ei ſe conformare ſtudeat. 1599. die 30. Auguſti. 65. os vlnæ datum eſt Monachis Inſulæ Lerinenſis in Prouincia Narbonenſi.

Priuilegium Caroli ſimplicis, Francorum Regis, de Donatione Abbatiæ Crucis Sancti Audoëni (hodie Crucis Sancti Leufredi) monaſterio Sancti Germani à Pratis facta.

IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Carolus diuina propitiante clementia Rex Francorum. Quoniam Deus omnipotens, qui eſt Rex Regum noſtram ſui muneris celſitudinem dignanter prætulit ſuo & regno & populo. Idcirco oportet nos non modò præeſſe, verùm potius ſanctis prodeſſe Eccleſiis, ac præſertim dirutis: quibus feritate paganorum, pulſa exiſtũt corpora ſanctorum, hactenus debita veneratione carentium. QVAPROPTER comperiat omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelium noſtrorúmque etiam præſentium ac futurorum ſolertia: quia Robertus venerabilis Marchio, noſtri quidem regni & conſilium & iuuamen nobiſcum, ſimúlque Abbas Monaſterij Sancti Vincenti martyris, egregij quoque Pontificis Pariſiorum Germani, adiens noſtram ſublimitatem, vnà cum Comite Heriberto eximióque Epiſc. Abbone, ſuggeſſit tam pro veneratione ſanctorum cinerum Audoëni ſcilicet Archiepiſc. necnon Beatorum confeſſorum Leufredi fratriſque eius Agofredi, quam etiam pro noſtra totiúſq; ſalute regni concedere Abbatiã, quæ nuncupatur Crux S. Audoëni, Monachis prælibati confeſſoris Germani: quatenus abhinc & deinceps prædictorum membra ſanctorum diu officio diuino carẽtium, ab eiſdem Cœnobitis reuerenter ſuſciperentur, cultúque diuino ſecus beatos artus Germani collocata honorarentur. QVORVM ſcilicet noſtrorũ fideliũ congruis petitionibus annuẽtes, donauimus & ſubiecimus, illã Abbatiam, cuius caput eſt in Madriacenſi pago, ſuper flumen Auturæ, S. Germano, eiuſque Monachis, ad eorum iugiter menſam: præter partem ipſius Abbatiæ, quam annuimus Nortmannis ſequanenſibus: videlicet Rolloni ſuiſque Comitibus, pro tutela regni. Idcirco autem res prædictæ Abbatiæ, cum omnibus

La riuiere d'Vre.

Ea eſt, quæ etiamnum vulgaſitum Nortmannicum dicitur, vulgò.

Le Vecſin Normant.

omnibus villis,terris,cultis & incultis,vineis,pratis,ſylvis,aquis,aquarumque decurſibus,farinariis,cum mancipiis & colonis,& cum omnibus aliis appendiciis ibidem(excepta portione Nortmannorum) tradere & ſubdere & confirmare decreuimus ad victum veſtimenta, ſeu etiam cæteros vſus congregationis S.Germani:quatenus ſingulis annis,quarto idus Februarij anniuerſariũ noſtræ dilectiſſimæ coniugis Friderunæ, cum vigiliis miſſarúmque oblationibus frequentent.Diem quoque noſtræ vnctionis, quinto calendas Februarij , ſolemnitate ſanctæ Agnetis, cum ſumma refectione celebrent. Poſt obitum verò noſtrum mutentur & orationum & refectionum præſidia in diem noſtræ migrationis.Et ſuper hanc ceſſionis auctoritatem hoc noſtrũ regale præceptum fieri iuſſimus. Per quod decernimus atque iubemus, vt nullus quilibet fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ præſentium & futurorum de prænotatis rebus inquietudinem aut refragationem vel præiudicium,ſeu violentiam,nec ipſe Abbas eius Cœnobij facere tentet. Sed potius ſine vlla ſubtractione vel diminoratione atque diuiſione liceat eas res eidẽ congregationi cum omni integritate inuiolabiliter abſque vlla calumnia & contradictione ſecuriter ac perpetualiter poſſidere & frui. Ergo hæc noſtræ auctoritatis præceptio, vt firmiter continuationis vigorem obtineat, ac veraciter per curricula annorum ſuccedentia credatur:manu propria ſubter firmantes, annulo noſtro eam iuſſimus inſigniri.

Signum Caroli Regis glorioſiſſimi.

COzlinus Notarius ad vicem Heriuei Archiepiſcopi,ſummíque Cancellarij recognouit. Datum ij.Idus Martij,indictione 6.Regnante Carolo Rege glorioſo.Redintegrante 21 Largiore vero hęreditate indepta 6.Actum Compendio Palatio,in Dei nomine fœliciter.Amen.

DE LOCATIONE SEV FVNDATIONE Turris Lerinenſis.

Annotatio Vinc.Saler.

SAepe ſæpius à multis & non contemnendis viris non mediocrem, quo tempore,à quibúſve perſonis extructa (nulla enim omnino monimenta ſeu interſignia in ipſo prægrandi ædificio inueniuntur)fuerit moles turris ſacræ Inſulæ Lerinenſis. Intra cuius ambitum nunc degunt monachi percepi introducere inquiſitionem & meritò:res certè digna diligentis indagatoris induſtria dignoſcitur,cùm intra vnius ſoliuſq; ſolidę ſepta turris apta habitacula perneceſſariæque cœnobio monachorum officinæ conſiſtant.Habentur enim in ipſa pluſquam quatuor ſupra octoginta diſtinctæ mãſiones quarum aliquæ numero ſubigere non inconueniens reor, ſunt nunc exiſtentes pro monachis cellulæ triginta ſex pro aliiſque decẽ, ſcilicet pro hoſpitibus quinque,& totidem pro famulis.Refectorium ſufficiens capáxque pro iam dicto numero more monaſtico circùm circa murum ex vna tantum parte menſæ religioſorum accumbentium & eo amplius tum aliud pro hoſpitibus reficiẽdis.Inſunt inſuper capellæ & altaria numero quatuor,in quarum maiore ineſt chorus, altare maius cum ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramento, tum depoſitum ſeu theca ſacrarum reliquiarum ibi annexa ſacrario: ſequuntur duæ ciſternæ clauſtrum ſuperius & inferius,ſcalę magnæ duę quarum vna Eoclides à ſummo vſque deorſum tendentes,& aliæ priuatæ inſimul gradus aſcenſio-

num habentes ſupra ducentos quinquaginta : portæ quæ ſuis ſeris firmantur plus octoginta octo feneſtræ, quæ clauduntur plus centum,exceptis his quæ in ſummitate arcis per girum conſiſtunt patentes ad ſpeculatoris profectum, tum deambulatorię ſeu dormitoria,quatuor coquinæ,furna & in ſumma omnia quæ ad bene ordinatum monaſterium requiſita videntur,vt non iam turrim ſed amplum theatrum putes. Quocirca,vt vel aliquatenus petitioni inquiſitorum ſatisfaciam quæ in diuerſis ſcripturarum farraginibus diſperſa de ipſius arcis turris fundatione,conſtructione,reparationibuſve repeti,hic ſubiicere non grauabor in primiſque ea, quæ in quodam manuſcripto vetuſtiſſimo codice membrano, etſi detruncata leguntur de locatione fundamentorum.Et ſunt hęc:hanc conuentionem habuerunt Abbas & magiſtri de opere turris vt Abbas perſoluat quingentos ſolidos magiſtris, & ipſi debent perficere quinque pedes & ſic vſque ad conſummationem operis debet fieri ſicut prædictum eſt quinque in altum & groſſitudine cannæ vbi ſubtilior fuerit, de fundamento verò ita depoſitum eſt vt ſi tres pedes ſubtus terram intrauerint magiſtri ex toto perficere debent;ſi verò quatuor Abbas perficiat vnũ & magiſtri tres. Ad trahendos lapides par boum debet Abbas commodare, monaſterium debet ligna incidere, & vſque ad furnum deportare : cætera vero magiſtri debent explere monaſterium quoque omnibus magiſtris, ſicut cuilibet monacho cibũ in refectorio debet dare. Hæc in dicto antiquo membrano mancavt vides,quæ quia nec notam temporis nec nomen exprimunt Abbatis(licet credamus eſſe Aldebertum ſecundum,vt hic ſupra habes in ipſo) de dicta erectione præfatæ turris nihil ex his certi determinare valemus niſi quod clarè conſtat ab Abbate & conuentu monachorum Lerinenſium tantam fuiſſe excitatam molem circa annos Domini octuaginta octo ſupra milleſimum. Anno verò milleſimo ducenteſimo nonageſimo quinto , qui erat ducenteſimus ſeptimus à ſupradicta collocatione Dominus Gaurelmus de Mayreris Abbas Lerinẽſis fecit quædam ædificia in dicta turri & chorum in Eccleſia ſancti Honorati. Et anno milleſimo quadringenteſimo vigeſimo nono Iacobus Gaſtolij de Graſſa fecit in diuina turri capellam in qua nunc celebratur diuinum officium , refectorium & ciſternam multáſque alias reparationes. Anno verò milleſimo quadringenteſimo fuerunt ædificatæ ſeu inceptæ clauſtrum inferius & ſuperius , ſcala Coclides , aliáque nonnulla,& ſic paulatim ipſa turris ab ipſis monachis ad eam qua nunc cernitur altitudinem educta eſt.

Inſtructio perbreuis pro Nouitiis in ſacra Inſula Lerinenſi.

OPeri diuino ſemper aſſiduus eſto (ô monache) omni tempore, ad quod cum accedis omnes abs te ſuperfluas abiice phantaſias & inanes cogitationes,quatenus toto corde creatorem tuum laudare & benedicere queas.

Eundo ad Eccleſiam quid agere debeat.

Facto itaque ſigno pro officio Dei dimittas omnia quæ erunt in manibus tuis,& primus eſſe in Choro ſemper contendas tam noctis ſilentis tempore quam clareſcentis diei vt ante inchoationẽ diuini officij aliqua deſuper irrotatus benedictione Deo tuo in conſpectu Angelorum totus deuotus & dulcedine plenus aſſiſtas & pſallas: nocte autem ſurgens à ſtratu tuo feruenter te totum crucis ſigno munias & dicens aliquam deuotam orationem , vel *Pater noſter, &c.* feſtina ad Eccleſiam accedere. Exiens ergo à cella oſtium tuum ſine ſtrepitu aperi & claude & Eccleſiam intrans aqua luſtrali te aſperge & facta reuerentia genuflexione ante Auguſtiſſimum & ſacroſanctum

Quid intrando Eccleſiam & ſtando.

& ſacroſanctũ Euchariſtę ſacramentum &altare,in loco tuo te proſterne omni attentione & deuotione dominum orans quoad tẽpus officium incipiendi aduenerit,modeſtéq ;prius ſi quæ tibi incũbunt diſpone,& ſi poſſibile fuerit sẽper in principio officij eſſe cura:vbi ſtudeas eſſe attentus omninò,& in omnibus compoſitus & diſciplinatus,concordans ſemper cum cæteris fratribus in voce & cerimoniis. Non frangas vocem aut fœmineis accentibus aliis te dulciter canere oſtentes : ſed vocem tuam in fortudine ſpiritus exaltãs Deum tuum laudare ſatage.Non adhæreas humeris,ad ſedilia neque lacertis,ſed ſtãs iugiter & viriliter genibus iunctis &pedibus nec tibias ſuper genua,neq; pedem ſuper pedem omnino reponas, cùm in aliquo ibi erraueris ſtatim iuxta regulam ſatisfacias, nõ tamen ſuperiorem faſtidias ſuperfluis & fictis ſcrupulis. Cùm ſederis pedem vltra fimbriam non extendas, non ſuſpires, ibi non clames,non legas,aut horas dicas alta voce cum ſilent alij,non gemas aut pectus ibi percutias immoderatè, quia hypocritarum hic mos eſt.Inclina & erige te vniformiter cum aliis.Quando in miſſa vel officio vt vbicunque ſedere oportet ſis vltimus,quando autem ſurgendũ eſto primus. Non ibi, in choro loquaris aut rideas : non ſis vagus & curioſus, ſed ſemper aſpectus tui defixi maneant ad pedes tuos,ſed verecundus & modeſtus timẽs ſemper ne oculus ſponſi cœleſtis & præſentiã angelorum in aliquo offendas. Si ibidẽ facti fuerint errores in cantu vel lectione vel alio quouis modo non preſumas omninò corrigere aut aliquẽ emendare,ſed in teipſo ſemper permaneas quietus & deuotus.Cùm fuerit factus ſtrepitus aut inſolitis rumoribus Eccleſia ſiue pauimẽtũ inſonuerit,nõ illò ſtatim oculos voluas,ſed ſemper vnũ ſis vt in eodẽ ſtatu perſeuerẽs quod cõſtantis ac prudẽtis animi indicium eſt, Deũ creatorem tuũ voce pariter & probis actibus & cordis puritate laudare coneris & Angelis placere in ſpiritus feruore. Proximum quoque ædificare & tibi ipſi peccatorum indulgentiã acquirere ſtudeto. Non ſis inquietus & ſtrepitoſus. Non pauimentũ pedibus teras,ſed fixus iugiter mente & corpore permaneas manibus ſemper in cruce cõpreſſis & coopertis. Si naſi aut pectoris indiges purgatione tam diſcretè hoc efficias,quod aliis faſtidiũ non generes nec nauſeã.Caput in omni loco capucio teneas coopertũ,niſi calor nimius aut exercitium vel ceremoniarũ obſeruantia prohibeant, in publicis tamen conuentibus reliquis ſemper ſis vnicors.In auribus non figas digitos aut naribus,neque ibi dentes purgaueris,quoniã multũ eſt indecens.Si pulicibus aut aliquo pruritu fueris ſtimulatus ſi ſufferre non potes aliquo honeſto & cauto modo prouideas, quod nemo aſſiſtentiam aduertat.Dum dicitur officium,in choro ſemper eſto & non frequentes vices intrandi & exeundi niſi vrgens neceſſitas vel obedientia compellat. Completo opere Dei ſi tempus concedat poſt alios aliquantulum in choro remaneas cogitans negligentias ac defectus in officio per te commiſſos, vt pro ſingulis domini clemẽtiam pro indulgentia exores. Cellã tuam demùm ingreſſus ante omnia genua flecte dicendo. *Aue Maria,&c.*Deinde ora,lege,ſcribe,meditarevel aliquid boni iugiter age,&tã quiete in omnibus ibi te habeas quod fratres tua ſuperfluitate non inquietẽtur.Cellæ enim mãſio locus pacis eſt & deuotarum origo lachrymarum, qui non proficit in cella nec cœlo dignus habetur.Ama cellam(ô neophite) quæ officina diuinarum virtutũ eſt libenter in ea habita quoniam multam pacem tibi faciet vt ſæpius à Deo viſitaberis,ſi deuotus ibi fueris. In cella inuenies quod foris ſæpiùs amittes.Cella continuata dulceſcit,malè cuſtodita tædium generat ſi in principio conuerſionis tuæ benè eam incolueris & cuſtodieris

Nõ inuitendum ſedibus.

Silentiũ in choro.

Alios nõ emẽdet.

Non fragorẽ faciat.

Cellæ cõmendatio.

erit tibi poſtea dilecta amica & tutiſſimum ſolatiũ, ſicut enim in cœlo ſupernam magnificentiã & gloriam æternæ beatitudinis facie ad faciẽ in alia vita contẽplaturi ſumus, ita nunc in cella mente inter cœleſtia ſpatiari debemus, vt ad earum amorem amplius in dies inflammemur & ad reſiſtendum vitiis promptiores atque fortiores inueniamur de cella ſæpe in cœlum, vix autem vnquam à cella in infernum deſcẽditur. Ergo ibi cum magna circunſpectione te habeas & feruore, omnem quoque honeſtatem & verecundiã in ea iugiter ſeruans. Reliqua inſtituta Lerinenſia S. Pater noſter Honoratus Arelat. Hilarius, Cęſarius quoq; Epiſcopi, tum Fauſtus Regienſis, Eucheriuſq; Lugd. adiuncta D. Benedicti regula conſtitutionéſque Caſſinates pleniùs te docebunt interim pauca quæ ſequuntur in tui gratiam hic poſita meditare.

Attende tibi.

Monache ad quid veniſti.
Quare mundum reliquiſti.
Cur flocum induiſti,
Et mundi pompam deſpexiſti.
Nonne vt Deo ſeruires?
Et cor tuum cuſtodires?
Cur ergo ſic vagaris?
Et vana meditaris.
Multum peccas euagando.
Tempus perdis otiando,
Euagari non eſt tutum.
Otiari grande vitium
Fabulando perdis præmium,
Operando vince tadium,
Orando quære ſubſidium.
Mane ergo in cœnobio
Viue caſtè ſine proprio,
Fuge, tace, Arſenio,
Sede ſolus cum Macharío,
Sæpe ora cum Antonio
Ieiuna cum Euagrio
Vigila cum Hilario
Suſtine dolores cum Laurentio,
Deſpice honores cum Vincentio.
Dilige Ieſum cum Ignatio,
Fer rerum damna cum Euſtachio,
Confitere Chriſtum cum Tiburtio,
Reſiſte draconi cum Honorato.
Perfer iniurias cum Donato,
Lege, ſcribe, cum Hieronymo.
Canta Hymnos cum Ambroſio,
Stude, doce cum Auguſtino,
Diſce mori mundo cum Gregorio.
Perſeuerando in monaſterio,
Imitare ſanctum Benedictum,
Serua verbum tibi dictum;
Bonum eſt laborare manibus
Melius orare cum fletibus
Quære Ieſum cum Bernardo,
Cum Hugone & Richardo.
Præmiaberis cum Confeſſoribus,
Si abnegaueris te in omnibus.
Caue curioſa legere,
Quæ poſſunt mentem diſtrahere.
Stude vitia cognoſcere,
Et viriliter eis reſiſtere.
Ambula cum ſimplicibus
Adhære innocentibus,
Benefac tibi contrario
Supplica pro aduerſario,
Et eris charus Dei filio
Ac dignus ſanctorum conſortio.
Monachorum eſt orare,
Gemiſcere & plorare.
Pro ſuis defectibus,
Carnem ſuam caſtigare.
Vigilare, ieiunare
A voluptaribus,
Linguam refrenare,
Aures obturare,
A vanitatibus,
Oculos cuſtodire,
Pedes præmunire,
Ab excurſibus.
Manibus laborare,
Labiis exultare,
Corde iubilare,
In Dei laudibus,
Caput denudare,
Baſis inclinare,
Genua curuare
Cruciſixi pedibus,

Prompte

Promptè obedire,
Nunquam contra ire,
Suis maioribus
Libenter ſeruire.
Citò ſubuenire,
Infirmis fratribus.
Curas mundi abij cere
Cœleſtibus intendere
Totis conatibus.
Ne vincaris à dæmonio
Omnia fac cùm conſilio,
Et non facilè aberabis.
Neſcis enim quandiu hic eris,
Certum eſt quod morieris,
Nunquam tamen deſperabis.
Eſto internus Deo deuotus
Mundo ignotus,
Et eris ſemper lætus.
Multum tibi vilis & deſpectus
Fratri tuo pius & ſubiectus
Maturus & facetus.
De bonis Deo gloriam
Et de malis pete veniam,
Omnem remittens iniuriam
Sicque per Dei gratiam
Peruenies ad patriam.
Poſt huius ſæculi miſeriam
Vbi Ieſu & Maria,
In ſumma gaudent gloria,
Cum tota cœli curia,
Ad quam poſt multa pericula,
Perducat agnus ſine macula
Cui laus per æterna ſæcula. Amen.

VINC. SALER. EPISTOLA PRONVNTIATA Abbati patribúſque venerandis regij cœnobij ſanctæ Mariæ Nouæ montis Regalis de Chartophylacio à ſe erecta.

ANuo ab hinc vndecim elapſa quo ex decreto generalium comitiorum ordinis noſtri ego deditus veſter (Reuerēde præſul venerādiq́ue patres) in hoc veſtro inclyto vereq́ue regali monaſterio adſcriptus fui, ex quo huc in peramabilem ſocietatem veſtram me contuli, præ cæteris nihil magis in votis habui atque expetiui quā ſi quoquo modo daretur anſa bibliothecam & Chartophylacion in eo excitare quæ eſſe poſſent, vt verè exiſtunt, tāquam duo propugnacula & clypei pro muro & antemurali in præſentis exilij curſu contra aduerſarios inſurgentes, vt in illa ſe exercerent iuuenes, veluti quondam in Lyceo Ariſtotelico, vel platonica Academia, & procul à ſe ignorantiæ ſtupidæ (quæ mater omnium eſt errorum) ſcabram arcerent mentium rubiginem: In iſto verò aſſeruarentur ſicuti in arce tutiſſima inacceſſaq́u e omnia membrana manuſcripta, chartulæ, codices, libri, ephemerides, cumputa, teſtamenta, oblationes, donationes, legata, emptiones, vēditiones permutationes, alienationes, ſolutiones, cautiones, obligationes, pacta, conuentiones, iura promiſſiones, Emphyteuſis, notæ memoralia, indices, catalogi, tabulæ cenſuum, depoſita, ſententiæ, decreta, ordinationes, conſtitutiones, concordata, bullæ, priuilegia denique proceſſus omnes, & contractus cuiuſcunque tenoris & formæ omnium rerum & bonorum mobilium, immobilium, pretioſarum, etiam non pretioſarum cuiuſcunque pretij, æſtimationis, valoris etiam minimi, ne iuxta ſapientis ſententiam, *Qui minora ſpernit paulatim decidat.* Quibus è duobus alterum ſcilicet chartophylacion ſumma fauente clementia diuina conceſſum eſt inſtituere, ſub auſpicio, fauore, & cuſtodia ſantiſſimæ Dei genitricis Mariæ heræ ac Dominę noſtræ ſemper inuiolatæ virginis nec non eiuſdem ſuę ſenilis matris Annę beatiſſimę dicatum ſacratumq́ue, quæ tanquam duæ ſacratiſſimæ arcæ teſtamenti ſub ſuum præſidium & tutelam omnigena, quæ inibi recluduntur rerū genera protegant & tueantur

ſicut nobis ſanctiſſimis ſuis precibus aſpirando præuenerunt, & adiuuando ſunt proſecutæ, vnde quam humillimè ſi non quas debemus, ſaltem quas poſſumus pro his & aliis nobis indultis gratiis laudes & gratiarum actiones mole magnas pondere referimus onuſtas. Iam itaque Chartophylacij ædificio conſtructo (iuſſu & permiſſu Reuerendi ſenioris noſtri) omnibuſque perneceſſariis aut numeris, diuiſionibus, notis, ſcriniis abſoluto non inconueniens reor quid ſit chartophylacium, & quod munus eius curam gerentis, tum quos primarios peruigiles ac implacabiles perferat perpetuos oſores hoſtes hic ſummatim deſcribere. Auſpicantes igitur à primo eſt chartophylacium græcè idem quod latinè Archiuum, locus ſcilicet vbi ſcripturę non modo publicæ, ſed & priuatæ chartæ ad conſeruandam perpetuam memoriam & iura tuenda aſſeruantur, vnde & qui eius curam gerit chartularius apud latinos appellatur, quem græci chartophylacem nominant, fuitque antiquitus & maximè in orientis partibus chartularij ſeu archiuarij officium ampliſſimæ dignitatis, vt docet Theodorus Balſamonus in meditatis ſiue reſponſis de duobus officiis chartularij libro ſeptimo iuris Græcorum, vt potè qui curaret loco Pontificis iudicia quæ iure pontificatus ad Patriarcham conſtantinopolitanum pertinerent, & licet eſſet ordine ſacro tantum Diaconus, tamen in publicis conſeſſibus ante Epiſcopos ſedebat & multa alia inſignia ad eum ſpectabant: in œcumenicis autem conciliis non ſedebat, ſed præſtò erat ſuæ functioni ac muneri, ſcilicet ex ſcriniis archiui ſcripta promere quæ in concilio eſſent legenda poſtque ea reaſſumere, eratque etiam eiuſdem peculiare officium ſigillum ſcriptis imprimere fidiſſimuſque cuſtos eius ac chartularum: hæc de archiuo ac de eius curatore ſatis. Nunc prodamus eius perduelles aduerſarios quò detecti & ad digitum commonſtrati facilius declinentur. Sunt igitur primarij quatuor hoſtes pagis neſcientes miſereſcere, nempe humiditas aquatica, pluuialis deſuper defluens aut aliunde per poros murorum gelida exundans quæ omnia marceſcens putoremque ex muffa emittens in ſterquilinium cuncta vertit & fimum. Hunc non minoris periculi ſequitur ſceleroſus latro & fur trifurcifer, hoſtis peruigil & nocturnus, qui cuncta indiosè rapit & diſpergit, cuius aſſecla eſt infidus amicus, domeſticus quidem ſed vaferrimus ſupplantator cum aut aliquas chartulas ſubdole ſubducit aut verba obliterat vel expungit ſententias & periodos delet, aut furtiuè ſuffuratur & copiam aduerſariis præbet, qui eo tantò noxiores quo ſub ſpecie amicabili ſunt ſecretiores. Tertius adeſt implacabilis nullique parcens vulcanius ignis vorax, qui vniuerſa conflagrans in nihilum redigit, nullúmque præter fumantes cineres poſt ſe relinquit veſtigium. Tandem ad vltimum aduenit improbulus & ridiculus Mus omnia differt diſcerpens & corrodens & ſecum aſportans minutatim in fruſtra incidens, in ſuiſque colubriferis ac cœcis cauernis ſic exeſa intrudens vt concauatos nidos ſuis paret breuibus foricibus. Contra quorum inexplebilem & importunam ingluuiem, crepitantes flammas, claudeſtinas inſidias, halantem carioſamque putredinem à nobis omnimodè præuiſum prouiſumque eſſe vt veſtris obturibus ipſa coram conſiſtens ſtructura edocet arbitramur. Accipite ergo (ampliſſimi patres) Hilari vultu, promptaque manu veſtrum chartophylacium per ſemeſtre haud cum mediocri diligentia, labore, & ſumptu elaboratum amore enim & honore certatum eſt, nullis parcens expenſis in ipſo conſtruendo ſeptuaginta duobus aureis coronatis profuſis ex amicorum & piorum hominum parentum, ſcilicet munifica largitione deuotionis ergo habitis abſque vllo omnino ære vel

onere

onere veſtri Monaſterij. Agite etiam, vt diuerſigena ſcripturarum genera quę per varias cellulas, officinas, ſcamna tabellionũ, & vbi vagãtur ad iſtud charthularium veſtrum reducantur & inde non extrahantur per incertas perſonas & leui cauſa & niſi relicta nota in libello ad hoc efformato nulliq́ue hominum ad illud pateat facilis acceſſus: varij enim ſunt fallendi modi & ſicut ab arce, ſic ab archiuo omnes arcere puto: ob idq́ue ei (obnixè rogo) fidum chartophylacem, cuſtodem ſemper procurata præponere, intelligentes quod etiam truculẽtus Zabulon omnis ſemper author malignitatis aliquando prę-ſumpſit aduncatas in ſacrum promptuarium inferre, ſacrilegáſq́ue manus, & ipſe dicens filio Dei altiſſimi ſcriptum eſt, &c. Quotidiéque ſuos turbulentos ſectatores prauóſque homunciones ad corrumpendas tam ſacras quam profanas paginas perfidus incitat atque impellit, litéſque non modo forenſes (vti experti eſtis) ſed etiam cruentas funeſtáſque excitare ſatagit, vt pacis vinculo diſſoluto faciliùs ſecum ad tartara trahat. Sed huius non formidabimus profugi fœdifragíque latentes inſultus raucáſq; Scyllæ rapacis & diræ Charybdis voces minaces, nec voragines, turbines, fluctus, tempeſtates, piratas, Apoſtatas, ſatellites aliorúmque comminiſtrorum ſuorum prauorum hominum huius mundi fallaces ſcopulos, ſi tantùm eleuabimus oculos noſtros ad maris ſtellam Mariam beatiſſimam & in ſcripturis ſcrutandis illam ſequamur præuiam, & totis præcordiis ore & opere iugiter ei decantemus cantica laudum dicentes. Aue maris ſtella: hoc enim præ ſe fert Symbolum in fornicis faſtigio ipſius Archiuij efformatum in gloriam & laudem ipſius ſanctiſſimæ deiparæ virginis Matris mariæ qui honor & gloria cum patre & filio & ſpiritu ſancto in ſempiterna ſæcula. *Amen.*

Ex veſtro regio Monaſterio Eccleſiæ Cathedralis metropolitanæ Montis Regalis, Calendis Iunij, anno milleno ſemel. D. & C. cum I. & X.

Idem Vinc. Filius.

OPERA OMNIA

R. PATRIS
D. DION. FAVCHERII

MONACHI LERINENSIS ET
CIVIS ARELATENSIS, OLIM
diſperſa, nunc primùm

A DOMINO VINCENTIO
Barrali Salerno Lerinenſi Monacho
in vnum congregata.

COMPENDIVM VITÆ REVERENDI PATRIS DOMINI DIONISII FAVCHERII AVCTORIS præſentis operis, & Monachi Lerinenſis.

Vincent. Saler.

REVERENDVS itaque Pater Dioniſius cognomento Faucherius, ex honeſta ſatis & honorabili familia Faucheriorum ciuitatis Arelatenſis Narbonenſis Galliæ, vir aprimè in cunctis tam humanis, quàm Theologicis litteris eruditus, in artéque pictoria excellenter edoctus fuit, qui adhuc iuuenis feruenti Religionis deſiderio flagrans potiſſimúmque ordinis almi patris Benedicti ad Italiæ partes, percelebréque cœnobium ſancti Benedicti de Padolinore in agro Mantuano ſe contulit, inibíque à patribus pergratè receptus habitum induit monachicum, peractóque probationis tempore profeſsionem emiſit ipſo die ſolemnitatis inuentionis ſaluificæ Crucis, quinto
1508. Calendas Maij, anno peractæ redemptionis quingenteſimo octauo ſupra milleſimum. Poſtmodum verò ſeptimo iam effluxo anno nempe quinto decimo ſupra quingenteſimum milleſimum Reuerendiſſimo Domino Auguſtino Grimaldo Epiſcopo Graſſæ procurante ſacrum monaſterium Lerinenſe fuit reformatum & vnitum ſacræ congregationi Caſſinenſi aliàs ſanctæ Iuſtinæ de Padua per diplomata ſummi Pontificis Leonis decimi & Chriſtianiſſimi Franciſci primi Francorum Regis, quo tempore ipſe Dioniſius tranſlatus fuit à primo ſuo monaſterio Mantuano ad ſacrum illud marinum ſtadium cœnobij Inſulæ Lerinenſis, inibíque perpetuò nomen dedit, aſſiduéque diuinis ſtudiis & prælectionibus ſacræ paginæ, maximè epiſtolarum diui Pauli Apoſtoli operam ſtrenuè nauauit, reformationiſque, ſumma qua pollebat ſolertia & pietate inſudauit. Tum variis ſudoribus non omnem non mouit lapidem, vt ad melioris frugis ſpem per reformationis laborem monaſterium monialium tituli ſancti Honorati, vel ſancti Nicolai Taraſconi ſitum (quod iuris eſt Cœnobij Lerinenſis) iuſſu illuſtriſſimi Cardinalis Belay reduceret diúque pingui diuini verbi pabulo ſuiſque ſacris prædicationibus tum exemplo ſanctæ conuerſationis pauit. Otium verò vt lethalem animæ peſtem declinans multa variato themate compoſuit, decoratúſque fuit in vltima ſenecta, ipſo diu renitente titulo Prioris clauſtralis Lerini, qui tandem ſeptuageſimo ſuæ ætatis anno,

monacha

monachatus quinquageſimo quarto, vel circiter plenus bonorum operum ſolutus carnis ergaſtulo diem ſuum clauſit extremum in illo ſacerrimo promptuario ſanctorum Lerinenſis Eremi, anno videlicet milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo, vel circa, pallentémq; accepit ſepulturam in ſua dilecta Lerina in capitulo veteri capellæ olim ſancti Leonardi confeſſoris, nunc ſancti patris noſtri benedicti, qui antè pauculos dies ſui exitus è viuis, cum grauiter ægrotaret lecto decumbens hæc bina ſequentia epitaphia meditatus eſt. 1562.

Tantiſper tibi ſi libet viator
Donec pauca loquar loco reſiſte:
Non enim volo te diu morari
Hic ego Dyoniſius reatus
Quem pondus magis aggrauat iacentem,
Quam congeſtus humi tumens aceruus.
Si qua in te eſt pietas, rogo obſecróque
Hac me mole graui leuare cures,
Pro me toto animo Deum precando
Ne peccata mihi imputet, pia ſed
Conſuetáque ſua benignitate
Is me ſubleuet & mei miſertus
Optatam tribuat mihi quietem:
Hæc ſunt quæ memor vt mei viator
Sis, his te volui monere verbis.

Sequitur & alterum ante pauculas horas ſui fœlicis tranſitus editum.

OBſecro, qui tranſis hac, greſſum ſiſte viator
Et pro defuncto hoc dic bona verba, precor
Hic Dyoniſius hoc incluſus marmore iuſſit
Hic ſua tantiſper mortua membra cubent.
Dum clangente tuba & Chriſto veniente reſurgent
Corpora, quæ in tumulis morte ſopita iacent.

Porrò monumenta piorum laborum ac vigilarum eius à nobis diu inueſtigata tandem in variis ſubſelliis ſuperſtita, reperta hæc ſunt: nempè inter prima egregia picturæ opera prædicti Faucherij quæ Lerini alibiq́ue curiosè aſſeruantur numerandę: hæc ſunt horariæ preces manu propria ipſius Dioniſij ſcriptæ & miris figuris penicillo ſubtiliter adornatæ, ita concinnè vt quæ in lectionis & pſalmis intus legũtur in margine expreſſa videantur, quas Ioãni Faucherio fratri ſuo tũc dono dedit ſub quadam ſpecie ſubſtitutionis

& fidei commiſſi vt patet in fine ſupradictarum precum his verbis. *Has horarias preces Dionyſius Faucherius dono dedit Ioanni Fauche-rio fratri ſuo hac conditione & lege vt alienari aut transferri non poſſint, ſed ſemper apud Faucherios maneant, ſintq; mei in ſanguineos amoris perpetuum ſymbolum, vt mei apud Deum meminerint. Anno Domini mil-leſimo quingenteſimo quinquageſimo quarto, menſis Aprilis die nona. Si-gnatus Dionyſius Faucherius Monachus Lerinenſis Caſsinenſis ordinis.* Conſeruantur hodie curiosè ſupradictæ preces à Domino Fran-ciſco Faucherio Iuriſconſulto & in ſede Arelatenſi Aduocato dictiq́ue Ioannis Faucherij pro nepote. Tum

Libellus de reformatione mentis.

De meditatione paſſionis Chriſti.

Paræneſis ad monachos de cruce poſt Chriſtum tollenda.

Sermo in natali Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti.

Sermo de cœleſti deſiderio & amore.

Sermo de ſacerdotij dignitate ad clerum Arelatenſem.

Sermo funebris habitus Taraſcone.

Alius funebris in ciuitate Vencienſi.

Epiſtolæ diuerſæ ad diuerſos plus numero centum quinquaginta.

Paſſio ſanctorum Aygulphi Abbatis & ſociorum martyrum, verſibus.

Egloga de laudibus ſacræ Lerinenſis Inſulæ.

Egloga de cœleſti & diuino amore perdocta.

Egloga de lapſu monaſtici ordinis.

Egloga cui titulus, Religio periucunda.

Egloga de deſolatione monaſterij Lerinenſis.

Ode variiq́; generis verſus de variis ſubiectis penè infiniti.

Prælectiones in omnes epiſtolas diui Pauli, ſunt Lerini manuſcriptæ.

Diuerſa Epitaphia virorum illuſtrium.

Hymni aliqui in honorem aliquorum ſanctorum.

Epithalamia ad diuerſos nobiles.

Demùm in Latinum tranſtulit ſatis eleganter ſpeculum interioris hominis, è vulgari Italico Reuerendi patris Stephani Fermenſis.

Tum eiuſdem libellum de diſcretione & tractatum de oratione interiore ſiue mentali.

Variaq́ue alia quæ ad noſtras manus non peruenere, vir verè pius ſcripſit & fecit, cuius memoria ſemper cum laude in ſacra Lerina erit.

DIO

DIONYSIVS FAVCHERIVS MONACHVS LERINENSIS, DELPHINAE Iornatoriæ Virgini Deo dicatæ Salutem. P. D.

POſt multos labores atq; moleſtias, quas in inſtaurãda in veſtro Cœnobio monaſtica diſciplina iam annos aliquot toleraui, tandem Lerinam rediens tanquam in portum tutiſſimum aduerſa iamdudum tempeſtate fatigatus me recepi. Vbi adhortante me loco & tempore, ſed & charitate qua te maximè proſequor, impellente decreui aliquid ad te ſcribere, quod & pietati erga te meæ eſſet conſentaneum, & tuis non minus vſibus opportunum. Nam quid ſpiritali magis conſentaneum patri eſt, quam vt ſpiritalem alumnã & in Chriſto filiam doceat ſpiritaliter viuere, & blandimentis carnalibus ſuperatis Chriſto cœleſti ſponſo iugiter inhærere? Tibi verò quod hoc beneficio maius aut magis ex vſu tuo eſſe poteſt, qui gradus aut dignitas maior poſſet contingere, quàm vt verbo veritatis Chriſto regenerata, verbo etiam veritatis quaſi cœleſti ac diuino cibo ita paſcaris, vt ſacratum Deo iam ab ineũte ætate pectus tuum nil niſi Chriſtum ore oculis, vultu atque omnibus tui corporis motibus ſpiret, & quotidie de virtutibus in virtutes aſcendẽs ſic in via Dei proficias, vt cũ creuiſſe multùm viſa fueris, plus tamen ad id quod ſatis eſt, tibi deeſſe cognoſcens aliquid ſemper ſtudeas inuenire quo creſcas? Hæc eſt enim eorum qui ad ſumma nituntur & perfectionem ambiunt, vera iuſtitia, vt ſe nunquam putent eſſe perfectos, ſed ad ſuperna vocationis brauium magno mẽtis ardore properantes timent ſcilicet, ne in ipſo curſu medio in ſcandala impingãt, quibus ab inſtituto reuocati caſſo labore deſudaſſe videantur. Quæ ſcandala vt poſſis cautiùs euitare, & viã Dei tutiùs dilatato corde percurrere, te his meis vt olim verbis corã ſolebam, ſcriptis volui admonere. Hortatur ad id (vt antea dixi) loci opportunitas, temporis occaſio vrget, & Chriſti pius amor quo te æquè abſentem ac præſentem proſequor me compellit. Et primùm quidem quantum ad locum attinet, ſolitudo vndique patens & ſecreti opportunitas magna cogitandi meditandiq; præbent incitamenta. Quam ego opportunitatem piis actionibus ac cœleſtibus ſtudiis accommodandam honeſtiùs cenſui, quàm ſi languenti otio illam aut veterno deditus præterirem. Temporis vero iniqui tã ſiniſtra conditio quẽ (ſi quidẽ Chriſtiani hominis ſenſum habeat) non timore ſolicitet, ne fortè ipſe aut cæteri quos charos habet, pullulãtibus in dies nouis erroribus & peccatis magis ac magis diſſimulando creſcentibus in obiecta vbique pericula incurrant? Eſt enim ea nunc infœlicium temporum deploranda conditio, vt quocunque te vertas periculorum plena ſint omnia, vbi Eccleſia Chriſti non minus intrinſecus ab iis qui ſe ſe orthodoxos profitentur, quam ab hæreticis extrinſecus fatigatur. Enimuerò quàm pauci ſunt qui tametſi Chriſtianos ſe dici gaudeant, quod nomine profitentur, effectu & virtute ſtudeant præſtare: Quando fidei obtenebrato lumine: & ſpe ad ima terrenaq; defluente, charitate quoque iam propemodum extincta iniquitas impietaſq; ſumptis in dies viribus recrudeſcit. Denique quam raros inuenias, qui his malis corrigendis inuigilent, quam frequentes qui ea potiùs imitentur, qui ſuadeant, qui ad ea quaſi non ſatis ſuperq; ad malum proni ſint ſenſus hominis) impellant? O miſerandam igitur &

nullo ſatis vnquam digno gemitu proſequendam noſtræ huius ætatis ſortem, quando tam magnis quotidie feneſtris patefactis tot & tam enormia ſubeant mala, & ad ea quaſi noſtra nihil interſit, cõniuemus. Miramur ſcilicet ſi diuerſi generis peſtes, ſi bella, ſi fames nos quotidie premunt, ſi grauibus incommodis grauiora ſuccedunt. Ecce iam totus orbis cladibus concuſſus ruinam ac ſupremum interitum minitatur, & quaſi ægrotãtes qui nimia febre ſtupidi vim morbi non ſentiũt, nec medelis leuantur adhibitis, ita & miſeri mortales tot flagellis attriti tantùm abeſt vt emendẽtur reſipiſcántque, vt obfirmato in malis animo Pharaonem imitati duriores peioreſq; inueniantur, & tanquam feroces equi ruptis habenis ita illi timore Dei abiecto per deuia vitiorum ferantur in præceps. Quibus per tenebras inextricabiles oberrantibus dum conniuent, ſcilicet vt quorum maximè intereſt prouidere ne quid detrimenti aut religio caperet, aut ne moribus & diſciplinæ capitale vulnus aliquod infligeretur, ita iam inualuerunt mala, vt iis apta remedia inueniri difficile imò impoſſibile videatur. Vnde his quaſi fluctibus aduerſis in miſerum hoc noſtrum ſæculum exundantibus iam iam factò naufragio quid miſeris ſupereſt, niſi vt ſalutis ſibi quicunque Dei zelo ducuntur, vt poterunt, præſidium quærant? Quod mecum ipſe reputans in Chriſto mihi portum tutiſſimum aſylumq; ſtatuens & illum in ſcripturis ſanctis docentem me audiens acquieſco, ex quarum diuerſis ſententiis aliqua hinc inde ad bene beateq; viuendum præcepta collegi. Quæ cum tibi ac cæteris ſi quæ ſunt quæ ſtudij tui æmulentur inſtantia, non parum ſint profutura, tanto carius amplecti debes, quanto à maiore charitatis affectu prodiiſſe non ambigis. Semper enim ex quo tempore te mihi formandam tradidiſti, & in Dei rebus fidei tuæ conſtantiam atque in ſpiritalis vitæ ſtudia propenſam voluntatem perſpexi, te præter cæteras vnicè charam habui, ſumq; habiturus, quandiu te propoſiti tui non pœnitebit. Accipe igitur filia patris tui pium munus meæ in te charitatis ac perpetuæ beneuolentiæ ſymbolum. Hoc ego ad te paternæ charitatis ac pietatis affectu ſolicitus mittendũ cenſui, vt qui viua voce vt olim admonere non poſſum, me in his charitatis abſentem quidem corpore, ſed animo præſentem admonitorem audias. His igitur ſi te oblectabis, & in ipſis exerceas, talis facile poteris euadere, non modo quam ſpiritalis alumnus charam habeat, (id enim non tanti eſt) ſed cuius cœleſtis ſponſus ſpeciem (quæ tota intrinſecus & in animo eſſe debet) ſponſam ſibi eligens concupiſcat. Vale. Lerinæ. ſexto Calendas Octobris 1548.

LIBELLVS DIONYSII FAVCHERII MONACHI LERINENSIS.

De reformatione mentis.

CAPVT PRIMVM.

CVm tot nos vndique mala circundẽt, & tam grauia nobis multiplicia q́ue inter dubios vitæ huius varioſq́ue anfractus pericula impendeant, nulla tamen grauiora aut quæ nos magis premant, quàm ea quæ nobis adſunt intriſecus debemus exiſtimare: vt potè quibus declinatis aut ſi fortè aliquando in ea incidimus per Dei gratiã ſuperatis, nulla nos alia non dico lædere ſed ne terrere quidem poſſint. Nemo enim aliunde tantum quantum à ſeipſo offenditur, neque eſt nobis alius peſtilentior inimicus, quã noſtra ipſorum propria voluntas. Quæ primi parentis vitio deprauata naturę noſtræ benè ab initio, & ab origine ſua ſine vitio conditæ accedens, ita eam corrupit labefactauitq́ue, vt vitium pro natura quodammodo inoleuerit. Incuruata

curuata ſiquidem & in ſe reflexa cum ſe à Deo auerterit, hominem ab illa ſua nobili origine degenerantem in mala omnia præcipitem rapit. Vt qui Dei filius per adoptionis gratiam, ſi Dei in ſe ſeruaſſet imaginem, eſſe poterat, filius iræ dicatur, natura non quantum ad ſubſtantiam, ſed quantum ad voluntatẽ mutata. Hinc eſt illa ſuperflua & irrequieta mentis humanæ per varias cupiditates euagatio, quæ quantò magis hominem ſuæ carnis ſenſibus inhærentem per diuerſas mundi huius illecebras & oblectamẽta diſtendit, tantò longius eum ab illa internæ quietis & pacis tranquillitate quam mens ad Deum conuerſa & in eo reformata expetitur, abducit. Homo enim vbi ſemel recti itineris lineam derelinquens ſuæ voluntatis inexplebiles ſequitur appetitus, de tenebris in tenebras ſemper denſiores incurrit, dúmque in eis rebus fœlicitatem quærit, in quibus minimè reperitur, ſibi ipſe põdus & pœna fit. Quocirca nos hortatur Apoſt. ne huic ſæculo conformemur, ſiue vt idem dicit, ne ambulemus ſecundum ſæculum mundi huius, quod nihil eſt aliud quàm pro carnis noſtræ & naturæ deprauatæ arbitrio viuere, qua ratione hic mundus viuit. Qui cum ſit totus in maligno poſitus, nihílque in eo ſit, niſi concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, meritò nos etiam Ioannes Apoſtolus ab eius amore dehortatur. *Qui diligit, inquit, hunc mundum, inimicus Dei conſtituitur.* Nimirum quia vis tanta eſt amoris, vt amantem in rem amatam transferat, vt qui mundum aut carnem diligit, deformata in ſe per peccatum Dei ſimilitudine mundi aut carnis nomine cenſeatur. *Sed reformamini*, ait Apoſtolus Paulus, *in nouitate ſenſus veſtri.* Quod quidem fiet, ſi cõuerſa ad Deum voluntate ſine quo, neque velle, neque cogitare quicquam boni ſufficimus mundo nobiſque mortui Deo nos totos contradamus immutandos ad vitam. Nimirum vt iam mortificata propria voluntate probare poſſimus cum Apoſtolo quæ ſit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta, & hæc cum ſit omnium Chriſtianorum vocatio, eſt tamen eorum imprimis, qui Chriſti conſilium ſequuti, à carnis ſeſe omnino illecebris abdicarunt, vt arctiora vitæ cœleſtis inſtituta ſectantes tantùm ea quæ Dei ſunt, cogitent, vt illi ſoli placere poſſint. Nam qui coniunctus eſt vxori, aut quæ mulier viro coniuncta eſt, quæ mundi ſunt cogitare compellitur, vt coniugi placeat. Quod vtique vir quidam ſanctus cum de Monachi ſtatu loqueretur: Monachus eſt (inquit) qui in Deum ſemper acie mentis intentus illum cogitat in omni loco & tempore & re. Et item, Monachus eſt caſtificatum corpus, expiatum os, & animus diuino ſemper lumine irradiatus. Vides igitur quanta ſit tuæ vocationis ſublimitas, quanta præſtantia. Quid eſt aliud caſtificatum habere corpus, & expiatum os, & animum diuino ſemper lumine irradiatum, quam in nouitate vitæ ambulantem corpus ſuum hoſtiam ſanctam, viuentem, & Deo placentem, & rationabile, id eſt, ſpirituale obſequiũm exhibere? Tuæ igitur vocationis & huius beneficij non ingrata memento te ad omnium virtutum ſcholam & ſpiritalis militiæ pugnam à Deo fuiſſe vocatam, vt Chriſto inſtitutore ac duce diſcas Apoſtolicis armis inſtructa aduerſus ſpiritalia nequitiæ fortiter in acie ſtare, & molliciei muliebris oblita virilem animum induas, vt poſſis in die malo ignea hoſtis antiqui tela retundenda extinguere. Magna igitur inſtantia tibi opus eſt, quoniam is tantò acrius contra te inſurgens conatus ſuæ fraudis exerit, quantò te attentius Deo conſpicit velle ſeruire. Quoniam igitur de hac vocatione noſtra & ſpiritali pugna qua in vitæ nouitatem reformamur,

ſermo nobis eſt inſtitutus, de ipſa mentis reformatione ac deinceps de tribus votis quibus nos Deo ſecundum noſtræ vocationis profeſſionem datis in cœleſtem militiam nominibus autorauimus, & quibus potiſſimùm reformatio ipſa perficitur, aliqua dicamus. Quæ ſi quidem à nobis conſtanter fuerint obſeruata, iam non eſt quod maligni hoſtis aut mundi in maligno poſiti arma timeamus, nimirum obiicientibus nobis aduerſus concupiſcentiam carnis perpetuæ caſtitatis votum ac firmiſſimum inſtitutum, contra concupiſcentiam oculorum, id eſt, orbis fallaces blandáſque illecebras ſpiritus paupertatem, & aduerſus ſuperbiam vitæ humilitatis atque obedientiæ votum. Hæc ſunt enim arma iuſtitiæ hæc honorum operum inſtrumenta, quibus ſicut nos beatus Petrus Apoſtolus adhortatur, certam poterimus facere vocationem noſtram.

Quod anima ad imaginem Dei facta, per culpam deformis, reparatur per gratiam.

CAPVT II.

NOlite, inquit Apoſtolus, *conformari huic ſæculo, ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri, & induite nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis.* Quid eſt aliud huic ſæculo conformari, quàm huius mundi oppreſſa in ſe ac labefactata Dei imagine ſimilitudinem habere? Vnde & pſalmiſta, *Noli æmulari, ait, malignantes, neque zelaueris facientes iniquitatem*, vt potè quia ſicut is qui cum ſanctis conuerſatur, ſanctus efficitur, ita qui cum peruerſis graditur, facilè peruertitur. Quid autem eſt aliud reformari mente aut ſpiritu, quam exuto vetere homine, id eſt, relicta maligni ſæculi conuerſatione contra triplicem illam mundi huius malignitatem aſſiduè pugnando nouum hominem, ſcilicet Chriſtum induere, & in ipſum conuerſationis ſimilitudine transformari, vt per ipſum reparata in nobis diuina ſimilitudine imagineque inter Dei filios computemur? Anima nempè rationalis ad imaginem Dei & ſimilitudinem facta per naturam, & per culpam deformis facta neceſſe habet per diuinam gratiam reformari. Huius autem reformationis exemplar nobis proponitur Chriſtus Ieſus, vt ad eius imitationem mores noſtros componentes ſanctæ Trinitatis imaginem peccati labe fœdatam repurgemus. In hoc autem imago ipſa conſiſtit, quia ſicut Deus eſt in eſſentia vnus & trinus in perſonis, ita & anima noſtra vna quidem eſt, ſed tribus potentiis inſignita, quibus Deum repræſentans Dei ſi integram illam immaculatámq; ſeruauerit, paternitate cenſetur. *Videte*, inquit diuus Euangeliſta Ioannes, *charitatem oſtendit nobis pater, vt filij Dei nominemur & ſimus.* Data eſt igitur homini ratio ſiue intellectus, vt ipſum factorem ſum agnoſcat, voluntas vt agnitum ſuper omnia diligat: memoria, vt eũ recolens & pia recordatione beneficia eius ante oculos mẽtis iugiter habẽs ineo ſolo cõtẽptis omnibus requiẽ quęrat. Cęterũ ratio per peccatũ excęcata in tenebris veritatis ignoratione verſatur, tantóq; ab ea aberrat longiùs, quantò magis ſua ipſius auctoritate & ſenſibus nititur. Vnde Schiſmata & hæreſes & contentiones fœdiſſimè oriuntur. Voluntas ad infima hæc inclinata dum vera fœlicitate relicta requiem quęrit in his in quibus minimè reperitur, quantò auidius cõcupiſcentias ſuas ſectatur, tantò grauior ſibi ipſa pœna fit. Memoria verò vbi auerſa à ſummo bono qui Deus eſt, ſeſe creatis

rebus

rebus applicat,eò difficilius ad Deum conſurgit, quod diuerſis creaturarum imaginibus diſtenta præpeditur,vel vt magis appoſitè loquar,oppreſſa obruitur,ſitque ſuis omnibus potentiis languens anima dum carnis ſenſibus hærens iis ſe oblectat,quibus expleri non poteſt.Nil enim quod minus Deo eſt animam valet implere. Vnde per cœleſtem gratiam ad Deum conuerſa cognoſcit ſe peccato deformem ad ipſum propter diſſimilitudinem acceſſum habere non poſſe.Cupiens autem ſe in antiquum decus dignitatémque renouari,Chriſtum habet librum vitæ, cuius doctrinæ iugiter inſiſtens dum ipſum piis moribus & vitæ inſtituto crucem amplectendo exprimere nititur,in dies magis,magiſque illuminatur,vt purgata intellectus acie Deum cognoſcat,cognitum amet, & eo per iugem memoriam conquieſcat.Ipſe enim eſt pax noſtra,ipſe dux & via nobis factus eſt,per quem acceſſum habemus omnes in vno ſpiritu ad patrem.

De reformatione Rationis.

Caput III.

INitium reformationis mentis noſtræ eſt,vt Catholicæ fidei regulis ratio ſe ſubmittat.Quia enim cæca ipſa facta eſt,& peccatorum caligine intellectus obſcuratus allucinatur, vt veritatem per ſe inuenire nequeat, Deus nolens nos per tenebras inextricabiles oberrare,dedit nobis ſcripturas ſacras,quibus veritas nobis innoteſceret, vnde & nobis ſacramentum ſuæ voluntatis aperiret. Nam vt hominem lapſum in ſpem veniæ conſequendæ attolleret, antiquis patribus promiſit in ſcripturis ſanctis ſaluatoris aduentum. Quem in quinque ſæculi ætatibus per Patriarchas, iudices,reges,prophetas & ſacerdotes prænunciare ac præfigurare non deſiit, vt per multa temporum curricula multiplicatis oraculis intelligentias noſtras ad fidem & ſpem bonam erigeret, & voluntates piis deſideriis inflammaret. Tandem verò aduenientе temporis plenitudine ſicut ſexto die conditus homo fuerat, ita ſexta mundi ætate Deus illum reparare ſtatuit, & qui olim multifariè multíſque modis locutus nobis fuerat in prophetis, nouiſſimè eſt locutus in filio. Quem mediatorem,& promiſſæ pacis interpretem ad nos miſit, vt nos doctrina & exemplis ab errore reuocatos per aſperum illud & anguſtum iter quod prius ille ingreſſus eſt, & per quod in cœlum itur ad patrem reduceret. Hæc igitur diuina ſcriptura omni à nobis reuerentia & honore ſuſcipienda eſt,vtpote quæ nobis à Deo data ſit, & quæ in ſe contineat verè & abundè quicquid nobis neceſſarium eſt ad ſalutem. Eſt enim lucerna pedibus noſtris & lumen ſemitis verbum Dei, quod ſi Eccleſiæ auctoritate non noſtris ſenſibus innitentes ſequuti fuerimus, nunquam aberrabimus, imo verò cœleſti hoc radio prælucente promouendo in dies eò poterimus euadere, vt purgata & diuino illuſtrata lumine ratio cognoſcat atteſtetúrque nihil magis eſſe conſentaneum rationi, quam fides ſit Chriſtiana, quippe cui & natura omnis atteſtetur, & omnis mundana ſapientia famuletur. Quàm verò fœlices ſunt qui cœleſtibus his ſtudiis addicti tam proſperos in his progeſſus faciunt, vt rapta ſupra ſe mentis intelligentia Deum ſine vllo rei alicuius phantaſmate contempletur.

De reformatione voluntatis.

CAPVT IIII.

REformationis autem quantum ad voluntatem attinet, hoc initium eſt vt vitiis reſiſtens virtutum operibus magno nixu inſiſtat, quod diffuſiùs infra cùm de profeſſione noſtra & votis tractabimus, differemus. Enimuerò cum ipſa voluntas incuruata ſit, & per peccatum à Deo auerſa, neceſſe habet, vt ad Deum conuerſa rebelles motus per ſtudium boni operis ad rectitudinem diuinæ voluntatis reflectat. Quod tantò difficilius aſſequitur, quanto diuturniore vſu vitiorum & conſuetudine ſuis cupiditatibus addicta ſeruierat. Verùm ſi piè fidelitérque vt ſeſe vincat, inſtiterit, adiuuante conatus eius Deo iam conſuetudine ipſa bona & delectatione virtutum id conſequetur, vt nihil niſi quod Deus vult, velle poſſit, intantumque Deo per obedientiam propinqua fiat, vt illi puriſſimo amoris affectu inhærens vnus cum eo ſpiritus eſſe, & in eum tota transformari mereatur. Sed ad id magna violentia, & orationum inſtantia opus eſt.

De reformatione Memoriæ.

CAPVT V.

MEmoria reformatur, cum ab euagatione ſolita ſeſe cohibens in Deo ſtudet legendo meditando & frequenter orando ſeipſam colligere. Quo quidem ſtudio tum demum ſe profeciſſe cognoſcat, cum iam homo depulſis phantaſmatibus importunis meditationibus & precibus poteſt ſine vlla aut ſaltem minore difficultate intendere. Qui verò diſciplinis cœleſtibus aſſuetus eò prouehi meruit, vt per exceſſum mentis ita in Deum abſorptus ſit, vt omnium ac ſui ipſius oblitus in eo ſine vllo imaginum ſtepitu ſuauiter conquieſcat, is ſummum qui in hac vita obtineri poteſt perfectionis gradum, in quo futuræ vitæ inchoatio eſt, conſcendit. Hæc eſt igitur vera Chriſtianæ religionis philoſophia, hæc ſumma monaſticæ inſtitutionis ſapientia, ad quam tota mentis noſtræ deſudare debet intentio, omnis ſtudiorum noſtrorum conatus extendi, vt ſcilicet per ſtatus noſtri atque profeſſionis diligentem cuſtodiam carnis & mundi cupiditatibus expugnatis & mortificata propria voluntate patris noſtri cœleſtis imaginem, per renouationem mentis conemur exprimere. Hoc eſt enim Deum imitari, ſicut nos hortatur Apoſtolus & Dei filium per gratiam adoptionis fieri. *Eſtote, inquit, imitatores Dei, ſicut filij cariſſimi.* Huius autem diſciplinæ magiſtrum & librum vitæ (vt iam diximus) habemus Ieſum Chriſtum. Is enim idcircò factus eſt homo, & noſtræ mortalitatis factus eſt particeps, vt nos ſuæ diuinitatis conſortes efficeret, ſi tamen eius humanitatem imitantes ad eius exemplar vitam noſtram & mores formauerimus. Ad hoc enim ad hanc monaſticæ inſtitutionis ſcholam venimus, vt piè, ſobriè, & iuſtè viuendo diſcamus ab eo per anguſtam & arduam viam qua ad ſummam illam & beatam ſpem laboribus multis & doloribus itur, incedere. Hæc eſt noſtra profeſſio, hoc propoſitum & noſtri ordinis inſtitutum requirit, hoc habitus ipſe & tonſura promittunt, vt videlicet ſponſionis noſtræ ac voti memores non quaſi laſſati, fatigatique torpeamus. Longa enim nobis atque difficilis in cœlum tendentibus via ſupereſt, à qua tamen nulla nos, aut difficultas terrere aut labor

aut labor debet abducere,quia quod Deo inſpirante promiſimus, poterimus (dummodo bona in nobis voluntas non torpeat, langueatque)ipſo adiuuante præſtare. Quod nihil eſt aliud, quàm ſpiritu & mente renouari, & nouum hominem Chriſtum induere, ipſámque animam omnibus potentiis ſuis ac viribus ita in eum transformari, vt vnus cum Deo ſpiritus effecta nil meminerit,niſi Deum, vel ſentiat vel intelligat, niſi Deum. In cuius fruitione pro captu vitæ huius cum gaudio conquieſcens illam Apoſtoli vocẽ verè atque ex animo poſſit dicere:Viuo ego iam nõ ego,viuit verò in me Chriſtus.Nam cùm ea res ad omnes qui Chriſtiana profeſſione cenſentur pertinere videatur,nos tamẽ ad eam ex regula quam profitemur,multò arctius ſumus obſtricti.Quare de ipſis votis(ſicut promiſimus)differamus.

De abſtinentia & ſobrietate ſenſuum carnis neceſſaria ad Caſtitatem.

Caput VI.

DE Caſtitate igitur priùs differendum videretur,ſed quia ſobrietas ſimilitudine illi & quadam quaſi cognatione accedit, & vſque adeò illi adiungitur, vt ſine ipſa haberi caſtitas non poſſit, operepretium eſt, vt de ſobrietate aliqua præmittamus.Eſt itaque nobis ſobrietas & ieiuniorum parſimonia ſummo ſtudio complectenda,ne ciborum redundantia plus æquo refecta caro aduerſus ſpiritum rebellis inſurgat. Fieri enim non poteſt, vt venter cibo vinóque diſtentus naturali calore non æſtuet,quo fit vt cætera quoque membra quæ ſub eo natura abdidit, in fœdam libidinem concitentur. Non te igitur eſarum varij & exquiſiti ſopores ad gulæ ventriſque ingluuiem pertrahant,cui hæc vna præcipuè cura ineſſe debet,vt guſtes quam ſuauis eſt dominus, & quanta ſit multitudo dulcedinis illius timentibus ipſum, & iis qui eum diligunt in veritate.Si huic ſtudio deuoto pectore incubueris,fœlici experiẽtia diſces, quod nõ in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei, & fiet eloquium domini in ore tuo & in faucibus tuis dulce plus quam mel & fauum, & his dapibus ſaginata caſtiſque oblectata delitiis facilè poteris eſcarum præſentium ſpernere voluptates, nec te carnium eſculentibus ſapor aut quiuis aliud culinæ nidor alliciet, quam immaculati agni caro & cœleſtium eloquiorum guſtus ſuauiſſimus oblectauit. Fœlices animæ, & mentes beatæ, quæ cœleſtis huius dulcedinis gũſtu affectæ cunctas mundi delitias aſpernantur, quæ eſurientes ſitientéſque iuſtitiam cum ſaturitate fuerint, quicquid agunt, quicquid loquuntur,nihil niſi ſancti odoris fragrantiam ex illa plenitudine eructare noſcuntur. Verbum bonum,mores compoſitos,affectus pudicos,ſenſus pacificos,&ſancta ſobrietate quietos interior illa ſobrietas ſinceritaſque vbique diffundit.Quàm ſunt hæc bene compoſitæ mentis odoramenta ſuauia, quam grata hominibus & Angelis ſenſuũ modeſta ſobrietas.Neq;enim ſobrietatis ſumma in ſolo ciborum ſubtractione aut huiuſmodi corporis caſtigatione conſiſtit, quia niſi ſimul anima ſimiliter à cæteris vitiis ieiunarit, & diuina meditatione ac ſpiritualibus ſtudiis occupetur, nunquam ad illum tam ſublimen poterimus integritatis gradum euadere, cum intus inſidiantem nobis inimicum teneamus incluſum. Vnde cor nobis eſt omni diligentia repurgandum, & ſumma ſolicitudine Salomone adhortante ſeruandum. Stet igitur monachus, ſtet & illa quæ Chriſto cœleſti ſponſo virginitatis florem intemeratum ſeruare deſiderat, cum Abraham ad oſtium tabernaculi ſui, & accenſa lampade vigilanter obſeruet, ne per ianuam aut feneſtras ſenſuum ſponſi ſui hoſtes

turpes cogitatus atque carnales appetitus admittat, per quos ſerpens antiquus venenatum caput immittens habitatores pacificos pios cogitatus & cœleſtia deſideria ſimul cum eorum auctore ſpiritu ſancto poſſit excludere. Spiritus enim domini diſciplinæ effugiet fictum, vt ſacra teſtantur eloquia, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu. Dedignetur igitur Chriſti virgo, quæ in cœleſtem Hieruſalem nomen dedit, tam nobilem & ab ipſo Deo concupitam cordis ſui ſedem in res vanas & contemptibiles, imo verò abominabiles carnis voluptates deiicere, quam Chriſto cœleſti ſponſo, ſicut tu in die deſponſationis tuæ, voto ac profeſſione ſolemni coram tot teſtibus, dedicauit. Propterea cordis tui tabernaculum Deo iam inde ab ætate tenera conſecratum vt ab omni contactu mundi incontaminatum cuſtodias, vagos carnis tuæ ſenſus fræno diuini timoris cohibe.

Oculos ne animam tuam deprædentur à vanitate auerte, & diuinis præceptis ſacriſque lectionibus occupa. Oculus impudicus impudici cordis eſt nuncius, difficile enim eſt crimen non prodere vultu, & taciti oculi cordis fatẽtur arcana. Quod ſi te creaturarum pulchritudo delectat, tu per eas quaſi per gradus ad Deum mente conſcende, & cogita quanta ſit illa inuiſibilis pulchritudo, cuius participatione quæcunque ſunt, pro ſuo captu & modo pulchra ſunt. Ita enim fiet, vt tibi diligenti ſuper omnia Deum, omnia cooperentur in bonum, & vt in cœlum cogitatione conſcendas, quaſi ſcalam præbeant, quæ in diligentibus mundum, & eo malè abutentibus data ſunt in ruinam.

Aures tuas à vanis & maximè turpibus verbis prohibe, cantica mundi, & quoad eius fieri poteſt, & tibi licitum eſt, quæ in eo fiunt, ignores. Inclina verò aurem tuam, vt audias quid loquatur in te dominus Deus tuus, qui loquitur pacem ad plebem ſuam, & ad eos qui conuertunt cor ad ipſum. Quid ſuauius, filia, tibi poteſt contingere, quam vt ad cor tuum Chriſtum Ieſum arcana verba loquentem audias, quæ non licet homini loqui? Fœlix anima qui diuini ſuſurrij verba percipiens tota in amorem cœleſtis ſponſi liquefacta reſoluitur?

Nec te ad laſciuiam odoris lenocinia blanda prouocent, ſed in odorem vnguentorum, id eſt, virtutum ſponſi tui currens ne fatigeris quouſque ad illum peruenieris, quandoquidem in via Dei regrediendi periculum incidis, ſi progrediendi appetitum laſſata depoſueris.

De contactu verò omnium pernicioſiſſimo quid dicam? Nam viſus ac cæteri ſenſus quaſi longius emiſſa iacula feriunt, tactus autem dum molliter blanditur, & premendo demulcet, miſeram animam propius vulnerando proſternit. Sentit enim occultam natura ipſa vim ſuam, & ad maris fœminæque contractum in libidinem facile concitatur. Fugiat ergo tanquam ſupremam perniciem Deo dicata virgo virorum conſortium, & eorum in primis, qui effictis verbis & ſimulato amore in clauſtra pudoris conantur irrumpere. Nam cum ſit virorum omnium cum virgine periculoſus congreſſus, propterea quod diabolus circuit quærens quem deuoret, & ſenſus hominis ad malum ſemper ſunt proni, tamen illorum multò eſt periculoſior pernicioſiorque, qui ex ſtudio atque induſtria pudori ſub amoris falſa imagine inſidias obtendunt. Quid enim ſi verborum lenociniis oſcula blandiora ſuccedant, quæ per ſpeciem ſalutandi à laſciuis iuuenibus dum adhibentur, animas enecant? Nonne flammis & accenſæ Babilonicæ fornaci oleum additur? Nimium vrbana & plus quam decet virginem benigna

benigna eſt, imo verò (vt dicam melius) inter inſulſas virgines computanda, quæ non has mortiferas peſtes plus quam viperas aut quoſlibet venenatos ſerpentes non modò deuitat, ſed etiam abominatur execraturque, nimirum ne quid vel leue per feneſtras ſenſuum latenter obrebat, quod repetitum memoria carnem titillando mentem de gradu ſuo poſſit deiicere: Heu quot virgines integritatis inſtitutum arripientes noxia ſecuritas & ſenſuum neglecta cuſtodia proſtrauit. Poteſt ne aliquis ignem in ſinu ſuo geſtare, & veſtes eius non comburentur? Quis Dauide ſanctior? Quis Salomone ſapientior fuit? Attamen hi pernicioſa licentia & vana ſecuritate decepti, dum carnis ſenſibus indulgent, & inani corporum pulchritudine delectantur, obrepente per ſenſuum feneſtras libidine turpiter deuicti atque in cœnum fœdæ voluptatis proſtrati ſunt. Quocirca volo te ſemper eſſe ſobriam & in orationibus vigilantem, quod aduerſarium habes diabolum qui non dormit, ſed quærit vt oſcitantem aut noxia ſecuritate torpentem opprimat. Tu verò vt prudens virgo accenſa lampade eius callida tentamenta ſolerter explorans & promiſſæ integritatis propoſitum quotidiè innouans, deuita omnia quæ huic videntur aut poſſunt eſſe contraria. Fuge vanos & tuo maximè ſtatui & huic inſtituto noxios ornatus. Vt quid enim ea quæ Chriſto deſponſata eſt, & cuius ipſe interiori animi pulchritudine delectatur, nitida & ad ſpeciem ſuæ carnis ornata incedit, niſi vt ſe oſtendat aut habere virum, aut ſi non habet, quærere, cui placeat. Fuge otium ſentinam omnium & præcipuè carnalium vitiorũ, quoniam in deſideriis eſt omnis otioſus. Semper ergo aliquid boni operis facito, vt diabolus te inueniat occupatam. Ama ſcientiam ſcripturarum, & in lege Domini die nocteq; mediteris, vt ſalutaribus affectibus intromiſſis nõ pateat noxiis locus. Neque enim noſtræ mentis viuacitas ſine alicuius deſiderij vel timoris, gaudij vel triſtitiæ affectione poteſt conſiſtere. Quare omni ſolicitudine ac ſtudio conandum eſt nobis, vt hæc ipſa in bonam partem commutata animi noſtri arcem ita occupent poſſideantque, vt his quaſi nexibus implicatus habeat quibus iugiter immorentur, & præſentium gaudiorum illecebras poſſit contemnere, nec cæteris ab intentione perturbationibus dimoueri. Nulla igitur piam mentem niſi cœleſtium rerum deſideria tangant, nullus niſi culpæ & earum rerum quibus offenditur Deus timor concutiat, nullis ſibi oblatis mundi huius commodis gaudeat, ſed tum maximè in Domino cum tremore modeſtiaque exultet, cum ſe Chriſto per malorum tolerantiam conformem magis ac magis in dies fieri conſpicit, nulla denique triſtitia ſtimuletur, niſi de malè exacti temporis iactura & de his rebus contracta, quæ illam ab itineris nondum finiti poſſunt intentione deducere.

De Caſtitate.

CAPVT VII.

SEd quoniam ad hæc omnia quæ diximus & ad perfectam caſtitatis puritatem obtinẽdam non eſt per ſe ſufficiens idoneaque tui laboris induſtria, vbi primum titillantis pruritũ carnis aut dæmonis ſuggeſtionem malã perſenſeris, fœmineam oblita molliciem viriles animos indue, & magna fide tota in Deũ conuerſa ab illo auxilium pete, qui protegit & ſeruat ſperantes in ſe & non dormit neque dormitat, qui cuſtodit Iſraël. Et hic quidem conflictus illorum illarumque eſt proprius, qui recens ad Deum conuerſi cõcepto caſtitatis propoſito contra moleſtas carnis illecebras & vrgentes ſtimulos aſſiduè pugnant. Hi labore multo & ſudore aſſiduo fatigati triſtes & anxij legem in

membris legi mentis contrariam ſentientes exclamare cum Apoſtolo cõpelluntur. *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Horum igitur animi violentia repugnantiaque continentia magis quàm caſtitas nominanda eſt, quandoquidem virtutis ipſius non tam dulcedine delectantur, quàm incentiuorum carnalium inſultu fatigantur. Qui tamen bono animo eſſe debẽt, quia quandiu firma illis continentiæ & ſeruandæ virginitatis ſtabit ſententia, certũ eſt, diuinam illis opem nunquam defuturam. Quis enim ſperauit in Deo, & ſeſe totum & omnem ſuam ſolicitudinem in eũ iactauit, & repulſus eſt? imo verò gaudij non mediocris illis inde datur occaſio, quia illorum merces tantò eſt futura maior, quantò in illos grauior pugna intẽditur. Neque enim coronam poterit promereri, niſi is quis legitimè virilitérque certando hoſtem vicerit. Pergant igitur itinere inſtituto, nec vlla eos retrahat aut terreat difficultas, quos Chriſtus cùm ſe propter cœlorum regna caſtrauerint, beatos appellat. Ad hæc vtique regna non molli ac delicato itinere, ſed multis laboribus ac doloribus peruenitur. Proponant ſibi ante mentis oculos patrum antiquorum & ſanctorum exempla, qui cœleſtium rerum amore flagrantes, armiſque Apoſtolicis naturæ vim inferẽtes poſt multos labores ſudoreſque in tantam quietem tranquillitatémque animi transferri meruerunt, vt de illis meritò dici poſſet, *pax multa diligentibus nomen tuum Domine.* Nam etſi cum adhuc corporis mole premerentur, omnimodã illam impaſſibilitatem non erãt aſſequuti, eſt tamen magnum, homines carne indutos per diſciplinæ cœleſtis ſtudium debilitatis & iam iam propemodum oppreſſis concupiſcentiarum viribus, ita ſeipſos & carnem ſuam rationis imperio ſubiugaſſe, vt nõ immeritò poſſent de ſui ipſorum victoria in Domino gloriari. Qui in carne prẽter carnem viuentes admirandæ illius Moſaïcæ viſionis imaginem retulerunt, dum innoxio humanę carnis igne circundatus non vreretur, aut inſtar trium puerorum, qui Babylonicæ fornacis flammis iniecti dum roris atque cœleſtis auræ refrigerio recreantur, regiis miniſtris ſuo ipſorum miniſterio pereuntibus illi exultantes Domino laudes conſonis quaſi ex vno ore vocibus decantabat. Sed quas, tu filia, gratiarum actiones, quos hymnos, quę ſpiritalia cantica in eorum cordibus reſonare exiſtimas, qui diuturnis ieiuniis cęteriſque ſpiritalibus ſtudiis aſſueti de continentiæ labore ad tam ſublimen illum puritatis gradum Deo aſpirante prouecti ſunt, vt medullitus concepto caſtitatis affectu virtutis ipſius amore ac delectatione perfruantur? Summum voluptatis genus eſt, voluptatis fuiſſe victorem, nec triũphus vllus glorioſior eſt, quàm eius qui de ſe ipſe victoriã reportauit. Nã qui aduerſatiũ ſtrauit fortior fuit, ſed altero, qui concupiſcentiam vicit, ſeipſo fortior fuit. Neque eſt alia concertatio grauior, quã quæ aduerſus hunc domeſticũ hoſtẽ ſuſcipitur, qui eõ difficilius ſuperatur, quod non horrore ſed blandimẽto incautos vincere cõſueuit. Propterea & Salomon, fortior eſt (inquit) qui dominatur animo ſuo, id eſt appetitibus ſuis malis, quã expugnator vrbiũ. Lõgè ſint abs te, quibus nitidæ cutis anxia cura & de pulchritudine ſolicitudo ſuperflua deformitatis & corruptæ voluntatis indicia referunt. Abundè pulchra eſt, quæ qualẽ ſe Deus fecit talis eſſe contenta eſt, nec vt alia videatur, diuinis operibus vim afferre didicit. Vt quid enim virgo ſpeculum conſulit? Num fortè timet ne eadẽ ipſa ſit hodie: quæ heſterno die fuit? Affectatus & aliunde adſcitus decor non tam virginem decoram oſtendit, quam venalem exponit. Eiuſmodi autem complures hac temporum infœlicitate videre licet quinimo etiam aliquas (quod eſt deploratæ calamitatis) quæ poſt detritã in cœnobiis multã ætatẽ nuptias)

ſi ſu

(ſi ſuperis placet) meditantur, vt ſub honeſto vxorum titulo inhoneſtæ libidini & ſacrilego inceſtui licentiùs indulgeant. Quas ab infamia inſaniáque non pudor aut verecundia, non data Chriſto fides, non Dei timor, aut imminens gehẽnę incẽdium poteſt reuocare, ſed perfricto pudore, Deíque abiecto metu per deuios mundi huius anfractus præcipites abeuntes dolori multis atque admirationi fuerunt. Prurientes enim auribus vagę, inſtabiles, loquaces cutis nitori & corporis ſolius cultui vacantes, conſultores ſibi magiſtróſque adſciſcunt, qui cum ad aliorum perniciem nati eſſe videãtur, captiui captiuas ipſas & ſatis ſupérque ad malum procliues pronáſque ad quodcunq; nefas acrius impellũt. His enim ſibi applaudentibus queruntur ipſę, ſcilicet arduum nimis arreptum virginitatis propoſitũ, ſe rei ignaras à parentibus in Monaſt. vi fuiſſe intruſas, nec vim ferre poſſe ardorémq; naturæ ſatiùs ſibi eſſe nubere quàm perpetuo vri. Sed ſi me cõſultorem & non barbatulos iſtos & tam concinnè depexos accerſatur, in promptu eſt, quod dum auré mihi purgatam accommodẽt ſalubriter illis reſpondeam. Nẽpè perpendere prius ſuas vires debuiſſe, neq; viribus onus impar ſumere. Vt quid enim & hominibus mẽtientes & Deo imprimis, promitterẽt quod nolebãt, aut ſe præſtare poſſe non cõfidebant? Qui ſe pudore aut parentũ metu victas cauſentur, cur obſecro non eas etiã nunc, imò verò multò magis ab infamia pudor & Dei timor à tanta veſania coërcuit, ne poſt ſolemnè votũ & promiſſam Chriſto ſponſo cœleſti fidẽ in tã grãde nefas prorũperent, vt ab illo deſciſcẽtes in eius contumeliã carnalẽ illi ſponſum mortalẽ hominẽ anteponerẽt? Atq; id quidẽ cum ſummo probro & multo maiore dedecore, quam ſi cogentibus (vt ipſæ aiunt) parentibus quod illis tunc facere integrũ fuit, prius obſtitiſſent. Quis enim eas argueret, imo verò quis non eis faueret recuſantibus onus, quod debiles ferre non poſſent? Sed eas concupiſcentia victas inde ſuſpitio magna eſt, quòd eo quẽ cauſantur ſublato metu defunctis vita parẽtibus multos in virginũ ſodalitio annos traduxerũt. Vix enim fieri poſſe videtur, vt tanto tẽpore ibi degẽtes profeſſionis ſuæ votũ vel ipſo ſuo ſilẽtio non approbaſſe videãtur. Verùm cùm tã anxiè lotis vultibus, & ad corporis ſui cõciliandã ſpeciẽ adhibitis ornamẽtis perditorũ hominũ illotos ſermones & iocorũ blãditias tã facilè admittãt, mirùm cuiquã videri nõ debet, ſi in earũ corda ſtatus ſui & arrepti propoſiti tædiũ obrepit. Corrũpunt enim bonos mores colloquia praua, neq; eſt quicquã tam piũ ſanctũq;, nihil tã compoſitũ, quod nõ linguæ procacitas & ſermonis lõgus irrationabiliſq; cõtextus labefactet diſſoluátq;. Viderint igitur ipſæ quibus cauſis adductis, aut (vt melius fortè dicã) quibus à ſummo põtifice cõfictis mendaciis diplomata impetrarunt, quibus ſibi liceat à Chriſti ſeruitio quod profeſſæ ſunt, & iugo ceruicẽ excutere. Non enim irridetur Deus. Si homines fallũt, Deũ qui cor hominis intuetur, fallere certè nõ poſſunt. Meminerint itaq; mortẽ iam ſibi imminere, ſed & terribilẽ illũ tremẽdúmq; iudicij diẽ ad memoriã reducãt, & tribunal illud expaueſcendũ, corã quo manifeſtabũtur cordis abſcõdita, & referet vnuſquiſq; prout illis geſſit in corpore ſuo ſiue bonũ fuerit, ſiue malũ. Proinde quod ex vſu eſt, ego illis conſultũ velim, ſi quæ ſunt (vt nũc ſunt perditi mores) quæ his peſſimis exẽplis incitatæ tanquã in obiecta ſibi ſcãdala ſpõte impingere meditẽtur, vt Dei beneficiũ non aſpernandũ putẽt, meminerint quãta ſit ſpes vocationis diuinæ iis qui ad finẽ vſque in ea premãſerint. Neque ſibi integrũ putent, ſeſe ſine ingẽti probro & maiore animæ periculo à votis abſoluere, quæ etiã ſe ſe ad hæc vi adactas cauſentur, ſilẽtio videtur cõfirmaſſe. Abiiciãt à ſe omnia ſuo inſtituto cõtraria, peſtes illas,

homines dico, peſſimè in orthodoxâ Eccleſ. finẽ & ſacris eius ritus animatos fugiãt, quorũ ſermo quouis veneno nocẽtior velut cãcer ſerpit, & animas incautas ad pernicié facilè pertrahit, dũ ſub falſo libertatis Euãgelicæ prætextu cupiditatũ ſuarũ & criminũ ſeruas reddit. Deũ verò pio mentis affectu & aſſiduis precibus pulſent, qui pauperũ & humiliũ preces nõ ſpernit, huíc ſeſe dedãt, & eius ope adiutæ cõfirmatæque fœlici experiẽta diſcẽt, quicquid eſt homini impoſſibile, fieri authore & adiutore Deo poſſibile. Putẽt etiã ea ratione modóq; ſe à Deo vocatus, vt quæ ſpõtè forſitã nunquã fuerãt ab huius mundi laqueis euaſuræ, hoc pacto Deus eas voluerit ab eius tanquã Ægypti ſeruilibus curis & laboribus liberare, vt in Monaſt. ſolitudine ſubmerſo Pharaone illi ſacrificarẽt, & die noctéq; deſeruirẽt. Quid vocatione hac dignius? Quid hac dignitate ſublimiùs? Vocatur virgo, vt ſancta corpore & ſpiritu Dei filio deſpõſetur, vocatur virgo, vt de huius Aegypti, id eſt mũdi tenebris & à Pharonis, ideſt diaboli & carnis duriſſima ſeruitute erepta lumen veritatis agnoſcẽs Deóq; ſeruiẽs vitæ cœleſtis atq; Angelicę cõuerſationis ac puritatis imaginẽ mũdo præbeat. Quid hac igitur ſeruitute liberius? quid præſtantius? cum enim ſeruire Deo regnare ſit, quid hac tã ingenua nobiliſque ſeruitute & Angelicæ puritatis imitatione quam regni illius cœleſtis & æternæ beatitudinis ſpecimen virgo prę ſe ferre atq; exhibere videtur? In cœlo enim non nubent, ſed erunt homines ſicut Angeli Dei. Ergo iam Angelis videtur æqualis virginitas, imò verò ſi rẽ propiùs intuemur, in hoc etiã videtur excedere, quòd Angeli carnẽ non habẽt, in qua viuẽtes adhuc virgines luctãdo quotidiè triumphũ victoriæ reportãt. Vt igitur virgo ſibi cõſtet, & eam ſui non pœniteat inſtituti, vocationẽ ſuã & profeſſionẽ, qua ſeſe Deo data fide obſtrinxit, ſæpè ad memoriã reducat, & in ea cũ omni patiẽtia & charitate ambulando videat ne ſe à tã ſancto propoſito vlla terreat difficultas, ne malorum hominũ venenata verba & cõſilia pernicioſa depellant. Proponat ſibi ante mẽtis oculos quæ & quãta cõfuſio quãta tormẽta illas in tremẽda illa iudicij magni die maneant, quæ datã fidẽ irritã facientes Deo & hominibus ſunt mẽtitæ, quæ putidę carnis ſectãtes illecebras tãto ſe honore cœleſtis, ſcilicet thalami reddiderũt indignas. Cõtra verò quæ gaudia, quæ fœlicitas, quæ illis virginibus gloria pręparatur, quæ vſq; in finẽ perſeuerãtes carne, mũdo, & diabolo ſuperatis, accẽſis lãpadibus in cœleſtes thalamos cũ Chriſto ſpõſo introire merebũtur. Quæ paſſiones igitur cõdignæ ad gloriã quæ in eis reuelãda eſt, videri queãt? Tunc enim cũ mũdo lugubre immugiẽtibus iis quæ fide fraudata breui ac momentaneo gaudio æternos ſibi luctus cõpararunt, illæ agnum ſequentes quocumque ierit, canticum illud de quo in Apocalypſi legitur, decantabũt. Quę pompa illa, quãta Angelorũ lætitia gratulantiũ applaudentiũq; quod habitare virgines merẽtur in cœlo, quæ cœleſtẽ vitã duxerũt in ſæculo. O quãto exultãs gaudio virginũ beatiſſima virgo Maria illis occurret, quãta gratulatione cõplexa eas ad dominũ deducet inquiẽs: Hæ ſunt, quæ thorũ filij mei, ideſt, cor caſtum & nuptiales thalamos immaculato pudore ſeruantes, & ſæculi ornamentis abiectis filij mei paupertatẽ obedientiámque ſectantes contẽpto atq; ignorato mũdo te ſolum Deum noſſe voluerũt. Tunc illæ cum virgine matre magnificantes dominum exultabunt ſpiritu in Deo ſalutari ſuo, qui fecit eis magna qui potens eſt & ſanctum nomen eius. Hos thalamos ſancta virgo Scholaſtica, hos diua Clara, Euſtochium, Redempta, & innumerabiles aliæ vt introire mererentur, anguſtum iter & arduum arripientes carnem ieiuniis, vigiliis, cæteríſque ſpiritalis vitæ ſtudiis ſpiritui ſeruire coegerunt.

Quid

Quid Tecla? Quid Agatha, quid Lucia? Quid Agnes, Margareta, Catharina, Cecilia, Iuſtina, Barbara, & reliquæ, quas recenſere numerus vetat? quid, inquam pro his thalamis non dediſſent, quando hac Euangelica margarita inuenta, id eſt cœleſtis huius ac ſacri connubij pio affectu concepto, cunctis ſe mundanis delitiis abdicantes & repudiatis ſponſis carnalibus, proprij etiam ſanguinis dote ad has nuptias pertingere voluerunt? Sed de his plura dicere ſuperfluum videretur, quandoquidem earũ in Eccleſia per anni curriculum hiſtoriæ recitatæ ſatis poſſunt pias mentes ad integritatis ſeruandum propoſitum confirmare, niſi factum quod recens accidit, me adhuc pauca quæ ad rem faciunt, adiungere monuiſſet. Quod cum eiuſmodi ſit, vt cum antiquis exemplis quæ ad caſtè, beatéque viuendum ſolent adhiberi, non immeritò conferri poſſit, tibi & aliis, ſi quæ ſunt, quæ ſancti tui propoſiti ſtudium imitentur, non parua ad virtutem incitamenta præbebunt.

Tertiò igitur abhinc anno, aut circiter adoleſcens quidam apud Neapolim ciuitatem Campaniæ illuſtri loco natus magno vitæ ſpiritalis ardore concepto in monaſterio noſtro quod in ipſa ciuitate ſub titulo diui Seuerini conſtructum eſt, ad monaſticem petebat admitti. Quod pater eius præſentiens totis eum viribus ab intentione (cum præter ipſum nullos liberos haberet) eſt conatus auertere, & inuitum illum & ab re vxoria multùm abhorrentem puellam, non minùs virtutum quam natalium ſplendore nobilem ducere coegit. Vide verò quid contigit: Puella iiſdem deſideriis æſtuans cum virginitatis florem Chriſto cœleſti ſponſo inuiolatum ofterre maximè optaret, factum eſt, vt inter eos conuenerit cœlibem ac cœleſtẽ vitam ducere, & coniugium ſine congreſſu præ ſe ferre expectantes ſcilicet dum pater ſenior ſupremum diem obiret. Quo poſt breue tempus vita functo vterque quod fuerat meditatus diſcuſſis ſimulationibus inſtitutum arripuit. Nam iuuenis ipſe relicto amplo patrimonio in Cœnobio D. Seuerini ordinis noſtri monachus eſt effectus, & virgo ipſa itidem integritatis amore flagrans virginum ſodalitio adiuncta virginitatem perpetuam ſeruat. Quam dum mater adhuc domi cum marito agentẽ interrogaret, & quaſi admirabunda cum ea expoſtularet, quod nullum coniugij fructum ederet, illa cautè, quid ego (inquit) faciam mater? Si Deus me hactenus ſterilitate damnatam ſine prole eſſe voluit, quæ ego ſum quæ contra eius voluntatem pariam liberos? Et ſic, caſtiſſimi iuuenes parentum vota eludentes dum mariti atque vxoris nomine cenſentur, fratris ac ſororis inter ſe mutua officia præſtabant, naturæ ſiquidem vim afferentes earũ rerum quæ ſupra naturam ſunt, inſpirati diuinitus amore ac deſiderio æſtuabant. Quid rogo ad trium puerorum in mediis Babylonicæ fornacis ignibus Deum laudantium exemplar expreſſius? Nonne tibi cum hęc legis Valerianus & Cecilia veniunt in mentem: qui ſacris eloquiis precibúſque in Deum intẽti Angelicæ viſitationis & collocutionis merebantur ob caſtitatis ſuſceptũ propoſitum conſolatione releuari. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quã abſcondiſti timentibus te, qui ſeruos tuos fidei lumine coruſcantes ad tã ſublimem virtutis gradum, dum ſeſe totos tibi dedunt, prouehis, & ſic gratiæ tuæ rore perfundis, vt vim ardorémque naturæ lubrica ætas & ſexus fragilis poſſit extinguere. Bonus enim es Domine ſperantibus in te, & animæ quærenti te. Quod illi experientia probantes elegerunt iugum tuum ab adoleſcentia ſua ſubdita ceruice portare, quod ſuauitate & leuitate ſua ſupra ſe illos deſideriis caſtis, & cœleſtium rerum ſpe firma ſuſtolleret. Proponãtur tibi ante oculos, ſoror chariſſima, & tunc poteris laudare victoriã, cum certantiũ

laborem cognoueris. Hinc cùm ſuis opibus & rerum affluentia mundus, hinc ętas iuuenilis & propterea in libidinem prona, & ad carnis blanditias flexilis, hinc diabolus variis technis inſtructus impedimenta mille ac difficultates obiiciēs quātum poterat, eos nitebatur ab inſtituto deducere. Quid de parētibus dicā: qui ab eis ſollicita inſtātia exigebāt, vt prole domum nobilem fœcūdarēt, quę amplis opibus ſucceſſura eſſet. Timebāt ſcilicet ne fortè deeſſet, qui hæreditatem adiret, ſi domus hærede ac ſucceſſore domeſtico deſtitueretur, nec tamen his corda Deo freta concutiuntur, ſed fortiùs in Dei ſeruitio confirmata nūc mutuis ſe (vt exiſtimare licet) colloquiis cohortātur, nūc ſacris lectionibus, nunc caſtiſſimis precibus Deum ſibi, ſine quo nihil poteſt humana imbecillitas, aſciſcunt, à quo id obtinere maluerunt, vt quā cupierant cœleſtē vitā in terris adhuc poſiti conuerſatione & moribus imitētur. Hos igitur, filia tibi propono quos æmuleris potiùs, qui adhuc in Aegypto, id eſt in ſæculo dū eſſent ſpiritalis cōuerſationis loca oportuna, tāquā deſerta Synai vt ibi ſacrificātes Domino māna cœleſte guſtarent, exoptabant, quàm illorum, illarúmq; impios mores qui in deſerto, id eſt, in monaſtica vita corpore degentes manna faſtidiunt, & ollas carnium & allia Aegypti meditantes cum in croceis & paradiſi delitiis fuerint enutriti, ſtercora amplexantur.

De Paupertate. CAPVT VIII.

DEinde vt initio propoſuimus, de paupertate dicamus, quæ quidem in tātum eſt inſtituto noſtro non modo accommodata, verumetiam neceſſaria, vt ſine illa ſtare omnino non poſſit. Quid enim monachi propoſito poteſt magis eſſe contrarium aut quis ſe monachū audeat dicere, qui peculiare quippiam aut habet, aut concupiſcit: hæc eſt enim oculorū concupiſcentia, quę cū ſe ad pecunias & rem peculiarem augendam, inſuper ad ſæculi dignitates honoréſque extendit, tam profeſſioni noſtræ aduerſatur, quā quod maximè. Nemo enim qui non renūtiat omnibus quæ poſſidet, poteſt Chriſti eſſe diſcipulus, vtpote cui nec proprium corpus licet habere in ſua poteſtate. Contra hāc igitur oculorū & mundi concupiſcentiā paupertas opponitur, eam dico paupertatē, quæ voluntate pro Chriſti amore ſuſcipitur, nō quæ ob rerum inopia neceſſitate toleratur. Hāc igitur paupertate ditati à Chriſto beatitudinis nomine cēſentur. *Beati, inquit, pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnū cœlorū*: vnde & ſi multos legimus rerum abundantia locupletes, & dignitatum honoribus inſignitos, non tamē tituli huius dignitate priuati ſunt, qui virtutum inſignia ſimul cum ipſis virtutibus aſſequuti paupertatem ſpiritus retinuerūt, diuitiarúmque ſe non tam dominos, quam diſpenſatores arbitrati ſunt eas in pauperum & alios eiuſmodi pios vſus expendentes. Horum igitur qui ſunt pauperes ſpiritu alij ſunt præter eos quos diximus, qui cum diuitias in ſæculo non haberent, in voluntatem neceſſitate mutata earum appetitum, cupiditatémque pro Chriſti nomine abiicientes ſeſe ad eam monaſticis regulis obſtrinxerunt, alij verò, qui & dignitatibus & opibus in ſæculo affluentes, vt laqueos & muſcipulas diaboli & mundi pericula fugerent, relictis omnibus ſe etiam ipſi monaſterij clauſtris abdiderunt eligentes cum Chriſto pauperes potiùs & abiecti eſſe in domo Domini, quàm ſeruandis aut cumulandis mundi huius diuitiis atque honoribus implicari. Nam cum infirmitatis propriæ ſibi ipſi ſint conſcij, timēt vtiq; ne ſibi quoq; quod ſolùm pleriſq; eueniat, qui cenſum ſuū non ſine animi ſui captiuitate retinentes, tū maximè cū poſſidere ſe credūt, poſſidētur potiùs ipſi pecunię nō tā Domini quā pecunię mācipati. Præterea quoniā iter illud quo in cœlū aſcenditur arduū eſt atq; anguſtū, difficile

ficile eſſe putãt Chriſtũ pauperẽ per illud ad ſublimia ſcãſuros, qui patrimonij vinculis detinentur, neque fieri poſſe vt quis indiuiduis Chriſto nexibus hęreat, qui terrenarum rerũ curis diſtrahitur, cupiditatibúſq; illigatur. His ergo ſoluti ac liberi, ne vinci à ſæculo poſſint, nihil in ſæculo vnde vincerentur, habere voluerunt. Eiuſmodi ſunt monachi & monachæ, ſi tamen ſuæ profeſſionis memores non habitum fruſtra & nomen inane ac ſterile ſibi vendicent, paupertatemque ipſam non tam rerum penuria, quam animo & voluntate metiantur, vt non ſatis ſibi eſſe arbitrentur, ſi propriũ nihil poſſideãt, & ad res vſibus ſuis conceſſas ita animũ adiecerunt, vt eas etiam à ſuis prępoſitis auferri, ægrè moleſtéque patiantur. Paupertas enim, vt antea diximus, quã Chriſtus beatificat, ſpiritus humilitate & rerũ contẽptu voluntario cenſenda eſt. Quem contemptũ cum abiectione ſui ipſius quantò quis ardentiùs pro cœleſtiũ rerum amore fuerit aſſequutus, tantò ad Chriſtũ propiùs accedet, in cuius imitatione totius humanæ profectionis ſumma conſiſtit. Qui cũ tam diues eſſet, vt non rapinam arbitraretur ſe eſſe ęqualem Deo, attamen tanta eius in nos benignitas & charitas fuit, vt ſemetipſum formã ſerui accipiens exinaniuerit, in qua parum illi viſum, ſe nobis hominẽ exhibere, niſi etiam in aſſumpta humanitate tã arctam pauperiẽ ſuiq́ue contemptũ eligeret, vt ab ortu ſuo vſque ad occaſum ſol iuſtitiæ cũ diuinitatis ſuæ ſignis æditis reſplenderet, maluit tamen obſcurus & ignobilis, immò omnium abiectiſimus, & inter pauperes pauperrimus, quam inter nobiles illuſtris, & inter diuites opulentus ac locuples exiſtimari, vt interea ſileam quod inter iniquos quaſi nequiſſimus mori voluerit. Quod ideò fecit rex regũ, & dominus dominantium, vt humanæ ſuperbiæ faſtũ elideret, quæ mundanæ concupiſcentiæ facibus æſtuans, quantò altiores gradus ambit dignitatũ atque honorum, tantò magis in ſe cœleſtis originis dignitatem decúſque deprimit, conteſtãte hoc ipſum domino: *qui ſe (inquit) exaltat, humiliabitur?* Qui verò erronea vulgi opinione contẽpta ab ipſa domini pẽdet auctoritate, exemploq́; prouocatus rerũ inopia gaudet, cognoſcit vtique neminẽ rebus mundi ditiorẽ fieri, quam is qui eas ex animo nouit cõtemnere, neque ſublimiori dignitatis gradu tolli quẽquam, quàm eum qui pro amore cœleſtium de terra in crucem ſublatus, cum Chriſto terrenæ ſublimitatis honores pro nihilo ducit. Nempè qui quo magis crucis paſſiones participat, eò propius ad Chriſtum ſimilitudine accedens clariùs fœliciuſque ſublimia ęternáque contempletur. Quocirca te hortor & me vna tecum filia, vt verè & ex animo contemptis fallacibus mundi huius diuitiis per beatæ paupertatis tramitem ad veras illas & immarceſſibiles diuitias feſtinemus. Nemo ditior eſt, quam qui pro Chriſti amore diuitiis ſpretis humili paupertate lætatur, nemo nobilior, quam qui propter Chriſtum à mundo contẽnitur. Summa enim nobilitas eſt obſcurum mundo inter cœli ciues cœleſtis regni participatione cenſeri. *Beati enim pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Vnde cauendum eſt, ne nobis obrepat inepta illa, & à noſtro propoſito tam abhorrens & aliena cogitatio, quæ pleróſque noſtræ huius infœlicis ætatis monachos & monachas inceſſit, in eumque errorẽ adduxit, vt ſibi perſuadeant ordinis regulam ſeruari nõ poſſe, niſi illic, vbi rerum abundantia ſuppetit: hinc iam apud illos tritum eſt hoc ſermone prouerbium: *vbi abundãtia, ibi obſeruantia* (ita enim vocãr) ſine qua nec ſilentium, nec reliqua monaſticæ inſtitutionis diſciplina poſſit cuſtodiri, vt potè quod inde murmurationum oriatur occaſio, & querimoniis domeſtica pax & tranquillitas obturbetur. O miſerandam noſtri temporis cõditionem.

Quid ad rebellis illius hebræi populi exemplar expreſſius? qui de Pharaonis ſeruitute liberatus ollas carniũ & cœpas & alia recogitãs murmurationibus ducẽ ſuum tã ſæpe fatigãdo çũ deſertum corpore incoleret, Ægyptũ mẽte repetebat. Itáne igitur paupertatis inſtitutũ ad hoc aſſumpſiſſe videmur, vt ſub eius titulo rebus omnibus abũdare velimus, in Ægyptũ ſcilicet, id eſt, in mũdũ animo reuertẽtes ſolo in monaſt. ſolitudine corpore cõſtituti? Quare non magis cũ Apoſt. Paulo, imò cum Chriſto ipſo diſcimus penuriã pati? vt etiã ſi monaſt. prouẽtibus ditatũ ſit, nos tamen Chriſtũ dominum imitãtes, iis pro amore paupertatis eatenùs vtendũ putemus, quatenùs naturæ nõ cupiditati, ſed neceſſitati ſatisfiat. Natura enim paucis minimiſque contenta tẽperantię finibus facilè coercetur, cupiditas verò nullis terminis cõtenta quanto plura poſſidet, tãto plura cõcupiſcit, animũ quę per varia & diuerſa diſtendẽs quietũ eſſe nõ ſinit. Solũ ea nõ quærit, quę ſe adipiſci poſſe diffidit. Hinc illa eſt in cœnobiis eorũ dico atq; earũ, quarũ inueterata mẽs difficile poteſt noua meditari, & quibus pro regula eſt propriæ volũtatis deſtinatio, tã importuna (ne dicã procax) rerũ etiã ſuperfluarũ & à ſuo ſtatu ordineq; abhorẽtium exactio. Quæ ſi quid fortè quod ad corporis cultũ pertinet, aut fuerit prætermiſſum, aut nõ ex animi ſui ſentẽtia conſequantur, murmurationibus & querelis cõplẽt omnia, in tantũ earũ mẽtes & ingratitudo & vocationis ignoratio excœcauit. Nã & ea ſibi alimẽta & ornamenta depoſcunt Chriſti, ſcilicet pauperes, quæ neq; forſan in paternis fuerãt domibus habitura. Noſti ſoror quid dico, & quas tibi nutu ſignifico. Itáne igitur monaſticæ profeſſionis virginitatiſque propoſitũ arripuiſſe videntur, vt ſibi perſuadeant eã ſeruari nõ poſſe, niſi abundè ſibi omnia ſuppetãt, vt lautè mollitérq; epulẽtur, & vt puppę ornatę incedant? Sed his omiſſis, quę laruas magis, quàm quod nomine cenſentur, mũdo exhibent, nos cogitemus quales nos eſſe oporteat, vt quod nomen ipſum & habitus ac tonſura promittunt, præſtare poſſimus, ne ſi per ea mentiti Deo fuerimus graues pœnas pro iniquitate ipſa & grauiores pro ſimulata æquitate luere compellamur. Nos igitur iis quę naturæ vtcunq; ſatisfaciunt cõtenti, ſuperflua quæ cupiditas appetit, reſpuamus. Satis enim eſt ſeruis Dei eatenùs rebus vti, quatenùs naturæ ne ſuccũbat, ſuccurratur. Neq; enim ob id monaſt. prędia aut reliqui prouentus dati fuerunt, vt illorũ vſu ſuperfluo ſub paupertatis nomine inſoleſcamus, quandoquidẽ rerũ diſpẽſationẽ nobis creditã potius quã poſſeſſionẽ in noſtrã poteſtatẽ redactã debemus exiſtimare, & aliena nos quodãmodo rapere, ſi profutura pauperib⁹ nobis inutiliter aut (vt dicã veriùs) crudeliter vẽdicamus. Quòd ſi etiã rerũ penuria nos ad tãtã inopiã adegerit, vt victui neceſſaria deſint, & labore manuum frugalẽ, ſit neceſſe vitã trãſigere, tũ maximè ex animo Deũ laudare, & eo maiore gaudio exultare debemus, quod dignos nos deputet, qui auaritia & diuitiarũ inexplebili cupiditate reſtincta Chriſti veſtigiis inſiſtimus, & hoc quidẽ tãtò propius, quãntò tenuiore victu & cultu vitã degimus. Vtquid igitur nos per beatæ paupertatis anguſtias Chriſtũ ſequi, quãdo hęc ſolavia eſt, quę ducit ad vitã? Ipſe enim via eſt, ipſe veritas, ipſe vita, ipſe inquã dux eſt, quẽ ſi ſequimur, nunquã aberrabimus. Ipſe enim ait: *Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* Cui lumini quantò quis appropinquat, tantò ſeipſum & Deum clariùs intuetur. Qua cognitione & intuitu quid eſt, quod homini fœlicius aut neceſſarium magis poſſit cõtingere? Cùm enim ad hoc homo ſit cõditus, & ad imaginẽ Dei factus, vt factorẽ ſuũ agnoſcẽs illũ debito cultu veneretur, ne videlicet ingratus dum ignorat Deũ, per inextricabiles tenebras oberrando cœleſtis originis ſuæ decus nobilitatemque deprimat,

neceſſaria illi lux eſt, cuius ſplendore illuſtratus honorem huius tam nobilis originis ne ab ea degeneret,& viam qua tutus incedere poſſit,agnoſcat. Lux verò ipſa(ſæpè enim dicendum eſt)& via & veritas magiſter idem & liber eſt, liber,inquam vitæ,in quo qui ſcriptus non fuerit, mittetur in ſtagnum ignis, vt ſacra nos eloquia docent. Quare in id operam demus, vt in eũ mereamur adſcribi. Quod vtique fiet, ſi hunc ipſum librum die noctuque corde,ore & manibus,id eſt,operibus verſemus,& inſtituta viuendi quæ nobis factus homo tradidit,& exemplo monſtrauit, ſeruare contendamus. Beatus enim qui legit & audit verba libri huius & ſeruat ea,quæ in eo ſcripta ſunt. Quid verò in eo legentes niſi omnium virtutum & ad bene beateque viuendum exẽpla diſcimus? Et cum tota illius & vita & mors tam multa nobis præbeãt documenta, attamen de infinitis pauca,hæc nobis maximè imitanda proponunt? *Diſcite,inquit,à me, quo mitis sũ & humilis corde.* Vnde & Apoſtolus Paulus,*humiliauit*(inquit)*ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem,mortem autem crucis.*

Paupertatis autem quale nobis præbuit exemplum,qui naſcens cum in diuerſorio non haberet locum cœli & terræ Dominus, pannis vilibus inuolutus in præſepio reclinari voluit, & cum in vita ſua domum in qua reclinaret caput ſuum non haberet,ne quod nobis amplexandæ paupertatis incitamentum deeſſet,nudus in cruce mori dignatus eſt. Erubeſcant igitur qui paupertatem profitentes ita volunt eſſe pauperes,vt nil ſibi deeſſe patiantur,& quod intolerabilius eſt,rerum abundantiam quærunt.

Patientiam verò & malorum tolerantiã qualem habuit, cuius tota vita ab ipſo temporis inſtanti quo in vtero virginis matris cõceptus eſt,paſſionibus affligi cœpit, quibus aſſiduè fatigatus quandiu in corpore vixit in hoc mundo,nos docuit quod ij qui piè volũt viuere,deriſiones,opprobria,cõtumelias criminationes falſas & proſequutionum dolorumque mille genera patiantur & quod in cœlũ non lato aut facili,ſed anguſto & difficili itinere peruenitur.

De charitate quam nobis pro nobis tam vilia,tam acerba,& tam aſpera tolerando dignatus eſt exhibere,quid dicam? Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis, nos autem cũ inimici eſſemus,reconciliati ſumus Deo Patri per ſanguinem eius.

Ad ſimplicitatem etiam nos hortatus eſt,*eſtote*(inquit)*ſimplices ſicut columbæ, & niſi efficiamini ſicut paruuli,non intrabitis in regnum cœlorum.* Vult pius Dominus & magiſter,vt inſtar columbæ ſimplices ſimus, ne ſcilicet prudentia noſtra carnalis aſtutia ſit,& ſimus de quibus dicitur:ſapientes ſunt vt faciant malum. Vnde & in libris ſapiẽtiæ ſcriptum eſt, in ſimplicitate cordis quærite illum,ſcilicet Dominum,quoniam inuenitur ab iis, qui non tentant illũ. Diſcamus ergo Chriſti exemplo & doctrina admoniti tales eſſe in quibus nulla duplicitas,nulla ſimulatio aut fictio ſit, vt ſermoni noſtro & habitui cor noſtrum & conuerſatio ſancta reſpondeat. Hoc enim pacto verum lumen mundo præbebimus,ad quod & ipſe nos exhortatur. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes*(inquit)*in manibus veſtris* & item,*ſic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Id autem præſtare poterimus,ſi eius veſtigiis inſiſtemus, qui vera lux cum ſit,illuſtrat omnem animam inhærentem ſibi, vt de nobis meritò dici queat, quia ſumus lumen mundi & lucerna, quam non ſub modio,ſed ſuper candelabrum poni oporteat, vt luceat omnibus qui in domo ſunt. Appropinquemus igitur huic lumini,vt qui tenebræ ſumus in nobis,lux efficiamur in Domino,& in eo qui in humanitate via nobis factus eſt, vſque in finẽ ſicut ipſe

nos operibus & verbis admonuit,perſeuerantes ſic in ipſum transformemur, vt mũdo mortui nil niſi Chriſtũ corde,ore & opibus ſpirare videamur. Quid hac morte fœliciùs? Quid Chriſtiano homini exoptandum magis, quam vt omnibus concupiſcentiis mortuus vitam ſuam cum Chriſto habeat abſconditam:in Deo,& in nouitate vitæ ambulans ſola quæ ſurſum ſunt quęrat,quę ſurſum ſunt ſapiat,non quæ ſuper terrã?Vt cum Chriſtus apparuerit vita eius tunc & ipſe poſſit apparere cum illo in gloria.O mortem igitur in conſpectu Domini pretioſam. Quid in nobis adhuc miſeri viuimus,vt infœliciter moriamur?Quid nõ magis hic mori cõtendimus,vt viuẽte Chriſto in nobis,nos in illo & cum illo perpetuò viuamus?Nam huius mortis nos tonſura & habitus admonet,hanc propoſitum noſtrũ requirit,& profeſſio noſtra promittit. Caueamus igitur ne mẽdaces, fallaceſque inuenti dum bis peccamus, pro impietate,& ſub pietatis habitu & nomine pœnam duplicẽ pro ſimulata pietate referamus. Diſcamus ab hoc libro vitæ fallacis huius mundi ſuauitate contempta æternæ fœlicitatis ſitire & guſtare dulcedinem.Diſcamus quanta ſit animæ noſtræ dignitas,quanta præſtantia, quam Chriſtus Ieſus pretio ſui ſanguinis æſtimauit,& dedignemur eam terrenarum rerum contagiis ac ſenſuum carnis illecebris inquinari, inquietamque fieri, cui Deus imaginis ſuæ ſigillum impreſſit,& quam ex Euangelio Chriſtus ad requiem pacemque inuitat. *Venite(inquit)ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Tollite iugum meum ſuper vos,& diſcite à me non mortuos ſuſcitare,nõ ſuper mare pedibus ſiccis incedere,aut alia patrare miracula,ſed quia mitis ſum & humilis corde. *Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue*, & inuenietis requiem animabus veſtris.Quis obſecro durior labor,quæ inquietudo moleſtior, quàm animæ terrenarum rerum & ſenſuum carnalium cupiditate languentis? Semper egens deſideriis ſuis ad diuerſa diſtrahitur, dumque in his rebus requiem quærit,quæ inſtabiles cũ ſint & caducæ,in eis non poteſt conquieſcere, continuaque quaſi fame laborãs quantò magis eam ſatiare ſtudet, tantò acrius irritat, tanquam ſi quis ſalſamentis ſitim velit extingere. Nihil enim quod minus Deo eſt, animam Dei capacem poteſt implere. His igitur ex animo derelictis ad huius libri ſtudium accedamus, huius magiſtri tã piè nos ad ſe inuitantis præceptis obaudientes abſcõdamus eloquia eius in corde noſtro,eorum iugiter memores ſimus, vt diſcamus ab eo quia mitis eſt & humilis corde,& quia pro nobis factus eſt obediens vſque ad mortem,mortem autem crucis.Ita enim fiet vt doctrina eius & exemplo prouocati extremam pauperiem contemptum noſtri,& vitæ huius quæ tota tentatio eſt,alia mille incommoda libenter tolerantes iugo ipſius cum gaudio colla ſubmittamus. Quod eſt tertium votũ,de quo nos ab initio dicturos promiſimus.

De Obedientia. Caput IX.

Eſt igitur obedientia proprię volũtatis ſubiectio propter Deum ſuperioris arbitrio exhibita.Cùm enim ea ſit,per quam ad Deum nobis redeundum eſt,à quo per tranſgreſſionẽ & inobedientiam receſſeramus, neceſſe eſt, eam ab iis inſtitutis quæ ad benè beatéque viuendum accommodata ſunt,nõ diſcrepare.Cæterum ſuperiores duæ partes de quibus antè diſputatum eſt,obiectæ ſunt ferè ſingulæ ſingulis vitiis,nempè caſtitas vt libidinem & carnis cõcupiſcentiam vincas, paupertas vt concupiſcentię oculorum frænum imponas,ne ſcilicet diuitias mundi huius aut opes honoréſve ambias. Obedientia tam latè patet,vt ambitu ſuo virtutum omniũ officia complectatur. Eſt enim ea virtus, quæ Chriſti exẽplo vera humilitate & Dei amore fundata ſuperbiã

vitæ

vitę expugnat. Superbia verò omni peccati initiũs eſt, peccare autẽ quid aliud eſt, quàm per trãſgreſſionẽ diuinæ legis & inobediẽtiã à Deo deficere? Neque enim peccatũ eſt vllũ, quod nõ ſit volũtariũ, noſtra enim volũtas ipſa eſt, quę ſuperba & cõtumax Dei mãdatis cõtẽptis ad vitia flectitur. Quare qui obediẽtiã perfectè fuerit aſſequutus, per quã ſubiugata propria volũtate ſuperbia elidatur, omniũ tũ preſentiũ, tũ futurorũ materiã bellorũ ſuſtuliſſe videbitur. Nã cũ tot nobis in via Dei promouere volẽtibus inimici obſiſtãt, nullus tamẽ eſt à quo maius nobis grauiúſq; diſcrimem immineat, nullũ inſtrumentum quo ad deiiciendos nos malus dæmon accommodatiùs habeat, vt potè ſine quo ſuę fraudis malignitatiſque conatus fruſtra intẽdat. Denique quam multos videas, qui ieiuniis vigiliíſque intenti carnẽ macerare didicerunt, multos etiam qui potentia & honore contemptis, ſpretis diuitiis paruo contenti victu tenui vitam degunt, vt præclarum ſanctitatis ſpecimen de ſe exhibere viderentur, ſi vt exteriora hęc ita etiã interiora virtutũ exercitia cõplecterẽtur, id eſt, vt nõ minus per humilitatẽ & obediẽtiã inſolẽtes animi motus cõpeſcere, & per verã ſui abnegationẽ ſeipſos tã benè quã mũdana hæc cõtinere didiciſſent. Sed quoniã in his elaborare permagnũ eſt, & victoria nulla difficilior ac præclarior eſt, quàm eius qui animo & volũtati nouerit imperare, vt Chriſtũ ſequẽs perfectè ſeipſum abneget, paucos admodũ inuenias, qui cœleſtis vocationis beneficio vtẽtes hac multorũ capitũ bellua ſuperata ad vitã illã ſpiritualẽ cęleſtẽq́, poſſint euadere. Multi ſiquidẽ ac multæ ſunt, qui ab ipſo ſtatim tirocinio ſpiritalis huius militiæ intẽti diſciplinis vehementi quodã nixu affectúque ardẽtiſſimo perfectionis inſtitutũ vidẽtur arripere, ſed dũ ſe id aſſequi poſſe cõfidunt, ſi propriis potius quàm ſeniorũ cõſiliis ac diffinitionibus obſequantur, continuò lumine cæleſti & feruore reſtinctis, tepefacti ab inſtituto itinere ſuis volũtatibus reuocãtur, oſtendẽtque ſpiritale ædificiũ ſua ipſorum prudẽtia quaſi debili atque infirmo fundamẽto innixũ diutiùs durare nõ poſſe. Cũque in turpiſſimos errores lapſi fuerint, aliis exẽpla edũt, neminẽ in via Dei vitáque ſpiritali progredi cupiẽtem ſuo iudicio, ſed maiorũ conſiliis debere inniti. Si aliquos igitur excuſſo cucullo aut aliquas abiecto à ſe virginali flammeo videris profugas & vagas à facie domini diuerſis generibus mortis obiectas de nuptiis cogitare, aut in cœnobiis corpore tantũ perſeuerantes in teporem atque ignauiã turpiter reuolutas, garrulas, loquaces, querulas, ſuſurrones, diſcordiarum authores, intemperantiúſque agere quàm in ſæculo fortè ſi eſſent, nihilo magis mirum videri debet, quàm ſi hædos paſtore contempto à gregibus aberrantes luporum morſibus obnoxios fieri, aut amiſſo gubernaculo nauem excitatíſque fluctibus in ſcopulos impingere videas. Quare ſumma ope nitendum eſt nobis vt mortificata propria volũtate ſtatus noſtri ac profeſſionis vim, ſummãq́; teneamus. Parũ enim eſt exteriore habitu & corporis exercitatione perfectionem oſtendere, ſi propriæ volũtatis ac φιλαυτίας morbo laborans animus regulã ſpernens maiorũ authoritati ſubdi recuſet. In hoc ſiquidẽ Monaſtici ordinis vis tota & rerũ cardo ſitus eſt, vt regulæ ducatu & ſeniorum conſiliis regi ſe ſinat, qui diaboli tentamenta cupit euadere. Quod olim in figura præceſſit, cum plebs hebræa ab Aegypti ſeruitute liberanda & operibus abſoluenda terrenis Moyſem & Aaron itineris ſui duces habuit. Poterat quidem Deus populum ſuum per ſe ipſe ſine his ducibus à ſeruiture Pharaonis eripere, ſed hoc exẽplo nos admonuit, neminem viam Dei ingredi cupientem ſuis viribus aut ſuæ prudentiæ debere confidere, habere autem itineris ſui magiſtrum & ducem præuium, qui à Deo authoritate quaſi

virga in ſignorum vim potentiámque accepta inter vndantes vitæ huius fluctus viam aperiat, amaras pœnitentiæ & monaſticæ auſteritatis aquas dulcoret, de percuſſa ſilice fontes viuos eliciat, qui denique contra venenatorum animalium diros morſus ſerpentem æneum in eremo ſuſpendat. Alioqui, ſi non eſt cui obediat, & cuius conſilio & authoritate nitatur, ignotæ viæ difficultatibus territus, & longo tædio affectus Aegypti ollas & pepones, & allia, manna faſtidiens, cogitabit: Vnde ſuperioribus annis ego & tu in veſtro collegio vidimus quaſdam non ſine ingenti dolore, quæ dum noſtris conſiliis regerentur, talem de ſe opinionem excitauerant, vt viderentur idoneæ, quæ poſteris viuendi normam quam ſequerentur, præſcriberent, & ſuper quas domus inclinata recumberet. Vbi verò ſapere ſibi ipſæ viſæ ſunt, & excuſſa obedientia, eò veſaniæ deuenerunt, vt nil niſi quod facerent ipſe aut ſentirent, rectum putare viderentur, per abrupta vitiorum tam ferebantur in præceps, vt nullis noſtris conſiliis, monitis nullis, imò nec lachrymis quidem aut gemitibus à ſuis illis obfirmatis diffinitionibus potuerint abduci. Hinc ſuggerente amore proprio & voluntate conſultrice peſſima pro modeſtia ſucceſſit in ſermone, & vultu impudens atque odioſa procacitas, pro ſilentio & ſacræ lectionis ſtudio immoderata loquacitas curioſitáſque pro frugalitate & beatæ paupertatis amore inſatiabilis habendi appetitus, vt facilè agnoſcas virtutum omnium plenitudinem obedientia contineri, vt potè qua contempta virtus omnis elabitur. De caſtitate taceo, quam ego tametſi mihi & aliis perſuadere conatus ſum fuiſſe ſeruatã, attamen amœnior ille veſtiũ cultus & victus ſolito lautior, adde etiã & ad loquacitatẽ iocóſque ingeniũ liberius quã virgines deceat, quantã contra aliquas ſuſpicionẽ, quàm turpes rumores (falſos tamẽ) excitauerit, piget pudétque reminiſci. Nos igitur ſi re vera Deũ quærimus, & Monaſticæ religionis non ſterile atque inane nomen & extrinſeca ſanctitatis ſine ſanctitate ſigna nobis vſurpamus, hanc virtutẽ ſine qua nec monaſticus, nec vllus in toto orbe poteſt ordo cõſiſtere, sũmopere diligamus. Quod enim regnũ, quæ ciuitas, quæ deniq; domus poteſt ſine obedientia regi? Quid ſi gubernatoris imperio non obediant remiges ac reliqui nautæ? Sibi ipſe perditionis cauſa fit, qui iuſtè ac legitimè imperanti obedire non vult. Præterea ipſa rerum inſtitutio & ordo nos admonet. Cùm enim creatura omnis ita ſit à Deo creatore omniũ inſtituta, vt ab ipſo qui omnibus præeſt, accipiãt cuncta quod ſunt, quod habet, & poſſunt: tamẽ vt vnaquæque creatura proximè ad Deum imitatione ſimilitudinéque accedit, & in Dei conſortium tranſiens pro ratione ſuæ ſubſtantiæ & ordinis diuini in rebus perficitur, ita maximè inde accipit, quod inferioribus ſubditis gradibus cuique pro merito & captu ſuo conceſſum ſibi tradat tantæ excellentiæ munus, vt cuius participatione ipſe euaſit in Deum, ſequentes ſe ſubiectos & inferiores pertrahat ſecum, qui & ipſi minores in anteriora promoueant, illíque itidem perpetuo ſucceſſu ad altiora & maiora nitentes proueh̃dis etiã aliis duces pro viribus fiant. Ita enim in ſacris illis cœleſtiũ hierarchiarum & beatorum ſpirituum ordinibus, vt diuus inquit Dionyſius, maiores Angeli minoribus præſunt. Sed & terrenis cœleſtia, & irrationabilibus rationabilia Dei iuſſu & ordinatione dominantur. *Faciamus* (inquit) *hominem, vt præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli & cũctis beſtiis terræ.* Et Paulus Apoſtolus: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Sunt enim humanarũ poteſtatũ Eccleſiaſticorúmq; graduum functiones ad imitationẽ cœleſtium ordinũ inſtitutæ. Vt qui purgata & illuminata mentis acie eũ

perfectio

perfectionis gradū ſunt aſſequuti,vt diuini muneris participatione ad Dei cōſortium prout captus vniuſcuiuſque eſt euaſiſſe mereantur,minores ſe & ſibi ſubditos purgent,illuminent,& ad ſimilem quoque diuini conſortij participationem vnumquēque pro merito & perſonæ captu doctrina & bene inſtitutæ vitæ exemplis transferre conētur.Nam cū *Omne donum perfectum ſurſum ſit deſcendens à patre luminum:* vult tamen Deus,vt ad nos ille ſplendoris ſui radius per gradus medios influat,vt per obedientiæ viam nos ad ſe reducat,qui longè ab eo per inobedientiam receſſeramus. Iuſtum enim valdè eſt, vt qui Deum rebelles ac proterui cōtempſimus, homini propter Deum nos cum omni ſubiectione & obedientia ſubmittamus.Huius autem virtutis infimus gradus eſt (nam tres ſolent aſſignari)eorum qui pœnę aut ſupplicij metu prępoſitis obſequuntur,in iiſque ſe tantùm obedientiæ obnoxios putāt,quæ pręcepto ab ipſis ſuis ſuperioribus iniungūtur,alia verò remiſſo ac tepido animo magiſque vſu quam volūtate vidētur exequi, qui etiam ſi non eos pudor aut caſtigationis,corruptioníſve metusadigeret,ſeſe à mādatis libēter ſubducerēt. His ſatis eſſe videtur,dū in capitale aliquod crimen per inobedientiā non incurratur, cum tamē obedientiā profeſſi non in mediocri diſcrimine verſentur propterea quod euenire poteſt,vt dum iniuncta ſibi volūt diſcutere, antequā cōſtitutum habeāt, ſintne ad ea obligati,necne,per imprudentiam in peccatū incidant.Contingítque eis quod in ſuprema alti alicuius præcipitij ora, ſiue fluminis ripa gradientibus ſolet euenire, qui cum ſe tutos temerè exiſtimant incautis nitētes greſſibus,vbi cū ſumma fuerat ſolicitudine gradiendū,ſi fortè eos aut petra non ſatis cohærēs,aut ſubter exeſa ſubtritáq; fluctibus terra pōdere affli&a ſublabendo fefellerit,præcipites eant neceſſe eſt.Propterea conſiliū ſalubre fuerit,periculū,ne in id incidamus effugere,& in omnibus, quæ diuinis legibus & profeſſioni noſtræ non aduerſantur ſimplici prōptóq; animo Prælatis obedire. Neque enim verendū eſt,ne plus æquo quid in hac parte præfectis officij præſtemus,aut ne quid excidat,aut quaſi periturū in terrā defluat,,ſi ſub Prioris aut Abbatis perſona Chriſtū nobis repræſentari cogitabimus.Secundus obediētiæ gradus eſt,dum quis ſpe mercedis illectus ad altiora nitendo de Prælati ſui præcepto non diſputat, obligatus ſit, necne , nec obedire cunctatur,donec ſub obedientiæ præcepto ſibi iniungatur, ſed quicquid iniūctum fuerit,dum à diuina lege non abhorreat,ſpe præmij prouocatus faciendum ducit , idque tāto alacriùs,quanto attentius ad mercedē retributionis animum adiicit.*Inclinaui* (ait Pſalmiſta) *cor meū ad faciendas iuſtificationes tuas propter retributionem.*Tertius gradus eſt,ſi humilis diſcipulus nō iam ſupplicij metu nec mercedis obtentu , ſed ſola Dei dilectione ſtimulatus paratus eſt obedire,neque de prompto animo ſolum,verum etiam ſummo cum gaudio & alacritate tanquā ſi à Deo iuſſum fuerit,exequi ſibi mandata contēdit. Quin etiā ad omnia quæ ſibi iuſſa fuerint,tametſi vtiliſſima grauiſſimáq; videntur,ad Chriſtum animo intentus ſe tanquam vtilem ſeruum iudicat & indignum.Hæc eſt illa,quæ vt inquit D.Benedictus conuenit iis qui nihil ſibi Chriſto charius exiſtimāt,quē ſibi exemplar, qui vſque ad mortem factus eſt obediens,proponentes, ipſum vita & moribus nituntur exprimere , nec progreſſibus ſuis terminum conſtituunt,vt quadamtenus progreſſi quaſi quibus nihil ad perfectionem deſit : non curent vlteriùs progredi. Sciunt enim quia deficiendi periculum occaſionemque incurrit , qui proficiendi appetitū depoſuerit.Præterita ergo obliuiſcentes ſe cum Apoſt.Paulo magno mentis ardore ad anteriora extendunt.Hæc autem virtus aliis atque aliis modis ſeu

gradibus distingùi ac diuidi solet, sed pauca hæc prudentius debent sufficere; iis dico, qui ex regula quam profitentur & ex Euangelio didicerũt obsequiũ hoc modo præstitũ non tam hominibus, quam Deo exhiberi. Tantũ ad hoc te hortor, filia, ne noxia securitate delusa nondum finito cursu quasi defessa, aut labore tædióque fatigata torpescas. Magna enim tibi in cœlum contendenti quantũcunque progressa sis, adhuc via restat, in qua non est tibi segniter gradiendum. Sponsionis igitur tuæ memor propositum sanctum quotidie renouans, ipsumque tuæ salutis auctorem Iesu Christo recogitans, qui proposito sibi gaudio pro amore obedientiæ sustinuit crucem confusione contempta, viam sanctæ obediẽtiæ dilatato corde atque alacri percurras, per quam ad ipsum cœlestem sponsum tuum quam poteris proximè accedas. Nam illi quantò propius similitudine obediẽtiæ accesseris, eiusque semper vestigiis insistes, tantò ipsa tibi obediẽtior eris, vt carnis petulantes atque insolentes motus rationi obtemperent, imò & creatura omnis quæ Dei est ordinatione & instituto homini subiecta, tibi quod de multis sanctis legimus, obsequentior erit, & quod maius est, Deus ipse tuis optatis exorabilior fiet. Ipse enim (vt nos sacræ admonent scripturæ) voluntatẽ timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos. Et iustum vtique videtur esse, quãdoquidẽ ij qui eiusmodi sunt, ita cor suum in Deo fixũ habẽt, & ita diuinæ fiũt voluntati cõformes, vt voluntas Dei & ipsorum quodammodo vna sit, nec nisi quod Deus vult, velle possint. Vnde quæcumque illis imperantur, siue vilia sint, siue dura ministeria, quæcũq; etiã eueniũt, aut prospera aut aduersa tãquã de manu pij patris non solum libenter suscipiunt, sed cum summo etiam amore ac desiderio complectuntur. Hoc est enim quod à nobis exigit Deus: fili, inquit, præbe mihi cor tuum. Hæc illa requies, illa pax, illa libertas, ad quam nos ex Euang. Christus vocat. *Venite, ait, ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, tollite iugum meũ super vos, & discite à me, quod mitis sum & humilis corde & inuenietis requiem animabus vestris.* Quid hoc iugo per quod tãta ac talis requies, pax, trãquilitas, & libertas animi cõparatur, suauiùs potest cogitari: Propterea dicebat Hieremias, *Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua.* Sedebit solitarius, & tacebit quia eleuabit se supra se. Quam amabile iugum est hoc, quam leue & desiderabile pondus, quod portantẽ non deprimit, sed sua leuitate sursum hominem supra hominẽ vehit, & per imitationẽ humanitatis Christi & crucis mortificationem in diuinitatis ipsius consortium trãseat. Ipse enim factus homo via nobis est, à qua si nõ declinamus, per ipsum qui veritas est ad eum ipsum qui vita est peruenire poterimus. Sed quam ab hoc suauissimo Christi iugo diuersa mundanæ seruitutis asperitas? Quid enim duriùs aut grauiùs, quã propriæ voluntatis onus homini potest contingere. Hoc est enim graue iugũ quod super filios Adam impositũ est, à die natiuitatis eorum, quod hominem deorsum premẽs ne cœlũ aspiciat, nobilis illi suę originis obliuionẽ inducit. Vnde Psalmista inquit: *homo cum in honore esset non intellexit, cõparatus est iumẽtis insipientibus, & similis factus est illis.* Cũ enim hominis vis tota in animo & corpore sita sit, quorũ alterũ Deo similem, alterum cum belluis commune habet si suæ dignitatis atque honoris nobilitatẽ seruans spiritu facta carnis mortificabit, Deo viuet, & in eius adoptionem trãslatus Dei filius fiet. Si verò à nobili illa sua stirpe degenerans carnis suæ, quam cũ belluis habet communem, brutis sensibus inhærebit, in delitiis carnalibus viuẽs, Deo mortuus in belluarum transit quodammodo naturam. Vnde nil nisi quæ diuinæ voluntati cõtraria sunt appetentes fit sibi ipse grauis molestúsque. *Quare* (inquit Iob) *posuisti me*

ſti me contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi grauis? Nihil enim grauius quã ſeipſum homo patitur cum ſuæ voluntati addictus cupiditatibus ſeruit, quæ cum aliæ aliis ſuccedant, nunquam mentem ſinunt quieſcere, tantóque à vera fœlicitate longiùs excurrit, quantò auidiùs miſer falſitate deluluſus eam quærit, vbi reperiri non poteſt. Voluntas enim propria ſibi annexam habet pœnam, vel magis ipſa ſibi pœna eſt. Quare excuſſo hoc iugo grauiſſimo feſtinemus in illam ingredi requiem, vt ſumma libertate dignati ſola Dei voluntate nitamur fruamurq;. Hoc enim modo ſedatis aut frænatis paſſionum motibus fit homo quodammodo æternus incommutabiliſque, vt eum ſic Deo inhærentem nulla neque proſpera neque aduerſa à tranquillo mentis ſuæ ſtatu poſſint dimouere. Hinc eſt, tanquam huic mũdo ac ſibi ipſe mortuus deriſiones, opprobria, & grauiſſima quæquæ non curat quaſi qui ea minimè ſentiret, quia non viuit ipſe in ſe, ſed viuit in eo Chriſtus, qui in corde ipſius per fidem & charitatem inhabitat. Hæc eſt vitæ cœleſtis atque Angelicæ conuerſationis imitatio, hæc illa mentis ad quam nos hortatur Paulus, glorioſa reformatio, in qua totius Chriſtianæ religionis ac perfectionis ſumma conſiſtit, animam ita ſcilicet vnitã eſſe Deo, vt cum omnibus ſuis potentiis ac viribus totam in eum transformata vnus cum eo ſpiritus fiat, vt nil meminerit niſi Deum, nil ſentire aut intelligere poſſit niſi Deũ, & omnibus aliis affectibus expedita ac libera in ſola Dei ſui cũ amore & gaudio fruitione ſuauiter conquieſcat. Anima enim noſtra) vt ante diximus, & ſæpè ne excidat nobis, eſt repetendum) his tribus potentiis memoria ſcilicet intellectu & voluntate ſanctæ Trinitatis refert imaginẽ, quæ tunc verè Deo ſimilis aut (vt ita dicam) Deiformis efficitur, quando perfectè iuxta menſuram ſuam ſiue inditam ſibi capacitatem ratio Deum intelligit, qui eſt ſumma veritas, voluntas perfectè afficitur ad Deũ amandũ, qui eſt ſumma bonitas, & memoria plenè occupatur ſeu abſorbẽtur in Deo, qui eſt ſuprema fœlicitas. Quod eò faciliùs aſſequitur, quo per mortificationẽ cõcupiſcẽtiarũ carnis, oculorũ, ac propriæ voluntatis, & per fidem, ſpem, & charitatem interioribus ſenſibus reformatis Chriſti veſtigiis magis inhæret. Vnde fit vt in omnibus creatis rebus occaſionẽ quaſi ſcalam, qua ad Deũ conſcẽdere poſſit, inueniat, quæ aliis qui his inordinato amore creatore cõtẽpto inhiatur, vẽtriſq; fœdiſſimę ſeruituti totos ſe dediderunt, ruinæ materiã prębent. Cæterũ etſi virtutum omniũ conatus ad id videntur intendi, tamen quia per ſe ſine adiutorio Dei debilis eſt atque imbecilla noſtri laboris quantacumque diligentia, peculiare id orationis eſt mun⁹, vt toto affectu anima & toto intellectu ac memoria trãsferãtur in Deum, & Dei ope ab omnibus terrenis abſtracta ſolis innitatur cœleſtibus, ita vt ne poſſit quidẽ nedum nolit aliud ſentire quam Deum. O beatam igitur & fœlicem illam animã, quæ in ſola Chriſti didicit cruce gloriari, quæ ſe ſe ita mortificat, vt ab omnibus alienis affectibus abſoluta, peccatis mũdata, corde quieta, & ab omni timore ſecura paupertate, abiectione, obedientia & doloribus nitens Chriſti vias ingreditur, & ita Chriſtum induit, vt iã non ipſa viuat in ſe, ſed Chriſtus viuere videatur. Ipſa eſt, quæ orationis, ac cõpunctionis ſtudiis aſſueta diuini luminis ſuper ſplendentes radios & ſpiritualia meretur dona percipere, quibus dicata memoria, illuminata intelligentia, & inflãmata diuino amore volũtas ea quæ ſurſum ſunt, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, quærere & ſapere conſueuit. Ipſa eſt quæ diuina adoptione digna effecta cœleſtibus talamis idonea reputatur. Ipſa vinea domini Sabatoth, non illa quæ expectata eſt, vt vuas fáceret, ſpinas fecit, ſed quæ floribus

vernãs dedit odorẽ ſuum. Ipſa hortus Dei concluſus, in quo liliũ caſtitatis, roſa pudoris, viola humilitatis, & diuerſi generis virtutum flores renitent. Ipſa, inquã, templũ domini eſt, ipſa tabernaculũ, quod inſtar illius fabricatũ, cuius exemplar in Caluariæ monte monſtratũ eſt, Deo inhabitatore lætatur. Vox enim exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorũ reſonare conſueuit, qui hãc vocem meritò ſibi poſſunt vſurpare: *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.*

Habes à ſpirituali patre, filia, & inſtitutore tuo munus paternæ in te pietatis atque beneuolentię euidens ſignũ, ſed nec minus, vt ego arbitror, tuis vſibus opportunũ. Quod ſi tu eo animo acceperis, quo à me profectũ non ambigis, & in eo te exercendo oblectabis, ea tibi poteris auctore Deo commoda comparare, quibus profeſſionis tuæ memor vim eius efficaciãq; cognoſcens diſces non inani ac ſterili nomine tantũ quantũ nominis vera ac ſolida virtute in domino gloriari. Quid eſt monachus? aut monacha, niſi expiatum os, (vt initio diximus) & caſtificatum corpus, & animus in Deũ ſemper intentus, diuinóque lumine irradiatus? Vnde infœlicitas horũ temporum me vehemẽter piget, pudetque quod tã ràros inuenias, qui vim ſuæ profeſſionis agnoſcãt, ſatis ſibi ſcilicet eſſe rati ſi exterioribus indiciis tantũ monachos aut monachas referant, tanquã qui artis inſtrumenta teneant, artémq; ipſam omninò ignorẽt. Qui ſocordiæ ſuæ atque ignauiæ ineptas cauſas afferentes de natura ſua ſcilicet conquerũtur, quaſi quæ imbecillior facta eos impediat, ne ad ſublimẽ illũ perfectionis gradum aſcẽdant, ad quem ſanctos olim noſtri ordinis viros & fœminas legimus perueniſſe. Quaſi verò ea res robore corporis magis quàm animi virtute & voluntatis propoſito perageretur, aut tanta regulæ eſſet auſteritas, quã etiam debiles ferre non poſſent. Quibus tamen ipſis quomodo aut graui ſenio, aut omninò inualida mẽbrorum debilitate pręmũtur, regulę quæ diſcretione pręcipua eſt, auctoritas proſpicit. Nos igitur quod ad corporis vires attinet, eas prout natura & captus noſter ferre poteſt, ſecũdum præſcriptas à regula nobis leges exerceamus, neque nos φιλαυτία fallaci blandimẽto decipiat. Multa enim adiuuante Deo poterimus, ſi integrè perfectéq; voluerimus. Nec eſt quod tam naturã ipſam cauſari quaſi debilem, quã ignauiam noſtram quaſi rebellẽ accuſare debemus. Itaq; in id ſummã operam demus, & qui profeſſionis noſtræ voto euangelicam profeſſionẽ ſectari promiſimus, antiquos patres noſtros imitantes, ſi eos æquare non poſſumus, ſaltem voluiſſe videamur. Vale. Lerinæ. 1548.

Dionyſius Faucherius Monachus Lerinenſis optimo viro Andreæ Syluio. S. P. D.

CVm tu nuper ad nos diuertiſſes, propoſitis paucis quibuſdam de Chriſti domini noſtri paſſione verbis quaſi notis ſiue punctis, rogaſti me, vt ex iis, cum grauida ſententiis viderentur, ſumpta occaſione argumentum dilatarẽ, tibique aliquid ſcriberem, quod & paſſionis ipſius memoriã menti tuę altiùs imprimeret, & ad diuinum amorem affectum vehemẽtius inflãmaret. Digna profectò homine Chriſtiano, & eo cui nihil Deo charius eſt peritio. Inde enim interioris hominis ad imaginẽ Dei Creata ſubſtantia reformatur, cum ſeſe ad Chriſti exemplar formauerit. Vnde enim intellectus hominis ad ſui & Dei cognitionẽ illuminari clariùs, vnde à terrenis ad cœleſtia memoriã ſubleuari facilius, vnde voluntas & affectus in diuinum amorem inflammari ardentiùs poſſit? Sed doleo non eſſe in me facultatem, quę pio ſanctoq; deſiderio tuo reſpondeat. Nempe quod ea res eiuſmodi eſt, quæ vt pro ſua dignitate tractetur hominẽ magis in ſpiritalibus ſtudiis diuiniſq; meditationibus exerci

exercitatum quã ego ſum, requirere videbatur. Attamẽ quia mos tibi gerẽdus fuit meã operã tanta inſtantia poſtulanti, meum hoc qualecumque ſtudiũ eo animo accipies, quo à me profectũ cognoſcis. Vale. Lerinæ Idibus Oct. 1549.

O paſſio magna, ô profunda vulnera, ô effuſio ſanguinis.

Dionyſij monachi Lerin. ad Andream Syluium de paſſione Chriſti meditatio.

CVm reparationis noſtræ & ſalutis totius ſumma in Chriſti paſſione conſiſtat, magnum maximæ ingratitudinis, imò verò impietatis præ ſe fert indicium quicunque cenſetur vocabulo Chriſtianus, nec tam ingentis beneficij memoriam habet. Idcirco enim tãta pro nobis paſſus eſt Chriſtus, vt amoris illius erga nos memores illum redamemus. Quod ab iis rectè fit, qui caſtis moribus & vita piè ad eius imitationem exemplarque inſtituta illum conantur exprimere. Vnde beatus Petrus Apoſtolus: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis (inquit) vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Et diuus Paulus. *Imitatores Dei eſtote (ait) ſicut filij chariſſimi, & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo.* Et alibi: *imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti,* & item, *Empti eſtis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro,* id eſt, veſtra bona & ſancta conuerſatione portate imaginẽ cœleſtis hominis, ſicut portaſtis olim imaginem terreni. Vnde enim cœleſtis cõuerſationis exemplum expreſſius trahere poſſumus quam à Chriſto? qui idcirco ad nos in carne aſſumpta viſibilis venit, vt nos à diaboli poteſtate & carnis operibus liberatos per ſe qui nobis dux & via factus eſt, ad cœleſtem filiorum Dei libertatem adduceret. Nõ igitur nos pigeat per eius anguſtias ambulare, ſi ad eum qui veritas & vita eſt volumus peruenire. *Qui ſequitur me* (inquit) *non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* Quo lumine tãto quis clarius illuſtratur, quanto illi per imitationem propius accedit. Illuſtratur, inquam, ad ſui & Dei cognitionem, quæ ad vitam æternam anhelanti tam vtilis eſt & neceſſaria, vt excluſa ipſa, nulla relinquatur homini ſpes ſalutis. Quiſquis igitur cupit à mentis cæcitate & à morte animæ liberari, huic lumini appropinquet, vt videat, huic vitali fonti proximus fiat, vt viuat. Quiſquis peccatorũ pondere prægrauatus malè exactæ vitę recordatione fatigatur, Chriſtum pro ſe fatigatum meditetur, & ad eũ ſe clemẽtiſſimè inuitantẽ accurrat, cruci illius inhęreat, vt ſub illius vmbra ſpiritũ anhelus reſumat, audiat vocantem ſe, & magnam pio corde ſpem fiduciamque concipiat. *Venite (inquit) ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis.* Quiſquis ægrotus, quiſquis timoris aut triſtitiæ ſtimulis agitatus, quiſquis denique æternæ morti obnoxius deſperationis propemodũ barathro abſorptus horrẽdam illam extremi iudicij ſententiam expaueſcit, reſpiret ad Chriſtum crucifixum, & tutus erit. Ipſe enim cœcis lux, ęgrotis ſalus, laborantibus requies, peccatoribus iuſtitia & ſanctificatio, & mortuis vita factus eſt. Ad quid enim Chriſtus venit in mundũ, niſi vt peccatores à mundi laqueis per mortẽ ſuam & ab æternæ mortis periculo liberaret? Mors ergo illius & paſſio vita noſtra eſt. O igitur paſſio magna, ô profunda vulnera, ô effuſio ſanguinis, quo vulneribus noſtris medela confecta eſt, ô dulcedo dulcis, quam iuxta prophetæ vocem abſcondit Deus timentibus ſe. O mortis amaritudo, quæ diuinæ erga nos dignationis & pietatis dulcedinem demõſtrauit. Paſſio magna. Quomodo magna? moléne aliqua corporali, cum ipſa corpus non ſit? Immò verò tam magna & ingens, vt magnitudinem eius nec lingua, ſermone nec mens cogitatione conſequi poſſit. Et licet non ſit ipſa corpus, triplici tamen quodammodo dimenſione diſtenditur. Fuit enim longa, lata, & profunda. Vis longi-

tudinem noſſe? *Ieſus(inquit Ioannes) cum dilexiſſet ſuos in finem dilexit eos.* Dilectio autē eius in quo potuit euidentiùs apparere,quàm in paſſione ipſius?Paſſio verò ipſius ab eo inſtāti cœpta eſt, quo ſanctiſſima eius anima corpori eſt infuſa,& perpetuo vſque ad ſupremum habitū quoniā inclinato capite ſpiritum emiſit,eum torſit variéque vexauit. Nam cū eſſet anima eius ab ipſa ſua creatione & infuſione in corpus diuinitati coniuncta,ſapiētia plena fuit. Vnde in vtero adhuc matris exiſtens noſtræ ſalutis myſteriū cœpit operari. Nā etſi quantum ad ſupremam portionem quam mentem ſeu ſpiritum vocant, Chriſtus iam cōprehēſor erat, & Deo intuitiua cognitione ſeu viſione fruebatur,attamen quia ſpontè paſſionibus ſubiectus eſſe voluit,pars animæ eius inferior quam ſenſitiuā dicunt, cœpit iam tunc ſentire (& ſi non ſenſu corporis)imaginatione tamen magnum dolorem,cum ſciret ipſa præuideretque vniuerſas & ſingulas pœnas,quas pro nobis in carne erat perpeſſura. Præuidebat ſiquidem extremam paupertatem labores,ſudores,laſſitudines,famem ſitim & innumera alia corporis incommoda, contemptum præterea & blaſphemias &tam inſignes quæ ſibi poſtea ſunt illatæ iniurias.Vnde ab ipſa ſtatim natiuitate ſua locus illi qui cœli & terræ Dominus eſt, in diuerſorio defuit,& in præſepio reclinatus egeſtatis quam in vitæ totius decurſu erat perpeſſurus, ſpecimen præbuit. Deinde cum ab impio Herode morti deſtinatus in Aegyptum profugus abiiſſet, indeque reuerſus cum patriam iudeāque incoleret,quid niſi ſupremæ paupertatis & miſeriarum noſtrarum incommoda præter pectum pertulit? Tandem verò cum poſt inita multoties contra eum conſilia,probra,inſultus,calumnias,deriſiones,ſputa,flagella, tanquam ſceleratiſſimus inter ſceleratos condemnatus in cruce prolixæ paſſionis agonem conſumauit.Et hæc quidem quantum ad paſſionis longitudinem dicta ſint. Quæ ſi non leuiter ac perfunctoriè,ſed diligenter,&(vt dignum eſt)pio gratoque animo conſiderentur, Chriſtianam admonet mentem non facilè vitæ huius quæ tota tentatio eſt,tribulationibus cedere,ſed fortem in Dei ſeruitio perſeuerantémque vſque in finem patientiā præſtare. Vt nimirū diſcat Chriſtianus propriæ ſaluti inuigilans toto pectore fieri,quod vocatur.Quod tum rectè fiet cum benefaciens Chriſti exemplo mala patietur. Quis enim nullis incommodis afflictionibus quæ perferendis Chriſtianum ſe audeat dicere? *In patientia veſtra*(inquit)*poſſidebitis animas veſtras.* Neque verò dignum eſt vt diuus Bernardus ait, vt ſub ſpinoſo capite membra delicatè ac molliter viuāt. Qui ergo Chriſtiani nomine gloriatur,ne inanem ſibi hunc titulum ac ſterilem vēdicet,in Chriſti cruce aſſueſcat cū Apoſtolo gloriari.Videlicet vt tentationibus nullis cædat, & tribulationibus, perſequutionibúſque impetitus de conſtantiæ ac patientiæ gradu non facilè deturbetur. Hoc eſt enim Chriſtianum eſſe,ſicut Chriſtus ambulauit,& ipſum ambulare, & ſicut ipſe in finem ſuos diligens pro eis vſque ad mortem paſſionem ſuam protendit, ita Chriſtianum non pigeat,in finem Chriſtum diligere, id eſt, pro eius amore omnia quantumlibet aduerſa, dura, & aſpera vſque ad mortē patienter ferre quia qui in finem vſque perſeuerauerit, ſaluus erit. Quantum verò ad latitudinem attinet, conſideranda eſt ipſius Chriſti ſaluatoris noſtri ſententia:nemo(inquit)maiorem charitatem habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis,ſuis.Ipſe autem vt eſt pius & copioſus in miſericordia,non ſolum pro amicis ſed etiam pro inimicis & ſeruis nequiſſimis, rebellibus & fugitiuis pati voluit.Nam vt diuus Paulus,ait,vix pro iuſto quis moritur,pro bono enim forſitan quis audeat mori. Commendat autem Deus charitatem ſuam

in

in nobis,quia cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius.O igitur paſſio magna,quæ cùm tam longa eſſet, vt totius vitæ ſpatium laboribus & pœnis occupauerit,tam lata etiam fuit,vt ſe ad inimicos extẽderet. Vnde in cruce pendẽs poſt tam dira ſupplicia & tormẽta quæ paſſus erat, & quæ tunc maxime ſentiebat,quando ad patrem conuerſus dixit: *Deus meus, Deus meus,vt quid dereliquiſti me?* inter grauiſſimas illas imminẽtis mortis anguſtias& anxios anhelitus. *Pater(ait)ignoſce illis quia neſciũt quid faciunt.* O paſſionis & amoris incõparabilis magnitudo, ô amoris latitudo,ô capacitas cordis,ô pietatis dignatio, & ineffabilis charitatis dilectio.Illi furore inaudito & efferata perciti rabie ſupremũ halitum ęgrè trahenti inſultãt,ille pro tortoribus ſuis & ſibi inſultantibus patrem precatur, illi accuſant, ille accuſatores ſuos eorum ſalutem litiens apud patrem excuſat: *neſciunt(inquit)quid faciunt.* Huius etiam latitudinis, corporis ipſius & membrorum ſitus ſpeciem quandam præfert. En protenſa in crucis latitudinem brachia,en tractos extenſóſque lacertos & in amplexus inimicorum apertos paratóſque,en,inquam,pronum & inclinatum caput, vt oſculo venientes excipiat. Expectat nimirum paſcentem porcos prodigum,vt fame & egeſtate cogente de longinqua regione redeuntem & ſuæ ſortis pœnitentem pudentémque complectatur, cui & reconciliationis oſculum porrigat.Erubeſcat igitur,qui vano Chriſtiani nomine gloriatur & tam ſtricti atque anguſti cordis eſt, vt præter ſe nullum capiat,nullũ amet,qui ſuis cõmodis & cupiditatibus omnia metitur, qui iniurias animo retinet,& vltionem expetit,imò nec malignitati ſuæ ſatisfactũ iri putat,niſi atrociorem ei qui iniuriam fecit,retaliet. Chriſtus qui peccatum nõ fecit,pendẽs in cruce infinitis opprobriis laceſſitus,& atrociſſimis vndiq; pœnis tormentíſque circunſeptus pro ſuis tortoribus patrem ſuum orat, & homuncio infœlix in peccatis conceptus,& grauioribus ſceleribus enutritus iniuriæ memoriã ſeruat, & vindictam meditans tempus vltioni idoneũ quærit.Et is ſcilicet Chriſtianũ ſe putat, & dici vult,cum à Chriſti doctrina tãtùm abhorreat? *In hoc,ait,cognoſcent omnes quod mei eſtis diſcipuli,ſi dilectionem habueritis adinuicem.* Et item:*hoc eſt preceptum meum,vt diligatis inuicem,ſicut ego dilexi vos.* Et iterum:*diligite inimicos veſtros,bene facite iis qui oderunt vos.* Et Paulus ad Epheſios ſcribens ait:*Nolite contriſtari ſpiritum ſanctũ Dei,in quo ſignati eſtis in die redemptionis.Omnis amaritudo,& ira & indignatio:& clamor& blaſphemia tollatur à vobis cum omni malitia.Eſtote autem inuicẽ benigni, miſericordes,donantes inuicem,ſicut & Deus in Chriſto donauit vobis.* Qua fronte igitur Eccleſiã intrans peccata tam multa ſibi à Deo remitti audet petere, qui minimam fratri culpam remittere non vult? Nunquid non timet vocem illam ex Euangelio ſibi exprobrantem:*ſerue nequam,ſi petis vt omne debitum, cum tam multa debeas, remittam tibi,nõne oportet & te miſereri conſerui tui?* Oportet ergo Chriſtianum non ſolùm iniurias condonare,ſed inimicos etiã ex animo diligere,vt Chriſti Dom.imitator patris cœleſtis filius fieri mereatur, *qui ſuper bonos & malos ſolẽ ſuum oriri facit,& pluit ſuper & iuſtos iniuſtos.* Quocirca qui Chriſtiani nõ inani ac ſterili nomine nitítur,reſpiciat in omnibus euẽtibus ſuis authorem fidei Ieſum Chriſtum,conſideret paſſionis illius diuturnitatẽ,& tam magnam quàm tota eius vita longitudinem, voluat animo tam latam amplámque capacitatem, quæ ſuos inimicos tortoréſque comprehenderit, videat & obſtupeſcat diuini profunditatem conſilij,quo factum eſt, vt redimendi humani generis hanc rationẽ excogitauerit. Poterat enim Deus aliam viã modúmque quo liberaret hominem,inuenire, ſed hæc illi viſa eſt magis idonea,qua ſuperbi &

contumacis hominis faſtum ſuperbiámq; elideret, & cordis humani duricem emolliret. Vnde obſtinati atq; in malo confirmati animi indiciũ eſt, tam magnam Chriſti paſſionem, tam atroces eius cruciatus contẽnere, & nolle ſe ad eius exemplar formare. O igitur paſſio magna, & Dei erga ingratũ hominem longa patiẽtia. Id etiã erat quod Chriſto pendenti in cruce torméti acceſſioné faciebat, quòd præuidebat nimirum tam multos fore, qui ſeſe paſſionis huius & effuſi ſanguinis exortes redderent. Quod ad profunditatem ipſius paſſionis quodammodo pertinet. Nam cùm ſitiret ipſe humani generis ſanitatem inſtaurationémque, quàm etiam tanti fecit, vt eam ſanguinis ſui pretio penderet, ex intimis cordis viſceribus triſtabatur, tantam fore hominum ingratitudinem atq; impietatem, tantam duriciem, quam tam ingens exhibita humanitas non reſolueret. O igitur paſſio magna, vis propius videre quam magna? Conſidera eum qui patitur, pro quibus patitur, à quibus patitur, & tẽpus, locúmque in quo patitur. Et quantum ad patientis magnitudinem attinet, quis tam magnus, ſicut dominus noſter, cuius magnitudinis non eſt finis? Neq; eſt opus potentiã, ſapientiam, celſitudinem generis, aut reliqua eiuſmodi enumerare, quibus magnum exhibere cõtendam. Magnitudinem eius & generationem quis enarrabit? Magnus ergo dominus noſter, & magna virtus eius, & ſapientię eius non eſt numerus. Talis ergo & tantus pro quibus patitur? Pro ſeruis nequam & fugitiuis, ac rebellibus, pro inimicis nedum pro ingratis. Præterea quis gradus hominum, à quo non ſit paſſus Chriſtus? Nonne adſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduerſus dominum & aduerſus Chriſtum eius? Vixdũ (vt ita dicam) natus ab Herode requiſitus eſt, vt necaretur. Ab altero deinde & Pilato, à principibus ſacerdotum, à ſcribis & phariſeis, à ſummis & infimis, à Iudæis & gentilibus, illuſus & variis tormẽtis vſque ad mortem affectus eſt. Sed eo tempore etiam paſſus eſt, quo imminente ſolemnitate paſchali magnus vndique populi concurſus confluxerat, vt tanto ignominioſior mors eius eſſet, quanto à pluribus & ciuibus & externis populis ſpectaretur. Locus etiam ad doloris augmentum accedit, qui cum eſſet in quo ſceleſtiſſimi latrones & homicidæ plectebantur, in eo inter ſceleratos tanquam vnus ex iis eſſet, crucifixus eſt. Sed iam quæ ad paſſionis modum accedunt, conſidera. Ab ipſo vertice vſque ad plantas pendentem in ligno conſiderans reſpice. Cerne ſpinis crudelibus exhauſtum caput, cerne ſpecioſum illum & diuinum vultum ſputis fœdatum, & cruore à capite defluente illitum, crines concretos ſanguine & ora morte pallentia, ſiti prẽterea arentẽ linguam felle & aceto myrrháque venenatam, conſidera manus pedéſq; crudelibus clauis confixos, latus lancea confoſſum totũ corpus liuore ſanguinéq; perfuſum, anhelum pectus & anxietate nimia affectũ. Iam ſi piè, ſi attentè, ſi fideliter in Chriſtum tuum reſpicis, videre potes quam magna illius pro te ſuſcepta paſſio fuit, quæ tam prolixa quam vita eius tota, tã longa & lata, tamq; profunda, quãtus ipſe Chriſtus ſecundum humanitatẽ extitit. Totũ enim eius corpus extrinſecus & anima intrinſecus patiebatur. Vnde iam imminente hora qua inimicis tradendus erat, cum parata ſibi tormenta præuidens imaginatione volueret, *triſtis eſt* (inquit) *anima mea vſque ad mortẽ*. Inde eſt quod huius crucis ſiue paſſionis magnitudinem tantam fuiſſe Gregorius Nicenus ait, vt ad cœlos vſque pertingeret, tam profundam, vt inferos penetraret, tam latã, vt orbem terrarũ repleuerit. Etenim miſericordia domini plena eſt terra. Sed iam quam profunda ſint Chriſti domini noſtri vulnera, quantæ ſint capacitatis, inde cognoſcimus, quod in his refugiũ, tutela & protectio eſt pauperũ, id

eſt, hu

eſt,humiliũ & manſuetorũ,eorũ qui de ſæculi vanitate conuerſi ad Deũ anteactæ vitæ recordatione perterriti ad ea tanquã ad aſylum cõfugiunt.Ibi latere eligunt, ibi tanquam in foraminibus petræ, quæ Chriſtus eſt, meditantur vt columbæ, & doloris ſimul & amoris gemitus edunt. In his ſolitarius paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi, vbi reponat pullos ſuos, id eſt, pios, caſtóſque cogitatus & deuoti cordis affectus. Ibi inquam ſugunt mel de petra oleúmque de ſaxo.Vbi enim refugium pœnitentibus eſſe tutiùs poteſt,quam in vulneribus Chriſti:vbi requies certior,tranquiliórque:*Venite* inquit)*ad me omnes,qui laboratis,& onerati eſtis,& ego reficiam vos.* Abiicite iugum graue peccati, quod ſuper filios Adam impoſitum eſt, à die natiuitatis eorum,& tollite iugum meum ſuper vos,vt in vulneribus meis inueniatis requiem animabus veſtris.Ibi ergo requies,ibi refectio eſt dulcis animarum noſtrarum,& inde medela prodiit, & confectum eſt malagma, quo grauiſſima noſtra vulnera ſanarentur.Humanum enim genus homo ille eſt, qui ab Ieruſalem,id eſt,de viſione pacis in Ierico,in eſt in defectum & mutationem peccati deſcendens incidit in latrones, qui illum ſpoliantes, plagis lethalibus impoſitis abierunt ſemiuiuo relicto. Sed pius Samaritanus humani generis cuſtos & medicus Ieſus Chriſtus cum eſſet iter noſtræ mortalitatis ingreſſus, ipſum iam iam moribundum miſeratus, alligauit vulnera eius, & infundens vinum & oleum impoſuit in iumentum ſuum, & duxit in ſtabulum & curam illius egit. *Ipſe enim eſt cuius liuore ſanati ſumus,qui iniquitates noſtras tulit,& in corpore ſuo peccata noſtra portauit.* Ipſe inquam eſt,qui(vt B. Ioannes Euangeliſta ait)ad nos venit in aqua & ſanguine,in ſanguine,quo nos captiuos à Pharaonis, id eſt, à diaboli poteſtate pro nobis ad veſperã immolatus redimeret: in aqua, qua nos ſordibus peccatorum ablutos ſibi populum acceptabilem coaptaret.O pretioſa igitur,& noſtris vſibus admodum neceſſaria ſanguinis & aquæ effuſio. Inde enim noſtris infirmitatibus medela paratur, quoniam Eccleſiæ ſacramẽta quæ noſtris vulneribus adhibentur,à Chriſti Domini noſtri paſſione & vulneribus ſanandi vim & efficaciam ſumunt.Neque enim ſine huius ſanguinis effuſione fit peccatorum remiſſio, aut noſtræ ſalutis inſtauratio.*Ipſe eſt agnus,qui tollit peccata mundi*,per illum olim in lege Moyſi figuratus,cuius ſanguine fidelis populi poſtes cõſecrati exterminatoris vindictam euaſerunt. Ergo & nos agni huius pretioſo ſanguine ab æternæ mortis exterminio liberati huius tam magni beneficij memores cogitemus quam ingenti pretio empti ſumus. Magnam enim Chriſto iniuriam faciunt, quicunque affectus ſuos & cogitatus in res terrenas & caducas abiicientes, ſeipſos vilipendunt,quos Dei filius ſui ſanguinis pretio æſtimauit. Nam vt B. Petrus ait,*non auro,neque argento, neque lapidibus pretioſis, ſed pretioſo agni immaculati ſanguine ſumus redempti.* O paſſio igitur magna,ô profunda vulnera,ô ſanguinis effuſio ſalutifera. Quis non obſtupeſcat? quis non totus amore & cordis affectu liquefactus in Chriſtum transformari concupiſcat,ſi tantam erga nos pietatis dignationem ſi tam miram diuinę charitatis dulcedinem animo contempletur:O quam dulcis,quam ſuauis,& miſericors es Domine, quam magna eſt multitudo dulcedinis tuæ,quam abſcondiſti timentibus te. Ipſa eſt de qua in canticis ſponſa anima ſcilicet tui amore æſtuans canit,dum ſub vmbra tuæ crucis & vulnerum tuorum te contẽplatur.*Sub vmbra illius*, inquit,*quem deſideraueram ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* O quam ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus,qui vt amoris tui dulcedine erga nos demonſtrares,tã acerbam, tam amaram,& tam crudelem paſſionẽ ſuſtinere voluiſti:Nos infœlices pec-

cati morbo lethifero ægrotabamus, & tu infirmitates noſtras aſſumens, non ab vna vena hepatis, ſed à toto corpore ne moreremur, ſanguinẽ effudiſti. Ab eſu pomi vetiti ęſtuantem cupiditatibus & perpetratis criminibus febrim cõtraxeramus, & tu pro pomi illius à parentibus noſtris affectata dulcedine amarum acerbiſſimæ paſſionis cruciſque calicem ebibiſti. O igitur amaritudo mortis acerbiſſimę inaudita! Quis vnquam ſceleratiſſimus talia paſſus eſt. Cui pro ſuis ſceleribus extremo ſupplicio damnato denegatum eſt petenti vinum: Tibi, agne manſuetiſſime atque innocentiſſime, ſupremum anhelitum ægrè trahenti non modo denegata eſt aqua, ſed vt te grauioribus opprobriis ſaturarent, fel, myrrhã & acetum tibi propinarunt. O ingens erga nos tuæ pietatis dignatio! O ineſtimabilis dilectio charitatis, vt ſeruum nequiſſimum ab æternę mortis amaritudine liberares, tam crudelem, tamque amaram mortem ſubire voluiſti! Etenim hanc medelam amariſſimam eſſe oportuit, quæ humani generis tam intenſum & tam inueteratum morbum ſanare poſſet. Tam grauis enim erat culpa, & tam immenſum debitum vt inter filios Adam qui id perſolueret, idoneus nemo poſſet inueniri. Vnde in te vnum conjecta eſt iniquitas omnium noſtrũm, vt dolores nobis debitos & languores noſtros portares, factus nobis peccatum, id eſt, hoſtia pro peccato & ſacrificium vt de peccato damnares peccatum & chirographum illud quo morti tenebamur obnoxij cruci affigens debitum ipſum tuo ſanguine obliteraſti. Ergo, dulciſſime & benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, per iſtam tuam acerbam amarámq; paſſionem te oro, te obſecro, ne peccata mea velis reminiſci. Si enim iniquitates meas obſeruaueris, quomodo ſuſtinebo. Ad meipſum cõturbata eſt anima mea Domine, & anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, & conturbatum eſt cor meum, quoniam ego vir videns paupertatem meam à virga indignationis tuæ terrore concutior & contremiſco. Stellæ non ſunt mundæ in conſpectu tuo, & ego infœlix tot ſordibus inquinatus corã te quomodo apparebo: Meritò igitur videns paupertatem meam conturbor, & à virga indignationis tuę contremiſco. Sed reſpiro in te, bone Ieſu, memor crucis tuę, memor clauorum & vulnerum, memor ſanguinis quem pro mea redemptione effudiſti, memor amaritudinis quam pro me guſtare voluiſti, memor denique admirandæ dulcedinis tuę ac ſuauitatis, quę tantò maior humano generi exhibita eſt, quantò amarior paſſio tua fuit. Fretus igitur manſuetudine & dulcedine tua, Domine ad te cõfugio, apud quem infinita miſericordia eſt & copioſa redemptio. Redime ergo me, Domine, & miſerere mei, libera me à periculis, quæ circundãt vndique animam meam. Suſcipe me, qui dixiſti, ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum. Trahe me ad te, vt curram poſt te in odorẽ vnguentorum tuorum, & ſub vmbra tuæ crucis ſecurus & protectus à te diſcam mũdo mori & tibi viuere. Da mihi vt tibi adhęrens & in te transformatus crucis mortificationem iugiter portem in corde, in ore, & in corpore, vt ea munitus hoſtes meos qui exitio meo vndique imminent, poſſim conterere, & huic ſæculo nequã crucifixus & mortuus vitam meam abſconditam habeam, tecum abſconditam, inquam, in vulneribus tuis. In quibus latens tibi amatoria cantẽ gemens inenarrabiles gemitus in hac peregrinatione mea, vt cùm tu in fine mundi veniens apparebis vita noſtra, ego quoque per te merear apparere tecum in gloria. Amen.

Eiuſdem Dionyſij paræneſis ad monachos Lerinenſ. de Cruce poſt Chriſtum tollenda.

APpropinquante iamque inſtante tempore quo à regula quam profitemur, ieiunium nobis indicitur, fratres dilectiſſimi, liber cum Paulo

Apoſtolo

Apoſtolo in cruce Domini gloriari. Nempe in qua eſt ſalus & redemptio noſtra. Crux enim, id eſt, Chriſti Domini noſtri mors & paſſio ipſa eſt, quæ ſola debellatis hoſtibus cœlos nobis aperuit, & qui ſub diaboli poteſtate tenebamur captiui, per illius meritum ab eius dominio erepti inter Dei filios (niſi per nos ſtet) poſſimus computari. Quotquot enim receperunt eum Chriſtũ ſcilicet, dedit eis, vt beatus Euangeliſta Ioãnes ait, *poteſtatem filios Dei fieri iis qui credunt in nomine eius. Quotquot receperunt eum*, inquit. Sed quid eſt Chriſtũ recipere, niſi in eum credendo ipſum vita & moribus imitari, & eius paſſionibus conformem fieri? *Chriſtus paſſus eſt pro nobis*, ait beatus Petrus, *vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Vnde & ipſe in Euangelio dicit. *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Et item, *Qui non abnegat ſemetipſum, & tollit crucem ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Videtis fratres quàm ſit nobis neceſſaria crux, ſi ad Chriſti ſcholam nõ fruſtra veniſſe optamus, & ſi inter eius diſcipulos cenſeri velimus. Veniamus ad ſcholam, vt diſcamus à domino & magiſtro noſtro baiulare crucem, diſcamus humilitatem & manſuetudinem cordis, ita, vt irritati non reddamus pro malo malum, neque pro maledicto maledictum, ſed benedicamus maledicentibus nobis, & perſequentibus nos benefaciamus, cordis manſuetudinem charitatiſque affectum contra malignantium iniurias, & contumelias referentes, ita vt inimicos iuxta domini præceptum ex animo diligamus. Ita enim facientes eius nos veros diſcipulos & cœleſtis patris filios exhibebimus, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Ecce quàm ſuauis, quàm dulcis, quàm ſalubris Chriſti doctrina, quæ tota in amoris verſatur dulcedine & mundi cordis puritate: Tota, inquam, in ſuauitate quieti & manſueti animi conſiſtit. Ad quam vtique naciſcendam neceſſaria nobis ſunt bonorum operum inſtrumenta, quæ Chriſti diſciplina & ſchola nobis ſuggerit, & in quibus crux ipſa conſiſtit. Quid enim Dei timore coërceri à malo? quid ieiunia? quid vigiliæ? quid propriæ voluntatis abiuratio? quid ſenſuum carnis mortificatio: quid reliqua clauſtri diſciplina, niſi crux appellanda eſt: Quæ tametſi grauis nondum bene aſſuetis & aſpera eſſe videtur, bono tamen animo ſit Chriſti miles, & de domini ſui ac ducis bonitate confidat. Reſpiciat in eum, qui quaſi anteſignanus ſequacibus ſuis viam ſtrauit, reſpiciat martyrum grauiſſimos agones, & inter exquiſita tormenta & diuerſa pœnarum genera immobilem animi firmitatem, videat ſanctorum confeſſorum, monachorum, anachoretarum, virginumque certamina, qui omnes crucem ſuam poſt Chriſtum dominum baiulantes ieiuniis & inedia, vigiliis, & aſſidua mortificatione carnem ſubiugantes in eum diuinæ gratiæ gradum prouehi meruerunt, vt pace & puritate cordis obtenta, Deum hic pro humanæ mentis captu contemplari, & tandem per anguſtam viam vſque ad finem vitæ incedentes ad cœleſtem gloriam & claram Dei ſine enigmate viſionem tranſire meruerunt. Si ergo cupimus Deo proximi fieri & experiri quàm bonum & quàm iucundum eſt illi iugiter inhærere, ſi diuinarum illuminationum fulgoribus illuſtrari, ſi ad Dei amicitiam pertingere & diuino amore ſuccendi, in eumque transformari deſideramus, ſi denique ad cœleſte illud tranſire conſortium & æternis gaudiis intereſſe volumus, non pigeat nos poſt Chriſtum ducem & magiſtrum noſtrum cum tot ſanctis incedere, non, inquam, pigeat nos, ſi ad illorum ſocietatem aſpiramus, cum ipſis crucem noſtram poſt dominum noſtrum portare. Sola enim via crucis eſt, quæ per ſuas anguſtias nos ad cœli ampla &

de mortalitate hac ad æternam & immarceſſibilem vitam perducit. Vnde vehementer erramus, ſi illic cum ſanctis regnare velimus, & cum illis mundi tribulationes ſuſtinere recuſamus. Nemo illuc molli itinere poteſt peruenire, *quia regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Neque eſt ſeruus maior domino ſuo, qui per violentiam crucis cœlum adeptus eſt. Bonum eſt igitur viro, cum portauerit iugum, id eſt crucem ab adoleſcentia ſua. Quid eſt enim in ieiunio difficultatis, quod per amore Dei ſuſcipitur, cum tam innumeros pauperes videamus, qui egeſtate inopiáque oppreſſi perpetua eſurie fatigantur: faciamus nos ſponte, ac animi prompta voluntate, quod illi neceſſitate ferre coguntur. Quid vigiliæ, ceterique labores terrere nos debeant, cum ſæculi huius mercatores conſideramus, qui vt lucrum augeant, nocte ac die præter grauiſſimos labores quos tolerant, etiam periculis ſeſe innumeris exponunt: Quid ego milites, quid agricolas, & artium mechanicarum operarios commemorem, qui neque ſalutis corporeæ videntur habere rationem, illi quidem vt principibus ſæculi placeant, aut ſtipendium tenue reportent, mille mortis generibus per æſtus & pluuias & alia infinita incommoda ſeſe obiicientes, hi vt ex artis ſuæ labore tenuem victum pro familiæ ſuſtentatione aſſequantur, die noctuque laboribus fatigantur. Pudeat ergo monachos pigros & oſcitantes tam ſui ſtatus atque ordinis eſſe oblitos, vt quod illi per ſæculi huius cumulandis honoribus aut pro ſuſtentanda hac vita mortali & caduca grauius tolerant, hi pro cœleſti gloria tantillum laboris perpeti recuſent. Hi ſunt nimirum, vt diuus Hieronymus, inquit, ventris animalia, qui ſine diſciplina in monaſterio tanquam in alueario fuci alieno cibo diſtenti otio & ignauia contabeſcunt, quos ad coruos tanquam morticina immunda ſanctus Gregorius Nazianzenus proiiciendos cenſet: τὰς γὰρ ἀπειθεῖς ῥίψομεν ἐς κόρακας. Quibus ſi aliquid quod ad corporis ſui curam pertinet, deeſſe contingat, murmurationibus & querelis complent omnia, inimici nimirum crucis Chriſti, qui ad hoc monaſterium adiiſſe videntur, vt bonis & toto Deum corde quærentibus oneri ſint. Qui ſi non poſſunt corpore, mente inſtabili & inquieta vbique diuagantur. Vos autē fratres in Chriſto dilectiſſimi veſtræ vocationis & profeſſionis memores amplectimini crucem, & cum beato Andrea ſecuri & gaudentes in ea perſeuerante vſque in finem, quouſque ſcilicet vos reddat domino noſtro Ieſu Chriſto. Quicunque enim in ea vſque in finem perſeuerauerit, bono animo ſit, quia ſaluus erit. Quale igitur gaudium erit vobis, vbi ſupremus ille dies veſter aduenerit recolentibus miſericordias domini & pios labores, quos pro eius amore eius fauente gratia ſub regulæ diſciplina in clauſtro perpeſſi fueritis: Quæ illam lætitia animam inceſſet, quæ concepta de domino Deo ſuo ſpe bona confidenter & ex animo dicere poterit: nihil in me reperiet inimicus, ſed ſinus Abrahæ me ſuſcipiet, vbi cum pſalmiſta lætabunda cantabit, *In pace in idipſum dormiam & requieſcam?* Et item cum beato Paulo Apoſtolo. *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, de reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi dominus hodie iuſtus Iudex.* Contra verò quis horror terrorque illos inuadet, qui ſuæ vocationis & promiſſionis immemores dies ſuos totos corporis & putidæ carnis culturæ dediti in rebus vanis & ſuæ ſaluti contrariis traduxerunt: Hi nimirum ſunt, qui breui gaudio longos immò verò æternos luctus, & pro momētanea voluptate nunquā finem habiturā ſibi miſeriā pepererunt. Quā ſatiùs ergo eſt breuibus lachrymis gaudia æternæ vitæ hic in pœnitētia & luctu promereri,

& diui

& diuinæ æternæque benedictionis fructum ex ſemine lachrymarum cum exultatione metere: Si cui ex iis qui terrenis lucris incumbunt optatio daretur, vt nunc aureum nummum, aut hinc biennium mille acciperet, vnde ſe ab egeſtate inediaque perpetuo tueretur, nonne deſipere aut inſanire quodam modo putaretur, ſi mallet tãtillo nũmi vnius aurei fructu vel gaudio tã breui tẽporis ſpatio frui, & eo abſumpto in perpetua egeſtate viuere, quã eo carere in præſentia, vt paruo tranſacto tempore mille caperet, vnde in poſterum vitam ſuam ſuſtentaret? Quæ autem comparatio eſt aureorum mille ad cœleſtem æternamque fœlicitatem: aut breuis huius vitæ ad æternitatem? Ergo & vos fratres ſi crucis & clauſtralis diſciplinæ auſteritas quemquam terreret, cogitet is quiſquis eſt, quàm multò grauiora paſſi ſunt martyres, & is imprimis qui caput eſt martyrum, & quem habemus magiſtrum & ducem Dominum Ieſum Chriſtum, qui per crucis ignominiam & tormenta intrauit in gloriam ſuam. Cogitet quàm leuia ſint quæ patitur, præ illis quæ ſancti olim noſtri ordinis viri & fœminæ pertulerunt, quibus herbarum radices aut cibarius panis adiunctis fortè leguminibus ſale & aqua infuſis cibus erat, in potum vero frigida illis ſufficiens erat. Voluat denique animo, quàm ſublime pondus gloriæ operatur in nobis, hoc breue ac momẽtaneum quòd hic patimur, & quàm non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Si hæc animo perpendat, nõ eum pigebit breui vitæ huius gaudio, quod aureo nummo comparatum eſt, carere in præſentia, vt mille in poſterum, id eſt, perpetuæ fœlicitatis fructus adipiſcatur. Quinimo ea quæ ſuffert, tantùm abeſt vt grauia exiſtimet, vt etiam eorum comparatione ad quæ ſe videt ex ſua profeſſione obnoxiũ, & eorum quæ ſancti olim pertulerunt, minima aut nulla reputet. Vnde à ſe omnem tepiditatem torporemque excutiens ſemper ſeſe ad maiora perfectioraque vitæ ſpiritalis ſtudia acriùs excitabit, timẽſque ne fortè non dignos pœnitentiæ fructus in conſpectu Dei faciat, dolebit vtique ſeque coram Deo reum arbitrabitur, quod tam frigido corde ea quæ ordinis & profeſſionis ſuæ ſunt, exequatur, & à Deo ſibi exhibiti amoris vicem illi pro captu ſuo & viribus non rependat, mente ſcilicet reputans quanta illius erga nos charitatis dignatio fuerit, qui pro nobis proprio filio non pepercit, vt amorem ad ſe noſtrum à rebus terrenis & caducis abſtraheret, & pro amoris viciſſitudine æternæ nobis vitæ præmia condonaret. Ad quæ nos perducat, qui in Trinitate perfecta viuit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Sermo eiuſdem Dionyſij in vigilia ſiue in die natiuitatis Chriſti.

IMminente iam die illo quo Chriſtus Deus ac Dominus noſter pro nobis in carne apparuit, fratres dilectiſſimi, volui vos ac me vna vobiſcũ his verbis ad communem omnibus exhibitam lætitiam inuitare, vt tam ſolemnem huius diei celebritatem debito honore cum gaudio veneremur. Cum gaudio inquam, ſed eo de quo dicit Apoſtolus: *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete, modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus.* Nam carnale huius mundi gaudium eius eſt naturæ, vt mille angoribus animam miſeram quæ illo nititur impleat, & tum maximè cum firmior eſſe videtur, cum deficiẽte & labente mundo in præceps ruit. Mundum hunc igitur & falſa eius blandientia nobis gaudia reſpuentes, audiamus quid hac ſacratiſſima nocte qua vera lux in tenebris ſæculi orta eſt, angelus beatis illis paſtoribus nuntiauit. *Nolite inquit timere*, quaſi diceret, timeant mundi huius amatores, timeant qui peccatorum ſordibus obſiti Dei in ſe imaginẽ contaminãdo deprimunt, & ſuæ nobilitatis

obliti carnis voluptatibus ſeruiunt. Vos autẽ nolite timere, ecce annũtio vobis gaudium non qualecunque, ſed magnum gaudium, quia natus eſt vobis hodie ſaluator, qui eſt Chriſtus Dominus, ille deſideratus cunctis gentibus, ille tot figuris in lege veteri deſignatus, tot prophetarum oraculis prænuntiatus, ille inquam, cuius diem videre Abrahã deſiderauit, & vidit & gauiſus eſt, natus eſt vobis hodie ſaluator, in ciuitate Dauid & hoc vobis ſignum. Inuenietis infantem pannis inuolutum in præſepio. Ecce quale ſignũ, cui à multis hodie contradicitur, qui (vt diuus Bernardus ait) cum in natiuitate gaudeant, de natiuitate non gaudent, ſed vanitate potiùs, cùm eos videas tanta cura ac ſtudio non mentium, ſed veſtium nitorem procurare. Non eſt, hoc ſignũ, quo Chriſtus exinanitus inuenitur, ſed hoc (inquit) vobis ſignũ, inuenietis infantem pannis inuolutum reclinatum in præſepio. Ecce quale indicium pauperibus ſpiritu & manſuetis angelus edidit, vt pauperem Chriſtum inueniant. Pannis vilibus inuolutum & in præſepio reclinatum inuenitis. Siccine igitur Chriſtus Dominus, is cuius potentia creatus eſt mũdus, is cuius ſapientia gubernatur, is, inquam, qui in mundũ venit, & viſibilis mũdo apparuit, vt à peccatis ſaluet populum ſuum, qui cœli & terræ Dominus eſt, nõ habet in diuerſorio locum? Volucres cœli nidos habent, & vulpes foueas, Chriſtus mundi fabricator & Dominus non habet, in diuerſorio locum vbi caput ſuũ reclinet, ſed in ſtabulo vbi bruta recipi animalia ſolent, iacet reclinatus. Magnum exemplum continentię, fratres, magnũ beatę paupertatis indicium. Nimirum ipſa eſt, quæ cultores ſuos beatos efficit, quibus promittitur regnũ cœlorum. Quis erubeſcat pro Chriſto & cum Chriſto pauper fieri, qui ſe de illorum numero futurum ſperet, quos ipſe ſaluos faciet à peccatis eorũ? Ergo ſanctæ paupertatis amatores pio mentis intuitu diuinum hoc contemplantes myſterium, videant quàm admirabilia fecit Dominus hodie. *Cantate* (inquit pſalmiſta) *Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit.* Mirabilia facta ſunt quando dixit Deus, & facta ſunt omnia, mirabilia ſunt, quæ quotidie fiunt, quando videmus diuina ordinante ſapientia terram, quaſi baſibus nixam ſtabilem permanere, mari & aquis legẽ impoſitam ne tranſeãt fines ſuos, numeris elemẽtorum qualitates contrarias ita eſſe connexas, vt iugi concordia mirabiliq́ue conſenſu Dei ſtatuta conſeruent, cœlorum præterea reuolutione perſeuerare dies, & Dei imperio ſeruientibus creaturis vniuerſis tempora temporibus, & generationes generationibus ab initio mundi ſuccedere. Magna quidem ſunt hæc, & quæ non ſolùm nos in admirationẽ, ſed etiam (quando in vſus noſtros ſunt inſtituta) in amorem & cultum conditoris poſſint & debeant prouocare. Sed quis nõ magis magiſq́ue admiretur, quis nõ totus quaſi à ſe deficiens in Chriſtum amore liquefactus transformetur, ſi creatorem omnium creaturæ ſuæ naturã induiſſe cõſideret: ſi tam potentem tam infirmum & pauperẽ propter ſe factum contẽpletur: quaſi parum illi viſum ſit, feciſſe omnia propter hominẽ, niſi & ipſe homo fieret propter hominẽ. Vnde ſi mirabilis eſt cõtrariarum inter ſe qualitatum coniunctio, vt calida frigidis & humẽtia ſiccis in vnam quaſi armoniam proportionibus & numeris tẽperata cõcurrant, quãto ſunt admirabiliora, quæ hodie fecit Dominus, quando præter naturæ ordinẽ virginitas matri terrenis cœleſtia, & humanis diuina iunguntur: Properemus ergo cum ſanctis paſtoribus, ſed eorũ exẽplo purgati & ſilentio & ſpe intrinſecus roborati in ſimplicitate cordis quæramus Ieſum, & videbimus mirabilia hodie. Matrem nẽpè virginẽ, creatorẽ creaturã, lucem in tenebris reſplendentẽ, in infante diuinũ verbum & ſapientiã, in paruulo immenſitatẽ, in infirmo

mo ſummã ſupremamq; virtutẽ atque potentiã. Sed nõ lipientibus oculis iſta cernũtur, nec carnalis obtut⁹ ſpiritalia idoneus eſt contẽplari. Aliud enim eſt quod carnis oculus hic videt, aliud quod mẽtis acies intuetur. Mundis igitur oculis opus eſt, quia puriſſimũ impuris oculis cernere nefas eſt. *Beati* (inquit) *mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Vnde vidẽtibus Apoſt. Ieſus dicebat: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.* Multi reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt. Nunquid non Scribæ & Phariſei Chriſtum videbant? Sed oculos habentes cæci erant, & his auribus carebant, de quibus dicitur: *qui habet aures audiẽdi, audiat.* Totũ hoc negotium intus agitur, in corde & in animo hęc myſteria pertractantur. *Sed in animam maleuolam non introibit ſapientia*, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Oportet igitur interiores noſtros animæ ſenſus fide, ſpe, & charitate purgari, ne ſimus ſicut idola, quæ cum falſos repreſentent deos, nihil ſunt, & oculos habentia & aures, non vident neque audiunt. Neque enim quicquam idolo ſimilius eſſe videtur, quam is qui vultu & corporis habitu hominem refert, & extincto rationis lumine interiorem ſenſum quo Deus cognoſcitur, amiſiſſe videtur. Neque aliquid eſt, quod ad monſtri ſimilitudinem propiùs accedat, quàm ille, qui ita carnis ſenſibus hæret, vt nil niſi quæ carnis ſunt ſentiat, in recto corpore mentem curuam & ad ima depreſſam gerens originiſque ſuæ nobilitatem oblitus ſub hominis figura belluã agit. Reparanda igitur eſt nobis hominis interioris ſubſtantia, vt internas has & cœleſtes delitias ſentire valeamus. Et primùm quidem auditus (vt appoſitè diuus Bonauentura diſſerit) viſúſque per fidem reparatur. Nam dum fide credimus in Chriſtum verbum Dei patris increatum, qui eſt ſplendor, imago & figura ſubſtantię eius, recuperamus ſpiritalẽ auditũ, quo cœleſtes ſermones ſeu Chriſti voces percipimus, & viſum etiã, quo reddimur idonei ad lucis ipſius hauriendos ſplẽdores. Porrò dum ſpe ad inſpiratum nobis diuinitus verbum toto mẽtis deſiderio anhelamus, ſpiritalis in nobis reparatur ſeu recuperatur olfactus. Dum verò charitate verbum ipſum pro ſalute noſtra incarnatum ita complectimur, vt percipientes internam ab eo delectationẽ in illius per extaticum amorem, conſortiũ tranſeamus transformemurq;, tunc interiorem recipimus guſtus tactúſq; ſanitatem. O fœlix anima, quæ interioribus ſenſibus reformata cum ſanctis paſtoribus Ieſum videt, & cum eiſdẽ Angelorũ Deum laudantium voces, & cum ſponſa in canticis dilectũ audiens, tota in eum per amorẽ liqueſcit, quæ in odorẽ vnguentorũ eius currẽs laborẽ in via Dei præ ſuauitate nõ ſentit, quæ cũ pſalmiſta guſtare meretur quã ſuauis eſt dominus, quæ & ex animi ſentẽtia poteſt dicere: *Sub vmbra illius quem deſideraueră ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo*, & cum beato ſene Symeone ſalutare Dei ſpiritalibus vlnis complectitur. Ipſa eſt, quæ ex animo & verè poteſt dicere: quia vidi mirabilia hodie, & quia Deus viſitauit plebem ſuam, ſicut loquutus eſt per os ſanctorum, qui à ſæculo ſunt prophetarum eius. Recordatus enim miſericordiæ ſuæ notũ fecit dominus ſalutare ſuum, & iam non ſolum notus in Iudæa Deus, ſed viderunt iam omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri, & ante conſpectũ gẽtium reuelauit iuſtitiam ſuam. Ecce ortus eſt ſol iuſtitię, & radios ſuos vbique diffundit, vnicuiq; pro modo & captu ſuo fulgoris ſui vires diſtribuens, niſi fortè tam craſſa & ſuperbiæ faſtu tumida corda inueniat, quæ obiectis obſtaculis penetrari non poſſint. Vnde & in Euangelio dicit: *Gratias tibi ago Pater, quoniam ſic placitum fuit ante te, vt abſcondita eſſent hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelares ea parvulis.* Qui ſunt hi ſapientes, quibus diuina

ſapientia & cœleſtia ſacramenta ſunt abſcondita niſi ij qui de ſua induſtria & carnali prudentia præſumentes dum ſe ſapientes exiſtimant & dici volunt, ſtulti facti ſunt, & euaneſcunt in cogitationibus ſuis? His vtique non eſt datum noſſe myſterium regni Dei, qui oculos habentes non vident, & non audiunt, cum aures eis ſint, ſed manſuetis & humilibus, & (vt ait pſalmiſta) paruulis declaratio ſermonum Dei dat intellectum, os & ſapientiam, cui non poſſunt aduerſarij reſiſtere, qui quantò propius per conuerſationis ſimilitudinem orto huic lumini accedunt, tantò euidentius eius diuinos ſplendores ſuſcipiunt. Nos igitur intentis ſurſùm cordibus diuinum hoc adoremus myſterium, & Angelis gloriam concinentibus Deo, & gaudium nobis pacémque nunciantibus iubilemus Deo ſalutari noſtro, atque interiore illi gaudio exultantes totos nos ipſos illi in perpetuum obſequium offeramus, qui paruulus factus pro nobis datus eſt. Adeamus cum fiducia thronum maieſtatis eius, vt miſericordiam inueniamus in tempore opportuno. Thronus maieſtatis eius humanitas eſt, per quam nobis ſimilis & noſtri particeps factus, nos ſuæ diuinitatis conſortes cupit efficere. Erubeſcamus igitur de terrenis eſſe ſoliciti, quibus adoptio cœleſtis repromittitur, erubeſcamus & dedignemur interiores animi noſtri ſenſus exterioribus maculare, & in rebus creatis caduciſque, vbi reperiri non poteſt, requiem fœlicitatémque quærere. Quid enim eſt aliud terrena fœlicitas, quàm falſa dulcedo amaritudine vera reſperſa, verus dolor falſo gaudio tectus, breuis voluptas longo luctu cõparata? Vnde appoſitè à quibuſdam prudentibus viris dictum eſt, nihil eſſe aliud voluptates ſectari, quam ſpinas melle illitas lambere. O miſerandam hominum cæcitatem, ô mentes ad veritatis intelligentiam hebetatas, vident ſe in his nec conquieſcere, nec ſua deſideria his expleri poſſe, & Chriſto in quo bonorum omnium ſumma eſt, & veræ ſempiternæque fœlicitatis theſaurus, contempto, ſuam miſeri egeſtatem & inſatiabilem famem diligunt & ſectantur. Nos verò ſpreto mundo vt digni ſimus puro mentis intuitu tantum hoc & tam ſublime cernere, adorare & amplecti ſacramentum, quæramus totis viribus Ieſum, quæramus, inquam, amando, quæramus imitando. Qui manè (inquit) quæſierint me, inuenient me. Quid eſt mane quærere Ieſum? Iam illucéſcente diuinæ gratiæ aurora, & peccatorum euaneſcentibus tenebris ſuperni luminis ductum ſequi. *Inuenietis* (ait angelus) *infantem*, nam & ipſe ſe piè fideliter & toto corde quærentes præuenire, ſeque illis oſtendere conſueuit: ipſe enim (vt ſapiens ille ait) præoccupat eos, qui ſe concupiſcunt. Concupiſcamus ergo totis viribus & totis cordis noſtri medullis Ieſum, & perſeueranter quæramus eum, nec pigeat nos inuẽtum ſequi quocumque ierit, etiam ad crucem, quia ſi cum eo patimur, cum ipſo etiam regnabimus. Ecce enim vixdum natus iã crucem tollit, iam nobis anguſtam & arduam viam ſternit, per quam incedentibus nobis iam cœli amplitudo præſumptibilis facta eſt. Si igitur eo modo Ieſum quæſierimus, inueniemus, & videbimus mirabilia hodie, matrem ſcilicet virginem, cœli reginã pauperem lac diuinitus adminiſtratũ paruulo Ieſu qui cuncta animantia paſcit, præbentem. Videbimus & iuſtum Ioſeph ſedulo filio & matri miniſtrantẽ. Neque deeſſe putandi ſunt cœleſtes miniſtri, qui noſtræ ſaluti gratulantes nos quaſi conciues ſuos futuros ad diuinas Deo cõcinendas laudes prouocẽt. Docebũt nos ab infantulo Chriſto diſcere humilitatẽ pietatémq;, & cultum veræ obedientiæ, quam Deo exhibere debemus, à virgine ſobrietatẽ & temperantiã, à ſancto & iuſto Ioſeph iuſtitiã imitari. Vt piè, ſobriè, & iuſtè viuentes in hoc ſæculo expectare cum

fiducia

fiducia & deſiderio poſſimus beatam ſpem & aduentum gloriæ magni Dei, qui pro nobis humiliatus atque exinanitus paruulus factus eſt, vt nos pauperes de ſtercore erectos magnos faceret, & exaltatos collocaret in cœlo cum principibus populi ſui. Qui viuit & regnat cum Deo patre & ſpiritu ſancto Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Sermo eiuſdem de cœleſti deſiderio & amore.

QVemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Beatus ille qui inter preſſuras vitæ huius atque anguſtias peregrinum ſeſe cognoſcit, & incolatus ſui moleſtias ſentiens cœleſtem patriam ſitibundus expectat. Is nimirum mortalitatis ſuæ pondere fatigatus ſæpe gemit, & in cordis ſui ſolitudinem iuxta Oſeæ prophetæ vocem, introductus audit dominum ad cor ſuum loquentem, cuius vocis melliflua ſuauitate liquefactus effundit in ſemetipſo animam ſuam cupiens tranſire in locum tabernaculi admirabilis vſque ad domum Dei. Neque enim eſt aliquid, quo in hac vita delectari poſſit præ dulcedine Dei & decore domus eius, ad quam ſuſpirans nouis in dies deſideriis æſtuat, & cum propheta gemens inenarrabiles gemitus in hac peregrinatione ſæpe amatoria canit. *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt,* & item, *quoniam veniam & apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus?* O deſiderium ſanctum, ô fœlices lachrymæ, quibus anima ſancta hic conſolari renuens quaſi cœleſti quodam rore paſcitur, aut ſicut ager cui benedixit Dominus irroratus ſanctorum affectuum & bonorum operum ſuauem odorem, vbique diffundit. Hic eſt theſaurus ille & margarita Euangelica in agro ſtudij cœleſtis & diſciplinæ ſpiritalis inuẽta, quam qui inuenit, præ gaudio & deſiderio illius omnibus gaudiis mundi huius & deſideriis ſpretis hãc vnam petit à Domino hanc vnam requirit. Hoc manna eſt abſcõditum, & futuræ vitę harra ſeu ſpecimen, hoc nomẽ nouum, quod in Apocalypſi vincenti promittitur, & quod nemo nouit, niſi qui accipit. Quid cogitamus fratres, qui ad magiſterium Chriſti venimus, & amplis monaſticæ obſeruationis titulis gloriamur, ſi Chriſtum ducem & magiſtrum noſtrum, non ſequimur? ſi voluntatibus noſtris obſequentes circa nos ipſos carnis ſenſibus inhærendo aſſiduè rotamur: Nonne monachi nomen inane & perſonale quoddam ſanctitatis figmentum in noſtram ipſorum perniciem mundo exhibemus? vt exterioribus ſignis ornamentiſque perſonatas ſimias referentes cum deprehenſi fuerimus riſum vt Flacci cornicula pro reuerentia prouocemus. In hoc igitur laboris noſtri deſudet intentio, in hoc animi noſtri deſtinatio tota intendat, ne monachi nomen fruſtra nobis vſurpaſſe videamur. Cogitemus nomen noſtrum, vt noſtræ profeſſionis memores abnegata propria voluntate Chriſti veſtigiis inſiſtamus. Hæc eſt enim monachi deſtinatio hic ſcopus, vt Chriſtum Dominum imitantes eum moribus caſtis quoad eis fieri poteſt, conemur exprimere. *Amen dico vobis* (ait Chriſtus) *quod vos qui ſequuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſraël, & omnis qui reliquerit patrem aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam poſſidebit.* videte obſecro quanta gratia ſequentibus Chriſtum, vt pro modicis & caducis tam magna & tam ſolida repromittat. *Centuplum* (inquit) *accipiet & vitam æternam poſſidebit.* Quid hoc centuplum? Ipſa eſt quam ſuperius dixi, margarita

Euangelica,theſaurus & manna abſconditum, nomen nouum, datum optimum deſcendens à patre luminum, à quo(vt Diuus Dionyſius inquit) motus initium ſumens benigna in nos largitione manat,rurſúſque vt ſumma virtus per quam vnum ſecum efficimur,vi intentionis præcipuæ nos parat & explicat,atque ad cogentis ad ſe patris vnitatem ac Deificam ſimplicitatem conuertit. Hæc cœleſtis adoptio eſt, de qua beatus Ioannes dicit,quia dedit nobis poteſtatem filios Dei fieri, vt filij Dei nominemur & ſimus. Quæ igitur terrena hæreditas,quæ ſublimitas dignitatis cum hac poteſt comparari, vt filij Dei & cœleſtis regni hæredes nominemur & ſimus?Quid illi deeſſe poteſt qui tanquam nihil habens omnia poſſidet?cui omnia ſeruiunt? omnia cooperantur in bonum ? An non centuplum & plus etiam quam centuplum habet qui ſpiritus ſancti viſitatione & Chriſto in ſe per fidem & charitatem inhabitare lætatur : Qui Dei in ſe inhabitantis præſentiam ſentiens: Quam magna(inquit)multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te. Quam abſcondiſti (ait) nimirum manna eſt abſconditum, vt iam diximus)quod ſolis Deum timentibus & carnis conſolationem reſpuentibus reſeruatur.Pretioſa enim eſt(inquit deuotus Bernardus) diuina conſolatio, nec omninò tribuitur admittentibus alienam. Sed vide , ait idem, quomodo memoriam abundantiæ ſuauitatis huius eructet anima ſancta , quomodo exprimere geſtiens , verba multiplicet.Quam magna inquit multitudo.Hoc ergo centuplum adoptio filiorum eſt,libertas & primitiæ ſpiritus,delitiæ charitatis , gloria conſcientiæ , regnum Dei , quod intra nos eſt , non vtique eſca & potus , ſed iuſtitia & pax & gaudium in ſpiritu ſancto. Gaudium ſane, non modo in ſpe gloriæ , ſed etiam in tribulationibus. *Omne gaudium (ait beatus Iacobus Apoſtolus) exiſtimate , cum in varias tentationes incideritis.* Hæc igitur virtus ex alto , qua roborati gaudemus & gloriamur in tribulationibus , hic ignis ille eſt , quem Chriſtus venit mittere in terram , & quem vult non vtcunque , ſed vehementer accendi. Hoc igne beatus Andreas illuminatus , accenſúſque , cum à longè paratam ſibi crucem videret : *Salue*,aiebat, *ô bona crux diu deſiderata, & iam concupiſcenti animo præparata , ſecurus & gaudens venio ad te.* Hoc igne Paulus æſtuans vehementer diſſolui cupiebat , vt eſſet cum Chriſto , hoc igne flagrans beatus Laurentius tortores deridendo quaſi non ſentiebat incendium , hic ignis beato Stephano lapides torrentis dulces reddidit , & vt pro ſe lapidantibus genua flecteret , effecit. Quid Vincentius , qui hoc ardore ſuccenſus carnifices citiùs delaſſauit , quam ab eis laſſaretur: Quid tot & tam innumerabiles martyres alij , quanta & quam atrocia perpeſſi ſunt tormenta, Nimirum hac virtute roborati & ſpe promiſſionis animati nullis pœnarum atrocitatibus cedere nouerant,quin etiam teneræ & ſexu & ætate virgines inuenta hac pretioſa margarita & guſtato hoc manna nullis aut blandimentis allici,aut cruciatibus vinci potuerunt,quinimò quaſi ad epulas & delitias inuitatæ ad carcerem & tormenta veniebant.Vnde & beata Agatha huius deſiderij igne concepto, quotidie flens Dominum precabatur , & ſicut ſitiens in ardore ſolis fontium fluenta deſiderat , ita deſiderabat ad martyrij coronam pertingere, & diuerſa pro Chriſti nomine ſuppliciorum genera ſuſtinere.Hinc eſt quod Tyranno minas intẽdenti ſecura reſpondebat:niſi diligenter corpus meum à carnificibus feceris attrectari , non poteſt anima mea in Paradiſum Domini cum palma introire martyrij. Beata etiam Iuſtina : Quid moraris,(aiebat ad tyrannum)cupio ad illum migrare Dominum, qui me

qui me dignatus eſt ſibi ab ipſis incunabulis conſecrare. Sed deficiet me tempus, ſi diuerſa ſanctorum martyrum ſupplicia velim percurrere, vt potè quibus recenſendis nemo eſt tam ſermonis copia aut facundia dines, cuius non ſuccumbat induſtria. Sed nunquid non etiam noſtri ordinis viri ſancti ac mulieres concepti huius ardoris euidentiſſima indicia præbuerunt: Quibus tametſi gladius perſecutoris non affuit, ſuæ tamen fidei & guſtatæ diuinæ dulcedinis teſtimonium reddiderunt tantò certius, quantò acrioribus pro amore & deſiderio cœleſtium rerum ſeſe laboribus addixerunt, alij in ſpeluncis & & cauernis terrę degentes, alij ſe monaſteriorũ clauſtris ſub Abbatis imperio mancipantes temporalium rerum egeni, anguſtiati, afflicti, ieiuniis, vigiliiſq́ue ac cæteris monaſticæ diſciplinæ ſtudiis inſtantes neglectu ac ſqualloſore exterioris hominis interioris cultum ſpeciemq́ue præferebant, & carne ſpiritui ſubiugata quantò ſe à mundi conuerſatione & actibus reddiderant alienos, tantò propius Deo arctiúſque adhærebant. Erubeſcat igitur noſtra hæc Deo & Angelis eius odioſa tepiditas, nam hic auribus noſtris quotidie ſanctorum ſanctarumq́ue geſta agonéſque recitantur, & quaſi ad nos nihil pertineant, aut ſurdis fabulæ narrentur, conniuemus. Ea verò nobis ideò proponuntur, & eorum imitatione hoc quo gloriamur nomine digni ſimus. Quis enim ſe Chriſtianum aut monachum putet meritò nuncupari, ſi vt illi fecerunt, & verè Chriſtianos decet, Chriſtum nolit imitari: Qui enim dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ipſe ambulauit, & ipſe ambulare. Sed omnes volunt gaudere cum ſanctis, pauci autem ſunt, qui moleſtias & tribulationes mundi velint ſuſtinere cum illis, & placet quidem via ipſe ſaluator, ſed per eius anguſtias ambulare refugiunt ſola inanis tituli dignitate gloriantes. Quando enim pro Chriſto is ſanguinem funderet, qui propriæ voluntatis morbo laborans, ad omnia quæ ſuum ſtatum ac profeſſionem decent, tam languet, vt illi obedientia grauior quam quodlibet pondus appareat: Nam cum propriæ voluntatis peſtilens morbus interiorem animi cum reliquis ſenſibus guſtum hebetauerit, non illi ſapiunt diuinæ laudes, quas etiam tranſcurrendo ſeu quaſi tranſglutiendo ita exequitur, vt aut ſuper ardentes prunas incurriſſe, aut amaram aliquam potionem ſumere videantur: Non ieiunia, non vigiliæ, non aliqua corporis caſtigatio, aut ſi quod eſt aliud ſancti ordinis ac diſciplinæ ſpiritualis exercitium, placet, quippe qui corde mundanis deſideriis malè affecto nil niſi ianua & pernicioſa, ſuæq́ue ſaluti (vt ſolet ægrotus) contraria meditetur. Vagus & inquietus, ad diſciplinæ clauſtralis obſeruationem impatiens relaxationes ac licentias quærit, quibus & interior mentis armonia diſſoluitur, & vigor ille maſculus quo monaſticæ profeſſionis rigor obſeruatioq́ue intenditur, eneruatur. Eneruat enim, vt beatus Bernardus ait, animam præſentium conſolatio, quam roborat expectatio futurorum. Quid igitur fratres mei, quid hoc monſtro horribiliùs: imo verò quid miſerius: Quærit requiem, & non inuenit, à qua etiam tantò longius excurrit, quantò magis ſua deſideria ſequens circa ſeipſum aſſiduè rotatur. Nonne ergo chimeram qui eiuſmodi eſt, aut laruam repreſentat, qui habitu, tonſura & nomine Deo & hominibus mentiens ſub ſpecie pietatis & religionis Chriſti impendiis mundo ſeruit: Vos autem, fratres chariſſimi, veſtræ profeſſionis memores, Chriſti imitatores eſtote ſicut filij chariſſimi, & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis. Et nunc quidem nemo noſtrum ad

hoc adigitur, vt pro Chriſto ſanguinem ſicut ipſe ſponte pro nobis effundere compellatur, ſed ſit nobis ſaltem vita eius ad imitandum in deſiderio. Simus humiles, & manſueti,& exemplo eius ſuperioribus noſtris & ſanctæ regulæ noſtræ legibus obſequentes. Erramus vehementer, ſi hic velimus gaudere cum ſæculo, & putamus nos poſtea regnaturos cum Chriſto. Fugiamus ergo cuncta, quæ noſtro inſtituto videntur aduerſari, cuſtodiamus nos immaculatos ab hoc ſæculo, vt ſit in nobis vera ſanctáque religio. Modicum fermentum totam maſſam corrumpit, & muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti. Quid enim prodeſt nobis mundum reliquiſſe, propinquorum affectus contempſiſſe, monaſterij nos clauſtris incluſiſſe, ſi laboris noſtri corporalis ac ſpiritualis fructum contingat noſtra negligentia aut diſſolutione deperire: Ad quid obſecro tot aut importunitate extortę, aut inepta indiſcretáque facilitate conceſſæ licentiæ, quibus monaſticæ inſtitutionis antiquum decus ac dignitas in dies magis ac magis labefactatur, eneruatur, diſſoluitur? Quantam, ait beatus Bernardus, internæ conſolationis dulcedinem & gratiam diuinæ viſitationis præpedit otioſorum ſermonum & inanium nugarum vapor ad modicum parens? Quòd ſi oneroſa cuipiam videtur ſilentij diſciplina, cogitet iuxta Eſaiæ ſententiam, robur in ſilentio potius eſſe quàm onus. *In ſilentio* (inquit) *& ſpe erit fortitudo veſtra.* In ſilentio (ait) & ſpe, quia vt dicit Hieremias, *bonum eſt præſtolari in ſilentio ſalutare Dei noſtri.* Vnde & ſolitudinis olim ſectator atque laudator beatus Eucherius iucunda ſitientibus Deum & amœna quærentibus Chriſtum dicit illa ſecreta, in quibus ſilentibus cunctis, pia mens ſilentio in Deum excitata ineffabilibus vegetatur exceſſibus. Sanctos etiam patres noſtri ordinis inſtitutores legimus ſegregatis idcircò diuiſos fuiſſe habitaculis, ne eorum ſilentium & quietem mentis occurſus vllus, aut ſermo aliquis otioſus obturbaret. Eſt igitur cella monacho refugium tutum, præſidium firmum, pacis & quietis domicilium, & vt in Dei rebus proficiat, religioſæ mentis incitamentum. *Sedebit* (inquid Hieremias.) *ſolitarius, & tacebit, quia eleuabit ſe ſupra ſe.* Quantam animæ Deum ſitienti, & quæ Chriſti iugum baiulat opportunitatem ſpiritaliter promouendi ſilentium præbet & ſolitudo? O fœlix exceſſus, quo pia mens ſupra ſe eleuata vnus cum Deo ſpiritus efficitur. Ibi iuxta Oſeæ prius adductam ſententiam Deum ad ſe loquentem audit, & diuini ſuſurrij venam ſuſcipiens illi deſponſatur in fide, ibi lactatur, ibi manna illud quod ſolum nouit, qui accipit, prægustat, quo guſtato deſipit omnis caro. Ergo & nos affectu & virtute ſtudeamus præſtare, quod nomine & tonſura promittimus. Monachus ſolitarium ſonat, ſolitudinem igitur & ſecretum cellulæ noſtræ ſilentium ſectemur, ibi ſeipſum vnuſquiſque diſcutiat, videat quã tum promoueat, quid amet, quæ cor ſuum deſideria occupent, memineritque Chriſti magiſterio ſe eſſe indignum, ſi in ſchola eius non proficit, in qua nil eſt aliud non proficere, quàm deficere. Neque enim in ſcala quam Iacob Patriarcha inſomnis contemplatus eſt, ſtantes aliquos, ſed aſcendentes vidit, aut deſcendentes. Denique Chriſtus dux & magiſter noſter vt in gloriam ſuam intraret, exultauit vt gigas ad prę currendam viam, & per violentiam crucis aditum ſibi & ſequacibus ſuis aperuit. Et nos quoq; ſi velimus ad eum pertingere, dilatato corde curramus poſt ipſum in odorem vnguentorum eius. Neque in hac via eſt nobis ſegniter ambulandum, violentia opus eſt, quia in ea quantò ardentius, tantò etiam leuius & facilius curritur, in qua velle quieſcere, nihil

eſt

eſt aliud,quàm laſſari. Currendo enim vegetiores fortioreſque efficiemur,ita vt quæ retro ſunt obliti ad anteriora ſemper altioraque aſpiremus, cõtendamuſque. Quamobrẽ ſi quid cordis noſtri angulos perſcrutantes deprehẽderimus,quid nos ab itineris ſiue curſus nondum finiti intẽtionem reuocet,aut remoretur,id abominantes execrãteſque à nobis procul abigamus. Proponamus nobis ſanctorum ſanctarumque exẽpla, & diuinas ſcripturas aſſiduè meditãtes his quaſi foculis fomentiſque excitetur in nobis ignis ille, quem Dominus Ieſus venit mittere in terram,& quem vult vehementer accendi. Ipſe eſt ignis purgans,illuminans & accedens omnem animam inhærentem ſibi, ignis, inquam non comburens ſed luces. O fœlix anima, quæ hoc igne purgata,illuminata,& inflammata ſui obliuiſcitur,& nil niſi vnũ quærens vnum petit,vnum concupiſcit,& ad ſupernam illam monadem ſuſpenſa intendit,& ardentibus deſideriis æſtuans non ceſſat clamare ad Dominum. *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum,ita deſidero peruenire ad te Deus,* & item, *hei mihi,quia incolatus meus prolongatus eſt,* & iterum,*fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie,vbi eſt Deus tuus? & defecit caro mea & cor meum,Deus cordis mei,& pars mea Deus in æternum,mihi adherere Deo bonum eſt,& ponere in Domino Deo ſpem meam,bonus eſt enim Dominus ſperantibus in eum animæ quærenti illum.* Qui in Trinitate perfecta viuit & regnat in ſecula ſæculorum. Amen.

Sermo eiuſdem habitus Arelate ad clerum,anno.1543.

DIcturus de dignitate officioque ſacerdotali,patres præſtantiſſimi, doleo nullam in me eſſe vim,nullam facultatem, qua tantæ rei excellentiã dignè & pro meritis valeam explicare. Quis enim ego ſum, aut quæ in me doctrina,quæ peritia,aut rerum vſus,vt materiam tam grandem debili meo ingenio ſuſtinere,aut imperito meo ſermone complecti queam? Superat quidem certè debiles meas vires moles ſuſceptæ prouinciæ, quam etiam ſi quis ex antiquis illis & præcipuis oratoriæ artis autoribus vellet attingere, non ſolum facundia non illuſtraret, verumetiam fatigatus oppreſſuſque materiæ pondere ac difficultate ſuccumberet. Vnde rem ipſam mecum conſiderans cum meæ paupertatis mihi ipſe ſim conſcius vereor ne temeritatis mihi nota inuratur, qui tam graue onus debilibus meis humeris ſuſtinendum putauerim. Quid igitur faciam:eloquar, an ſileam:homini namque indiſerto ac penè infanti de re aliqua præſertim ardua loqui difficilè, cõtra verò ei qui fidem dederit,ſi fidem frangat & promiſſa non præſtet,turpe eſt. Sed quando alterius è duobus alea mihi ſubeunda eſt, malui à vobis indoctus imperitúſque quàm vanus aut perfidus iudicari. Quamquam me animat,& dat loquẽdi auſum ille qui dicit: *Aperi os tuum, & ego adimplebo illud.* Neque enim putandum eſt, eius nobis auxilium defuturum, vt quod induſtria noſtra minus poteſt, gratia eius non ſuppleat, vbi de rebus quæ ad illius pertinent cultum ſermo à nobis inſtituitur, ſed & veſtra etiam humanitas me inuitat, & ad dicendum ipſa etiam mihi fiduciam ſubminiſtrat. Vnde ſi quid à me inconcinnè aut imperitè dictum erit, vt ab indoctis imperitiſque dici ſolet pleraque omnia,eò facilius me à vobis veniam impetraturum confido, quod ad hanc prouinciam ſubeundam non tam mea ipſius ſponte quàm aliorum perſuaſione atque impulſu adactus ſum. Magna igitur & non mediocri veneratione digna eſt ſacerdotalis functio: vtpotè cuius ſummam eſſe dignitatem inde cognoſcimus,quod communicato cum angelis vocabulo & munere di-

uinæ ad populos voluntatis ſacerdos deſtinatur interpres & nuntius. Labia ſiquidem ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam,& legem requirũt ex ore eius,quia angelus Domini exercituum eſt. Neque enim ſibi quiſquam hũc aſſumit honorem,ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.Nam etſi poteſtas nulla eſt niſi à Deo, attamen tantò magis hæc inſtitutio Dei eſſe videtur, quantò animarum cura quàm reipublicę adminiſtratio dignior eſt gradus ipſe ad Chriſtum muneris functione ſimul & nominibus propius accedit.Cum enim lucem ſe mundi Chriſtus appellaſſet, quam qui ſequeretur, non ambularet in tenebris,hoc etiam nomeu cum Eccleſię ſacerdotibus cõmunicare voluit,cũ dicit:*vos eſtis lux mundi, non poteſt abſcondi ciuitas ſuper montem poſita,neque accedunt lucernam & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt qui ingrediuntur lumen videant*, & quemadmodum in fabrica corporis humani ſublimiorem oculi locũ obtinent,ita in Eccleſię corpore myſtico ſacerdotes,& quemadmodum oculorum lumine præuio atque ducatu corpus mouetur atque dirigitur,ſic etiam ſacerdotum exemplo atque doctrina illuminati cæteri per viam quæ Chriſtus eſt, tuti gradiuntur. Vnde mundi ſanctiq́ue eſſe iubentur:*mundamini*(inquit)*qui fertis vaſa Domini*, & item,*ſancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum. Sancti eſtote* (inquit) & rationem quare eos ſanctos eſſe oporteat, ſubdidit:*quoniam ego ſanctus ſum*.Nimirum ſui imitatores vult eſſe ſacerdotes, quod de ſeipſo Paulus Apoſtolus confirmat,quia iuſtum valdè eſt, vt qui ſacris functionibus cæteris altiùs ſublimantur, à terrenis actibus alieni Chriſti gerere vices non tam gradus eminentia quàm vitæ integritate & ſanctimonia proteſtentur.Nam eos Dei vicarios eſſe quis neſciat? Chriſtus etenim ſecũdum ordinũ Melchiſedec ſacerdos ſummus ac verus ſemetipſum pro peccatis noſtris obtulit hoſtiam immaculatam Deo,vt pro nobis intercedens inter Deum patrem & homines mediator adſiſteret, qui corpus ipſum ſuum quod pro nobis traditurus erat in mortem, & ſanguinem qui pro noſtra redemptione & ablutione ſcelerum fundendus erat,ſub ſpecie panis & vini inuiſibili ineffabiliq́ue ſuæ diuinitatis potentia conſecratum diſcipulis ſuis tradidit, eiſq́ue ac ſucceſſoribus eorum ſacerdotibus poteſtate conſecrandi tradita ita diſpoſuit,ita ordinauit, vt ſumentes ipſi aliis ſumendum adminiſtrarent, idq́ue in ſui memoriam facientes illum amoris exceſſum & admirandam ineffabilemq́ue erga nos pietatis dignationem recolerent reconciliandæ inter Deum & homines pacis Chriſti exemplo mediatores effecti. Oſtiarius etiam regni cœleſtis, imò verò (vt magis ad veritatem appoſitè loquar) oſtium Chriſtus eſt,& clauis Dauid,*qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit*.Per illum enim cœli nobis aditus patefactus eſt,& per illum acceſſum habemus ad patrem,ad quem ſine illo nemo venire poteſt.Quæ quidem poteſtas cum tanta ſit eius tamen noluit Eccleſiæ ſuæ rectores eſſe exortes, quibus ligandi atque ſoluendi facultate conceſſa,conceſſit etiam vt cœlum verbo clauderent, & cœli ſeras verbo reſerarent. Medicum inſuper ſeſe nobis exhibuit pius Ieſus,de quo virtus exiens ſanauit omnes oppreſſos à diabolo, & variis morborum languoribus malè affectos reſtituta ſanitate incolumes reddidit. Sed in id maximè pius ac ſolers medicus noſter intendebat, vt animarum langoribus mederetur,ipſe enim Samaritanus ille eſt, qui hominis, id eſt humani generis ab Hieruſalem in Ierico deſcendentis plagas miſeratus infuſo vino & oleo alligauit,& ſtabulario id eſt vnicuique veſtrum curam illius mandauit, ſanandiſque animi morbis Eccleſiæ ſacramenta pro remedio tradidit. Quid autem ipſum nunc ex Euangelio dicentem audiuimus?

Ego

Ego(inquit)*ſum paſtor bonus.*Bonus vtique paſtor Ieſus eſt, qui relictis nonaginta nouem ouibus, in deſerto illam quæ aberrauerat,requiſiuit, inuentámque propriis humeris reportauit ad gregem. Pro qua etiam mori dignatus charitatis formam quam commendatis ſibi ouibus Eccleſiæ paſtores exhibere debeant, oſtendit. *Ego* (inquit) *ſum paſtor bonus,bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis.* Ecce qualem paſtoribus imprimit formam. Bonus paſtor ille eſt,non mercenarius, qui commodorum ſuorum oblitus ita ouium curæ incumbit, vt pro illis ſit paratus occumbere. Proinde ſeſe vnuſquiſque veſtrum interroget, & perpendat ſi pro commiſſis ſibi gregibus promptus ſit & paratus animam ponere, vt ſit paſtoris nomen atque officium ſibi non immeritò valeat vendicare. Alioquin fruſtra & in magnam animæ ſuæ perniciem paſtoris ſibi inane nomen aſſumpſerit, qui ſolis lucris inhians, aut ſine cura & onere honoribus gaudens peruerſis moribus tantæ dignitatis dedecorat auctoritatem & nominis. O dignitatis excellentiam, ô gradus ſublimitatem, ô functionis præſtantiam ipſam Angelorum etiam naturam tranſcendentem.Cum enim aliquando Angelorum conceſſum eſt, vt Chriſti corpus ſacro ore conficiat: Cui aliquando Angelorum dictum eſt: *Quodcunque ligaueritis ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolueritis ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Cui Angelorum aliquando dictum eſt : *Paſce oues meas.* O gradus igitur & dignitatis eminentiam, vt ſacerdos ſacras Chriſti Domini vices gerens diuinis functionibus & titulis honoretur.Tanto maiore igitur probro confuſionéque digni ſunt hi qui honorem quo ſublimati ſunt non intelligentes gloriam ſuam in ignominiam conuerterunt, & comparati iumentis inſipientibus, ſimiléſque illis effecti gradus ſui auctoritatem deprimunt, & honeſtatem nominis labefactant. Hi ſunt qui pro lumine fumum populis tenebráſque offundunt, & qui iter in cœlum deberent populis aperire, illis vias ſæculi latas quibus itur ad mortem turpiter viuendo commonſtrant, qui pro doctrinæ ſanctæ medicamento venena malæ conuerſationis & perſuaſionis propinant. Qui denique in ouile Domini non per oſtium, qui Chriſtus eſt, ſed aliunde ſubeuntes ad hoc veniunt vt furentur & mactent & perdant. Heu pietas, heu priſca fides, hic iam quæritur inter diſpenſatores vt fidelis quis inueniatur.Sed quotus quiſque eſt, qui piè, qui fideliter munus obeat ſuum : Quotus quiſque eſt, qui non ſua magis quam Chriſti, aut ouium commoda inquirant. Hic languidæ oues quas Chriſtus ſanguinis ſui pretio æſtimauit, ſpiritali impetigine, & ſcabie fœda, & mille aliis vitiorum morbis afflictæ in luxuriæ aliorúmque ſcelerum deuexa inductæ paſſimque corruentes membra humo attollere nequeunt. Nemo enim cœleſtis ſuæ originis memor cœleſtia æternáque meditatur, omnes terræ latóque affixi caduca ſolum & vana inquirunt. Siccine igitur Chriſti ſanguis, ſiccine pro gregibus à bono paſtore paſſio tolerata contemnitur : Siccine, inquam refrigeſcente in dies in Chriſtianorum & maximè ſacerdotum cordibus charitate iniquitas ſumptis viribus augetur & creſcit: Et miramur ſcilicet, ſi Eccleſia Chriſti falſis dogmatibus impugnatur,ſi fluuiorum illuuionibus arta fatáque obruuntur, ſi peſtilentiæ morbis humanum genus affligitur, ſi denique bellorum tumultibus, aliiſque atque aliis cladibus orbis concutitur, quando deficiente fide & frigefacta charitate malitia vbique & ne-

quitia dominatur? O facinora, ô ſcelera inaudita, ô ſatis nunquam Eccleſiæ Dei deploranda calamitas! Quo enim gemitu, quo dolore, quibus lamentis aut lachrymis quis deplorare dignè queat detrimenta, quæ à falſis quotidiè ſacerdotibus Eccleſiæ inferuntur? Nam vt ſingula quæ de hac re in hanc ſententiam dici poterant, omittam, quale eſt hoc, vt à Vicariis Chriſtus in ſuis ſeruis, in ſuis pauperibus nuditatem, inediam, & ſuarum ipſius rerum penuriam perpeti cogatur? Itáne comparatum erat antiquis vt Eccleſiæ bona quæ ſeruorum Dei & pauperum vſibus deputanda erant, in venaticos canes & accipitres, in commeſſationes, & crapulam (vt interea ſcorta prætermittam) impiè expenderentur, conſumerentur, diſſiparentur? Itáne demum aliqui natalium ſplendore referre, aut nobilitatis titulum ſuſtinere ac tueri non poſſunt, niſi de Chriſti & pauperum patrimonio tam ornati tam expoliti, tam nitenti cute & bellè depexi incedant, vt procos & Penelopes ſponſos eos potiùs quam clericos iudices? Quod ſi epulo ille diues (vt ſacra Euangelij refert hiſtoria) æternæ apud inferos maledictionis pœna mulctatur, quia res ſuas tenaciùs ſeruans pauperis Lazari miſertus non eſt, quam illi benedictionem à Chriſto in illo magno iudicij die expectare ac ſperare audent, qui pauperes Chriſti debito ſibi ex Eccleſiæ prouentibus ſubſidio crudeliter priuantur: Hi ſunt qui in Chriſti patrimonium per fas nefáſque obrepentes lucris inhiant, mercedes ſectantur, qui de bonis Domini opulenti in Sion quotidie crapulantur, qui in lectis mollibus & ſtratis ſegmentatis laſciuiunt, qui in terram ſuauiter viuentium conuerſantes, non eſt quod expectent videre bona Domini in regione viuorum. Sed quia eſt hæc mentis tam ingens cœcitas, tam effrænata inſania: Olim patres noſtri doctrina, virtutibus & ſanctitate illuſtres quando poſt detritam in ſpiritualibus ſtudiis ac cœleſtibus diſciplinis ætatem diſponente Deo ad vnius Eccleſiæ regimen eligebantur, ſeſe indignos reclamantes, & quibus tanta cura iniungeretur, minus idoneos, eam attingere recuſabant, & latere aut fugere cupientes inuiti rapiebantur, vt ne videlicet lucerna diutius lateret ſub modio, ſed ſuper Eccleſiæ candelabrum poſita aliis præluceret. Nunc hac temporis iniquitate à perditis moribus eò progreditur hominum de ſe plus æquo præſumentium inſana temeritas, vt pleroſque videas, & inter eos non paucos, quibus cum ea potiſſimùm deſint quæ ad eiuſmodi prouinciam obeundam neceſſaria ſunt, hi tamen vno quamuis opimo & pingui ſacerdotio non ſunt contenti, ſed aliis alia ſuperaddentes ſcalam ſibi ipſi præſtruere videntur, qua altiùs euecti decidentes tandem corruentéſque grauiùs collidantur, aut certè cathenam texere, qua demum in tartara detracti potentes tormenta potenter patiantur. Quid quod etiam ludentibus pueris & pene adhuc vagientibus in cunis ſacerdotia deferuntur: vidi ego quendam, cui cùm fuiſſet nunciatum vxorem partu maſculum edidiſſe & alterum iam ex ea ſuſcepiſſet, huic (inquit) procuranda ſunt ſacerdotia. Itaque prior illi cura fuit, vixdum nato, nec adhuc baptizato infantulo ſacerdotia quam baptiſmum prouidendi. Ergo ne in tantum mercedis & lucri amor inualuit, in tantúmque Chriſti ſanguis vileſcit, vt eò æſtimatæ ac comparatæ animæ iis commendentur, qui necdum ſeipſos quodammodo ſentiunt, aut quibus caſillum ceraſis aut ficis plenum commendare non audeas. Miramur igitur ſi cœcitas mentis inter tam denſas tenebras, ſi iniquitas impietáſque

pietáſque extincta charitate ac fide mortua in dies magis magíſque recrudeſcunt. Sed quia eſt hæc coniuratio, vt ab iis potiſſimum Chriſtus ſuis ipſius ſumptibus impugnetur, qui ſpiritales oues paſcendo, rem Chriſtianam doctrina, moribus, & exemplis, imò etiam ſi neceſſe ſit, ſanguine proprio tueri augeréque deberent: Hæc eſt enim vobis hodie à Chriſto paſtore bono boni paſtoris forma propoſita. *Ego* (inquit) *ſum paſtor bonus, bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis,* Hoc à vobis amoris indicium pius Ieſus exigit, vt ſi eum toto corde, totis viribus, tota mente diligitis, oues eius pia cura & ſollicitudine paſcatis, & pro earum ſalute, ſi neceſſitas vos ad id aliquando adegerit, vitam exponere non cunctemini. Nolite eorum participes fieri, qui ſub paſtoris falſo nomine ouilia furantur, oues mactant & perdunt, ſcientes quia durum iudicium in eos qui ſic præſunt fiet, & potentes, vt antea diximus, potenter tormenta patientur. Videte, obſecro, vocationem veſtram, & diligenter animaduertite, & ſi quidem à Deo tanquam Aaron vocati eſtis, per bona opera certam oſtendere vocationem veſtram contendite. Proferte igitur ſubditis vobis ſacræ doctrinæ & cœleſtis atque Angelicæ conuerſationis lumen, vt ſpiritualibus diſciplinis inſtructi illuminatíque, & veſtro exemplo prouocati per viam anguſtam quæ in cœlum ducit, gradiantur. Aperite ſubiectis portas iuſtitiæ, vt in eas ingreſſi confiteantur Domino. Adhibete languētibus medicinam, paſcite greges, paſcite, inquam, eos mente, ore & opere, ne deficiant in via. Mente quidem, vt pio affectu Deum aſſiduè pro ipſis cōprecemini, ore, vt ſponte ſequentes & in Dei rebus ſtrenui alacréſque veſtra exhortatione magis magiſque promoueant, pigriores verò aut renitentes, & qui in nocte peccati dormiunt, ſalubri increpationum veſtrarum fremitu excitentur. Et quia plus ad excitandum efficaciæ habent exempla quam verba & doctor qui fecerit, & docuerit, inter magnos reputabitur in regno cœlorum, ita illos virtutibus veſtris & bonis exemplis paſcite, vt doctrinæ & hortationibus veſtris vita conſentiens bonum vobis apud Deum gradum acquirat. Et cum horrenda illa magni iudicij dies aduenerit, ad dexteram cum ouibus collocati piam illam inuitantis vos Domini vocem audire vnuſquiſque veſtrum mereatur: *Euge ſerue bone, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium domini tui.* Et item, *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod paratum eſt vobis à patre meo.* Ad quod gaudium & regnum nos perducat Ieſus Chriſtus paſtor bonus, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Eiuſdem ſermo in funere nobilis Guillielmæ Luperiæ Taraſconenſis.

VNde tanta hæc frequentia: vnde tantus non ciuium modo, verumetiam exterorum concurſus: Nimirum agnoſcitis, vt video, dilectiſſimi, præſtantiſſimíque viri dies hos publicis omnium lachrymis & mœroribus conſecratos, agnoſcitis, inquam, hos dies Guillelmæ Luperiæ funeri deſtinatos, & quam in hac vita degentem ſummo honore & amore proſequuti eſtis, defunctam quoque debitis officiis & ingenti pietatis ſtudio proſequendam duxiſtis, dum videlicet vnuſquiſque veſtrum illi parentare & iuſta perſoluere pia ſedulitate contendit. Ecce enim tot funalia rutilantibus incenſa flammis nobilium, in nobilem fœminam animos indicarunt, & qui mediocri atque infima conditione ſunt, etiam ipſi quam intenſum

in eam affectum haberent,quibus valuerunt indiciis declararunt. Quòd cum à vobis factum ſit,nonne ſententiam illam quam de ipſa nono aut decimo (ni fallor) abhinc die protuli, confirmare voluiſtis: dixeram enim illam idcirco omni laude fore digniſſimam,quæ tametſi nobiliſſimis vtrinque natalibus orta erat,attamen non iis tantum quantum ſuis ipſius virtutibus nobilitata videretur. Vnde alij fortè repetant, & genus illius ab incunabulis recenſentes eam idcircò laudibus tollant,quod ex ſuperiorum nobiliſſima familia patrem habuerit:Eſt enim ea ſicut noſtis, ciuitatis huius aut prima, aut inter primas facilè numeranda,vtpote quæ tot illuſtres atque inſignes viros protulerit,qui & à veſtra republica & ab ipſis etiam regibus publicis muneribus honeſtati magnum, alij doctrinæ, alij rei militaris,alij aliarum virtutum ſpecimen præbuerunt. Proferant etiam maternum genus ex clariſſima Sedoneſium familia traxiſſe originem, quæ cum ſit inter ciues Auenionenſes non infima, tantò illam clariorem exhibere contendat, quantò plures auorum, proauorúmque titulos numerare poſſunt.Alij naturæ,alij etiam fortunæ dona dotéſque in ea collaudent,quæ quoniam ad ſolius corporis vſum,cultúmque magis quàm animi pertinere videntur, nec quiſquam iis melior aut iuſtior effici poteſt, aliò meus ſermo, aliò mentis meæ deſtinatur intentio. Neque enim illam tam prædicandam exiſtimo, quia diuitias multas & opes in vita ſua poſſederit,quàm quòd eas pro Chriſti amore contempſit,& pauperibus erogauit. Neque tam nobilem inde puto,quòd parentes nobiles & rebus geſtis claros habuerit, quàm quòd Chriſto ſeruiens patris omnium maluit paternitate cenſeri.Frigida enim atque obſcura eorum laus eſt, qui cùm ſint ipſi moribus improbis abiectiſſimi obſcuriſſimíque, ſola maiorum ſuorum gloria, & rebus ab iis bene geſtis ſeſe attollere atque illuſtrare conantur. Vnde extitit M.Ciceronis in Criſpum Saluſtium acuta reſponſio, qui cum ſeſe de nobilitatis antiquitate iactaret, & Ciceroni nouitatem obiiceret, ego inquit maioribus meis mea virtute præluxi, vt ſi priùs noti non fuerint, à me incipiant initium memoriæ ſuæ, tu tuis vita quam turpiter egiſti, magnas, offudiſti tenebras, vt ſi fuerint egregij ciues, certè venerunt in obliuionem.

Cui non longè diſſimilis illa fuit; quam Alexandro Macedonum Regi Diogenes Cynicus obiecit. Nam cum ſe ab illo contemptui haberi cerneret, vt ſibi ab eo tanquam regi debitum, vt ipſe putabat, honorem extorqueret: neſcis (inquit) me Alexandrum Regem eſſe: Regem, inquit, ille ego te exiſtimem: Imo verò tantùm abeſt te à me regem putari, vt etiam ſeruorum meorum te viliſſimum mancipium ducam. Iam enim tot annis ebrietatem, libidinem, ſuperbiam, & cætera id genus vitiorum portenta rationis imperio mihi ſeruire coegi, quibus tu quotidie addictus miſerrimo ſeruitutis genere ſeruire compelleris. Hinc eſt quod ſapientem viro forti & eum qui dominatur animo ſuo expugnatori vrbium diuina ſcriptura præferendum dicit. Vnde quis neget Guillermam noſtram veriùs regnaſſe dum viueret, quàm Alexandrum ipſum aut Caium Cæſarem tot vitiorum cupiditatibus quaſi Tyrannis crudeliſſimis ſeruiẽtes? Aut quam Semiramidem illam Babyloniæ reginam rebus quidem bellicis illuſtrem, ſed omni libidinum genere turpiter æſtuantem? Quis, inquam neget digniorem fuiſſe reginæ vocabulo,quàm Cleopatram,quæ ſceptri regnique gloriam ac decus vitę turpitudine maculauit,fœdauit,conſpurcauit? Vnde & nunc in cœlis illam glorioſiùs regnare credendum eſt, quandoquidem

in hac

in hac vita dum eſſet, ieiuniis & ſobrietate vallata, ventris ingluuiem intemperantiamq; frenauit, pudicitia & caſtitate libidinis ardorẽ extinxit, frugalitate luxum, grauitate petulantiam, prudentia temeritatem coërcuit, modeſtia & animi ſummiſſione ſuperbiam faſtumque deiecit, proſtrauit, ſuppeditauit, & ſingulis vitiis ſingulas virtutes obiiciens de regno ſui pectoris quaſi barbaris hoſpitibus perturbatis habitatores in ipſum pacificos pios videlicet cogitatus & cœleſtium rerum ſancta deſideria, imò bonorum iſtorum omnium caput autorémque Chriſtum introduxit. Eſt enim anima iuſti diuinæ ſapientiæ ſedes, & vt alio loco ſcriptura commemorat, ſuper humilem & quietum & trementem verba Dei ſpiritus ſanctus requieſcere conſueuit. Quis igitur inficias ibit cum Guillierma noſtra commodiùs quàm cum potentiſſimis quondam illis regibus actum eſſe, qui olim potentes in ſæculo, nunc in inferno potenter tormenta patiuntur, cum Guillierma noſtra de ſæculi huius edicta laborioſo certamine ſempiterna requie perfruatur? Illi quondam voluptatibus ventris addicti dapibus exculentioribus & ebrietate diſtenti, nunc ſuprema media laborantes frigidæ aquæ guttulam cum epulone illo diuite in linguam ſuam inſtillari fruſtra deſiderant. Guillielma dum hic eſſet eſuriens ſitienſque iuſtitiam ieiuniis & ſobrietate promeruit, vt in cœlo nunc cœleſtis ambroſiæ dulcedine apparente ſibi Dei gloria ſatietur. Illi quondam fœtidi corporis voluptatibus obſequentes libidinis ardoribus æſtuarunt, quos nunc horrendum illud tremẽdumque gehennæ torret ac ſine vllo fine torrebit incendium. Guillierma ob caſtitatis meritum beatiſſimis illis ſanctarum & viduarum choris admiſta fructum ex Euangelio ſexageſimum poſt lachrymas nunc cum gaudio metit. Illi ſuperbiæ faſtu inflati elatique olim nunc ſempiterna confuſione in tartara deiecti dentium fremitu ac ſtridore tormenta quæ miſeri tolerant, proteſtantur. Guillielma humilitate in cœleſtem gloriam prouecta ſanctus ſanctus cum beatiſſimis angelorum agminibus lætabunda decantat. Illi denique tot in inferno tortoribus cruciantur, quot in hac vita dum eſſent, criminibus ſeruierunt. Guillielma tot coronis triumphiſque decorata nunc fulget, quot virtutibus armata, vitia ſubiugauit. O igitur verè nobilem fœminam, ô fœminam verè illuſtrem. Quis non ambiat Guilliermæ veſtigiis inſiſtendo ad beatam illam & cœleſtem patriam peruenire potiùs, quàm cum potentiſſimis illis pro momentaneis huius vitæ gaudiis & voluptatibus æternos dolores & nullum habitura finem ſupplicia commereri? Illi in exitu ſuo de hac vita triſtem excepere ſententiam, ite malecti, ite reprobi, ite inquam damnati in ignem æternum, qui diabolo & miniſtris eius quales vos fuiſtis, præparatus eſt. Illa è contra, clementiſſimam illam Domini ſui ſe inuitantis vocem audire promeruit: *Veni de Lybano dilecta mea, venicoronaberis.* Et item: *euge famula bona, euge fidelis ancilla, euge inquam benedicta patris mei, intra in gaudium Domini tui regnum adeptura quod præparatum eſt tibi ab initio ſæculi.* Cui igitur lachrymas debemus? Gullielme ne, quæ in cœlis nunc victorioſa triumphat, an nobis potiùs, quos non modo aduerſa, verumetiam proſpera mundi impugnant? Non eſt igitur, non eſt vnde illam diutiùs lugeamus, quæ benedictionem æternam hæreditate conſequuta gratulationem magis quàm luctum aut lachrymas exigit. Nam etſi gemitum ipſe humanus ſuggerit affectus, flere tamen nos fides vetat eam quæ de huius corporis laborioſo ergaſtulo ad requiem, & de tenebris ad perennem lucem meruit transferri. Quod quidem ipſum etiam vna ex diſcipulis & ſpiritalibus meis alumnis pro ſua in eam charitate

ego viatorem ad lachrymas meo carmine inuitassem, in contrarium nititur persuadere. Sunt autem hæc, quæ vobis nisi molestum est recitabo.

Condita Guillelmæ recubant hic ossa, viator
Siste gradum, & gemitus funde benignè pios.
Hanc luxere senes, pueri, innuptæq; puellæ,
Huic fletus mœstos sexus vterque dedit.
Nobilis & quisquis minima est de plebe doloris
Non dubitanda grauis signa dedere sui.
Præcipuè tamen orbatus nunc tristis alumnam
Hanc sibi subtractam pauper inopsq; gemunt.
Nam licèt haud dubitent animum petiisse polorum
Regna, tamen tali triste carere putant.

Reuerendo Patri Antonio à Portu sacræ Theologiæ professori Dionysius Faucherius monachus Lerinensis. S. P. D.

QVam vellem, humanissime Pater, scripta mea esse idonea, quæ à viris doctis qualis tu es, desiderari meritò viderentur. Tibi quidem homini maximè meritò meíque amantissimo negare nihil possum, sed præter obligationem qua tibi obstrictus sum, accederet etiam ad tibi obsequendum animus propensior atque alacrior, si non vererer ne doctas aures tuas & tui similium sermo incultus offenderet. Verum quia ita vis, licet mihi apud te ineptire potiùs, quam tuis optatis resistere. Breuem autem quam petis orationem esse oportuit, tum quia tempus breue erat, tum etiam ne adstantium aures intempestiua sermonis prolixitas oneraret, vt interea sileam ætatis meæ iam labentis incommodum, quo fit, vt ad multa memoriæ mandanda & recitanda sim segnior. Vnde & locos in hoc dicendi genere communes breuiter strictimque attigi potiùs quàm tractaui. Tu verò pro tua in me singulari humanitate hoc qualecumque studium meum gratanter accipies, cui ego animum applicui magis vt tibi tuisque obsequerer, meumque in defunctum & in vos amorem ostenderem, quam vt cui tale onus imponeretur, me idoneum iudicarem. Vale, & nos vicissim ama. Lerinæ nono Calendas Iunij 1554.

Dionysij sermo in funere Petri à Portu præpositi Vencensis Ecclesiæ.

HÆc olim apud antiquos patres nostros Ecclesiæ Principes, vt D. Dionysius inquit, inoleuerat consuetudo, præstantissimi patres ciuésque egregij, vt defunctorum laudes in sancta fidelium congregatione publicè recitarentur. Inde enim & pia defunctis debitáque memoria præstatur, & ad imitationem virtutúmque studia adstantium corda prouocantur. Qui quidem mos cum à prosperis quoque receptus sit, & ad nostra hæc vsque tempora obseruatus, doleo eam in me non esse facultatem sermoniſque copiam, qua demandatum mihi munus exequens vestræ de me opinioni atque expectationi respondeam. Quis enim ego sum insciticæ scilicet atque ignorantiæ tenebris vndique obsitus, vt egregiorum hominum laudes imperito sermone meo recẽseam? Non ergo ingenij fiducia aut eloquio, sed vestra humanitate hac beneuolentia fretus rem hanc mihi à vobis iniunctam atque impo

impoſitam ſuſtinendam ſuſcepi. Sed & ipſe me maximè animat dicendique auſum ſuggerit pius amor, quo me hic de quo ſermo nobis futurus eſt, iam inde à pueritia ſua eſt proſequutus. Cuius etiam euidens ſignum in eo declarauit, quod in extremis vitæ ſuæ diebus me vnũ ex iis qui ſacris funeralibus ſuiſque parentalibus intereſſent nominatim expreſſit. Vnde officium meum eſſe duxi amico defuncto ſaltem in hac parte vicem amoris reponere. Ingratus enim eſt, qui amantem non redamauerit. Nam ſi ex diuinæ legis præſcripto etiam inimicos iubemur diligere, quid illi facias, à quo tam pio támque amico animo ad amorem prouoceris? Quo fit, vt apud vos me facilè veniæ locum reperturum confidam, ſi ſatis dignè & pro perſonæ meritis ſuſceptæ prouinciæ munus non expleo, quia præter quam quod ſcitis me littoreis ſolitudinibus & clauſtralibus inſtitutis diſcipliníſque aſſuetum non adeò multam huic dicendi arti operam potuiſſe impendere, non ignoratis etiam minus eſſe incommodum me vobis ignorantem videri, quam in amicum, ingratum inueniri. Sed iam rem deſtinatam aggredior.

Superuacaneum fortaſſe videretur, viri præſtantiſſimi, eius qui ex ſe ſe ſatis habet vnde laudetur, patriam genúſque prædicare, niſi inde conciuibus conſanguineíſque, eorúmque poſteris ad virtutem ſtimulus adderetur, dum videlicet metuunt ne maiorum ſuorum ſtudiis deſciſcentes iis qui ſibi præluxerunt, dum ab his degenerant, tenebras offudiſſe videantur.

Originem ergo duxit Petrus hic noſter (vt noſtis) ex oppido veſtræ huic ciuitati propinquo, quod præter ſoli glebęque fertilitatem, agrorum cultum, fontium hortorúmque amœnitatem, ædificiorum murorúmque ſtructuram elegantem, cœlíque temperiem, viros etiam protulit doctrina & virtute inſignes. Inter quos è nobili Portuenſium familia quæ hunc nobis Franciſco parente produxit, non pauci prodierunt, quorum nobilitatem, non tam quæ maiorum titulis, quam quæ ſuis ipſius virtutibus nititur, partim in republica adminiſtranda ſolers induſtria ſolicitudóque diligens, partim doctrina eximia humana ſimul atque diuina, ſed & quæ omnium caput eſt, in Dei rebus ſpectata fides, pietas & religio commendauit. Verùm quia ex iis complures adhuc ſuperſunt, qui his animi inſignibus decorantur, quos & ipſi melius noſtis, ne fortè cùm defunctum laudare aggredior, viuentibus adhuc videar aſſentari, in his commemorandis non diutiùs immorabor. Quamquam nullos eorum eſſe arbitror tam interiori lumine ſenſúque priuatos, qui quicquid boni habent, non à ſummo bonorum omnium largitore Deo ſe adeptos exiſtiment, ad quem ſolùm laus & gloria tota referatur. Clementem verò à Portu quia dudum vita functus eſt, præterire non debeo. Qui cum eſſet rebus temporalibus locuples, ditior tamen virtutum ornamentis atque inſignibus extitit, homo erga Deum valdè pius, & erga homines iuxta inditum ſibi nomen clementiſſimus, meíque quandiu vixit, amantiſſimus, quem ob virtutum merita non poſſum non cum laude & deſiderio memorare. Inſuper & Franciſci hinc abſentis huius de quo nunc agimus, genitoris venerandam caniciem reticendam non puto, cui inter multa & naturæ & fortunæ dona virtutúmque merita hoc à Deo optimo maximo conceſſum eſt, vt tandiu ſuperſtes eſſet, donec liberos ſuos videret, alios legibus iuríſque prudentia, alios ſacris diuiníſque literis probè inſtructos, omnes autem & probitatis nomine & publicis muneribus honeſtatos. Sed iam ad inſtitutum vnde digreſſus eſt ſermo redeat. Eruditus igitur Petrus hic noſter à tenera ætate

parentum cura & literis ſimul & inſtitutis eccleſiaſticis imbutus eò tandem prouectus eſt, vt huius veſtræ Eccleſiæ præpoſitus Romano patruo viro doctrina & virtute conſpicuo, nominante creatus ſecundum ab ipſo Præſule in Eccleſia locum obtineret. Ad quam quidem dignitatem adſcitus talem ſe præſtitit, vt non caſu fortuito, ſed Dei prouidentia his tam iniquis tẽporibus illis præſideret, quando pullulantibus in dies nouis erroribus Eccleſia diſciplina corrupta, & ſacerdotalis dignitas creſcentibus magis ac magis abuſibus ferè ab omnibus contempta iacere videbatur. Vnde demandati ſibi muneris officio fungens ita egit, vt prudentiæ ſingularis, æquitatis, conſtantiæque, ſed & pietatis ac deuotionis in Deum, inſuper & Eccleſiaſticæ diſciplinæ obſeruandæ tuendæque dignitatis poſteris exempla relinqueret. Quis enim contra naſcentes quotidie corruptelas maiore zelo commoueri viſus eſt? Quis profanas ſacrilegaſque hæreſum nouitates acriùs inſectatus eſt? quas etiam verbis modiſque quibus poterat, cupiebat euertere. Poteram in eo quę in illum natura & fortuna bona contulerat, collaudare, quam eleganti ſcilicet & benè compacto fuerit corpore, quanta illi animi ſagacitas, quanta dexteritas ingenij, quanta in ſermone ſuauitas & familiari congreſſu adiuncta grauitate comitas fuit, quantus præterea etiam apud magnates fauor, quanta alia dignitati illius commoda accedebant. Sed quoniam hæc ad exteriorem quandam ciuilémque honeſtatem magis quam ad interiora animi ornamenta ſpectare videntur, alia nobis quæ propius attingunt, afferenda ſunt. Quoniam igitur (vt beatus Gregorius inquit) flagella quæ nos hic premunt, ad Deum nos feſtinare compellunt, didicit ex his quæ paſſus eſt, Chriſtum ſequi, & per patientiam tolerantiámque malorum illi conformis ſimiliſque fieri, & falſa mundi huius ſuauitate contempta veram cœleſtémque ſperare, & ſitire dulcedinem. *Guſtate* (inquit) *& videte quoniam ſuauis eſt dominus beatus vir qui ſperat in eo.* Et item alio loco: *quam magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abſcondiſti timentibus te, perfeciſti eis, qui ſperant in te.* Quàm amabilia ergo, & quanto cordis affectu atque honore complectenda cœleſtis patris noſtri flagella ſunt, quàm ſalubres corporis morbi, quibus animis noſtris medela ſanitaſque conquiritur, & quibus ſpiritus vegetatus docetur quæ ſurſum ſunt quærere, vbi Chriſtus eſt, in dextera Dei ſedens, quæ ſurſum ſunt ſapere, non quæ ſuper terram. *Quando infirmor*, ait Apoſtolus, *tunc fortior ſum & potens, quia virtus in infirmitate perficitur.* Hinc illud eſt, quod cum multa in eo eſſent, quæ diuina laude meritò viderentur, nihil tamen laudandum magis magiſque admirandum reor, quàm quòd tam longa diutinaque non morbi vnius, ſed diuerſorum tam grauium moleſtia fatigatus cum eſſet, nullum tamen genus eorum tam atrox acerbúmque fuit, quòd illum de patientiæ & conſtantiæ gradu deiiceret. Cùm enim pedum membrorum omnium incommoditate laboraret, ſtomachi langore perpetuò non tam vexari, quàm obrui penitus atque opprimi videretur, cùm, inquam, tam multis tamque intenſis doloribus æſtuans anhelaret, attamen inter illas diuerſarum ægritudinum anguſtias lætus pro captu ſuo & vultus hilaritatem præferens tanquam qui de manu Domini & cœleſtis Patris omnia ſumeret, illum quibus poterat verbis collaudabat. O laudabilẽ igitur, ô felicẽ virum, ô inquã virũ, ter quatérque beatum, qui diuinis flagellationibus caſtigatus, dignus inuentus eſt, qui inter Dei filios cenſeretur. Quod enim diuinæ adoptionis indicium euidentius eſſe potuit, quam vt beati viri Iob & Tobiæ

cætero

cæterorúmque ſanctorum exemplo Deum inter flagella benediceret, & trium puerorum exemplum in camino Deum laudantium imitatus in tribulationum fornace laudaret atque magnificaret? Didicerat nimirum in afflictionibus conſtitutus & ſpe bona in Deum animatus quia ſicut vaſa figuli probat fornax & ſicut aurum igne argentúmque examinatur, ita & homines iuſti tentationum igne purgantur, vt purgati tandem & ab omni ſcoria exuti digni atque idonei fiant, ex quibus vaſa in honorem cœleſtis aulæ vſibus fabricentur. Didicerat quia quem diligit Dominus caſtigat, & flagellat omnem filium, quem recipit. Quis enim filius, quem non corripit pater? Didicerat eos qui ad Dei veniunt ſeruitutem & qui piè volunt in Chriſto viuere tribulationes perpeti, & ad eas perferendas illos præparari oportere. Didicerat denique beatos eſſe qui hic lugent, quoniam illic conuerſa in gaudium triſtitia conſolabuntur, quia non molli aut delicato itinere in cœlum non per viam latam & ſpatioſam, ſed per anguſtam crucis viam multis ſudoribus ac doloribus peruenitur. Neque enim ſeruus maior eſt Domino ſuo, neque conſentaneum eſt, vt ſub ſpinoſo capite membra delitiosè viuant.

Sed nunc te appello, Petre ſuauiſſime, ad te, inquam, nunc meus ſermo dirigitur, cui rogo luctum lachrimáſque debemus: Tibíne an nobis Tibi, qui poſt erumnoſam hanc & tædiis plenam, periculoſámque vitæ huius enauigationem portum ſalutis æternæ ſuperatis per patientiam tentationum fluctibus apprehendere meruiſti, an nobis qui adhuc in hoc mari magno in quo animalia ſunt puſilla & magna & reptilia, quorum non eſt numerus, quæ noſtro quotidie exitio imminent & vbi iactati tentationum fluctibus anxij & de noſtro fine ambigui ſuſpiramus: Nonne, inquam, nos gemitus & lachrymæ magis decent, qui adhuc denſa tenebrarum caligine circunfuſi graui mortalitatis huius pondere premimur, & quos non ſolum anteactæ vitæ recordatio, ſed futurorum etiam malorum metus & trepido terret. Tibi verò piè gratulandum eſt, quia in patientia tua poſſediſti animam tuam, & in exitu tuo de corporis carcere occurrentis tibi Chriſti vocem placidam audire meruiſti: Euge ſerue bone & fidelis, quia in aduerſitatibus patientiam & fidem firmam ſeruaſti, intra in portum & in gaudium Domini tui, vt æterna benedictione ditatus inter Dei filios ſortem ſocietatémque acquiras. *Pretioſa enim eſt in conſpectu Domini mors ſanctorum eius, & beati mortui qui in Domino moriuntur.* De quorum numero te piè vnum eſſe credimus, quibus à modo iam dicit ſpiritus: *Vt requieſcant à laboribus & doloribus ſuis.* Qui nos hinc abeuntes præceſſerunt cum ſigno Chriſti & teſtimonio fidei, & nunc obdormiſcunt in ſomno pacis, in portu & loco refrigerij lucis & quietis. Ad quem portum & quietem nos perducat Ieſus Chriſtus, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Epitaphium Petri à Portu Præpoſiti Eccleſiæ Vencienſis Dionyſ.

Sub lapide hoc dudum vario vexata dolore
Petri Præpoſiti condita membra iacent.
Mortua membra iacent, ventis mens vecta ſecundis
Optatos portus non morituratenet.

EIVSDEM DIONYSII EPISTOLÆ.

Reuerendo Patri Gregorio Cortheſio Abbati S. P. D. Dionyſius.

QVod me tam pio ac paterno affectu admones, & aduenisſe me incolumen exanimo gratularis. Gregori pater, agnoſco veterem tuam in me beneuolentiam. Quæ tametſi multo mihi euidentioribus ſignis iamdudum perſpecta eſt, quam vt ea res nunc demum mihi cognita eſſe incipiat, eius tamen ſignificatio longè mihi gratior eſſe ſolet, iucundiorque, quam vt verbis vllis poſſim explicare. Vnde ex humaniſſimis litteris tuis tantum gaudij percepi, quod ad cumulum nihil poſſe accedere videretur, ſi non in hac parte mihi moleſtiam facerent, quod dum plus ſatis in me humanus ac Cortheſius es, ingratus imò verò impius mihi videor, qui non in id operam dederim, ne officium quod pro pietate quam tibi debeo meum fuerat, anteuerterem. Sed quod meas partes mihi prripueris, in cauſa fuit primùm ingens tua humanitas, qua etſi me abs te ſuperatum negare non audeo, nunquam tamen efficere poteris, vt tibi in amore concedam. Præterea quod in promptu non habeo, cui rectè litteras dem, vt interea priſtinas curas ſileam, ad quas cum ego ſingulari quodam fato natus mihi videar, eodem reuolutus molendinariam turſus exerceo, & qui iam expectabam tanquam rude donatus coronam variatis nominibus ordinibuſque verborum ac rhetorum floſculis, vt ille apud Paſquillum, ex parataticis parachimenis & aoriſtis intextam promereri, eodem iterum ludo incluſus cum caſibus & generibus ſpecies ſimul & tempora conterens molam toto quamuis debili, pectore quotidie trudo. Verum charitas quæ omnia ſuffert, mecum pariter molens laboris bonam partem ſuſtinet. Prælegimus autem (quoniam tibi ſtudiorum noſtrorum rationem poſtulas explicari) carmen Actij Sinceri de partu virginis, videlicet quod ea res his diebus maximè conſentanea videatur, præterea Ciceronis librum de amicitia. Quibus lectionibus multi interſunt, & mirum eſt quanto in his amore ac ſtudio ſeſe iuuentus exerceat, beneficiis etiam mecum certant, & pro ſuo quiſque officio nititur, quo mihi laboris huius tædium ſubleuet. Sed de his hactenus. Hæc autem ad te ſcripſi non ſatis forſitan habita dignitatis tuæ ratione, ſed meus in te amor ac tuus in me viciſſim & tua humanitas ineptiendi mihi fiduciam dedit, inſuper quod verboſam à me poſcebas epiſtolam, cuius argumentum, quo cartam implerem in præſentia non habebam. Nam ſi tibi totius elapſi triennij ſtudia enarrare velim, quibus aſſiduè deſudaui, cū aduerſus peſſimas beſtias depugnarem, tempus ad ſcribendum non ſuppeteret. Quocirca hæc in meum ad te aduentū defero. Cupio enim te corā alloqui, & quoniam tu me tam benignè inuitas montes etiam aureos promittens, cum mihi nunquam iſtuc veniendi cupido aut voluntas inceſſerit, ſola tui videndi occaſio id mihi deſiderium excitauit. Vale. menſe Decembri ex agro Mantuano.

R. Patri Gregorio Cortheſio Abbati, Dionyſius monachus S. P. D.

ANno præterito nullas ad te litteras dedi, non obliuione quidē tui, quem mihi excidere tā difficile puto, vt mei quam tui facilius obliuiſci poſſe videar. Sed cum te in Germaniā profectum eſſe Pauli Pontificis iuſſu accepiſſem, debitum tibi à me officium intermiſi. Nuper verò cum à Laurentio Cremonenſi de te percunctarer, nuncium mihi attulit, quo gaudere an dolere debeam nondum ſatis conſtitui. Nam te tam graui morbo laboraſſe aiebat, vt

vita

vita tua medicis in dubium veniſſe videretur. Quorum tandem ſtudio ac diligenti cura Deóque in primis auctore te periculo exceſſiſſe narrabat, tametſi adhuc morbi reliquiis ſtomachus malè affectus nullum cibum niſi inuitus & quaſi nauſeabundus admitteret, eáque cauſa te Mutinam migraſſe, ſi forte natiuum ſolum cœlúmque reliquas illas langoris moleſtias poſſet excutere. Vnde tranquillo animo eſſe vix poſſum, quoadúſque te plenè reſtitutum audiuero. Faciat Deus Opt. Max. vt te diu ſuperſtitem atque incolumen habeamus. De me ſi ſcire cupis, ego in præſentia bellè (Dei gratia eſt) habeo, & poſt multos anxioſque labores ſolito quietius ago. Nec earum pars maxima quæ noſtris conatibus reſiſtebant, veluti feræ indomitæ vagis diſcurſibus aſſuetæ caueæ clauſtra ferre non potuerunt, exceptis perpaucis, quæ tametſi rancidam illam vetuſtatem redolere adhuc videntur, noſtra tamẽ & bonarum virginum ſtudia vt olim, oppugnare non audent. Sunt tamen eiuſmodi, quarum mores tolerare oporteat. Reliquæ vero diuerſo ab iis itinere gradiuntur, quę Chriſtum ſibi conciliare cupientes in die noctúque operam nauant, vt illi caſtiſſimis moribus & variis virtutum ornamentis placere poſſint. Litteris incumbunt omnes, & libros non minus quam fuſos aut rumbos diſcunt voluere. Diui Cypriani & Hieronymi epiſtolas aliquot prælegimus, & ex diuo Ambroſio & aliis auctoribus diuerſa prout illarum vſibus conſentaneum quippiam aut profuturum iudico, Ciceronis officia & eiuſdem Lelium, inſuper & multas Salomonis parabolas, quas etiam iubente me memoriæ mandant. Id qui volet mihi vitio vertat, attamen & principibus ipſis, & ferè omnibus, ſed præcipuè litteratis viris tam gratum videtur, vt collegij huius nomen vbique ferè per totas gallias, ſed maximè apud aulam ſit famoſiſſimum. Vnde & nobiles viri, qui filias ſuas virginitati dedicare volunt, ad noſtrarum exemplum eas cupiunt inſtitui, ſatiùs exiſtimantes eas noſſe quæ legunt aut cantant, quam picarum more, quæ vtcunque legere didicerint ore tantum proferre. Præterea vt te amari, colique etiam ab iis qui te nec de facie nouerunt, intelligas, mitto ad te carmen hoc Io. Vulteri iuuenis eruditiſſimi & qui magnum iam iam ſuæ eruditionis & virtutis ſpecimen præbuerat, ſi non immatura morte ſublatus fuiſſet. Is enim de te cum apud aulam Regis inter viros doctos honorificam mentionem fieri audiſſet, vehemẽter te amare cœpit antequam noſſet. Cæterum tua paternitas Dionyſio tuo veniam dabit, ſi te longioribus quam par eſt, verborum ambagibus detinere videatur. Vale Taraſcone Nonis Februariis Raptim & digitis intenſo frigore ſtupentibus. 1542.

Reuerendo admodum in Chriſto Patri Gregorio Cortheſio Cardinali ampliſsimo Dionyſius.

VBi primum de noua iſta tua dignitate iucundus mihi allatus eſt nuntius, in Chriſto ſumma obſeruatione digniſſime, quãta lætitia repletus ſim, ſatis pro mea in te pietate ac reuerentia póque tua in me viciſſim beneuolentia & charitate potes coniicere. Quis enim non gaudeat eos Eccleſiæ Dei tanquam naui iam propemodum ſubmerſæ gubernatores contingere, quorum virtute atque induſtria ſpes magna ſit, nos tandem aſpirante Domino de tot, tantiſque populis emerſuros? Vnde ingens ab omnibus Chriſtianis ſummo ab beatiſſimo Pontifici noſtro debetur gratia, qui tales ad moderandos ventorum flatus regendóſque ſibi adiutores aſſumpſerit, quorum in Dei rebus ſpectata fides & doctrina cum vitæ ac morum integritate coniun-

cta reflantibus vndique ventis possit resistere. In quorum numerum cum tu meritò assumptus sis, præter eam quæ communis est omnibus lætitiæ rationem, præcipua mihi præ cæteris gaudij & piæ exultationis offertur occasio, quod te sodalem olim mihi suauissimum postea verò patrem atque magistrum omni officio ac pietate colendum his honoribus affectum videam, quibus quantò tibi auctoritas maior accedet, tantò maiora commoda sperare audemus. Quamobrem mihi gaudens tibi maxime gratulor, atque vtilitati omnibus, & tibi vt sempiternæ laudi sit istud publicum munus exopto. Quod si sera nimium mea gratulatio videatur, non tamen indigna quæ debeat excusari. Quia enim longè aberam, sero audiui. Sed tibi etiam atque etiam gratulans Deo in primis gratias ago, cuius prouidentia, non temerè factum putem vt in hac tam iniqua & perturbata Reip. Christianæ tempora reseruatus afflictis & iam iam propemodum labentibus Ecclesiæ rebus pia sollicitudine subuenires, dum tu videlicet contra procellarum vndique ingruentium ictus & violentos impetus sacra orthodoxæ fidei dogmata sapienter opponeres, nec minus impiam defectorum blasphemiam turpissimósque errores morum candore castimoniáque, quam quæ in te summa est eloquentia atque doctrina retunderes. Quare etsi vix vlla maior ex pernicie & peste reipublicæ Christianæ molestia piis mentibus oriri posse videbatur, quod extrinsecus ab hæreticis impugnata non minus fortè intrinsecus falsorum Christianorum peruersis moribus fatigaretur, est tamen omninò nunc consolabilis dolor, quod in tempestatibus & quasi perpetuis tenebris lumen quod hactenùs quasi sub modio latebat, cœlitus missum in summo malo & in ipsis antennis dextro sydere radiet. Quo fit vt iam iam defatigatis ac diu multúmque vexatis animis cum beato Iob post tempestatem & tenebras serenitatem & lucem sperare liceat. O si tandiu mihi viuere pius Iesus concedat, dum Ecclesiæ eius pacem videam restitutam, vt peccatis tandem compositísque fluctibus nos mutuò cohortantes alleluia decantemus. O si ad antiquitatum exemplar reformatis Ecclesiæ moribus monasticæ religionis ex antiquis radicibus noua germina repullulascere videam. Tunc lætabundus & cum tremore exultãs in Domino nouum illud cum iusto Simeone canticum frequentarem. *Nunc dimittis seruum tuum Domine in pace.* Hoc autem tuo pater ampliſſime & aliorum tui ordinis beneficio nos posse consequi confidens Deum obnixé rogo, vt quibus velle dedit, det etiam id posse efficere pro bona voluntate. Vale Tarascone.

Reuerendo in Christo Patri Gregorio Cortheſio Abbati, Dionysius S.P.D.

TV vide quam de te boni omnes sententiam ferant. Anno elapso fama percrebuerat te à summo Pontifice maximis honoribus fuisse affectum, vnde ego illorum sermone permotus gratulari tibi per litteras volui. Deinde verò quidam ex meis amicis posteaquam res vt erat, accepi, Parisiis huc veniens id mihi iterum nunciauit putans nimirum (vt ego existimo) se mihi rem gratissimam iucundissimámque esse facturum. In qua sententia illum atque item alios esse facilè patior, si fortè aliquando vera ominati esse videantur. De rebus meis ne te tandiu obtundam, nihil est sane noui, quod ad te scribam, nam de his publicè ad patres literas satis amplas perscripsi. Hoc vnũ tantum addam, tui memoriam à me summa cum pietate beneuolentiáque retineri, támque tenaciter cordi nostro esse affixam, vt nullis terrarum aut tẽporũ spaciis, neq; aliqua vnquam possit calamitate diuelli. Vale. Tharascone.

Ampliſſi

Ampliſsimo Patri Gregorio Cortheſio Cardinali, Dionyſius. S. P. D.

IAmdudum quaſi diuinarem nouam iſtam dignitatem antequam fugientem te conſequuta eſſet, tibi gratulabar amicorum vtique rumoribus hinc inde incitatus. Nunc autem quando omen ipſum tam fœliciter atque ex animi noſtri ſententia accidiſſe intelligo, tanto ſum gaudio lætitiaque affectus, vt verba quibus eam explicem non reperiam. Nam etſi nemo eſt, cui ex hac re gaudij non ſit oblata occaſio, attamen peculiarem quandam mihi præter cæteros contigiſſe ſatis pro tua erga me beneuolentia & mea in te pietate atque obſeruantia potes exiſtimare. Quis enim Chriſtiani hominis ſenſum habens non gaudeat afflictæ ac iamiam omninò oppreſſæ reipublicæ Chriſtianæ tales, qualis tu es rectores moderatoréſque contingere? quorum prudenti conſilio atque ope perditiſſimorum hominum auſibus temerariiſque conatibus oppreſſis res erigi Chriſtiana inſtauraríque, & quorum etiã doctrina & exemplis errorum caligo depelli & morum diſciplina reſtitui tandem poſſit? Vnde cum mihi ipſe gaudeo, tum tibi & vniuerſæ reipublicæ Chriſtianæ ſerio atque ex animo gratulor, & vt tibi dignitas, iſta bene vertat, & Chriſti Eccleſiæ ſolatio & perpetuæ vtilitati ſit Deum oro. Quod quidem ipſum idcirco futurum non deſpero, quod ſicut ante ad te præſcripſeram, non ſine diuina prouidentia & conſilio factum puto, vt in hoc reipubl. Chriſtianæ calamitoſum tempus incideres, quo in ipſum diſcrimen operam ac ſtudium tuum conferres, & turbulentiſſimis ac iam propemodum deſperatis rebus pia induſtria ſubuenires. Quare iam in ſpem venio appropinquare illud tempus, quo Deus humani generis calamitates miſeratus non patiatur hominem in tenebris veritatis ignoratione diutius oberrare, quãdoquidem tot malis & tam condenſis tenebris quæ his deploratis temporibus mundum ferè vniuerſum occupaſſe videntur, tam appoſita remedia tamque præclara lumina proferre voluerit. Neque id temerè dico, nam vt ſperare id audeam & inflammata in id diuinitus voluntas tua, & cum cæteris animi dotibus & ornamentis explorata in Dei rebus fides facilè perſuadent. Cæterum Lerinenſes tui Abbas in primis & reliqui omnes ad vnum amplitudinem tuã quàm poſſunt officioſiſſimè ſalutant, tibique ex animo gratulantur, quòd itidẽ virgines Tharaſconenſes tuæ paternitatis obſeruantiſſimæ faciũt. Nam antequam huc vbi animi cauſa dies paucos futurus ſum veniſſem, iucundus de te mihi atque illis allatus eſt nuntius. Vale Lerinæ Cal. Auguſti. 1542.

R. admodum Patri Io. Bellaio Cardinali, Dionyſius S. P. D.

SI de tua in patres noſtri ordinis voluntate & in me præſertim ſingulari humanitate dubitarem, Pontifex optime, pluribus verbis vterer, quibus me in animum tuum & gratiam inſinuarem. Nimirum vt tuo præſidio fultus improborum defectorúmque temeritatem inſaniamque retũderem. Sed profecto indies magis magiſque experior ita eſſe quod de te mihi ſemper ipſe perſuaſi eos ſcilicet qui boni ac recti æmulatores ſunt & qui animo ſimplici ſine fucata calliditate gradiuntur, tibi eſſe curæ. Conueneram te ſexto (ni fallor) ab hinc menſe de proteruis illis & contumacibus monachis qui pios & ſimplices toto ferè anno variis perſequutionibus & falſis calumniis fatigarant, quorum nequitia factus eſt, vt renouata dudum tua ope literarum & religionis ſtudia non modo ad tempus intermiſſa ceſſarent, verumetiam (niſi animi tui moderatio & prudentia ſuccuriſſet) funditus corruiſſe viderentur. Scis enim, præſul ampliſſime, quibus te artibus ac dolis præoccupare ſtudue-

rint,cum in hanc prouinciam aduenisses, vt pium aduersus clientes animum tuũ concitarent & ab his alienũ redderent. Neque erat,quod magis metuere viderentur,quam vt tibi cum patribus nostri ordinis conueniret, vt pote qui sibi suorũ scelerum conscij in eorum manus incidere formidarent. Quorum suaue iugum à duris ac proteruis suis ceruicibus excutere molientes indigna in eos & totum ordinem flagitia perpetrarunt æstimantes scilicet præsidium se habere in eo firmissimum, si à pattibus tuis, dum suis nequissimis cupiditatibus obsequuntur,contra eos se stare confingerent. Qui tantum abest, te vt impugnare velint,vt etiam summo te honore amoreque prosequantur & tuam gratiam plurimi æstiment. Sed superis habeo gratiam, quod non tam commode ex animi sui sententia (vt putabant, suas fraudes fallaciasque intendisse visi sunt,& in eam foueam quam aliis foderant, ipsimet inciderunt, dum tu veritate perfecta & illos quales essent, cognouisti, & animum tuum ab indignatione quam excitare studuerant, temperasti. Quam rem cum ego prudenti consilio tuo atque animi moderationi adscribo,tum mihi etiã gaudens tibi non me parum debere profiteor,qui me rogante(quę tua in me fuit ingens humanitas) ea quæ iam iam animo destinasse videbaris differre voluisti, ne bonos videlicet atque insontes eadem cum his simul qui commeruerant, pœna inuolueret. Sed vide, præsul amplissime, quam non cesset malus dæmon suas techas intendere, & suos satellites aduersus Christi seruos excitare. Vnum ex coniuratoribus audio his diebus Auenionem venisse, vt supplices libellos legato nescio quam veniam petiturus offerret, qui se inde ad te perfecturum aiebat portans secus tot commenta & mendacia,quot nec sareptani pharmacopolæ in cõpitis de clamantes plebeculis afferre consueuerunt. Hunc,antistes digniſſime, si nosse cupis, hominem cum propius intuitus fueris, deprehendes esse mente pessima & infidelissima,qui præter alia quæ designauit egregia facinora clam sublatis clauibus pecunias domesticas suffuratus aufugit. Dignus igitur qui mendaciis dolisque instructus pias aures tuas contra innocentes clientes tuos stimulando fatiget,an non potiùs vt eum.N.illo vno ex coniurationis præcipuis autoribus in Siciliam vt fuerat à patribus nostri ordini destinatus, deportetur? Ego tametsi pro tua in Deum pietate & animi æquitate atque prudentia non vereor vt te falsis delationibus impudentibusque mendaciis à recto æquoque dimoueat, tamen pro obseruantia quam tibi,& officio ac pietate,quam ordini nostro debeo mearum partium esse duxi, vt tibi hæc significarem, ne videlicet apostatis liceat tam diu bonos affligere & rem tam sanctam & ad Dei & tuam laudem institutam obturbare. Cæterum de illorum impudentia qua tot nobis negotia facessetunt, & procacitate qua tecum nuper abusi sunt,de tua insuper in nos æquitate satis prolixè ad Præsidem & reliquos patres Varinus vicarius tuus & ego perscripsimus. Præterea quantum ad virginum collegium spectat, te etiam atque etiam oratum velimus vt à rege diplomata vt discedens promiseras, nobis cures.Ego cum literas Scholasticæ ad regem & ad reginæ Nauarrę obtulissem, eas gratas habuisse visa est, promisitque se literas regi daturam, & operam suam ac studium non defuturum. Si de monialium statu scire cupis, duas in monasterio classes videas, earum quæ vestutate diutius assuetæ in mente veteri noua vix possunt meditari, & aliarum quæ nouum hominem induere cupientes sese ad eius exemplar conantur effingere. Quarum sanctum piumque studium facit, vt dum illis prosim,& tuæ insuper amplitudini obsequar,aliarũ intolerabiles mores æquo animo feram.Vale.Tharascone.

Reue

Reuerendiſsimo admodum in Chriſto. P. Ioan. Bellaio Card. Dionyſius S. P. D.

VIx tandem à patribus noſtris reſponſum accepimus, propterea quod inter Prouinciales & Ligures vetita commercia ſunt, & itinera hinc inde intercepta literas iam inde à mẽſe Auguſti datas hactenùs ne proferri ad nos poſſent, diſtinuerunt. Ab ipſis igitur breui literas accipies, quibus facilè cognoſces eorum animum longè ab iis diſſentire, qui te à nobis alienare & Lerinę authore te iſtauratum Dei cultum euertere ſtuderũt. Interea ſcito eorum erga te ſummã & charitatem & obſeruantiam, nihilq; eſſe quod abs te magis expetant, quam vt id omnibus modis atq; indiciis apud te teſtatum relinquant. Cæterum Curtabotus (ita enim vocant) is qui inſolentium partes cõtra nos agere ſolet, & quo authore in collegium & gregem ſanum oues morbidæ redierunt in Varinum Vicarium tuum & fortè (vt olim in nos neſcio quæ machinatur, & monaſterio virginum neſci quam præter eam quæ omnium bonorum iudicio & tuo in primis fauore deſignata eſt, præficiendam curat, & in id (vt accepimus) vehementer incumbit. Ab eo multa & moleſtiſſima nobis negotia faceſſita ſunt, qui cum ſit ad mendacia comminiſcenda (vt publicè dicitur) aſſuetus ad nihil aliud tam quam ad bonarum rerum curandam perniciem & turbas litéſque concitandas videtur eſſe natus. Curauerat ipſe quandam ex his quas ſodalitio virginum reddidit, eligi, & neſcio quibus cauillis calumniiſque armatus contra nos elapſo iam anno certamen intendere ceperat, quod ego etiam amplitudini tuæ non reticui. Rogamus igitur te vt hominis temeritatem & impudentem audaciam vt poteris (poteris autem plurimum) & vbi opportunum iudicaueris, retundas, ne tandiu liceat impudentiſſimo homini inſontes mendaciis perſequi, & collegij ſtatum & ordinem tam multis noſtris laboribus adiutore te ac Deo imprimis aſpirante iam vt cumque pro temporum & perſonarum captu reſtitutum euertere. Præterea Scholaſticæ diplomata Roma aduecta ſunt, quæ cum multò conſtiterint, graue nobis foret fruſtra oleum & operam perdidiſſe, aut alieno ære iamdudum conflato aliud ſuper inducere, & quod omnium maximè cauendum eſt, periculum eſſet, ne fortè tot fruſtra ſumptis laboribus & ſumptibus amiſſis omnia quæ ad Dei op. Max. laudem hactenus acta ſunt, periiſſe videantur. Vale, Thar. IX. Calend. Decembris 1538.

Reuerendiſsimo P. Ioan. Bellaio Card. Diony. S. P. D.

MIlitiam eſſe vitam hominis ſuper terram Pontifex opt. tum ſcripturæ ipſius teſtimonio, tum meo ipſius magno incommodo ſæpius ſum expertus. At ne longa deſidia & torpore id animo fortè excideret, poſt immenſos labores, poſt multas grauéſque calumnias, poſt tot deniq; tantáque incommoda, quot & quanta vix animo complecti poſſem, quæ in obeunda mihi demandata prouincia ſum perpeſſus, cum iam iam in hoc Tharaſconenſi collegio rem monaſticam longa dudum vt ſcis ignauia & veterno deiectam inſtaurare erigeréque contendimus, cumque iam aſpirante nobis cœleſti auxilio in altum proſpera nauigatione ſub nominis tui autoritate prouehimur, ecce de improuiſo quibuſdam quaſi reflantibus ventis ab inſtituto curſu reuocati in ſolitam rurſus arenam deſcendere & acta etiam agere cogimur. Neque vnquam in animum inducere potuiſſet tantam ineſſe in quorundam

hominum mente nequitiam, vt dum efficiant quod volunt, id quibus modis aſſequantur, nihil penſi habeant. Nam dum publicæ vtilitati priuata ſua commoda & immoderati animi affectus præferunt, rem indignam & à religione alienam molientes ſpiritalia noſtra ſtudia tam præclarè omnium bonorum iudicio ac teſtimonio pro captu temporum inſtituta conantur euertere, inſontéſque quia tantæ peruerſitati reſiſtere conſtanter audent, iniuſtis perſequutionibus premere ac fatigare non ceſſant, & quos blanditiis flectere nequeunt, falſis calumniis terrere conantur. Vnde vt ab hac cura Varinum vicarium tuum deturbent, tot in eum & tanta coniiciunt crimina, vt vix vlla tormenta excogitari poſſe videantur, quæ illi pro meritis ſatis ſupplicij afferre poſſint. Atque id quidem mirum fortè videretur, ſi non antehac aliis qui rem viriliter aggreſſi ſunt, itidem contigiſſet. Iam ſeptimus annus eſt, quo venerabili ac vigilantiſſimo viro Antonio Gilberto Arelatenſis Eccleſiæ canonico & mihi cura hæc fuerat iniuncta. In qua quidem obeunda vix credi queat, quot artibus nos ab inſtituto impudẽtiſſimæ illæ quibus ſemper ab ordinis obſeruatione mens fuerat aliena & qui earum partes agebant, conabantur abducere, aliis atque aliis criminationibus, mendaciis, contumeliiſque fatigantes, vſque adeò, vt nos interdum viuere quodammodo pigeret. Sed in me vnum maximè tentationis huius procella ſæuiebat, quem huius rei gratiam hic relictum ſcirent, vt in earum tortuoſos mores monaſtici ordinis rectam normam opponerem. Et primò quidem blandis ſed venenatis alloquiis compellantes gratulabantur ſcilicet quod ſibi rector contigiſſem, ſed cum fruſtra blanditiarum mihi inſidias tetendiſſent, & peruerſas tortaſque & in malo inueteratas earum mentes applicita regulæ rectitudo offenderet, iam blandæ arriſionis ſerenitas in nubem verſa in me vim aduerſę tempeſtatis excitauit, & me pudicitiæ euerſorem dictantes oues lupo commiſſas querebantur, vt ſcilicet qui ab ipſis adoleſcẽtiæ annis monaſticis artibus imbutus ea de me præſtitiſſem, vt me patres mei iudicarent, à quo pudicitiæ exempla peterentur, id ea nunc æſtimatione & ætate iam iam imbecilli valetudine & annis præcipitata commutans ſenex iam & vetuſtate fatiſcens nouus (ſi placet ſuperis) amator eſſe inciperem. Sed cum ea facilè refutaſſem, alia ſcelerum portenta commentæ ſunt, eoque impudens earum eſt progreſſa temeritas, vt me magicis artibus abutentem cum malis dæmonibus habere negotium diffamarent, imò nec defuit quæ me Lutheranæ profeſſorem hæreſeos aſſeueraret. Sed quid mirum ſi impudenter loquuntur, quas pudoris oblitas non Dei timor, non ſcelerum magnitudo, non loci aut habitus reuerentia, non profeſſionis recordatio, non denique reſeruata in poſterum delictorum pœna ab inolita & inueterata conſuetudine potuit reuocare? His igitur quoniam diutius expectatæ ac ſæpius caſtigatæ tantum abfuit, vt emendationis aliquod ſpecimen præbuerint, vt noſtra clementia beneficiiſq; abutendo ſeſe in malo pertinacius obfirmaſſe videantur, ne perditis ſuis ac deſperatis moribus reformationis negotiũ obturbent, & ſanis ſi attactæ ac morbidæ miſceantur ſcabiem affricent, vehemẽter obſiſtimus. Nunc enim quando pro animi ſui voto aliæ alio diuagatæ ſunt, & earum ſanguineos ſumtuum aut intemperantiæ illarum piget, ſano gregi admiſceri volunt. Quod ſi contingat, timendum valdè eſt, ne poſt tot iniurias & animi angores pro Chriſti cauſa toleratos, labores tanto tempore ſudoréſque exhauſti vno die effundantur. Vnde quia hæc pericula virili animo propulſamus, mirum eſt in nos quàm grauia comminantes euomant. Effecturos aiunt,

vt

vt datis ad amplitudinem tuam litteris me hinc extrudant. Ego ſi non niſi illorum rationem habuiſſem, iamdudum indignos demonſtraſſet, quibus aut ego aut quiuis alius beneficium præſtet. Reſpondi itaque nullis me ipſorum iniuriis faſtuoſiſque comminationibus vnquam commoueri, quippe qui animi tui moderationem, prudentiámque tantam eſſe non ignorarem, vt nihil ex maleuolorum ſententia temerè ſis iudicaturus. Deum præterea me poſſe maximè de illorum inuſtis calumniis liberare, quod ſi nolit, accepturum me de manu eius in meliorem partem omnia, certum eſſe atque animo fixum, occumbere potius quam vt vllis periculi terroribus ab officio & concepto reformandæ religionis inſtituto deſciſcam. Neque vnquam aliter fui animatus, quam vt pro Chriſti negotio quod gerimus, mori ſi contingeret, glorioſum putarim. Sed non dubito quin vitæ noſtræ moderatio innocentiáque contra falſos rumores, & nunc apud optimos quoſque valeat, & in poſterum ſit etiam apud inimicos valitura. Qui tametſi nobis infeſti nunc ſunt tamen opus egregium, & ad Dei laudem ex animi noſtri & bonorum omnium ſententia votóque inſtitutum non poſſunt non probare. Sed tota hæc cantilena ex eo pendet, vt nobis terrefactis aut diffamatis quoquo modo efficiant quod volunt, & quia nominis tui auctoritate rem tam difficilem aduerſus mille impedimenta hactenus tutati ſumus, hanc ipſam nunc eadem via impugnare ac deiicere moliuntur. Quod ne aſſequantur, & ne tot ſumptus laboréſque pereant, valdè laboramus. Nam id nobis atque optimis quibuſque eò eſſet moleſtius quò rei cœptæ progreſſus fœlicior pias mentes in breue ac falſum gaudium conieciſſe videretur. Eſt enim talis nunc monaſterij huius conditio qualis, vt ego fortè non falsò coniicio, neque ab ipſius conſtitutione vnquam fuit. Summa pax in eo & charitas, res diuina & aliarum bonarum artium ſtudia tam bellè conſtituta vt quaſi paradiſus Domini aſpirante cœlitus auſtro afflatus ſuauiſſimos odores emittat. Hinc virginitatis lilium & diuerſarum virtutum flores creſcunt. Quibus ne pruina infeſta ſit, aut ne vrens aut peſtilens aura, ſiue quæuis alia tempeſtas aduerſa calamitatem afferat, aſſidué adſum ex ſacræ ſcripturæ fontibus hauſtos rores infundens, & alia pro modulo meo quæ opportuna iudico, ſubminiſtrans, vnde nouo in dies vigore plantulæ vegetatæ magnam futuræ frugis ſpem nobis ingerunt, iam ſpecimen aliquod exhibituræ, ſi non ipſis noxiæ illæ & à Religionis vera ſtirpe degeneres miſceantur. Qua quidem clade haud ſcio an vlla euenire illis poſſet pernicioſior. Quamobrem Reuerend. Pater tuam etiam atque etiam oratam velim & noſtro & omnium bonorum nomine, vt opus tam pium ſanctúmque, quod iam dudum magnis ſumptibus ac ſudoribus cœptum nunc tandem auſpice te ferè abſolutum eſt, ne funditus euertatur digneris ſuſtinere, & tua auctoritate deffendere, etiam diligentiæ noſtræ tantus labor à nobis fruſtra ſuſceptus fuiſſe videatur. Vale. Taraſc. 10. Iunij 1537.

R. Patri in Chriſto Ioun. Bellaio Card. Dionyſius S. P. D.

QVod pro me facere minimè auderem, Pontifex optime, id pro Chriſti negotio facere & in Deum pietas, & erga te obſeruatio, & ingens denique animi mei dolor cogit, nimirum vt de eadem re te grauiſſimis alioqui negotiis intentum ſæpius obtundam. Alienum enim à Chriſtiani pietate animi & ab officio, imò ſumma quam tibi debeo reuerentia eſſe putaui, ſi aut ignauia victus, aut inepto pudore deterritus rem & cauſam Chriſti & tuam in tam graui diſcrimine verſante non commendarem. Scito igitur,

Pater ampliſſime, totum quicquid laboris pro inſtaurando reformandóque hoc virginum collegio impendimus, eſſe effuſum & egregium opus quod tua auctoritate ſubnixum ad Dei opt.Max.laudem non ſine ingenti omnium bonorum hominum gratulatione in dies excreſcebat, funditus (niſi Deus proſpiciat) euerſum tanta eſt quorundam hominum malignitas & in eorum obſtinato pectore Chriſti contemptus. Introductæ ſunt enim in cœnobium peſtes illę, quæ cum ad nihil aliud quam ad animarum perniciem natæ fuiſſe videantur, cumque multa in inſontes nefanda confinxiſſent, & eos ſuis ipſarum depinxiſſent coloribus, ſub falſa religionis ſpecie quam ſe velle obſeruare mentitæ ſunt, manſueto gregi & ſano morbidæ oues admixtæ fuerunt. Quibus pro lege eſt quod cupiunt ipſæ, vt quod voluerint, licere ſibi exiſtiment. Neque matrem quæ collegio pręeſt reuerentur, nec mihi, nec regulæ, imò nec Chriſto obediunt. Scatent vndique murmurationibus & cantiunculis, vt mihi relatum eſt, impudicis illotíſque pudicas aliarum aures inficiunt, & vt rem totam ſummatim dicam, optatum diu vt perſonarum & temporum captus eſt, inſtitutum ordinem peruertunt, vt earum licentia & temeritate in dies debacchante magna aut fortè maiora quam vnquam antea mala atque incommoda impendere videantur: Neque tantam procacitatem ac petulantiam facile eſt coërcere, niſi clamoribus cum illis & iurgiis ſit acerrimè contendendum. Ad quæ etiam occaſiones quærere, & bonis manſuetiſque præbere interdum de induſtria videntur. Quæ res quantum mœroris atque etiam damni piis mentibus & illis maximè quibus ad honeſtiſſima virtutum & artium bonarum ſtudia voluntas propenſa eſt, ſatis pro tua prudentia, Pontifex optime, potes exiſtimare. Ego verò bonorum hominum ſudores atque iniurias pro Chriſto iam tot annos toleratas in memoriam reuocans tanto interdum dolore conficior, vt animi anxietate pene contabuerim. Quamobrem, Præſul digniſſime, præter quam quod ea res tibi ex officio incumbit, etiam per tuam in Deum pietatem & ſingularem illam tuam in omnes quidem, ſed in bene inſtitutas mentes maximè ac bonarum artium ſtudioſas manſuetudinem te oro atque obſecro, vt huic noſtræ ſollicitudini anxietatique ſubuenias, nec permittas dæmonem malum de Chriſti cauſa triumphare, ne tenelli virginum animi corruptis exemplis & putidis earum ſermonibus quaſi peſtilente aura aut nebula floſculi exareſcant. Vale. Taraſcone. 6. Calend. Octobr. 1537.

Vide verò quid contigit, nunc cum iam iam obſignanda eſſet epiſtola accerſitus ab vna ex virginum ſodalitio intellexi inſolentes illas tam de repente ſummiſſas, tam morigeras eſſe factas, vt hanc ſubitam metamorphoſim non poſſim non mirari atque etiam gaudere, ſi tamen à dextera excelſi facta ſit. Se diris deuouent, niſi obſequentiſſimas ſeſe in futurum exhibeant, & id quidem multis etiam lachrymis atteſtantur. Quibus tamen, ne fortè crocodyli lachrymæ ſint, non omnimodam habeo fidem. Sed de his in poſterum iudicabimus. Interea verò te, præſul ampliſſime, oramus, vt omnia quæ ad tutandum cœptum opus & confirmandum opportuna iudicaueris, nobis ſolita tua humanitate proſpicere non graueris. Vale iterum.

R. in Chriſto patri Ioan. Bellaio Card. Diony. S.P.D.

QVia fidelis nuntij opportunitatem nactus ſum, partium mearum eſſe duxi, vt te his meis litteris ſalutarem, ſimúlque tibi Lerinenſe Cœnobium

nobium & tibi deditiſſimos monachos, ſed & hoc virginum collegium cuius ego curæ incumbo, maxime commendarem. Iam dudum diplomata quæ pro Scholaſtica matre collegij deſignata fuere impetrata, recepimus. Quæ idcircò quod nulla in his de Regis conſenſu mentio eſt, Cancellarius non admiſit. Vnde compulſi ſumus ea Romam iterum mittere, & litteras quas à Rege in fauorem ipſius Scholaſticæ obtinueramus repetere. Quæ omnia rurſus ad Cancellarium non ſine magno incommodo & rei pecuniariæ diſpendio remiſimus. Quare amplitudinem tuam obnixè rogamus vt cauſam noſtram tua auctoritate ſuſtineas. Neque enim dubitamus, quin tu vno verbo rem omnem conficias, vt nihil præterea ſit nobis requirendum. Nam præter moleſtias quas toties inſcripta ipſa iſtuc atque illuc mittendo perpetimur, loculi etiam dolent, & deſignata ipſa cognatos ſuos tam frequenter vrgere ſubueretur. Præterea tua in me ingenti humanitate ac clementia fretus, Pontifex optime, etiam aliena tibi commendare audeo. Hic tabellarius impenſe me rogauit, vt cauſam ſuam paternitati tuæ commendarem, videlicet vt eius gratia Cancellario ipſius negotia ita commendes, vt commendationem tuam non fuiſſe vulgarem intelligat. Quod quidem te eſſe facturum ſibi promiſiſſe aſſerit. Vale. Tharaſc. Calend. April. 1540.

R. Card. Bellaio Dionyſius S. P. D.

ETſi me rem non admodum iucundam tibi allaturum puto, attamen ab obſeruantia quam tibi & officio quod amico debeo, non alienum putaui, ſi tibi caſum eius acerbiſſimum litteris meis ſignificarem. Tertiò Calendas Ianuarij Ioannes Vulteius iuuenis moribus æquè ac doctrina præditus, ſed & amplitudinis tuæ ſtudioſiſſimus obſeruantiſſimúſque diem ſuum obiit morte crudeliſſima indigniſſimè ab homine ignorantiſſimo deterrimóque affectus. Elapſo anno lis inter eos orta erat, in qua cum Vulteius ius Eccleſiæ tueretur, victor euaſit. Ille cum cauſa excidiſſet, contigit vt Vulteius in eum caſu incideret, qui conuiciis (vt aiunt) ab eo laceſſitus alia in eum retorquebat, tandem cum ad manus ventum eſſet, accepto ſub mamma ſiniſtra vulnere interiit. Sed in hoc acerbiſſimo dolore hoc vnum me maximè conſolatur, quod cum ego ad eum graui hoc audito nuntio accurriſſem, hortante me & periculum nunciante ad Deum animo & voce conuerſus diuinum auxilium inuocabat, & ſacrifico in aurem confeſſus, inimico qui mortem tam crudelem ſibi intulerat, ex animo pepercit. Vixit poſtea quam ictus eſt, circiter horam & mediam. Cuius ego caſum cum ingenti dolore, luctúque perſequerer, ſimul cum lachrymis hæc quæ ad te mitto, carmina effudi. Non quod ea digna iudicem, quæ doctiſſimis auribus tuis debeant exhiberi, ſed ingenti tua humanitate fretus, & Varino Vicario tuo vrgente non tam auſus quam compulſus ſum etiam nunc te meis ineptiis intempeſtiuè obtundere. Vale. Taraſc. 8. Calend: Febr. 1552.

R. Card. Bellaio. Dionyſius S. P. D.

NVper cum Lerinæ eſſem, & tibi huc aduentanti occurrere animo deſtinarem, dolui admodum cum te vltra longéque progreſſum accepi eſſemque te iſtuc è veſtigio proſequutus quem & inuiſere & ſalutare maximè cupiebam, niſi præter corporis iam ætatem ingraueſcentis laſſitudinem & aulici comitatus incommoda rei etiam pecuniariæ inopia prohibuiſſet. Hæc igitur mihi à reliquis Lerinenſibus tuis demandata cura

fuerat,vt amplitudinem tuam omniũ nomine ſalutarem,qui cum ſint ipſi rerum inopia & alieno ære oppreſſi,non habent quo reſpirare iam poſſint, niſi tuæ benignitatis ope nitantur.Nam præter domus quotidiana impẽdia, multa etiam in dies ſuperueniunt non antea cogitata,quæ vſque adeò exitum ab inopia & incommodis quibus vallantur difficilem reddunt,vt quo ſe vertant neſciunt.Neque etiam ab iis qui debent, ſoliti prouentus exigi poſſunt, niſi fortè illos iamdudum multis ob iniquitatem temporum incommodis publiciſque exactionibus prægrauatos quis domo & prædiis velit extrudere. Præterea ab Eccleſiis ſeu ſacerdotiis quæ vltra Varrũ & ſub ditione ducis Sabaudiæ ſunt, ob eorum qui Nicæ ciuitati præſunt duritiam nihil extrahi poteſt. Hæc enim ſunt damna quæ bella conſequuntur.Quamobrem,Præſul ampliſſime, te quam maximè orant atque per tuam humanitatem quam humillimè obteſtantur,vt penſum illud annuum benigné ſibi remittas. Nam tu in gratia eſſe & perpetuò manere cum maximè cupiant,ne te vel leuiter velint offendere,timent ne ſi omninò ad id compellantur, locum ipſum exceptis paucis deſerere cogantur.Orant etiam te vt curam hanc viro alicui probo cui maximè fidere poſſis,committas, qui rationum libros & vitam moréſque eorum qui excluſis factionum auctoribus illic degunt expendat. Neque enim futurum arbitrantur,vt cum tu de his fueris certior factus, non te illorum incommoda moueant.Præterea quoad curam meam ſpectat,puella illius neptis qui tam pertinaciter inſtabat,vt ſtatim ab ipſo principio ipſam habitum monachalem induerem non euidens ſpecimen ſuæ in id volũtatis oſtendit. Quæ cum eius eſſet ſententiæ,vt monacha fieri nollet,à me interrogata cur præſente auunculo aliud quam quod in animo habebat,aſſereret, reſpondit ſe timore coactam non auſam ſe aliud quam quod ille volebat,dicere.Rurſus verò abs te interrogata cum ſe tibi etiam timore mentitam defleret, & eiulatu quod dolorem teſtaretur omninò ſe nunquam inſtitutum hoc arrepturam(vt mihi relatum eſt)cum lachrymis affirmabat.Quid plura etiam amplitudinem tuam adire voluit,vt alia quam quæ paulo ante dixerat,recantaret,ſed iam ad traiiciendum Rhodanum nauim conſcenderas. Tandem verò ab auunculo famulus venit, qui cum ab ea rem vt ſeſe habebat, audiſſet partim duriuſculis partim blandis ſermonibus & promiſſis variis agitatam coëgit rurſus vt velle ſe diceret.Promiſit enim auunculum effecturum,ſi aſcenſum non negaretvt apud belgas neſcio cui virginum collegio præficeretur. Alia quædam ſuæ nepti ſcrinium pulchrum & anulum ſe daturam promiſit.Vides,Pontifex optime,quibus artibus illectas puellas in caſſes immittant, à quibus cum minime ſeſe extricare potuerint,eos qui ſe induxerũt,cum ſe etiam vana ſpe deluſas deprehenderint diris omnibus apud inferos cruciandos deuoueant. Id enim cuidam ex his quæ in reformando monaſterio noſtris conatibus reſiſtebant contigit.O pietatem filiæ in parentem.Sed talem ille commeruerat,qui vt focum domúmque vacuaret,& marſupio parceret,tam graui filiam inuitã pondere onerauit,quod ipſe ne digito quidem voluiſſet attingere.Vnde errãt tota via,ſi me tam plumbeum aut ſtipiti ſimilem putant,vt ſuorum ſcelerum me fieri participem ſinam, credántque me filias ſuas onere importabili velle grauare, ſub quo corruẽtes me quoque temeritatis ac ſtultitiæ reũ opprimãt. Alia verò nobis à diuo Hieronymo, Caſſiano & aliis qui de ſanctorum patrũ inſtitutis ſcripta reliquerunt, alia etiam ex diui Benedicti regula mandata traduntur. Prædicentur illis (ait) dura & aſpera, per quæ itur ad Deum, & probẽtur ſpiritus,ſi ex Deo ſunt.Sed quid ego improuidus facio?Qui dũ zelo

quodam

quodam à meipſo elatus tam tuæ dignitatis non videar habere rationem? Verum quia ſcire hæc quæ nobis contigunt, tua intereſt, & tua etiam humanitas mihi fiduciam dedit, auſus ſum doctas piaſque aures tuas tam longa epiſtola fatigare, etiam ne mihi fortè iratus ſis, ſi non tam citò commendatas mihi abs te puellas in monialium cœtum admittam. Vale. Tharaſ. ſeptimo Idus Septembris 1542.

R. in Chriſto Patri Iacobo Sadoleto Cardi. Dionyſius S. P. D.

IAm inde à multis annis te tuo merito non mediocri amore & veneratione ſum proſequutus, Præſul ampliſſimè, nimirum quod ea ſit in te vitæ ac morum integritas cum ſumma eruditione coniuncta, vt non obſcuro ac vario ſermone, ſed clara & vna omnium voce laus tua vbique prædicetur. Quæ etiam eò nobis apparet illuſtrior, quod rari hac temporum fece ac perditis moribus inueniuntur ſimiles tui, qui ad exemplar antiquitatis ſeſe cõponant & offuſo tenebris orbi puræ veræque fidei lumen & piè Chriſtianéque viuendi normam ſubditis exemplumque præbere videantur. Vnde iſtis tuis virtutibus excitatus cum ego te ſemper maxima charitate atque obſeruatione proſequerer, non eum me reputabam, qui aliquãdo aut ſcriptis aut alio quouis modo me in gratiam tuã inſinuare auderem. Nuper vero cum Franciſcus Maudenne Dominus vir mea quidem ſententia non minus probitate quàm natalium ſplendore inſignis tuique obſeruantiſſimus ad nos veniſſet, mihi abs te (quę tua ingens in me fuit humanitas) ſalutẽ nuntiauit. Quem ego nuntium pro eo quanti te facio, gratiſſimũ iucundiſſimumque habui, quo etiam prouocatus ac Franciſci ipſius cõſilio & perſuaſione impulſus te quoque his meis licet illiteratis atque incultis litteris ſalutare volui. Nam etſi pudore ac reuerentia à ſcribendi officio deterebar, tamen cum tale abs te officium quale ipſe à tali & tanto viro nec ſperare nec optare auderem, mihi vltrò exhibitum cernerem, ingratitudinis notam ſubuerebar, ſi non amplitudini tuæ gratias agerem. Vt quia non ſuppetebat facultas, qua mihi ipſe tibi gratificari cupienti ſatisfacerem, animum ſaltem gratum & tantæ tuæ erga me humanitatis memorem me habere & perpetuò habiturum cognoſceres. Vale. Tharaſ. VIII. Calend. Nouembris 1538.

R. in Chriſto patri Carolo Lotharingo Card. Diony. S. P. D.

VTinam, Princeps illuſtriſſimè, aliqua in nobis eſſet facultas, qua tibi pro meritis gratiam poſſemus rependere. Qui nos falſis calumniis à noſtris ſedibus profligatos, vt ſingularem tuam erga Deum pietatẽ & in nos ſeruos eius humanitatem oſtenderes, reſtituere voluiſti. Quod quidem ſtudiũ tuum non ſolum nos tibi perpetuo deuinctiſſimos reddidit, verum etiam nemo in tota hac prouincia eſt, qui non excellentiæ tuæ ſe plurimum hoc nomine debere exiſtimet. Nam aduerſariorum noſtrorum in nos tam iniqua voluntas & ad rem tanta cupiditas fuit, vt cum rebus noſtris quas plus annis quadraginta ſine controuerſia poſſederamus nos priuaſſent, parum id ſibi viſum eſt, niſi etiã domo extruſiſſent. Vnde tãta in eos omniũ cuiuſcunque ordinis hominum ſubſequuta eſt indignatio, vt impudentẽ eorum temeritatẽ publicè incuſarent damnarentq; preces in iniuriarũ noſtrarũ autores inuerſas cõtorquentes & probra quæ etiã referre aut reminiſci pudor eſt, congerẽtes. Quocirca (humaniſſime Princeps ac Præſul digniſſimè) partium noſtrarum fuit, quia tibi gratiam referre non poſſumus, ſaltem & noſtro & omnium prouincialium nomine nos maximam habere, & perpetuò habituros proteſtemur, teque his literis comprecemur, vt noſtrã vel vt verius dicam Chriſti cauſam

apud Christianissimum regem semper habeas commendatam. Quod si feceris, vt speramus Christianissimi præsulis atque illustrissimi principis officio fungens magnam te apud Deum mercedem & apud homines laudem habiturum putes. Vale. Lerinæ 1558.

Reuerendissimo in Christo patri D. Bertrando Card. Dionisius S. P. D.

MAgno nos tibi beneficio deuinxisti, dignissime Antistes, qui nos tot tantisque iniuriis iam totos ferè annos tres fatigatos recreasti, atque ædibus nostris iniustè extrusos reuocasti. Quæ quidem contumelia quantò maior fuit, tantò tuum erga nos studium præstantius extitit. Vnde quia tibi æquam vicem referre non possumus, danda in id nobis opera fuit, ne saltem animus defuisse videretur. Quod cũ dico, ita velim, Antistes optime, dictum existimes, vt non solum nos qui te authore sumus restituti, vel etiam omnes cuiuscumque ordinis huius prouinciæ homines se tibi perpetuò obnoxios fore arbitrentur: maximè cùm viderent insontibus iniustè extrusis adscitos, hinc inde nescio quos homines promiscuosque electos, quorum vita & mores tam erant à monastica disciplina dissentanei, vt quiduis potiùs quàm monachi esse viderentur. Rogamus autem te, Christianissime Præsul, vt tua nos authoritate & Christi causam semper tuearis. Quòd quidem si (vt speramus & optamus) feceris, præter quam quod nos clientes tuos & nostri Casinensis ordinis vniuersos magis magisque obnoxios reddes, magnam etiam apud Deum mercedem consequeris. Vale. Lerinæ 1557.

Reuerendo in Christo Patri Ioan. Ferrerio Archiepiscopo Arelatensi. Dionysius. S. P. D.

INgens tua in me humanitas est, Antistes dignissime, qui me suauissimis literis tuis rogare dignatus sis, cui ex imperio nihil non potes iniungere. Vtinam verò famulatu idoneo voluntati erga te meæ manus mea industriaque seruiret. Cognoscerem profecto quam tibi ex animo cupiam obsequium officiúmque præstare. Nunc autem quando ita est, vt meam qualemcumque operam non asperneris, ea tibi neque alibi vnquam est defutura. Vale. Tharascon. nonis Nouemb. 1543.

R. Patri Ioan. Ferrerio Archiepiscopo Arelatensi. Dionys. S. P. D.

REcepi literas tuas, Præsul dignissime, quas tu ad me non minus eleganter copioseque quam humaniter perscripsisti. Vellem vero talis esse, qui laudes quas tu mihi talis ac tantus tribuis, possem sustinere. Verum cum earum rerum in me meritum non agnoscam, & meæ paupertatis mihi ipse sim conscius, alterum duorum cogor existimare, aut te scilicet nimio amore lapsum non tam certum iudicium quam opinionem de me nescio quam fuisse sequutum, aut qualem me esse oporteat, & tuipse cupis, scriptis tuis voluisse ostendere. Quorum vtrum me tibi magis deuinciat, non facile dixerim. Vnde si ingratitudinis, aut (vt verius dicam) impietatis notam velim effugere, impositam mihi necessitatem esse video, vt talem me exhibeam, qui tanti viri quantus tu es, amore ac beneuolentia dignus sim, ac ne tuis laudibus frustra ornatus, & magis etiam his oneratus quam honoratus videar, dem operam ne illarum ingenti oppressus pondere omninò succumbam. Cæterum quod meum erga te qualecumque officium tam grato animo acceperis, gaudeo, quamquam hoc mihi abs te humanitas exhibita sit, summissius etiam te erga me geras, quàm tua dignitas ac paruitas mea patiatur. Vale. Tharas. 1543.

R. *in Chriſto patri Guillielmo Epiſcopo Montiſpeſſulani. Dionyſius. S. P. D.*

VBi ad me placitum eſt te Lerinenſis monaſterij Antiſtitem eſſe factum, ſcribendi ad te cupido mihi inceſſit, nimirũ vt te per literas ſalutarem, & nouæ iſtius dignitatis acceſſionem tibi gratularer. Sed me ab officio retrahebat metus quidam & pudor penè ſubruſticus, quod vererer ſcilicet ne tibi fortè importunus ac moleſtus viderer, qui te meis illiteratis literis talem tãtúmque aggredi auderem, cum quo nulla mihi amicitiæ aut familiaritatis iura intercederent. Cùm verò de te atque animi tui moderatione ea mihi relata eſſent, quæ de homine candidiſſimo humaniſsimóque poterant commemorari, vicit timorem hunc meum concepta de tua virtute atque animi candore opinio. Accedit huc etiam quod cum ex ſubditis tibi cliẽtibus vnus ſim, non tam mihi neceſsitudinis inita ratio, quam ad id etiam impoſita neceſsitas videbatur. Gratulor igitur tibi, Pontifex optime, atque vt tibi res iſta nobiſque beneuertat, maximè exopto. Quòd vt futurum non diffiderem, fecit ſingularis illa naturæ tuæ, quam antea dixi, moderatio eximiáque doctrina, quæ cum tanta cœteris animi tui ornamentis acceſſerit, vt quamlibet duros atque aſperos mores poſsit excolere, in ſpem optimam adducor, vt te authore ac vindice inſontes monachi & à quibus nulli vnquam orta iniuria eſt, ab iniuriis & iniuſtis calumniis vindicentur. Nam cùm ſint ipſi vitæ integritate & optimis moribus non minus quam doctrina inſignes, non dubito quin tu eos fauore tuo digniſsimos iudices. Quorum auſpiciis ſimul atque labore, addo etiam ſumptu factum eſt, vt monachi ordinis longa dudum deſidia veternóque corrupta & collapſa funditus diſciplina in antiquum decus reſtituta floreſceret. Sed hæc quæ dico vera ſint nec ne, tu te melius à circunie&is accolis, ſi quando tibi eò venire contigerit, audies, qui nunc illorum abſentiam eò ferunt moleſtius, quod eorum honeſta conuerſatio propoſita erat omnibus in exemplum. Vnde etiam factum eſt, vt iis abſentibus monaſterium nunc quaſi nauis reflantibus ventis agitata fluctuet, & rei monaſticæ tam benè conſtitutus ordo ſenſim corruat. Nam ij quibus authoribus factum ſuſpicamur, vt domo ſua boni homines ſub peregrinitatis titulo extruderentur, in id operam dediſſe videntur, vt abiecto obedientiæ iugo in priſtinam qua omnes deteriores ſolemus fieri, licentiam relaberentur. Sed vide obſecro quam graue inſontibus crimen affixum eſt. Quia non erat illis cauſa idonea, qua innocentes expellerent, Italos eos eſſe cauſati ſunt, quaſi Gallorum inimici Lerinam hoſtibus proderent. Quod ſi quando metuendum id fuerat, tum maximè conſiderandum erat, cum bellis conflagrabant omnia & noſtrorum exercitu diſsipato proceres cum Rege vna capti ſunt, rebúſque noſtris debilitatis atque iacentibus aduerſarij proſperis ſucceſsibus ſtare viderẽtur. Itane tandem poſt annos circiter triginta poſt tam multos exantlatos ſudores iuſta ſcilicet cauſa inuenta eſt, vt bonis exturbatis malis liceat rem tam benè omnium bonorum teſtimonio ad Dei laudem inſtitutam peruertere? Sed bene habet res, quando ea quæ de patrum noſtrorum mandato cum Bellaio Præſule ampliſsimo eramus tractaturi, tecum nobis tranſigenda ſunt. Neque enim dubito quin te æquè atque illum ſperabamus, propitium benignũmque ſimus habituri. Quæ ſpes de te noſtra & concepta opinio ne nos fallat, te per tuam in Deum pietatem & egregias animi tui dotes oro atque obſecro. Rem facies te dignam, & pro qua tibi vniuerſi ac ſinguli immortalem gratiam ſunt habituri, vt interea taceam qualem quantámque

apud Deum mercedem ſis conſequuturus. Ego verò quantum ad patres noſtri ordinis attinet,tibi polliceri audeo, cum te authore fuerint reuocati, tales reperiturum,vt te conſuetudinis eorum nunquam pœniteat.Vale.Tharaſcon. 1532.

R.Patri Guillielmo Pellicerio Epiſcopo Montiſpeſſ. Dionyſ. S. P. D.

IAm ante annos aliquot cum in Cœnobio diui Benedicti apud Mantuam agerem,Præſul digniſsime, & Lerinæ deſiderio anxius amicorum importunis ſtudiis illic detinerer, carmen hoc ad monaſterij ipſius præpoſitum ſcripſi. Quod cum ad te mittere cogitarem, deterrebat me carminis ipſius rudis aſperitas, quia ſubuerebat ne doctas aures tuas offenderet, & te granioribus ſtudiis intentum importunè interpellaret. Sed cùm acceſſiſſet ad nos Vicarius tuus homo non minus morum probitate quam eruditione præditus, tanta mihi de ingenij tui facilitate & ſuauitate animi commemorauit, vt me hærentem ad mittendum facilè impulerit. Accipe igitur, Pontifex optime, hoc qualecumque meæ in te obſeruationis ſymbolum, quod & ſi tale eſt,cuius inconcinnitas te potiùs offenſura ſit,quam delectare poſſit, tamen in hoc (vt ſpero) ſtudium meum non aſpernabere, quod animum qualem in te haberem inde volui declarare, & quam ſit ſtudiis Lerina tuis accommodata vtcumque deſcribere. Vale. Lerinæ. 1548.

R.Patri Guillielmo Pellicerio Epiſcopo. Dionyſius. S. P. D.

ET ſi corporis aduerſa valetudine male affectus à ſcribēdi officio retrahebar,ſubuerebárque ne ſcripta mea tibi importuna moleſtaque eſſe viderentur, attamen tabellarij huius opportunitate atque hortatione animatus pauca hæc verba ſcribere ad te rurſus conſtitui. Qui cum ſit ipſe ſua ipſius natura & doctrina accedente humaniſſimus,tuæque paternitati familiariſſimus,ita nobiſcum egit, vt nos in ſpem bonam conciliandæ tecum pacis adduceret. Vnde cum tanta nobis de animi tui moderatione referret, admirari ſatis non poſſumus tua facilitate maleuolis tantum loci eſſe conceſſum, vt tuæ humanitatis oblitus in nos tui cupidiſſimos omnes tuas vires intendere velle videaris.Quare te oro,pater humaniſſime,&per ipſum ingenium tuum te obteſtor,ne tam faciles aures tuas delatoribus accommodes, quibus inſtigantibus autor eſſe velis, vt iam inde ab annis quatuor & quadraginta inſtauratos hinc ordo & Dei cultus funditus corruat. Scripſi ad paternitatem tuam iam ſæpe,quæ eſſet patrum noſtrorum in te voluntas,& quam à litibus abhorrerent, quorum conſuetudine ſi quando tibi vti contigerit, eorum te nunquam pœnitebit.Vale.Lerinæ vj.Idus Maij,1557.

R. in Chriſto Patri Guillielmo Pellicerio Epiſcopo. Dionyſius. S. P. D.

SCripſi ad te ſuperiore anno ſceleſtiſsimo cuique facile eſſe abſentes inſontéſque fatigare atque etiam perdere, vbi principum faciles aures nactus eſſet. Quod nos aliquoties noſtro magno malo atque incommodo experti nunc etiam ſerio gemimus. Neque enim tam defectorum delatorúmque hominum impudentem audaciam, quam tuam, quod tua pace dixerim, ineptam, ne dicam prauam,facilitatem admiramur, qua factum ſit,vt tu non minus eorum linguis dum animo tuo infenſo ſatisfacias, quā illi in noſtram perniciem autibus tuis abuti voluiſſe videaris.Quòd ſi ita eſt,nactus es profecto homines ex animi tui voto, qui dum per te ſibi liceat,in gratiam tui in ipſum etiam Chriſto (ſi fas eſt dicere) nedum in nos maledicta auſint congerere, quamquam quæ in ſeruos eius deſignarunt, ſatis ſupèrque in Chriſtum

Chriſtum deſignata fuiſſe videantur. Hi ſunt de quibus antea dixi perſonatæ ſimiæ & animalia ventris, qui habitu & ſterilibus titulis ſacerdotium mentientes fœda ſuæ libidinis apud nos (vt publicè dicitur) veſtigia reliquerunt, ad nihilque aliud nati eſſe videntur, quam vt bonis & Deum ſitientibus negotium faceſſant. Sed quo progreditur eorum impudens temeritas, vt innocentiſſimos religioſiſſimoſque viros tam euidentibus mendaciis falſiſque teſtibus quidem, ſed ſcriptis atteſtationibus fatigare audeant, quaſi qui viarum graſſatores ad homines iugulandos itinera obſederint. Ita enim ſcribi iuſſit tuus ille. N. dignus ſcilicet cui tuas hinc vices committeres, Eucherium contra ſe inſiluiſſe armatum, vt niſi ſibi ipſe cauiſſet, de vita ſua actum eſſet. Quid dicam de Ioanne Lamoreux, quem ille impudentiſſimè confixit Eucherij nomine cum armata hominum manu ſe fuiſſe aggreſſum & blaſphemis atteſtationibus mortem interminatum eſſe: Qui cum fuiſſet diligentiſſimè etiam præconis voce tota vrbe Antipoli requiſitus vnde ortum eum ille mentitus erat, non ſolum, ſed non eſt inuentus, ſed nec vllus quidem qui hoc nomine in illa vrbe vocaretur, hominũ memoria fuit: vnde partim riſum, partim etiã ſtomachũ ea res cum eſt audita, viſa eſt commouiſſe, nimirũ quod indignè ferebant viri boni te talem ac tantum virum huiuſce hominum in perniciem ſeruorum Dei & diuini cultus euerſionem miniſterio abuti. Teſtes verò quos ille produxit conſtantiſſimè ipſum mentitum, & mendacia ipſis ignorantibus inſcripta fuiſſe confirmãt. Quare iniquo id animo ferentes minãtur illi, ſi quando oportunitas inciderit, aliud quam quod audire atque etiam experiri velit. Longior erit narratio, ſi omnia illorum impudentiſſima mendacia & poſt illatas nobis contumelias & iniectas violenter manus falſas in nos criminationes ſcrupuloſiùs velim recenſere. Ita enim egerunt, vt qui ſemel pudoris ac temperantiæ fines exceſſerant, nauiter in dies impudentiores fieri ſtuderent, dum tibi obſequium præſtare ſe arbitrarentur. Verum ſi his inſtigantibus tam in nos implacabili animo es, vt pro oblectamento tibi eſſe videantur noſtræ moleſtiæ, innocentes ruſtici quid commeruere? Quia nobis bene volunt & iniurias nobis factas moleſtè accipiunt, coguntur & ipſi relicta coniuge & familiola magno itinerum & rei familiaris diſpendio iſtuc proficiſci. Quos ſi tam facilè cauſam dicturos quam ſuſurrones tuos admitteres, illos innocentes contra tuos illos adulatores actionem habere iuſtam cognoſceres. Qui propterea quod veritatem interrogati profeſſi ſunt, tanta à tuis illis incommoda ſunt perpeſſi, vt vix domo progredi auderent. De Eucherij innocentia nihil amplius dicam, ætatem habet ad dicendum ſatis idoneam. Hoc vnum tantum dixerim, non vt Mineruam doceam, ſed quod me vehementer præmit, reticere non poſſum. Veniet, veniet ſupremus ille noſter dies, quo nos ante tremendum illud tribunal exhiberi oportet, ad quod vocati omnes citatique quotidie properamus, vbi neſcio quam miſericordiam crudeles miniſtri tui expectare audeant, qui in gratiam tui innocentes monachos falſis calumniis onerant, & inſontes ruſticos relicta matre confecta ſenio, coniuge & infantulis ab officina vnde familiolam vtcunque ſuſtentant, extrahunt, vt dum eos laboribus & impendiis iniuſtè affligant, interea domus fame, inediaque laboret. Neſcio quod tam lapideum cor iſta cogitata non emolliant, niſi fortè illorum, qui Pharaonem imitari duriores in dies fiunt. Sed cor durum vt ſcripta loquitur, male habebit in nouiſſimo. Hæc ad te, Præſul ampliſſime, tui (quod mihi credas velim) amore honoréque, ſed & Dei in primis zelo incitatus perſcripſi, tu pro tua prudentia cogita quid tibi ne ab æquitatis

linea falsis adulatorum delationibus longius abducaris, & vt magnam apud homines infamiam fugias, statuendum putes. Vale. Lerinæ. Idibus Iulij 1557.

Reuerendo Patri Leoni Vrsino Episc. Foroiulij Dionis. S. P. D.

VTinam ea mihi adesset ingenij vis atque industria, Pontifex optime, qua conceptæ de me opinioni tuæ respondere, & petitioni satisfacere vtcunque potuissem. Dedissem vtique operam, ne id à me frustra postulasse viderere. Cum autem facultas mihi desit, qua tale quippiam quale tua paternitas expectabat præstare possim, non est certè quod in me, si quid in hac parte peccatum est, culpam sed in eos potius qui ea tibi de me persuaserunt, reicere debeas. Mihi verò vel ob id debes ignoscere, quod animum saltem bonum & pronum ad ea quæ iniungebas, vt exhiberem, malui tibi meam inscitiam declarare, quam imperium subterfugere. Vale Lerinæ.

R. Patri Isidoro Episcopo Fulginei Dionysius S. P. D.

QVod tardius tibi nouam istam dignitatem gratulor, Præsul digniſſime, nolim id negligentia mea aut obliuione nostræ amicitiæ factum putes. Cum enim longè absim, serò ad me de illa perlatum est, serò etiam nuntius mihi occurrit, cui litteras meas tutò possim committere. Sed tibi etiam atque etiam gratulor quantúmque id ex animo faciam, si pluribus verbis prosequi velim, superfluus tibi fortè aut amicitiæ nostræ importunus videbor. Satis enim id pro tua in me voluntate ac mea in te viciſſim obseruatione existimare potes. Quanto autem gaudio me affici credas, si quando Ecclesiæ Christi Cortheſij nostri ac tui similes rectores multos præfici videam: Quorum doctrina & castissimis moribus vita instituta maiorem in populos auctoritatem sit habitura, quam gradus ipse aut cathedra sibi vendicet. Quod propterea futurum non despero, quod audio in sacra synodo multa constitui, quæ si per Christianos principes liceat obseruari, Ecclesiæ Christi antiquum decus nō dubito breui instauratū iri, vt expulsis erroribus & licentia praua, qua omnes solemus deteriores fieri coërcita luxus & ambitio in sorte Christi locum non habeat. Vtquid enim plerique tam multa sacerdotia sacerdotiis accumulent. An fortè Gygantum more montes montibus imponunt, vt de cœlo Iouem vt fabulæ narrant detrudere velle videantur? Vtinam tandem mentibus hominum illucescat Deus, & Christianis verè liceat Christianos, & monachis verè monachos appellari. Pudet quidem certè pigétque præter abominandas hæresum sectas videre Christi Ecclesiam nouis in dies abusibus labefactari, vt nemini deceat mirum videri, si bellorum tumultibus & cæterarum calamitatum incommodis mundus affligitur, quando ad vitia & corruptelas conniuent ij quorum maximè interest illas extirpare, & pro animarum salute si ad id eos necessitas adegerit, vitam opponere. Sed iam gaudeo, quod spes mihi melior arridere videtur, tantis malis tandem finem impositum iri, cum eos videam Christi populis præfici, qui subditos non minus exemplo quam doctrina norunt instruere. Quamobrem Ecclesiæ tuæ tantum quantum tibi censeo gratulandum, quæ talē te sacris institutis nacta sit Antistitem Apostolici spiritus vigore & diuinæ sapientiæ splendore radiantem, vt non sub modio lucerna lateat, sed super candelabrum posita lumen proferat omnibus qui in domo sunt, profuturum. Vale. Lerinæ.

Reuerendo Patri Petro Castellano Episcopo Tullensi Dionys. S. P. D.

SImul vt nuntium de noua ista tua dignitate mihi allatum est, pro tuis in me meritis & meo in te amore obseruantiáque singulari, non paruo

gaudio

gaudio affectus ſum, meque contra officium meum quod tibi debeo facturum putaui, ſi tibi per litteras licet incultas atque indignas quæ tibi homini doctiſſimo exhibeantur, non gratularer. Vt qui tuis in me meritis gratiam referre parem nō valeo, cognoſceres me habere quam maximam. Vnde mihi gaudens tibi ex animo gratulor, atque iſta tibi delata dignitas vt perpetuò tibi honori ſit quam maximè exopto. Quam rem ita futuram adeò confido, quod is ſis in quo cùm ad vitæ caſtimoniam morúmque probitatem ſumma eruditio accedat, Eccleſiæ tuæ cui rector non caſu, ſed Deo ita ordinante præfectus es, non minùs quam tibi gratulandum exiſtimo. Gratulatur etiam tibi Scholaſtica collegio virginum deſignata Antiſtes, tibique ingentes gratias agit, quod commendationem rerum ſuarum non vulgarem duxiſti. Vale Tharaſcone 1539. 7. Idus Auguſt.

Reuerendo Patri Fenario S. P. D.

OFficium meum erat, Pater digniſſime, vt te frequentiùs viſerem, ſalutarémque ſecum eam in me ſermonis gratiam non ineſſe certò ſcirem, qua animi tui tædium ſubleuarem, ſubuerebar ne tibi plus fortè moleſtiæ quam ſolatij ſtudium meum afferret. Accedit huc etiam ab iis qui arci præfecti ſunt, difficultas, quos aliis rebus intentos mea cauſa velle interpellari, non facilè puto, vt inter ea omittam moleſtiſſimas curas, quibus neſcio quo meo fato tam anxiè diſtineor, vt mei ipſius interdum me pœniteat, pudeátque, qui aduerſus mulierculas garrientes & procaci interim voce & fronte renitentes, & aduerſus eos etiam qui earum partes agunt, contendere compellar. Neque ſatis ex æquo comparatum certamen hoc videtur, vt vnus aduerſus plures ſtare neceſſe habeam, quarum vna per ſe ſatis ſupérque ſufficeret, quæ multos etiam Socrates de patientiæ gradu deturbaret. Ab iis igitur aut ab illis qui ab earum partibus ſtant, cum multa mihi & multò grauiora quam antea pararentur incommoda, & falſis criminationibus in graue diſcrimen nomen meum & ſalus coniiceretur, affuit mœrentium conſolator pius Ieſus, qui me inſontem & iam iam ſupremo periculo laborantem à labiis iniquis & à lingua mendaci & maledica liberauit. Vnde quia (vt vulgò iam dici ſolet) facit indignatio vſum, hoc emblema cum adiuncto ſibi hexaſtico meditatus ſum. Quod ego ad te mittere volui, qui quaſi eiſdem aut grauioribus tibi à mulierculis obiectis criminibus laborares, non quòd eò paternitatem tuam quaſi mœrore afflictam confirmarem, aut te tanquam tui oblitum ad teipſum reuocarem, quem ego ſciam & philoſophicis & diuinis præceptis probè inſtructum meis (qui nihil ſum) monitis minimè indigere, ſed vt tibi amoris atque obſeruantiæ quam tibi debeo, indicium qualemcunque oſtendere. Vale Thar. 1537.

Dionyſius Bartholomeo Caſtellano Archidiacono Auenionenſi S. D.

LItteras tuas quas iam binas accepi, gratas mihi fuiſſe ac iucundas ſatis pro vetere noſtra beneuolentia potes exiſtimare. Nam etſi amicitiam noſtram fixiſſe altiùs radices puto, quam vt vllam aliquando illi calamitatem poſſe incidere timeam, vix tamen credas, quam grata mihi fuerit, eius in tuis litteris tam honorificè facta commemoratio. Sentio itaque quam ſuauis atque iucundus ſit fructus qui ex amicitia bene conſtituta percipitur, & quam dulce ſit in eiuſmodi amicorum mutua beneuolentia conquieſcere. Vulteio noſtro litteras tuas reddidi, quæ quantum illi voluptatis attule-

rint, non facilè dici poteſt. Diligit enim te mirificè,& ſibi abs te amoris vicißitudinem reponi,maximè gaudet. De ingenij illius ſuauitate & morum elegantia non eſt quod ad te perſcribam, quandoquidem ea tibi non minus perſpecta ſunt quam mihi. Scholaſticæ etiam litteras tuas tradidi, quas illa cum ſumma lætitia perlegit. Eſt puella vt nobiliſſimis orta parentibus, ita & maximè modeſta atque animo grata. Ea igitur cum abs te tam pio caſtóque amore complecti ſe quam nunquam videris, & tam humaniter amanterque ad bonarum artium ſtudia videat incitari, mirum in modum ſe tibi obligatam exiſtimat. Tibi verò in præſentia reſpondere non poteſt,propterea quod poſt accepta ex litteris tuis lætitiam triſtis ei de morte amicæ ſuæ ſanctimonialis fœminæ, quæ iſtic in collegio virginum deceſſit, allatus eſt nuntius. Quo illa (vt quandiu hic viuitur, nullum ſatis ſolidum gaudium eſſe cognoſceret, grauiter affecta tota in luctu & mœrore eſt. Poſtea quam dies ademerit, aut mitigauerit ægritudinem(vt eſt mente candida & grata) tibi per litteras gratias aget. Quod me tam benignè inuitas, vt te inuiſam, plurimùm tibi eo nomine debeo. Dabo autem operam,ſi non me aduerſariorum congreſſus diſtinebunt, vt meam in hac parte operam ac ſtudium non deſideres. Vale.

Arlerius qui Arelate Præfecti prouinciæ vices gerit homo doctus & modeſtus æquíque ſeruantiſſimus,ſed & tui,quod caput eſt, amantiſſimus te ſaluere plurimùm iubet.Tharaſcone.

Dionyſius Bartholomeo Caſtellano Archidiacono Auenionenſi. S. D,

VBi litteras tuas accepi, Geruaſium de quo ſcribis conuenire ſtudui, vt mandata tua illi referrem, ſed is vticam ad nundinas profectus erat. Dabo autem operam, vbi ſeſe huc receperit, vt inuentum illum non modo commonefaciam, vt præſtet fidem, verumetiam quemadmodum poſtulas, vt vrgeam, ne videlicet te tam diuturna expectatione moleſtè afficiat. Vale. Schol.& Delphina tibi ſalutem dicunt.Taraſc.1537.

Dion.Barth.Caſtellano Archid.Auen. S.D.

COnueni Geruaſium illum iandudum,de quo mihi iniunxeras, reſpondit tunc ſe in promptu pecuniam non habere, ſe vinum velle exponere, vt debitum tibi argentum conficeret, tranſactíſque deinde diebus aliquot iterum eum allocutus ſum,atque item tertio heri ſcilicet veſperi. Ille verò mihi reſpondit, ſe vlterius non poſſe effugere,veniſſe quempiam tuo nomine, qui cum ſe abſentem non inueniſſet,Martino Paraſio mandauit vt hominem cogeret,& litem intentam perſequeretur.Terminum etiam affirmabat ſibi diem hunc dictum fuiſſe, vltra quem differre ſolutionem non poſſet. Vera ſint quæ dicit nec ne,non ſatis compertum habeo. Ego tamen illi perſuadere conatus ſum, vt quod in rem ſuam erat vellet efficere, factis præſtaret,quæ verbis facturum ſe promittebat. Sed quid verò eſt aliud, in quo ſtudium meum deſideres, dabo operam pro meo in te amore atque obſeruantia quam tibi debeo,ne id tibi defuiſſe videatur.Vale Taraſc.

Diony.Ant.Fabro S.P.D.

TAmetſi amicitiam noſtram firmioribus puto radicibus niti quam vt litterarum adminiculo egeat,attamen vt tui memoriam me cum ſumma animi

animi voluptate retinere cognoſceres, volui hoc officij genere vti, vt in eo mihi vicem reponeres. Vt qui in hac barbarie verſor, in qua præter paucas ex alumnis meis ſpiritalibus nullus ferè eſt, qui bonas literas ſaltem guſtaſſe videatur, ſcriptis tuis hoc meum exilium poſſit conſolari. Vix enim credas quàm graue mihi ac moleſtum videretur, optata diu ac iucũda ſolitudine carere, & rurſus hoc piſtrino tanquam circulo magico ex quo egredi mihi non liceat, includi, niſi me ſpes optima quę in præfecta huius collegij Scholaſtica & eius ſodali Delphina mihi arridere videtur, animarent. Nam hæ ſunt, in quarum eruditione & virtute maximè acquieſco, ita vt earum pio ſolatio molendini huius grauis alioqui & intolerabilis labor qui in domandis peruicacibus ſumitur, leuior mihi videatur. Quod ſi literæ tuæ aliquãdo aut verſus acceſſerint, quanta ſolatio meo fiet acceſſio? Quare te oro obſecroque, vt ſi quid noui excudiſti fabricaſtique huius me participem facere velis. Scio enim ex optimi fabri officina nil niſi expolitum poſſe prodire. Cæterum ego audita morte Barptolemei Caſtellani hominis doctiſſimi meique amantiſſimi hoc breue atque non ſatis expolitum carmẽ compoſui, vt debitam amico memoriam præſtarem. Quod ad te mitto, vt tua lima eius ſcabritiem aut expolias, aut (ſi ita videbitur) ignibus tradas. Vale. Tharaſ. raptim. viij. Cal. Octobris 1544.

Dionyſius Ioan. Carrerio. S. P. D.

LIteras tuas Scholaſticæ reddidi, quæ quàm gratæ illi iucundéque fuerint, ex his quas ſcribit ad te potes intelligere. Eſt enim grato animo ac perbenigno & in eos maximè propenſo, qui doctrina & moribus pręditi ſe ad eiuſmodi ſtudia inuitant. Quare te ab ea plurimi fieri debes æſtimare, qui cum ſis ipſe (vt ſcripta tua indicant) peritiſſimus, parum tibi viſus es aſſequutus, niſi (vt verè Chriſtianum decet) eruditioni virtutum ornamenta coniungeres. Quam rem etiam ſi ex literis tuis non coniiceremus, ſatis per ſe conuictus & familiare Caſtellani noſtri contubernium perſuaderet. Facilè enim pares cum paribus coniunguntur. Eum autem licet abſentem corpore animo tum ob egregias virtutes & quia nos amat, præſentem complectimur. Quem vt à nobis ſaluere iubeas etiam atque etiam rogamus. Vale. Thar.

Dionyſius Eucherio mon. nepoti Cariſſ. S. P. D.

CVm ægrotarem recepi his diebus literas tuas, quæ cum eſſent tuæ erga literarum ſtudium diligentiæ & voluntatis in me teſtes certiſſimæ, fuerunt mihi tam gratæ atque iucundæ, vt morbi moleſtias ſubleuare mihi non parum viſæ ſint. Quod ſcribis te & alios deſiderare meum reditum, pro tua & illorum erga me beneuolentia facilè tibi aſſentior, ſed ea mihi eſt in præſentia membrorum omnium imbecillitas, vt non niſi poſt multos dies me itineri poſſim committere. Nam ea fortaſſis cauſſa fuit (vt etiam alij coniiciunt) quod poſt prima febrium incommoda in grauiora reciderim, quia citius me & ante quàm eſſet plenè reſtitutus ad ordinis obſeruanda inſtituta redierim, & aliis laboribus vltra vires nondum plenè reſtitutas me inconſultò medico ſim viſus exponere: Interea te oro, ne ab inceptis & literarum & religionis ſtudiis deſiſtas. Dici enim non poteſt, quantum fœlicibus tuis progreſſibus gaudeam. Præterea cellulam noſtram & omnia quæ illic ſunt, quantumcunque parua aut vilia videantur, tibi obnixè commendo. Chartæ in ea ſunt paruæ & (vt videntur) contemptibiles lituriſque vbique commaculatæ, ſed eas ne pereant, ſerua quã diligentiſſimè. Sodales omnes ſaluere à me iube,

eoſque hortare vt mei in ſuis precibus meminerint. Vale. Tharaſc. ix. Nouembris 1544.

Dionyſius Eucherio nepoti. S. P. D.

VSque in hunc diem diſtuli literis tuis quas ad me Genuæ ſcripſeras, reſpondere, propterea quod tabellarius deerat, cui literas ad te perferendas commiterem. Quamquam etiam abs te aliàs expectabam, quibus de tuo ſtatu ac rebus fierem certior. Cupiebam etiam noſſe quàm tibi proſperè iter iſtuc contigiſſet, & ſi literas curauiſſes quas tibi commendaueram. Quare abs te poſco, & quam maximè poſſum ex animo contendo, vt ad me quam diligentiſſimè omnia perſcribas. De ſtudiis tuis præterea fac vt ſciam, ſi tuis ac meis optatis fortuna reſpondeat, & id imprimis ſi ſpiritalibus diſciplinis vt incumbas, maior tibi quam hic opportunitas offertur. Id enim eſt, quod ego potiſſimum deſidero, & tu totis animi & corporis viribus debes inſudare, ne fruſtra iſtuc vnde leges & monaſticæ vitæ inſtituta in mũdum emanauerunt, adueniſſe videare. Locus iſte inſuper præter quam quod eſt cœleſtibus diſciplinis ob ſolitudinem accommodatiſſimus, alia etiam multa in ſe habet, quæ te ad ſpiritales progreſſus debent incitare, ſi videlicet ad memoriam reuoces ſanctorum greges, qui angelicam iſtic aliquando vitam traduxerunt. Quorum geſta ſcriptaque & cætera poſteris relicta ſanctitatis monumenta tepiditatem noſtram ignauiamque coarguunt. Hos igitur tibi propone, frater chariſſime, hos imitare, horum veſtigiis ita inſiſte, vt ſic ad nos redeas, in quo ego in primis & alij qui te amant acquieſcere valeamus. Vale. Lerinæ, 1552.

Dionyſius Claudio Monach. nepoti. S. P. D.

ACcepi literas quas ad me miſiſti, ex quibus incredibilem cum percepiſſem voluptatem, quod ex iis propẽſam erga bonarum literarum ſtudia & in Deum in primis voluntatem tuam amoremque intellexiſſem, acceſſerũt etiam patris Honophrij atque Egidij aliæ, quæ tuarum teſtimonium cõfirmarunt. Vnde ſumma tibi ope nitendum eſt, talem te ſemper in omnibus Præſtes, vt non me in id gaudium fruſtra conieciſſe videaris, ſimul & vt tantorum ac talium virorum teſtimonio dignus ſis. Ipſas autem literas tuas ad præfectam collegij virginum Tharaſconenſium & Scholaſticam miſi, quia earum in ipſis faciebas mentionem, vt eas deinde cum legiſſent, matri tuæ ac fratribus redderent, cupiebant enim eas gaudij mei eſſe participes. Multum autem Theophilo & Liberato patribus meis cariſſimis debeo, quorum in te humanitas ac ſtudium cum tibi minimè deſit, quominus doctrina & bonis moribus augearis, maximè in id operam dare debebis, nẽ tibi ipſe defuiſſe videare. Salutabis verò eos ex me, méque illis etiam atque etiam commendabis. Vale Lerinæ menſe Nouembri 1540.

Dionyſius Ioan. Faucherio nepoti chariſsimo. S. P. D.

LEgi literas tuas non quas ad me, ſed quas ad patrem tuum miſiſti, quas enim te ad me ſcripſiſſe ſignificabas inuentæ in faſciculo non ſunt. Perſuaſi patri tuo, vt qui te iſtuc ſtudiorum cauſa dimiſit, ea tibi quæ ad illa perſequenda videntur opportuna ſuppediter. Nam vt ex illis tuis literis intelligo fruſtra iſtuc veniſſe videreris, ſi vix tibi quicquam niſi ad obeunda miniſteria temporis ſuppeteret. Tu verò da operam ne Pariſiorum vrbem tantùm vidiſſe videaris. Hortarer te pluribus verbis, niſi tua mihi iamdudum voluntas in ſtudia & deſiderium perſpectum eſſet. Cupio te Nicotij Sobrini contubernio

bernio & familiaritate vti,quando patris tui non ea eſt facultas,vt cum optimis ac nobiliſſimis adoleſcentibus eſſe non poſſis niſi ſeruias & tali ſis addictus ſeruitio, vt id ferè totum ſibi tempus aut eius bonam partem vendicet.Facies etiam è re tua ſi Piladæ hominis mei amantiſſimi beneuolentia & familiari ſermonis commercio frequenter vtaris,quod tibi facilè erit,ſi dum per otium licet,te ad eum conferas.Is enim eſt, à quo ſimul cum eruditione etiam bonos mores poteris perdiſcere.Vale.Tharaſcone.1538.

Dionyſius Guillielmo Mayno viro doctiſſ. S. P. D.

PArum tibi feciſſe videbaris,Mayne eruditiſſime,cum ingenti tua humanitate ac beneuolentia nos tibi deuinxiſſes,niſi ab ipſo ſtatim initio conſtitutam inter nos amicitiam tam inſigni beneficio confirmare ſtuduiſſes. Neque enim velim exiſtimes collata in Scholaſticam beneficia minus ad me quam ad ipſam pertinere.Cum enim gloria patris ſit filius ſapiens, quicquid illi aut decoris,aut laudis,aut fortunæ denique melioris acceſſerit, eius partem videor mihi poſſe quodam meo iure vendicare, tametſi niſi in Deo opt.Max.à quo in nos omnia bona emanant nos gloriari non condecet. Cui cum accepta referre omnia iure debeamus,tibi etiam non immeritò immortalem habeo gratiam, quod tua opera & ſtudio ſpiritalis alumnæ meæ qualiſcũque eruditio & modeſtia ſingularis ita illuſtriſſimis Chriſtianiſſimiſque principibus noſtris innotuerit,vt eam dignam iudicauerint, quam regia benignitate & munificentia proſequerentur. Deum immortalem, quàm acres ſuaptè ſponte cutrenti ſtimulos adieciſti.Timet vtique ne priuſquam metam poſſit attingere,tuis laudibus onerata ſuccumbat,& ne virtutis inane nomen reges pientiſsimi remuneraſſe videantur. Itaque tota in hoc eſt, vt ſi æquare hominum conceptam de ſe opinionem non poſsit, voluiſſe ſaltem videri queat.Cæterum quando te autore optimorum principum beneficentiam in ea ſumus experti, per te etiam illis noſtro nomine vt gratiæ agantur vehementer rogamus obſecramuſque.De meo autem in te amore ac ſtudio id velim tibi perſuadeas, me in operam eſſe daturum ne amando abs te poſsim quandoque ſuperari.Vale.Tharaſc.xj.Cal.Iunij.1537.

Dionyſius Guil.Mayno. S. P. D.

VT tibi hinc abeũti promiſeram,literas ad te nuper dedi. Quas te habuiſſe inde coniicio,quod eas homini qui te optimè norat, commiſi, & qui officiis meis prouocatus maiora multò ſeſe mihi debere exiſtimet, quàm vt rem ſibi à me tam obnixè tanquam ex animo commendatam præſtare recuſaret. Erant vnà cum meis Scholaſticæ literæ alligatæ,alteræ ad te, alteræ ad reginam Nauarræ, & ad eam ipſam hendecaſyllabum carmen meum, quæ omnia vt illi exhiberes,ſummopere rogabamus.Sperabamus autem vt Nicea rediens ad nos diuerteres, nimirũ vt abs te reſciremus quàm tecum proſperè ageretur,& literas noſtras accepiſſes nec ne,quando vt ad nos reſcriberes tibi per negotia & aulicos ferè aſsiduos motus minimè licuerat. Nunc igitur fidelis nuntij occaſione incitatus hæc ad te ſcribere volui, quibus apud te noſtrã beneuolentiam teſtatam relinquerem, & tuæ in nos viciſsim teſtes literas tuas poſtularem.Nam & ſi amicitiam noſtram fortiore glutino hærentem & euidentiſsimis indiciis manifeſtiorem puto, quàm vt literarum confirmatione aut teſtimonio egeat, iucundiſsimum tamen nobis erit eius in tuis ſcriptis veſtigia legere. Quare te oro obſecroque vt ad nos ſi tuo commodo fieri poteſt,reſcribas,& nos de te ac ſtatu tuo facias certiores. Vale. A Bectonia tibi ſalutem plurimam dico.Tharaſc.v.Idus Iulij. 1538.

Dionyſ. Paſchaſio Clementi. S. P. D.

SI literas tuas mihi iucundas fuiſſe dicam, ſuperfluum in amicitiã noſtram ſermonem videbor afferre. Id enim ſatis ſupérque vbi non ſolum conſtituta verumetiam confirmata amicitia eſt, per te potes facilè iudicare. Quid enim mihi abs te non gratum iucundumque poteſt contingere, quãdo etiam ſola tui abſentis memoria me delectat? Sæpè autem mihi occurris, & ante mentis oculos obuerſaris. Vnde fit, vt fructum qui ex amicitia benè inſtituta percipitur, expertus ſummopere gaudeam, neque vlla aut locorũ aut temporum interualla tam diſtantia forè puto, quæ mutuum noſtrum amorem quem Chriſtus in primis & literarum honeſta ſtudia conciliarunt, poſſint diſſoluere. Verùm quod ſcribis te ſingulari mea humanitate ac beneficiis ita mihi obſtrictum, vt his te paria rependere poſſe diffidas, agnoſco nominis tui vim, vt clemens non immeritò nuncuperis, agnoſco modeſtiã & ſingularem animi tui manſuetudinem. Vtinam verò is eſſem, qui beneficium in te aliquod memoria & cõmemoratione dignũ poſſem collocare. Experieris (mihi crede) quanti te Dionyſius tuus faciat verum quia mihi facultas deeſt, quæ deſiderio meo reſpõdeat, ita faciam, vt animum ac voluntatem mihi non defuiſſe cognoſcas. Quid cum dico, ita velim accipias, vt nihil à me magis ex animo dictum putes. Coſſeiæ noſtræ ſalutationem pro eo quanti eam facio charam habui, tanti autem facio eam, quanti meritò debet æſtimari ea quæ natalium ſplendorem virtutibus illuſtriorem conatur efficere, & in muliebri & fragili ſexu viri ingenio atque animo prædita ita ſeſe totam honeſtis literarum & bonarum artium ſtudiis adiicit, vt non tam meritò laudandus qui eam amat, quàm qui non amat vituperandus eſſe videatur. Amo igitur illam, ſed eò amore quem Chriſtus ignis nomine deſignauit, cum diceret. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt ardeat?* Illi igitur à me ſalutem plurimam dicito & fratri eius in primis Conſtantienſi Pontifici, cui etiam atque etiam me commenda. Saluta etiam Macrinum & Richerium. Tu quoque vt valeas cura. Tharaſ. nonis Septembris 1538.

Dionyſius Paſchaſio Clementi. S. P. D.

ETſi amicitiam noſtram eò progreſſam exiſtimo, vt nihil ei quo maior eſſe poſſit, addi poſſe videatur, vnde nec literarum fomentis aut quaſi adminiculis quibus roboretur indigeat, tamen fidelis nuntij opportunitatem habens non permiſi vt ad te meis literis vacuus abiret, quibus te de ſtatu ac rebus noſtris certiorem facerem. Scito igitur mihi ac virginibus noſtris benè eſſe, & collegij conditionem aliquanto quàm ſoleat, eſſe meliorem refrigeratis iam hominum calumniis eorum qui in Chriſti cauſa nobis negotium faceſſere ſoliti ſunt. Bectonia & æmula eius Delphina mirum eſt, quàm ſeſe totas bonarum artium ſtudiis addixerunt. Ad quarum etiam exemplum iuuenculæ omnes ſe hortantibus nobis aſſiduè exercent, & iam earum aliquæ futuræ frugis ſpecimen exhibere cœperunt. Quòd ad te eò libentius ſcribo, quàm té his oblectari maximè certò ſciam. De hero tuo Conſtantienſi Pontifice digniſſimo, de Coſſeia virgine nobiliſſima piiſſimaque ac de te & rebus tuis vt nos facias certiores te etiam atque etiam oro. Vale. Herum tuum & ſororem eius item Mainum, Macrinum, & Richerium mea vice ſaluere iube. Tharaſ. 1538.

Dionyſius Pachaſio Clementi. S. P. D.

LIteras tuas mihi gratiſſimas iucundiſſimaſque fuiſſe ſatis pro mutua noſtra beneuolentia potes coniicere, tametſi inde mihi moleſtiam

leſtiam attulerunt, quod Conſtantienſem Pontificem variis, eiſdémque grauibus morbis laboraſſe nuntiabant. Cui tamen gratulor, quod priſtinæ redditus incolumitati ſe iſtuc receperit. Coſſeiæ noſtræ tam diuturnam infirmitatem tuli etiam ac fero moleſtiſſimè, niſi quod inde me ipſe conſolor quia cum vita noſtra nihil aliud ſit, quam iugis militia & tentatio ſuper terram, vt ſacra nos lectio docet non parua illi ac nobis gaudium datur occaſio, quod cum ſingulari ſit modeſtia & multis præterea virtutibus prædita, eam in eorum numero eſſe coniicere poſſumus, quos Deus amat. Nam quem diligit Dominus caſtigat, & flagellat omnem filium quẽ recipit, & ſicut aliàs ſcriptura teſtatur: vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio & tribulatio. Quare bono animo eſſe debet, cui ſeſe Deus tanquam filiæ exhibet, vt cum Chriſti paternitate cenſeri ſe agnouerit, diſcat pro amore æterni patris terrenæ faſtigium dignitatis atque nobilitatis contemnere, & corruptibilis corporis huius ac vitæ mortalis moleſtias ſentiens, dicat huic non eſſe fidendum, ſed ad cœleſtem illam & immortalem toto pectore, vbi fœlicitas vera eſt, ſuſpirandum. Hanc igitur cupio vt meo nomine & ſaluere & bono eſſe animo iubeas, cuius ego pondus vt aliqua ex parte leuarem libens, ſi ita ſuperis viſum eſſet, ſubire vellem. Dominum meum Conſtanſienſem, quam maximè poſſum iubeo ſaluere, meque illi plurimùm commendo. Vale. Taraſc. 1538.

Dionyſius Paſchaſio Clementi S.P.D.

VIde, mi Paſchaſi, quanti te tuo merito faciam. Nuper cum mihi litteræ tuæ redditæ fuiſſent, reſcripſi ad te de rebus noſtris, vt te velle putabam & vt noſtra beneuolentia poſtulabat, nunc verò nuntij huius occaſione prouocatus meas partes minus mihi exequutus viderer, ſi eum proficiſcentem ad te ſine litteris meis hinc abire permitterem. De nobis igitur quia crebrò certior fieri cupis, res noſtræ (Deo eſt gratia) nunc rectè habẽt & melius quam dudum. Nam his diebus ægrotarunt virgines collegij huius complures, inter quas Scholaſtica & Delphina præter cæteras nobis ingeſſerunt curam. Nunc autore Deo Scholaſtica conualuit, Delphinam adhuc morbi reliquiæ exercẽt membrorum nimirum debilitas & laſſitudo, quam etiam color flauus facilè indicat, conualeſcit tamen, & ſe paulatim ad priſtinam incolumitatem recipit. Seſe autem ambæ & ad earum exemplum reliquæ iuniores in virtutum & pietatis erga Deum ſtudiis ſtrenuè exercent. De Coſſeia nobili virgine ac de te frequenter mecum ſermonem habent, quem vnà cum ipſa Coſſeia ſaluere plurimùm iubent. Vale. Tharaſcone octauo Idus Maias 1540.

Dionyſius Paſchaſio Clementi S. D.

MIrabar cur tu ad nos litteras ſcribere tandiu intermiſiſſes, cum ecce mihi à Pylade noſtro & virginibus, quæ apud Salictum ſub cura illius degunt, faſciculus litterarum alatus eſt, quibus tabellariorum incuriam perfidiamque accuſabant, qua factum eſſet, vt ſuæ ad nos litteræ non fuerint perlatæ. Eas verò tibi amico fideliſſimo curandas tradidiſſe ſe affirmabant, vnde tuas quoq; illis adiunctas fuiſſe non ambigimus. Quæ res facit, vt grauiorem iacturam illam exiſtimemus, vt qui præſentem te audire nõ poſſumus in litteris ſaltem tuis loquentem audiamus. Cæterùm etſi rem tibi non iucundam nuntio, attamen quam ſcire debeas neceſſariam puto. Vulteius noſter imò bonorum omnium amicus vulnere confoſſus vita exceſſit. Nam

cum in quendam ſibi ob litem qua Eccleſiæ iura defenderat inimicum incidiſſet, poſt verborum pugnam qua inuicem aliquantiſper contenderunt vulnus ſubter mammam ſiniſtri lateris accepit. Quæ res cum mihi eſſet nunciata, ad eum animo conſternatus accurri, eumque iam ſemimortuum inueni. Cum verò medicus & qui circa illum erant, eum noſtræ amicitiæ admone vt ob eam videlicet ſopori lethargico reluctaretur, & ego nomen eius inclamarem, ille apertis oculis ad me conuerſus méque amico aſpectu intuens vt poterat reſpondebat. Tandem verò cum illum vt bono animo eſſet ſæpius hortarer, nóſque ſua cauſa ſollicitos & collegij noſtri virgines pro eo precibus inſtare dicerem, nutibus & quibus poterat verbis reſpondens ad Deum ſe cum hac voce conuertit: *Leuaui* (inquit) *oculos meos in montes*, & neſcio quæ alia de ſacris libris afferebat, quibus Deum inuocans auxilium implorabat. Quæ ipſe verba excipiens alia his conſentanea adiungebam confortans illum adhortanſque, vt animo ſi verbis non poſſet Deo confiteretur, & inimico tam inſignem iniuriam ex animo condonaret. Cui conſilio ille acquieſcens etiam ſacerdoti confeſſus eſt, cum tamen mortis iam iam inſtantis ſupremis doloribus vrgeretur. A ſacerdote deinde cum eſſet abſolutus, ipſum quo potuit nixu aſſurgens & quaſi vale dicens blandè eſt amplexatus, reclinatoque demùm capite ſuper lectulum expirauit. Habes igitur quo pacto ſummus amicus noſter Vulteius iuuenis multiplici genere doctrinæ & morum honeſtate præditus ab homine deſidioſiſſimo deterrimóque acerbiſſima morte affectus ſit. Cuius ego caſum ingenti dolore & multis lachrymis ſum proſecuutus, nec quiſquam probus eſt, qui non optimi viri miſerandam doleat vicem. Obiit tertiò Calendas Ianuarias adueſperaſcente iam die circiter horam quintam accepto inter tertiam & quartum horam vulnere. Ego cum amici deſiderio pene, vt ita dicam, contabeſcerem, non ſine multis lachrymis hæc carmina per ingenioli mei & huius temporis captu vtcunque effudi quæ ad eius tumulum affigenda in perpetuæ amicitiæ noſtræ memoria & teſtimonium ſempiternum curaui. Pro concione etiam illum, vt tunc potui voce vtique fletu impedita & animo dolore perturbato laudaui, ne quid amico Chariſſimo debiti à me officij defuiſſe videretur. Vale. Tharaſcone 1542.

Dionyſius Laurentio Garino S.D.

EXpectaui in hanc diem litteras tuas, neque enim à diſceſſu tuo abs te vllas accepi. Ego verò cum redire inſtituiſſem, & iam vehiculum procuraſſem, tanta pro me retinendo fuit contentio, vt mulieribus lachrymis & nobilium precibus cedendum fuerit. Quippe quibus omnia quæ hactenus tanto labore & ſumptu prouecta fuerant, peſſum, ſi abirem, ruitura videbantur. Quia verò id mihi ſine patrum conſenſu & auctoritate non licere cauſabar, id illi ad ſe recipientes litteras ſcripſerunt ad ipſos. Præterea cum præteritis diebus Prætor Arelatis homo iam inde à multis annis ſumma mihi familiaritate amicitiaque coniunctus Tharaſconem veniſſet fama huius reformationis percitus & Scholaſticæ cuius litteras legerat, virtute illectus monaſterium adire voluit, ipſámque collegij matrem & Scholaſticam ſigillatim compellans ſimul cum reliquis ex ipſo ianuæ veſtibulo ſalutauit obnixè cohortans: vt ab inſtituto non deficerent, ſuam operam & ſtudium prætermittens nunquam defuturum. Cæterùm Margarita Curta, Melchiona, & reliquæ feræ omnes quæ noſtris ſtudiis reluctari ſolent, aliæ aliò commigrare

meditan

meditantur, vt in aliis monaſteriis apud ſuos vitam exigant. Neque fieri poſſe videtur, vt ad aliarum normam ſeſe accommodent. De his ergo migrationibus frequentes nuntios videre licet, euntes & redeuntes, nullum tamen adhuc effectum, præterquam in Margarita Curta, quæ ad ſancti Zachariæ monaſterium abiuit, video niſi verba. Quod ſi verè contigerint, ego cenſeo ſaluo tuo & aliorum meliori iudicio, vt ſibi abſque ſcrupulo fieri id poſſit, non ſolum dimittantur, ſed etiam abire vt velint, rogentur. Quæ cum vetuſtati aſſuetæ vitæ nouitatem ferre non poſſint, lautiſſiméque pro re monaſterij quæ nunc eſt & temporum conditione tractentur, ſcatent tamen murmurationibus & querelis vndique, & quæ olim vt propriis loculis parcerent tenuiſſimo victu contentæ erant, nunc expleri non poſſunt. Tu ergo quid de hac re ſentias, reſcribe ad me. Quantum verò ad alias attinet, Præfecta ipſa iam annis confecta & diuerſo viuendi vſu iamdudum aſſueta eiuſmodi eſt, à qua magna nobis expectare non liceat, ſed quod dat accipimus. Locum melioris bona vtcunque tenet, pro reformatione & obſeruatione ordinis bonarum partes agit, & à ciuibus pro ætatis reuerentia maximè ſuſtinetur. De Scholaſtica & eius honeſtis moribus non ſcribo aliud, quod hæc omnia tibi ſint cognita, niſi quod in his in dies fœliciores progreſſus habet, & cum crebris infirmitatibus torqueatur, totius tamen laboris pro obſeruando ordine pondus maximè ſuſtinet. Ab ipſa & à matre cæteriſque tibi ſalutem dico. Da verò operam, vt ad Patres noſtros de me ſcribas, & rei neceſſitatem quæ me hic detinet illis ſignifices. Vale. Tharaſcone pridie Calendas Aprilis 1536.

Dioyſius Laurentio Garino S. P. D.

EGo verò tibi in tam graui & acerbo luctu affuiſſe vellem, vt ſtudio & cura dolorem quem ex tuorum caſu contraxeras, ſaltem aliqua ex parte, ſi illi mederi omnino non poteram, ſubleuarem. Quanquam neſcio quid tibi homini & doctrina & rerum vſu inſtructo afferre poſſem, quod tu non exactius tibi prudentiúſque adhibueris, quam cuiuſuis ad ſedandum dolorem poſſet afferre facundia, niſi fortè animo cum ſumus conturbato noſtri aliquantulum videmur obliuiſci, & amicorum officiis monitíſque hortati reminiſcimur homines nos ea lege natos, vt multis in hac vita quandiu ſumus, miſeriis ſimus obnoxij, neque vllum eſſe tam ſolidum gaudium, quod non anxietatis alicuius amaritudine ſit reſperſum. Sed deſino Athenas noctuas afferre, ne cum tu ipſe per te ſatis philoſophatus ſis, quando ea quæ à ſapientiſſimis dudum de hac re prodita ſunt in memoriam opportunè reuocaſti, nihil niſi commemorando dolorem refricem. Quod verò ad alteram epiſtolæ tuæ partem attinet, dici non poteſt quantum in ea fide & ſententia confirmatus ſim, vt præter ſcripturæ ſacræ auctoritatem etiã experientia ipſa frequenter edoctus credam Deum ſuis adeſſe, nec eos in tentationibus deſerere, tametſi ad tempus interdum eos aduerſariis ventilandos, cribrandóſque permittat, videlicet vt ab humanis affectibus expurgatos doceat & ardentiùs prouocet, profeſſionis ſuæ ſtatum qualitatémque reputare, & ab exterioribus turbis ad mentis interiora conuerti, diſcántque qui re vera Deum quærunt, ſeſe & cogitatus ſuos curáſque omnes in eum iactare. Deo igitur in primis gratias agens tuam & ciuium tuorum pietatem & erga nos ſtudium laudo atque amo, quo dediſti operam, vt patefacta veritate aduerſariorum falſæ calum-

niæ omnibus & his in primis qui aduerſum nos in noſtram perniciem fuerant laceſſiti innoteſcerent. Hoc eſt igitur protectorem eſſe, & veri defenſoris partes agere, non ſub falſo patriæ defenſionis prætextu Chriſti religionem impugnando malo animo ſuo ſatisfacere. Collegij res bellè habent, & valent omnes præter vnam Magdalenam, quæ etiam nunc oculis capta iterum cataractam, quam vocant, ſibi admoueri fecit. Sed cum inde nihillo plus quam dudum videat, etiam morbo laborat, iámque domum ſuis pharmacis quibus ferè continuo vtitur detrimento non paruo affecit. Quam rem vtinam ipſa penſaret, vt vel ſi grata eſſet, & non murmuraret. Sed noſti eius & ſobrinæ illius ingenium. Adhuc enim vetuſtatem rancidam olent, qua à multis iam annis imbutæ nouum ſaporem ægrè poſſunt imbibere. Vale Tharaſcone 1536.

Dionyſ. Laurentio Garino S. D.

ACcepi litteras tuas, diploma quod tecum portare oblitus fueras, ad te remitto. Res monaſterij ſic ſe habent. Moroſæ illæ atque inſolentes timore perterritæ inſurgere vt olim, non audent ſaltē apertè. Nam cum aliquæ neſcio quid contra tuam & Gilberti ſententiam attentaſſent, ego ſtatim obiectis minis earum temeritatem compreſſi. Mater ipſa à Gilberto neſcio quibus technis piè circumuenta conſenſit, vt quod volebamus faceret, ignorans tamen rem ipſam, & quomodo fieret. Nam ille (vt pia eſt aſtutia præditus) ita rem cautè & occultè tractauit, vt ipſamet & Ioanna Ruſpia ipſum rogarent & iunctis manibus ſupplices illi fierent, vt hoc ipſum ita vt volebamus efficeret.

Quid vis amplius? Scholaſticam mater ipſa rogauit, vt id quod ſuadebat Gilbertus, libenter admitteret. Itaque re celeriter confecta Melinus cum procurationum tabulis Auenionem profectus eſt, vt Gilbertum conueniret qui cum Trapeſita de pretio ageret. Conſtabunt diplomata aureis nummis centum, & quinquaginta iam repræſentati ſunt. Sed iſta tibi in aurem, cum rei ſucceſſum audies, non poteris non ridere, ſed (vt dixi) iſta ſilentio ſunt tegenda. Præterea Martinus, ille vnus ex coniuratoribus Auenionem his diebus venit, vt neſcio quæ à legato impetraret, deinde ad Cardinalem Bellaium profecturus, videlicet vt Italos monachos eius auctoritate ab Lerina extrudat. Gilbertus auditis illius inſaniis & ineptis rationibus quas afferebat, ſtatim ex verbis & filo (vt credo) corporis hominem ſuſpicatus eſt mente peſſima. Cui pro ſua in Deum religione & beneuolentia erga ordinem noſtrum conatus eſt diſſuadere ne rem tam nefariam aggrederetur. Ille verò poſtquam ei promiſiſſet ſe venturum ad me, & quæ ipſe ſuadebat eſſe facturum, euanuit. Ego verò cum rem omnem ab ipſo Gilberto didiciſſem ad Cardinalem Bellaium ſcripſi, & epiſtolæ exemplum ad te mitto, vt eam Laurentio patri communices, vt ſciant ſcilicet patres noſtri ij quibus eſt ad Deum & ad religionem animus bene affectus quibus fidendum ſit, & quos ſuſpectos habere debeant. Sed oro te, vt tu ipſe illi hoc exemplum oſtendas, aut per eum mittas, qui ſit quam tutiſſimus.

Scholaſtica & Delphina & reliquæ te iubent ſaluere, Iannona, quam vocant, totam ſeſe mihi formandam tradidit, & mirum eſt, quam in aliam mutata eſſe videatur. Optimam de illa iam ſpem concipimus, & ego quantum poſſum illam ab aliarum conuerſatione diſiungo, vt conceptum

voluntatis

bonæ propoſitum ad bonarum exemplum cuſtodiat. Vale. Salutat Melinus. Tharaſ. pridie Cal. Septemb. 1538.

Dionyſius Laurentio Garino S. P. D.

LIteras tuas Aquis Sextiis datas accepi, quibus reſponſione opus eſſe non magnopere æſtimabam, idcirco quod te in dies huc reuerſurum expectamus. Miror autem quid ſit, cur à Placido noſtro nihil prorſus acceperim, neque de eò quid factum ſit, aut quid ei euenerit, ſatis poſſum ſtatuere. Vereor autem ne incommodis afflictus aulicis quibus (vt ſcis) qui aulam ſequuntur, afflictari ſolent, in morbum inciderit. Scripſit autem ad me Vitalis accepiſſe ſe literas, quæ ad te mittebantur, quare ſi quid ab eo aut de eo accepiſti, aut etiam ſi fratres noſtri Lerinenſes quicquam de ipſo audierunt, te oratum velim, vt niſi ad nos tam citò venturus ſis, ad me perſcribas. Præterea nuntius à trapezita Roueliaſco ad me venit magna inſtantia pecuniam Pariſiis acceptam repetens, alioqui Petro Valentiano negotium faceſſiturus, qui ſe prædem pro nobis reddiderat. Cui quid ego reſponderem non ſatis in promptu habebam, niſi me expectare Placidum ipſum in dies, qui reuerſus ad monaſterium ipſam numerandam curaret. Te oro obſecroque vt id quàm diligentiſſimè poteris agas efficiaſque ne omnino amplius differatur, quin eam Petrus ipſe accipiat. Magnus mihi eſt pudor vultum illius ſubire, quoadusque ſatis illi factum erit. De patribus noſtris nihil prorſus, nec de fratribus Lerinenſibus ex quo tempore hinc diſceſſeramus, audiui quod nouum ſit, & cupio valdè per te omnibus fieri certior. Ad reginam Nauarræ ſcribere de negotio quod ſcripſiſti vſque ad tuum aduentum differemus. Omnia in monaſterio commodè ſe habent, & ædificium illud de quo mandaueras, creſcit & exurgit in horas. Vale. Salutat matrem, Scholaſtica & Delphina. Tharaſ. xiiij. Iunij. 1539.

Dionyſius Laurentio Garino S. P. D.

ELapſis diebus cum Laurentius pater ad vos rediret, nihil ad te ſcripſi, propterea quod te Aquis Sextiis iam eſſe autumabant, vt inde Auenionem te conferres Cardin. Bellaij negotia apud Trapezitam curaturus. Diplomata Scholaſticæ fuere reſtituta, pro quibus apud Cancellarium expediendis dicebat Gilbertus neceſſarium eſſe, vt Telonarij literas haberemus quibus fides fieret, propterea in diplomate ſummi Pontificis non fieri de regis voluntate vllam mentionem, quod ipſum regis beneplacitum (vt vocant) fuerat impetratum pro prima ceſſione qua ipſa collegij mater Scholaſticæ cum regreſſu cedebat, & quia ſatis de regis animo conſtat, non eſſe difficile vt à Cancellario admittatur. In monaſterio tranquilla omnia, & in ſumma pace, & tibi omnes ſalutem plurimam dicunt. Quòd Monaſterium Lerinenſe ſeditionum ſeminariis ſit liberum, gaudeo, & Deo in primis gratias ago. Reſtat adhuc Cardinalis noſtri importuna penſionis exactio, pro qua (vt puto te non ignorare) ſupplices literas ad eum dedimus, neſcio quid ab homine pecuniarum tam egeno (ne dicam auido) ſperare liceat nobis, tu pro tua æquitate & animi religione rem quàm poterit fieri moderatiſſimè tractes te oro, vt ſi omnino ſoluenda penſio erit, eam ad quàm minimam poteris redigere contendas. Vale. Tharaſc. iij. Non. Martij 1540.

Dionyſ. Laurentio Garino S. P. D.

ACcepimus paulò ante hos dies literas tuas Auenione datas,cum alteras abs te nobis hodie Texerius reddidit, quibus intelleximus id quod nobis iamdudum proſpectum erat, te nimirum rerum noſtrarum curam non minimam gerere & collegij huius cauſam tibi cordi eſſe. Res noſtræ (Deo eſt gratia) rectè habent, & in ſumma pace atque tranquillitate omnia ſunt conſtituta. Omnes autem literis aut manuum labori operam nauant, nec quicquam eſſe videtur, cuius minus accuſandæ ſint, quàm otij. Salutaui omnes tuo nomine, à quibus viciſſim tibi ſalutem renuntio. Cæterùm dici non poteſt quàm ex animo ſim gauiſus, cum ex tuis literis deprehendi te cum Præſide rediiſſe in gratiam, quam coniecturam inde facio, quod officio tuo ac diligentia vſus ſit, in ſcrutanda regis nomine Theocreni bibliotheca & recuperandis codicibus, quibus rex ipſe ſuam (vt puto) bibliothecam cupit inſtruere. Diploma illud quo inſtaurandum continetur. Bectoniæ tradidi, quod ipſa cum reliquis (vt tu iubebas) in aduentum tuum repoſuit aſſeruandum. Cupimus ſcire num etiam à Trapezita Gilbertus noſter literas exegit, quibus adhibitæ diligentiæ quantum ad literas ab rege impetratas pertinet, fieret fides, ſed tu cum redieris, ea quæ huic negotio commoda iudicabis ex animi tui & noſtri ſententia Auenione conficies. Cæterũ te oro, vt Lerinenſes noſtros noſtro omnium nomine ſalutes, apud Maximum me excuſabis, quod variis curis diſtentus ſuis elegantiſſimis verſibus adhuc reſpondere non potui, ſed dabo operam vt mea muſa (tametſi iam iam annis & ætate ad id minus idonea, vt interea ignorantiam taceam, ſuæ doctæ & eleganti reſpondeat. Vale. Tharaſ. xvj. Cal. Nouembris 1540.

Dionyſius Laurentio Garino S. P. D.

CVm huius nuntij mihi opportunitas occuriſſet, hæc ad te de ſtatu rerum noſtrarum ſcribere volui non quod noui quicquam acciderit, quod ſcire magni tua referat, niſi quod gratuitis (ita enim vocant) muneribus regi deferendis plus nimio afflictæ graui inopia laborare virgines coguntur, ita vt futurum neceſſe videatur ſi hoc incommodum ita ſit ſucceſſurum vt in dies ſicut cœperunt, mala recrudeſcant puellas nouitias & ipſas etiam moniales domum dimittere. Nam vbi conflatum æs alienum iam ab annis præteritis diſſoluere cogitant, ſuperuenit Edictum aliud aliis accedẽs, quo etiam quaſi ab ore bolus ipſis eripitur. De recipiendis & admittendis ad ordinem aliis puellis neſcio quantum vtile ſit, quandoquidem paciſci non liceat, & pauca illa ſi qua ſunt illatæ non tam è manibus fluere, quàm ex oculis quaſi euaneſcere videantur, cum interea domus onerata remaneat, & iam ita referta, vt locus in quo recipiantur, deſit. Ego iam (Deo eſt gratia) bellè habeo, & ad ſolitum ordinis viuendi modum me paulatim reuoco. Carola & Catharina febre laborarunt, à qua vixdum Catharina euadere potuit. Quod ad domeſticæ diſciplinæ reformationem ſpectat, res adhuc languet & lentè ſuccedit propter morbos quibus affecti ſumus & inopiæ incommoda, quibus cogi ſe dicunt vt laïcas puellas docendas admittant, quæ diſciplinæ regulari non parua afferunt impedimenta. Vnde exilium hoc graue mihi videretur, niſi me Scholaſticæ promiſſa magnifica & propenſa, vt videtur, ad mihi obediendum voluntas animaret. Aliquæ ſunt, quæ iugum

gum quod ſe iam abieciſſe aut obiecturas omninò putabant recipere vel non poſſe excutere moleſtiuſculè videntur ferre, ſed ſatis mihi eſt in hoc negotio habere à meis partibus Prę fectæ voluntatem. Quæ quandiu mihi non eſt defutura, tandiu exilium, carcerem, tormenta, & cruces, dum per patres meos mihi liceat, pro earum ſalute non modo æquo & patienti, ſed etiam lęto animo ſum perpeſſurus. Vale. Tharaſcone 1540.

Dionyſ. Laurentio Garino. S. P. D.

MIror quod ab eo tempore quo te Graſſam recepiſti, nihil abs te literarum accepimus. De nobis autem ſic habeto. Ego cum ab eo morbo quo te hinc abeunte laborabam me liberum eſſe putarem, præterito menſe Octobri grauius multò recidi, quam cecideram prius, ita vt de vita mea & ipſe & alij dubitare viderentur. Nunc grauiſſimis febribus releuatus tanta membrorum omnium debilitate & capitis neſcio qua grauedine & quaſi continuo intrinſecus ſtrepitu & ſurditate laboro, vt incolumitatem mihi adhuc non auſim promittere. Cæterùm obſeruatio hic regulæ ſatis pro perſonarum & rerum captu ſuccedit, & Deo autore vt indies fœlicius ſuccedat, confido. Præfecta & ſodalis eius ſeſe noſtris conſiliis adiungunt, quæ res quantum eis vtilitatis ſit allatura, tu potes pro tua prudentia & rerum vſu facilè coniicere. Tu ſi me amabis dabis operam, vt de te & de patribus noſtris (ſi quid ab eis accepiſti) me facias certiorem. Vale. Tharaſ. iiij. Idus Nouembris 1544.

Dionyſ. Laurentio Garino. S. P. D.

NVntius mihi de Tharaſconenſi virginum cœnobio allatus eſt, qui me tanto grauiore moleſtia affecit, quanto me in eo diutius in vanum ſudaſſe video. Recolo enim illud tempus, quo res illic ad Dei laudem inſtituta noſtris optatis vtcunque reſpondere, & in meliorem ſpem, animos multorum erigere videbatur. Quæ cum ita ſit in contrarium reuoluta, vt de ipſa actum eſſe videatur, non poſſum non illarum ſortem dolere, quæ paucę cum ſint, non poterunt pro diſciplina ſeruanda aduerſus multarum inconditos mores reſiſtere. Sed tecum (ſi mihi liceat) libenter expoſtularem, quod nihil de hac re ad me perſcripſeris. Scis enim quàm ad earum commodum ſalutemque animarum procurandam ſemper fuerim animatus. Nam etſi pleræque illarum ſunt, quæ meis beneficiis ingratæ non ſatis æquam mihi vicem rependerunt, non poſſum tamen illarum calamitatibus non commoueri, quarum ego ſalutem animæ meis etiam ipſius incommodis iam dudum (vt ſcis) redimendam curaui. Rogo autem te vt de omni ſtatu illarum & tuo me certum reddas, nam quod abs te intellexero, certum eſſe non ambigam. Prętera de præfecta collegij diuæ Catharinæ ſcire cupio, an ſpes ei aliqua ſit, an ab ea omninò excidit. Ego ad eam iam aliquoties literas dedi, neque ab illa reſponſum vllum neque à Delphina accepi. Quæ res facit, vt ſuſpicer literas eis non fuiſſe redditas, aut in aduerſariorum manus incidiſſe, ſed vt cunque res acciderit, facies mihi rem gratam, ſi ad me omnia diligenter perſcripſeris. De me ſi ſcire cupis, ego Deo eſt gratia, proſperè valeo, méque hic non ſine animi mei voluptate in literarum ſtudiis cum hac iuuẽtute exerceo. Quid vis amplius? fœlix vtcunque mihi eſſe viderer, niſi adhuc

ineſſet mihi paternitatis hoc nomen, quo immeritò appellor. Sed ſpero, vt his futuris patrum noſtrorum comitiis hac ſarcina ſubleuer, nam cum ego hoc gradu minus dignus ſim, non ſuppetunt etiam neque corporis, neque animi vires. Vale. Lerinæ xv. Cal. Aprilis 1548.

Dionyſius N. S. P. D.

AMor ac beneuolentia qua te iam inde à multis annis proſequutus ſum perſuaſit vt ad te pauca hæc ſcriberem. Oro te per amicitiam noſtram & communes labores ac toleratas pro Chriſti amore moleſtias calumniaſque vt honori tuo & virginum noſtrarum famæ ac verecundiæ conſulas. Multus de te olim (vt ſcis) rumor & vehemens ſuſpitio fuit, quod cum virginibus frequentior eſſes, quàm par eſſe ipſi iudicarent, & maximè quod cum illis conuinia inires. Quas ego calumnias quantum ex animo & viribus poteram contendebam refellere. De me autem aliqui mirabantur, qui me ſatis alio qui cordatum & peritum (vt ipſi aiebant) rerum multarum æſtimarent, in hac parte tamen tam eſſe caudicem & plumbeum, qui hæc non viderem. Alij me conſcium & tecum collegij bona compilare blatterabant. Nuper verò quarto (vt reor) ab hinc die incidi in quendam Tharaſconenſem ciuem, qui cum eſſet vni earum quæ nuper profeſſæ ſunt ſanguineus & valdè propinquus, queſtus mecum eſt de te multa ſe audire quæ de homine non ſatis probo commemorari poſſe viderentur. Quæ cum ego (vt alia olim) refutarem, eſto (inquit) ſit ita vt dicis, attamen tenera eſt virginum verecundia & lubrica admodum pudoris fama, quæ hominum ſuſpitionibus mille ac iudiciis obnoxia cum ſit, nunc maximè in id eſſet elaborandum & omnis danda opera ne noſtra ipſorum ſpontè aliis ad male de nobis ſentiendum & peſſimè obloquendum locum dare videamur, præſertim nunc vbi ferè omnes & ea quæ cæteris præeſt, ſint ætate iuniores. Quia cum ſit admodum adoleſcentiæ iter in lapſum pronum, etiam ſi mortuos ſuſcitauerimus, malè de nobis tam familiariter cum eis viuentibus homines iudicabunt. Querebatur etiam quod abfuerim his diebus, cum puellæ nouitie flammeum accipientes virgineum profiterentur cauſa in promptu fuit, quia in extremo mortis certamine defuncta nuper mater collegij laborabat, & me hic etiam eſſe oportebat ob concionẽ quę mihi ad clerum propediem habenda erat. Præterea nudius tertius cum apud matronam nobilem à valle diſcumberem, cum tamen te ipſa iſtic eſſe ignoraret, narrabat audiſſe ſe de te multa, & præſertim quod ſtatis temporibus ſemper adeſſes prouentus monaſterij corraſurus. Hanc ego calumniam cum refutaſſem & te tranſacta nuper quadrageſima cum ægrotaret Præfecta hic affuiſſe dixiſſem, doluit te ab ſe inſalutatum abiiſſe. Ego (vt ſcis) tuendi tui cauſa apud quoſcunque infimos, mediocres & ſummos laboraui, & pro ea quæ mihi tecum intercedit beneuolentia laborabo, ſed oro, te vt amico tibi verè, fideliter, & amanter conſulenti fidem adhibeas. Nec per te liceat vt ianua monaſterij tam facilè pateat, pro qua obſeranda tantum & tam diu laborauimus, ne tot ſudores tot & tantis laboribus exhauſti effundantur. Hoc eſt enim quod metuunt multi, quorum querelas ſi velim omnes perſcribere, vix tempus mihi aut charta ſufficiet. Hæc autem pauca ſcripſi ad te meo in te & tuo viciſſim in me amore fretus. Vale. Arelate idibus Aprilis 1543.

Dioniſius

Dionyſius N. S. P. D.

SCripſiſti ad me, vt ſiquid noui nobis acciderit, tibi ſignificarem, ſed à diſceſſu tuo nihil euenit, quod non vetuſtatem magis quam nouitatem ſapere videatur. Te enim auctore perſuaſoréq; res cò reuoluta eſt, vt plus mali timere quã boni ſperare poſſimus. Quorſum enim licentię illę, abs te illis etiam non petentibus vltrò conceſſæ. Quorſum perſuaſio illa, vt nihil cum ordine noſtro ſe habere commune exiſtiment, niſi vt amoto religionis metu ac ſcrupulo, quæcunque volet ſibi licere arbitrentur, & pro lege ſit eis deſideriorum voluntas? Viderit Deus quæ tibi mens fuerit, ſed quæ idem ſint ſecutura & iam tam ſubſequi cœperunt, non poſſunt eſſe niſi peſſima, & tam ab earum inſtituto aliena, vt nihil magis ei poſſit eſſe contrarium. Timebas ſcilicet ne ad licentiam qua deteriores ſolemus omnes fieri, id genus ſuapte ſponte ſatis pronum, & ne ad eam extorquendam plus æquo importunum videretur, niſi toties inculcares eas nobiſcum commune nihil habere, quibus etiam ſi contrarium perſuadere vellem me illas in errorem miſſurum. Ego verò is non ſum qui à veritatis regula & veræ religionis norma illas voluerim aliquando abducere, pro qua inſtauranda tot ſudores exantlaui, & tot animi langores tolerans, vitam quoq; ipſam periculis multis multoties obieci: vnde ſupramodum doleo in memoriam reuocans illud tempus, quod cum mihi eſſet ob infinitas moleſtias ad tolerandum difficilimun, zelo tameu Dei accenſus & ſpe bona fretus ferebam, & mortem etiam lætus ſi euenisſet laturus fueram, cum vno momento annorum fermè tredecim, quibus deſudaui labores ſudoréſque effuſos & rei ad Dei laudem omnium ſententia bene inſtituræ ſummam, cum me iam iam adeptum putarem, de manibus tam repente elapſam videam. Sed quales rumores contra teipſum & ipſas etiam virgines ſuſcitaſſe te puras dum conuiuia & publica & priuata reminiſcuntur, dum Maurinellas domi ſuæ præter bene inſtitutum collegij morem tot dies fuiſſe & nunc Magdalenam per compita huius ciuitatis ob ambulantem videant? Mirantur vtique & dolent tam repentinam metamorphoſim contigiſſe monaſterio, vt num demum defuncta matre antiqua iuuenculis tam multa quæ non expediunt nec decent, per te liceant. Neque enim abs te ita perſuaſæ me audiunt, & tanquam ad tabernam me ſignum habere ſe exiſtimant, ſuiſque conſiliis ſi me adhiberent, ſuæ libertati detractum iri aliquid vererentur. Tu igitur & quantuncunque bene moratas & diſciplinis regularibus aſſuetas relaxa, & vt obedientiæ iugum ſanctum excutiant, illis perſuade, vt experiaris tandem an tu, an alius quiuis aggeribus ruptis aquas ne profluant, poſſis cohibere. Ego verò qui de laboribus meis hos fructus me percepturum putabam, vt in earum virtutibus & ſancta conuerſatione ætas mea iam annis & curis moleſtiſſimis ingraueſcens acquieſceret, vbi me & cõſilia mea ſimul cum laboribus contemptui haberi vidi, ſubduxi inde me, neque illarum me paſtorem dici volo, cuius vocem non audiant, ne ſi in lupos incurram, mea id negligentia aut culpa alia factum homines arbitrentur. Neque ad eas curandas ſum reuerſurus, niſi ea quæ temerè ſunt innouata reſtituantur aut emendentur. Vtinam verò antequam tibi verba illa excidiſſent, quibus eis ad immaturam libertatem tam ingentem feneſtram aperuiſti, cogitaſſes quid & quantum mali inde proueniret, quantum etiam honori tuo & illarum detraheretur, quando cum moriente matre ſi-

mul & regulæ obſeruatio interiiſſe videretur. Ego quantum ad me attinet, & meus in te amor poſtulat, te apud eos qui te obloquuntur defendo, & quia conuictum cum illis & moras diuturnas (vtpote publicas) negare non poſſum, nihil me vnquam in te turpe vidiſſe, aut abs te audiſſe confirmo, ſed reſpondet ſi turpia contigerunt, te non ſolere arbitros quærere. ſed quis hominum linguas poſſit compeſcere, præſertim vbi ad maledicendum occaſionem nacti fuerint? nihil autem curare, quod de ſe homines ſentiant, hominis eſt (vt inquit Cicero) omninò diſſoluti. Vtinam verò Dionyſium ita delirum, & vt quidam ex illis aiunt, præ inedia & ieiunio deſipientem aut ſi mauis inſanum conſuluiſſes, certè & tibi & illius conſultum eſſet, & ego tot bonas horas me malè collocaſſe non dolerem. Vale. Arelate decimo quarto Calend. Iun. 1543.

Dionyſius Ioanni Vulteio S. P. D.

EGo verò, Vultei, vellem eam eſſe in hominibus fidem pietatémque, vt negotio noſtro, imò verius Chriſti, nihil aduerſi poſſem ſuſpicari. Sed vt ſententiæ tuæ accedam, compellit me hominum perfidia peruerſitáſque qua nunc paſſim his perditis ac deploratis temporibus, pro Chriſtiana ſimplicitate licet abuti. Vereor enim ne Garinus noſter ſeſe incautus in inſtructos caſſes iniecerit, vbi maleuolorum hominum aſtutiis circumuentus & diris morſibus impetitus Chriſti cauſam aut omninò deſerere cogatur, aut non tam citò perſequi poſſit. Quod rebus noſtris quantum detrimenti ſit allaturum, tu per te ipſe ſatis potes coniicere. Ego autem ſi meo arbitratu liceret, excluſis omnibus, & iis quibus eſt mens ſanior honeſto aliquo loco vti merentur, collocatis iuberem potius vt incendio infœliciſſima hæc domus conflagraret, quam vt Sarabaitarum receptaculum fieret, & quæ Chriſto conſecrata eſt malorum dæmonum officinæ vicem ſuſtineret. De Garino ipſo nihil prorſus octauo iam abhinc die, ex quo nimirum ad me puerum miſit, accepimus, necdum etiam iumentum quod à nobis petierat, remiſit, faciat Deus vt læto tandem nuntio accepto te eius participem facere poſsimus. Vale. Tharaſcone, ſexto Calendas Nouembris, milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſeptimo.

Dionyſius Ioanni Vulteio. S. P. D.

QVoniam de rebus noſtris poſtulaſti te ſæpius certiorem fieri, fidum ego ac tutum & vtriúſque noſtrum ſtudioſiſsimum nuntium nactus non permiſi, vt ad te litteris meis vacuus veniret, tametſi nihil erat noui in rebus noſtris, quod tua ſcire intereſſe putarem, niſi fortè Vulteium à Dionyſio ſummo amore complecti ad te perſcriberem. Sed ea res multo iamdudum tibi eſt exploratior, quam vt nunc demum nota tibi eſſe incipiat, aut litterarum teſtimonio indigere videatur. Hoc igitur tantum ſcribam monaſterij ſtatum pacatiorem eſſe ſolito, quanquam ab illis quas tu nutu & ſignificatione inrelligis, nonnihil interdum moleſtiæ ſuboritur, ſed ea eſt huiuſmodi, vt non adeò pio inſtituto noſtro magnum videatur afferre impedimentum. Iam enim qui ab earum partibus contra nos tam inſolenter debacchari videbantur, refriguerunt & veritas longa die duce in lucem magis, magiſque emergit. Cæterùm verſus Dampetri noſtri adhuc

adhuc expectamus, tua autem epigrammata vbi primùm emiſſa erunt, da operam, vt ad nos perferantur. De Laurentio Cremonenſi ad te iam ſæpius ſcripſi, vt eum qui te maximè diligit in tuorum albo velis adſcribere. Id ego pluribus verbis abs te contenderem, ſi noſter amor & beneuolentia pateretur.

Bohero noſtro à me ſalutem plurimam dicito & Nicotio Conſobrino, litteras etiam ad Guiramandum, vt illi reddantur cures te vehementer rogo. Vale. Tharaſcone. Idibus Nouembr. 1538.

Dionyſius Ioanni Vulteio S. P. D.

TT vide, mi Vultei, quanta maleuolorum hominum inſania ſit, quam nec veritatis cognitio, nec publicè etiam iniectus pudor à ſolita malignitate poteſt compeſcere, ſed veluti ſi quis aquæ fluentis impetum obiectis paret aggeribus retinere, aquæ defluxus vi ſibi aliunde exitum facit, ita aduerſarium noſtri toties repulſi atque deiecti etiam nunc (ſi ſuperis placet) in nos rurſus inſiliunt, & earum quas defendere ac tutari ſe credunt, quaſi non ſatis innotuerit inſania, ſtudent vt magis magiſque innoteſcat.

Poſteaquam litteras ad te conſcripſeram, accepimus Curtabotum illum quem noſti, & qui tot nobis anno præterito negotia faceſſit, apud aulam ab aduerſariorum partibus contra nos blatterare, & in id dare operam quantam poteſt, vt Garinum ab officio, & me hinc falſis calumniis deturbet. Cuius ego impudentiam tametſi non admodum metuendam cenſeo, qui inſontem me diuina ope protectum iri (vt olim ſæpius ſum expertus) piè confidam, tamen oportunum exiſtimaui, vt te de hac re certiorem facerem. Nimirum, vt hominis impudentem audaciam, vt poteris (poteris autem plurimùm) apud Bellaium & reliquos, vbi tu neceſſarium eſſe iudicaueris retundas, ne tam diu impudentiſſimo homini liceat innocentes mendaciis perſequi. Neque enim ſatis admirari poſſum vbi malum ille tam bellè didicit maledicere, & innocentes, eóſque à quibus nunquam læſus eſt criminationibus præſertim falſis tam acriter inſectari, niſi fortè confictos aliorum rumores dum ſpargit ſe pium iuſtúmque viſum iri putat. Sed quis ſit ſatis ſupérque in his locis innotuit, & quærit etiam iſtic innoteſcere. Vale. Thar. Calend. Decemb. 1538.

Dionyſius Ioanni Vulteio S. P. D.

SCribebam ad te elapſis diebus, cum mihi neceſſe fuit, vt ipſemet iſtuc proficiſcerer, cauſam puto non ignorare. Dolui verò te iſtic non affuiſſe apud quem miſeriam meam reiicerem. Nunc autem cum ad Caſtellanum noſtrum litteris dare inſtituiſſem, ad te quoque alteras dare volui, non tam quod haberem in præſentia quicquam noui, quod tibi ſignificandum putarem, quàm vt ſilentium iſtud tuum interrumperem. Quod quidem vnde tam ſubito tibi contigiſſet fortè demirarer, ſi non ſuſpicarer tibi cum muſis eſſe negotium. Cupio tamen noſſe, vt tu & Boherus noſter valeatis,

Nos verò, vt temporis & rerum captus eſt, bellè vtcunque habemus, & tu quoque cura valeas. Thar. 1540.

Dionyſius Henrico Marello apud Gratianopolim Senatori S. D.

CVm tertio abhinc menſe apud nos dies aliquot tranſegiſſes ingens tua erga me humanitas eximiæque virtutes tam arcto me tibi amoris vinculo deuinxerunt, vt nullis aut locorum aut temporum ſpatiis hunc abſolui aut labefactari poſſe exiſtimem. Quæ res tametſi tibi notior eſt quam vt litteris meis de ea facientibus fidem indigeas, tamen quia ſeſe tabellarij huius opportunitas obtulit, committere nolui, vt me in ſcribendo negligentiæ accuſare poſſes, vt & tu viciſſim quia mihi ſuauiſſimo ſermonis tui congreſſu eorum frui non licet, ſaltem mecum per litteras colloquaris. Quas abs te, dum tuo id commodo fiat, etiam atque etiam peto, & iure noſtræ amicitiæ poſtulo.

De collegij virginum ſtatu ſi ſcire cupis, res noſtræ pacatiores ſolito ſunt & tranquilliore quaſi in loco conſtitutæ, faciat Deus optimus maximus, vt poſt tanta quæ perpeſſi ſumus incommoda fœlicioribus eius progreſſibus gaudeamus. Sobrina tua corpore vtcunque valet, pietate verò in Deum & in litteras cæteraſque bonas artes ſtudio flagrat. Quod eò libentius ad te ſcribo, quo maiorem te & reliquos eius ſanguineos inde voluptatem percepturos non ambigo. Cæterùm ſi eſſe putas, in quo tibi gratificari poſſim, ſcito nullam rem eſſe quam ego pro tua dignitate poſſim efficere, quæ mihi non æquè chara ſit, ac ſi eſſet res mea. Vale Tharaſcone 2. Ianuarij 1538.

Dionyſius Henrico Marello S. P. D.

ETſi de tua æquitate & animi tui in Deum religione certior iamdudum factus ſum, quam vt de illa mihi vllo modo dubitare liceat. Tamen eunte ad te monaſterij huius procuratore cauſam Chriſti aut ſi mauis ancillarum Chriſti, de qua tecum aliàs plura fuimus colloquuti, quam maximè commendare volui. Is enim nobilis & potens Bulbonis Dominus qui aliquot abhinc annis fundis & prædiis monaſterij vicinus aduenit in iura directi dominij quæ ad ſanctimoniales pertinet, animum adiecit. Qui cum neſcio quibus cauillis inſtructus Aquas Sextias illas in ius traxiſſet, cauſa excidit damnatus etiam impendiis. Qui cum ad Senatum Pariſienſem prouocaſſet, tandem ad vos res ipſa traducta eſt. Quod tametſi nobis moleſtum eſt, propterea quod hic incluſæ & ſumma rerum omnium penuria fatigaræ moniales tam longè coguntur cauſam contra eum qui amicis & opibus pollet dicere, tamẽ inde nobis ſpei bonæ lumen prælucere videtur, quod Senatus iſtius veſtri nota omnibus æquitas ac moderatio ancillarum Chriſti cauſam contra potentis illius violentiam, vt ius poſtulat tutandam ſuſcipiet atque ſua authoritate in antiquam ſuam quam ille ſibi vendicare contendit poſſeſſionem reſtituendas iudicabit. Quod ſiquidem nobis optata contigerint, & nos vobis perpetuò obligabitis & à Deo magna & æterna præmia conſequuturi eſtis. Vale. Taraſcone 1539.

Dionyſius Scholaſticæ virgini Præfectæ S. P. D.

DIci non poteſt, quam cupiam de proſpera valetudine tua lætum iucundumque mihi nuntium afferri. Quocirca in id (ſi nobis bene cupis) tota incumbes, vt quam poteris citiſſimè conualeſcas. Nos quoti-

die

die Deum pro te in ſororum conuẽtu comprecamur,& à Priore ordinis prędicatorum obtinui,vt in ſuo quoque cœnobio publicè ſupplicatio fiat. Quare bono animo eſſe debes, cum tot apud Deum precatores habeas. Ego tuis optatis in quibus potero,me ſemper accommodabo.Neque velim me alio in te animo eſſe putes,quàm tu in me te in perpetuum forè promittis.Tu enim es quam ego Chriſto primam omnium genui,quam ob rem eo in te propenſiore animo ſum,quod te poſt Deum auctorem futurum ſpero, vt his puellis detur occaſio, quæ regnum cœlorum poſſint adipiſci. Quæ res tantò magis mihi ſemper in votis fuit, quantò duriores pro eo labores toleraui. Firma igitur ea nobis ſtet ſemper ſententia, vt nos ipſos & eos eáſque qui curæ noſtræ ſubſunt, in Chriſti obſequium præparemus excitemúſque. Ego vbi opportunum iudicabis præſtò tibi adero, nec vlla res eſt tam dura aut difficilis, quæ dum tibi vertat bene,non mihi facilis eſſe videatur. Cæterùm Gabriela neptis tua de ſua ſorore mecum te mandante ſermonem habuit,eò autem ipſo die.N. Rhetorica illa ſua,id eſt, canina facũdia multis verbis mecum de ſe & ſorore ſua egerat, conqueſta ſcilicet quod nec ipſa nec ſoror eius vnquam talia exempla edidiſſent,propter quæ aliis contemptui eſſe deberent,& inepta alia multa dixit, quæ etiam piget reminiſci. Neque enim volo conſentire, vt vllam huc introducat, ſicut nec Mugilletæ filiam volui admittere, quam illa diſcipulam à me petierat introduci. Vides igitur filia quo in ſtatu res ſit, ſi vni concedatur quod alij eſt negatum, querelis & murmurationibus plena erunt omnia. Interea verò non habita etiam aliunde occaſione quærimoniis me obtundunt, vt aures aſino grandiores me habere oporteat. Faciat Deus vt ab huiuſmodi inſaniis aliquando reſipiſcant. Sed dum tecum loquor,iam iam charta deficit. Hoc autem te iterum monebo, vt operam des valetudinis inſtaurandæ, & venerandam iſtius collegij matrem à me ſaluere iubeas.Vale.Tharaſcone.1548.

Dioniſius Delphinæ Virgini Deo dicatæ. S. P. D.

HOs ego verſus,Delphina filia in Chriſto chariſſima,Lerinæ ſum meditatus, vt cognoſcas tui abſentis memoriam mihi nunquam excidere. Neque enim poteſt infantem vteri ſui mater obliuiſci. Vnde tui recordatio tandiu apud me eſt duratura quandiu quod te dignum eſt, feceris. Commendo tibi virginitatem tuam, commendo verecundiam, modeſtiam,obedientiã,ſolitudinem,ſilentium monaſticæ diſciplinę ac religonis clauẽ.Fuge, filia,peſtes animarum,virorum blanditias,&verborum lenocinia,cogita nominis tui rationem, & tunc te monachã exiſtima, quando confixa diuini timoris aculeis carne tua, animum habebis cœleſtis gratiæ ſplendore illuminatum. Ad quam rem tibi aditum aperiet lectio ſacra & tui ſtatus & profeſſionis cum frequẽti oratione iugis meditatio.Neptem meam & reliquas tuæ curæ traditas virgines nouitias tibi obnixè commendo, vt eas non tam verbis quàm exemplis docere ſtudeas. Vale, & de tuo & diſcipularum tuarum fructu progreſſũque reſcribas, & pro peccatis noſtris Deum aſſiduè roga. Aquis Sextiis Nonis Septemb.1548.

Dioniſius Delphinæ. S. P. D.

MIror quid cauſæ eſt, cur ad me litteras tandiu dare diſtuleris præſertim à me iam aliquoties prouocata. Non enim adduci poſſum vt meas lit-

teras tibi non redditas putem, cùm eas tam certis fidiſque nuntiis commiſerim. Sollicitus enim ſum de tuis ac veſtri monaſterij rebus, nam rumor ad nos perlatus erat, eò deuoluta omnia, vt parua admodum vel potiùs nulla ſpes relicta ſit, diſciplinæ in eò monaſticæ inſtaurandæ. Quæ res eò mihi moleſtiſſima eſt, quod tot annorum labores & te anxiè nauatam operam perdidiſſe videot. Quod ſi in iis fides & conſtantia perſtitiſſet, & in ea potiſſimum in qua maxima eſſe debebat, res ad Dei laudem benè inſtituta etiam perſiſteret, & laboris noſtri fructibus cum ſpiritali gaudio frueremur. Quid enim mihi cariùs aut grauius contingere potuiſſet, quàm vt ſpiritales alumnas meas quas ego tam ſollicitè olim inſtituere conatus ſum, in via Dei fœlicius in dies progredi audirem? Hi futuri erant ſodoris mei fructus ſuauiſſimi, quos expectabam, vt in illarum virtutibus ætas mea iam annis & moleſtiis grauis acquieſceret, hæc ſpes me in tribulationibus ne ſuccumberem, erigebat, hæc vt falſas mihi obiectas calumnias lætus perferrem, & inter pericula tutior eſſe, fortiorem reddebat. Quid igitur animi nunc mihi ineſſe credis, dum amiſſum inrecuperabile tempus ad memoriam reduco, & me oleum (vt in prouerbio eſt) ſimul & operam fruſtra conſumpſiſſe video? Crede mihi filia, dolor mihi ingens eſt, ſed multò maior futurus erat, niſi iam iam re inclinata & in lapſum vergente quorundam importunitate & petulantia mihi animus obduruiſſet ad dolorem nouum. Quæ cum meis beneficiis irritatæ mala mihi pro bonis rependerent, inter paucas quibus ſanior mens erat, vt vna fuiſti præcipuè quæ animi mei longa tædia ſubleuabas: Nempè in qua voluntatis meæ ſignum euidens & quaſi ſpecimen quoddam elucebat. Nunc itaque id tibi reſtat, vt in hoc tota incumbas, ne te incepti pœniteat, perſeuerantibus enim corona permittitur. Vide vt modeſtiæ ſingularis indicium & virtutis præclaram indolem non fruſtra præ te tuliſſe videaris, ne ſcilicet facias vt luxuriantes ſegetes, quæ cum multam meſſem affluente herba promittere videantur, pro granis paleas ſteriles reddunt. Caue igitur ne te ab inſtituto aut ſexus mollicies, aut aliena conſiliam, vel etiã exempla mala deturbent. Hæc ſcribo ad te, non quod de tua fide ac conſtantia dubitem, ſed quia te in Chriſto diligo, tuta etiam omnia timeo. Res eſt enim ſolliciti plena timoris amor. Ama ſilentium & cellulæ tuæ quietem, in qua cum Chriſto ſponſo tuo colloquere, & illum ad cor tuum in ſacris ſcripturis loquentem audi, & inter dulcia colloquia & ignitas preces, fac vt mei memineris. Vale. Lerinæ. 1548. iiij. Idus Martias.

Dioniſius Delphinæ Virg. S. P. D.

NOn mediocrem ex litteris tuis percepi voluptatẽ, partim quod ex iis te officio tuo reſtitutam, partim quod ſanctarum ſcripturarum ſtudiis operam dare intellexi. Quæ vt pio & humili affectu proſequeris te quantum ex animo poſſum hortor atque oro. Nam ſicut corpus noſtrum carnali generatione procreatum cibis naturæ ſuæ congruentibus alitur, ita ſpiritus noſter verbo veritatis Deo regeneratus vt Deo poſſit viuere, cibo ſibi conſentaneo indiget. Is autem eſt verbum Dei, quo anima vegetata creſcit & cœleſtium diſciplinarum capax effecta diſcit mundum contemnere, & ad cœleſtem patriã piis deſideriis anhelare. Iſta eſt filia vocatio noſtra, qua ſi iuxta Apoſtoli Pauli monita dignè, vt filios lucis decet, ambulamus, æternam benedictionem hereditate poſſidebimus. Sint igitur illic fixa corda noſtra, illic vigeant affectus noſtri, vbi vera & ſolida ſunt gaudia, vt corporis in terræ poſiti

ſiti mente in cœleſtibus conuerſemur. Nam gaudium mundi cum inſtabile ſit & caducum, eſt etiam mille reſperſum moleſtiis. Tranſit enim mundus & concupiſcentia eius, & quid diligentibus mundum reſtat, niſi conſcientiæ repungentis ſtimulus omni tortore crudelior? Contra verò diligentibus Deum quid ſuauius aut iucundius poteſt contingere, quàm nullo crimine torqueri, nulla culpa palleſcere, & in hac vita dignum fieri cœleſtibus donis & quaſi quoddam futuræ beatitudinis ſpecimen deguſtare? Hoc eſt illud abſconditum manna, quod nemo nouit, niſi qui accipit, nemo accipit, qui carnalibus concupiſcentiis ſuperatus ſuccumbit. *Vincenti* (inquit) *dabo manna abſconditum & nomen nouum.* Pugna igitur filia viriliter, & mollicie fœminea ſuperata memẽto te ſub Chriſto duce in cœleſtem militiam dediſſe nomen, vt die noctúque in acie ſtandũ ſit. Fuge igitur omnia quæ te à propoſito ſancto depellere & cœleſtis ſponſi tui amorem in corde tuo tepefacere aut omninò extinguere poſſunt. Exempla & colloquia praua bonos mores facilè corrumpunt. Ama igitur ſolitudinem, in qua accenſa lampade ſponſi tui cœleſtis aduentum precibus impetrare contende, vt interna eius viſitatione confortata roboratáque in eius amore in dies magis ac magis proficias. Vale. Sororem tuam meo nomine iube ſaluere. Lerinæ. x. Calend. Iunias. 1548.

Dionyſius Delphinæ S. P. D.

EX quo tempore à vobis digreſſus ſum, nullas abs te præter vnas literas accepi, cum ego ad te toties ſcripſerim. Nam ex quo illas vnas Vicarius mihi reddidit, iam tertiò ad te ſcripſi tuiſque literis alias ad Claudiam alligaui. Quid de his actum ſit, neſcio, & dubitarem redditæ tibi fuerint nec ne, non eſſent ij tabellarij tam certi & fideles, vt de ipſis dubitare non poſſim. Scripſit ad me ſuperioribus diebus Margarita à valle, puella (vt ſcis) non minus morum honeſtate quàm generis nobilitate ornata te ſcriptis meis plurimum delectari, adhortans me vt eo ſolatio frequenter tuas moleſtias ſubleuarem, quod ego pro mea in te charitate ac paterno affectu facere fui ſollicitus. Vnde officium tuum erat ſollicitudini meæ in hac parte vicem reponere, ſaltem vt ſcirem ſi gratum tibi foret ſtudium meum, quod ſi fortè tibi moleſtum ſit, da operam vt vel hoc mihi ſignifices, vt ceſſem. Quanquam ne id faciam me dilectio qua te in Chriſto proſequor & pietas paterna quam tibi debeo adhortatur. Cùm enim tam effrænata (vt ego audio) ſit in collegio veſtro licentia, non poſſum non tibi metuere ne fortè exempla aliarum aut praua colloquia & ſi non ab intentione deturbant, te ſaltem aliqua ex parte conturbent, aut mentis tuæ tranquillitatem aliquo modo commoueant. Quare filia, te oro obſecróque ne patris atque inſtitutoris tui præcepta tibi excidant. Deuita tanquam peſtes pernicioſiſſimas virorum & mulierum cõſortia, quibus tuæ mentis intentio poteſt aut à recta via diuertere, aut malæ famæ labem contrahere. Lubrica eſt enim virginum verecundia, quæ etſi crimini obnoxia non eſt, patet tamen hominum ſuſpitionibus & calumniis qui ſæpè de ſe ipſis aliorum aliarúmque ingenia metiuntur. Scis enim quales aduerſum ſe rumores aliquæ dum noſtra fideliſſima amantiſſimáque conſilia ſpernerent, excitarunt. Habes cellulam tuam, quæ tibi cœleſtes, ſi eam piè colueris, delitias ſuggeret, multum ab humanis voluptatibus differentes. Quid tibi ſuauius quàm in ſacris codicibus Chriſtum cœleſtem magiſtrum & ſponſum te admonẽtem & docentem audire? Quod illi ſacrificium offerre

gratius potes, quàm contriti cordis & mortificatæ voluntatis oblationem? Quam grata illi lachrymarum profusio quàm iucunda & acceptabilis hostia cum aut peccatorũ recordatio, aut vitæ cœlestis ardens desiderium cor tuum ad gemitus & fletus inuitat? His ergo deliciis fruens laua lachrymis Christi tui pedes, ad quos cum Maria residens sacris eius colloquiis instructa non quæres oblectamenta sæcularia, nec tibi placere poterunt colloquia vana, ea quæ pias mentes de spatio & itinere benè instituto reuocant consilia praua, & reputabis tibi quàm de cœnobio exire & huc illucque vagari vtilius esse mori. Sis igitur, filia, professionis tuæ memor & vt me quos eius memorem faciat, Deum pro me assiduè roga. Sororem tuam Claudiamque mea vice salutabis, eásque hortaberis, vt quæ tibi mando & ipsæ quoque obseruent. Vale. Lerinæ. xj. Calend. Septembris, 1548.

Dionysius Delphinæ Virgini. S. P. D.

IAm iam menses præteriere sex dum literas tuas expecto, quæ me de rebus quas ad te misi faciant certiorem. Nisi enim ad te cappares & ficus, indusium præterea laneum & librum de vita & passione Christi Saluatoris. Quæ omnia tibi reddita fuerint nec ne, propterea mihi incertum est, quod ex quo tempore missa sunt, nihil de his mihi abs te significatum est. Cæterùm ea vt ad te perlata existiment, facit eorum quibus commiseram probitas, quæ illorum de fide non me sinit dubitare. Quid igitur suspicer? Num forte me tibi à memoria excidisse, & te non tam scabiei quàm negligentiæ morbo laborare? Sed maior tua semper in me charitas fuit atque pietas, quàm vt in id animum possim inducere. Restat igitur vt putem aut tibi defuisse tabellarios, aut perfidis nescio quibus literas commisisse, qui eas mihi non reddiderunt. Quamobrem dabis operam (si me vt soles in Christo diligis) vt ad me de his quàm diligentissimè rescribas. Nullam excusationem tuam sum admissurus, non si te negotiis obrutam dicas, non si nuntios tibi defuisse causeris, non denique si (quod tu de scabie scripseras) tam molesta tibi prurigo incesserit, vt nil nisi scabere liceat. Volo enim vt impositam tibi quantumcunque vrgentem scabendi necessitatem dum mihi satisfeceris, prætermittas. Sed omissis iocis iam seriò tecum ago. Vtinam filia tales in via Dei & cœlestibus studiis progressus facias, vt mente excedens ita per extaticum amorem in Dei consortium trãseas, vt tuimet nedum mei oblita nil nisi pium pro te crucifixum Iesum sentias, & cum illo consepulta & huic mundo mortua vitam tuam habeas absconditam in Deo. Hoc ego pro me & te assiduè Deum oro, vt det nobis virtutem corroborari per spiritum sanctum in interiori homine Christum per fidem habitare in cordibus nostris, vt illam beati Pauli Apostoli vocem proferre ex animo possimus, viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus. Ergo soror carissima si, vt professio nostra requirit, mundo sumus mortui & Deo viuimus, resuscitati cum Christo quæ sursum sunt, quæramus, vbi Christus est, in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt, sapiamus, non quæ super terram. Qui enim diuina institutione informati patrem nostrum Deum audemus nuncupare, meminisse debemus, quia si patrem nostrum Deum dicimus, ita viuendum nobis est, ne à cœlesti generatione per quam Deo sumus adoptati, degenerare videamur. Dedignemur ergo de terrenis nisi quantum ad frugalem victum pertinet, cogitare, qui patrem habemus in cœlis. Illic sit continuò conuersatio

nostra

noſtra, vbi ſempiterna eſt ſanctorum habitatio, vt toto mentis affectu ad illam per mundi conceptum ſuſpirantes cum ſupremus ille dies noſter aduenerit, læti alacreſque hinc commigrantes in voce exultationis & confeſſionis in illam introire mereamur. Vale. Lerinæ octauo Calendas Maij 1550

Dionyſius Delphinæ S.P.D.

NOn poſſum non mirari, filia, vel tuam in reſcribendo negligentiam, vel tabellariorum in litteris reddendis perfidiam. Iam enim menſis nonus eſt, aut eò amplius, quo litteras abs te quæ meis reſpondeant, expecto quibus etiam de his quæ ſuperiore anno ad te miſi certior fiam num ea acceperis. Neque verò mirum tibi videri debet, ſi litteras tuas tam importunè repoſco. Nam cum te coram nec hortari, neque audire mihi liceat, cupio ſaltem reddi mihi ſcripta tua, quæ mihi non ſolum præſentiæ tuæ vicem, verum etiam fidei tuæ in Deum & charitatis conſtantiæque quædam quaſi effigiem repræſentent. Quis enim credat quanto gaudio geſtiam, quando vel aliorum verbis, aut lectione litterarum tuarum fœlices in virtutibus & maximè in Dei rebus progreſſus tuos intelligo? Nihil eſt quod de te iucundius mihi valeat nuntiari, præſertim infœlici hoc tempore, quam vt te filiam meam, inter tot mala quæ in hoc ſæculum vndique confluunt, audiam in via Dei fideliter atque conſtanter incedere, & caſtiſſimi pectoris tui agrum ita cœleſti rore Deique benedictionibus impinguatum, vt ſpiritalium fructuum ſuauis odor ad nos vſque pertingat, quod non idcircò dixerim, vt animum tuum adulationis blandimento demulceam, ſed vt Dei in te dona agnoſcens gratam te illi exhibeas, nec ea quæ tua non ſunt, tibi vendices. Dei enim donum eſt, non dico vt bene facias, ſed etiam vt bene cogites. Cogitatio autem tua de ſe ſine auxilio Dei, ac cuiuſcunque humani cordis non ſolum prona & facilis, ſed etiam intenta eſt ad malum omni tempore. Nam quis gloriabitur caſtum ſe habere cor, quoniam nec infans mundus eſt, cuius vita vnius diei eſt ſuper terram? Sed & in cœlo inter Angelos Deus reperit prauitatem. Vnde & propheta imbecillitatis & miſeriæ conſcius: ad me ipſum (inquit) anima mea conturbata eſt, & vt oſtendat in quo anxij reſpirare debeamus, propterea, inquit, memor ero tui, & item: Quare triſtis es anima mea & quare conturbas me? Spera in Deo, nimirum à quo in nos manat omne bonum, & à quo omne donum profectum eſt. Quamobrem ſi qua eſt in nobis radix bonæ voluntatis aut ramus boni operis, Dei ac patris luminum donum eſſe noſcamus, quod in nos benigna largitione manat, vt nos vnum cum Deo efficiat, & ad deificam ſimplicitatem vnitatemque conuertat. Quæ conuerſio nihil eſt aliud quam cœleſtis adoptio, vt credentes in eum per fidem, quæ per dilectionem operatur, filij Dei nominemur & ſimus. Quocirca magnoperè nobis nitendum eſt, ne ingrati ad diuinam adoptionem hanc fruſtra vocati fuiſſe videamur, & ab labore vixdum inchoati operis itineriſque quieſcentes ceſſare velimus. Nihil enim eſt in via Dei velle quieſcere, quam laſſari & fatigari, in qua non greſſibus pedum, ſed animi deſideriis curritur, & hic curſus quanto eſt ardentior, tanto & inuenitur vegetior alacriorque. Cellulæ igitur tuæ ſolitudo tibi amica ſit, hic cœleſtis tui ſponſi vitæ decurſum & toleratæ per te paſſionis acerbitatem toto mentis affectu meditando recogita, vt quæ per te paſſus pius Ieſus in to-

ta vita ſua vſque ad mortem animo reuoluens ſentias in corde tuo exardeſcere ignem illum, quem ipſe venit mittere in terram & quem vult in nobis non vtcunque ſed vehementer accendi. Magna in cœlum tendentibus inſtantia, magna violentia opus eſt, quia ſoli violenti rapiunt illud. Ardua enim ad illud & difficilis eſt via, & pauci per eam ambulant, id eſt, pauci ſunt, qui ſibi violentiam inferant, qui ſuis voluntatibus & carnis deſideriis reſiſtant. Quibus multi deliniti per viam vitiorum latam, quæ ducit ad mortem feruntur in præceps, & tanquam effrænes equi ruptis habenis per plana ſenſuum ſuæ carnis ſpatia diuagantes requiem quærunt & pacem quam inuenire non poſſunt, quia non eſt pax impiis dicit dominus, & cor impij quaſi mare feruens. Quaſi mare, inquit, feruens, quia dum tanquam fluctibus fluctus deſideria deſideriis & concupiſcentiis concupiſcentiæ ſuccedunt, continuis quaſi tumultibus miſeram animam cruciant, & ita opprimunt, vt originis ſuæ decus nobilitatémque reminiſci non queat. O ingens igitur erga nos diuinæ charitatis dignatio, ô dura & in malo obfirmata humani cordis malitia, quam tam inflammatus amoris ardor emollire non poſſit. Nos verò filia in cruce domini gloriantes vnam rem omiſſis omnibus mundi concupiſcentiis à domino poſtulemus, hanc inſtanter die noctúque requiramus, vt per viam crucis Chriſtum dominum ſequentes mereamur tandem habitare in domo domini omnibus diebus vitæ noſtræ, id eſt, ſemper. Dicat Deo cor noſtrum: quæſiui vultum tuum domine, vultum tuum domine requiram, ſcientéſque miſericordias domini multas ſperemus in eum, quia bonus eſt ſperantibus in eum, animæ quærenti illum. Et multò ſatius eſt in ſpe & ſilentio breues compunctionis & amaras contritionis lachrymas ſeminare in hac vita, vt æterna gaudia & dulces fructus futuræ vitæ metere poſſimus, quam momentaneis & falſis gaudiis æternas & veteras pœnas commereri. Vale. Le. 1551.

Dionyſius Delphinæ Virgini. S.P.D.

PAucis abhinc diebus cum veniſſet ad nos frater Magdalenæ ſalutem mihi abs te nuntiauit. Cui ego literas ad te perbreues raptim ſcriptas dedi, in quibus fiebat mentio de Amylo & cæteris muneribus tuis, quæ nuper ad me cum literis miſeras. Scias igitur ea mihi fuiſſe gratiſſima cum propter ſe, tum vel ob id maximè quod ab animo gratiſſimo proficiſcebantur. Ego verò ne ingratus fortè videar, mitto ad te ficus & capares, librum etiam horatiarum precationum, quod breuiarium vocant. Tu pro mutua inter nos charitate hæc eo animo accipies, quo à me tibi oblata non ambigis. Cæterùm ne à patris officio deſciſcam, te filia hortor atque oro, vt tuæ vocationis ac profeſſionis memor ſis, memor etiam præceptorum meorum, quibus te à teneris annis ſub manu mea formandam tradidiſti. Studeas in dies te ipſa maior fieri, vt præteritorum & eorum quam retro ſunt oblita ad anteriora te, vt Apoſtolus admonet, extendas. Ecce qui in ſtadio currunt, omnia quæ ſuo inſtituto impedimento eſſe poſſunt, abiiciunt, ne videlicet à ſui curſus intentione reuocati, vel aliquo modo remorati propoſita mercede fraudentur. Quod ſi pro corruptibili corona vel præmio tantùm deſudat illi, quid obſecro faciat Chriſti ſeruus aut ancilla, cui fœlicitatis æternæ immarceſſibile brauium repromittitur. Nullus ergo labor, nulla difficultas, nulla nos

quantum

quantumlibet grauis tentatio ab inſtituto curſu reducat aut præpediat. Conſidera filia quot labores ſudoréſque tolerant ij qui ſub terrenis regibus militantes ſtipendium faciunt, qui etiam præter innumera quæ nocte ac die incommoda perferunt, inter mille mortis euidentiſſima pericula aſſiduè verſantur. Tanti ne igitur menſtrua eſt merces aut annua, tanti etiam regis hominis mortalis gratia eſt, vt per ea mortis pericula illi intrepidè ſubeant, nos pro æternæ gloriæ præmio & immortalis Dei noſtri Regum omnium Regis acquirendo fauore ac gratia cœleſtem militiam detrectabimus. Illos non mortis diſcrimen à tam periculoſa pugna retrahit, nos abſtinentia, nos ieiunium, nos vigiliæ, aut reliqua clauſtri diſciplina à pugna & militia ſpiritali inquam nomina dedimus, reuocabit: Paulus Apoſtolus vas electionis currit, non quaſi in incertũ & pugnat non quaſi aërem verberans, ſed caſtigat corpus ſuum & in ſeruitutem redigit, neque à pugna quandiu viueret receſſit ſciens hominis vitam militiam eſſe ſuper terram, ſciens etiam quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Breue enim hoc imo momentaneum ad æternitatem comparatum & leuiſſimum tribulationis pondus ſublime aliud atque æternum gloriæ pondus optatur in nobis. Quale gaudium, qualem conſolationem cum vltimus ille vitæ noſtræ, dies aduenerit, ſanctæ compunctionis gemitus nobis pariet? Quales laudes, quas voces & cantica ſilentij obſeruatus rigor & regulæ diſciplina ſuggeret? Quantas diuitias, quantam honorum omnium affluentiam paupertas pro Chriſto tolerata parturiet? Qualem ſine faſtidio ſatietatem, qualem cœleſtis ambroſiæ dulcedinem ieiunium & victus tenuis generabit, quando apparente dominij gloria replebimur ab vbertate domus eius, & torrente tam ſanctæ & ſolidæ voluptatis potabit nos, quando in voce exultationis & confeſſionis reſonabunt epulantes in menſa Domini. Neque enim oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus iis qui eum in veritate diligunt. Vtinam, filia, digni ſimus, qui in numero Deum diligentium computemur, vt mereamur tandem in illo regno beatitudinis æternæ cum Abraham, Iſaac & Iacob Dei amicis & fœlici illo ſanctorum & ſanctarum cœtu recumbere.

Hic eſt filia finis noſter, ad quem & propter quem à Deo ſumus conditi, & ad quem ipſe nos ex Euangelio benignè inuitat. *Si quis, ait, veniat ad me.* Et item, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Et iterum, *venite amici mei inebriamini cariſſimi.* O ebrietatem ſobriam, ô ebrietatem ſanctam. Ipſa eſt de qua ſponſa, id eſt anima Deo deuota in Salomonis canticis gloriatur: *Introduxit me* (inquit) *Rex in cellam vinariam.* Inde eſt quod diuino inebriata amore falſa mundi gaudia reſpuit, & ſolo ſponſi cœleſtis deſiderio æſtuans quantò magis carne langueſcit, contabeſcitque, tantò fortiùs mens intrinſecus vegetatur. Caueamus ergo ne propoſitum noſtrum carnalis aliquis aut mundanus amor impediat. Fugiamus, filia, fugiamus, inquam, & deteſtemur prauorum hominum abominanda conſortia, quorum ſermo ſerpit quaſi cancer. Quot vidimus & quotidie non ſine ingenti dolore videmus, qui malorum hominum nefanda conuerſatione & colloquiis corrupti à bono quod arripuiſſe fœliciter videbantur inſtituto retracti ſunt. Ita enim nunc hac infœlici ætate viuitur, vt plures qui mala imitentur inuenias, quam qui ea velint aut poſſint corri-

gere. Nos igitur ab his prudenter declinantes, reſpicientéſque in auctorem fidei Chriſtum Ieſum curramus deſideriis & dilatato corde intentis affectibus properantes, ipſum pro noſtro amore flagellis cenſum, ſputis illitum, ſpinis coronatum, deriſum, & cruci affixum complectamur, vt cum ſponſa in Canticis Salomonis dicere poſſimus: inuenimus quem diligit anima noſtra, tenebimus & non dimittemus eum. Quid ſuauius tibi poteſt contingere, quam vt in ſilentio Chriſti tui crucem, paſſionémque meditans anima tua compuncta, & præ deſiderio & amore illius tota in eum liquefacta transfundatur.

Hæ ſunt, mi Delphina, ſpiritales delitiæ, hæc ſuauitas hoc manna abſconditum, hæc inquam dulcedo illa eſt, de qua Pſaltes canit, quam abſcondit Deus & ſeruat timentibus ſe. Ad quam, vt mihi tandem purgato corde, & ab omnibus malis purgata conſcientia liceat aſpirare, caſtiſſimis tuis apud Deum precibus aſſiduè contende, Vale. Lerinæ 1551.

Dionyſius Delphinæ. S. P. D.

GAudeo, filia, recepiſſe te munera noſtra, eáque tibi grata fuiſſe non miror, cum iamdudum animum tuum gratum nouerim, qui non tam ſit ſolitus rem oblatam quam offerentis voluntatem affectúmque æſtimare. Litteras autem tuas mihi fuiſſe gratiſſimas iucundiſſimáſque, non eſt quod pluribus verbis id tibi ſignificare contendam, quandoquidem res ea tibi perſpectior eſt, quam vt nunc demum tibi nota eſſe incipiant. Quod ſcribis te in id elaborare, ne monachæ nomen ſterile atque inane tibi aſſumpſiſſe videaris, facis tu quidem quod te decet, & quod tibi maximè ex vſu futurum eſt. Quod quidem fiet, ſi (vt tu appoſitè ſcribis) Syrenarum malè blandientium cantus aure ſurda pertranſiens ſuperata etiam Hydra, non Lernea illa quam Hercules deuicit, ſed quam Chriſtus Ieſus ſua morte interfecit, ſtudueris ipſi cœleſti ſponſo tuo cordis tui habitaculum purum immaculatúmque cuſtodire. Multæ ſunt, Syrenes filia, & multorum capitum belluæ, contra quas nauigantibus nobis per hoc mare magnum & ſpatioſum neceſſe aſſiduè eſt vigilare, & quaſi in excubiis militaribus nos intentos eſſe oportet, ne incautos nos aut blanditiis ſuis ſtatus noſtri oblitus in concupiſcentiæ laqueos alliciant, aut incogitantes & veterno oppreſſos in profundum demergant. Hæc enim via ſola eſt (vt tu ſcribis) qua itur in cœlum, ad quod non læto aut molli itinere peruenitur, & quod ſoli violenti rapiunt. Quid enim vita eſt noſtra aliud, quam perpetua tentatio & militia ſuper terram: In qua tum maximè tentamur, cum ſecuros nos eſſe credimus. Quocirca præterquam quod aſſiduè laborandum eſt nobis, hoc etiam potiſſimùm eſt procurandum, vt piis precibus Deum die, noctúque ad noſtri cuſtodiam inuocemus, ſine quo inanis & vana eſt noſtri laboris induſtria.

Hunc ergo caſtis moribus imitantes conemur exprimere, vt de illorum numero cenſeamus, quibus data poteſtas eſt, vt filij Dei fiant. Hoc ſi fecerimus, bono animo eſſe debemus, quia cum carnales patres filiis ſuis bona dare conſueuerint, multò magis cœleſtis pater dabit nobis ſpiritum bonum rogantibus ipſum. Vale. Lerinæ 7. Id. Februar. 1552.

Dionyſius

Dioniſius Genouefæ Ioubertiæ & Mariæ Tarquiniæ virginibus Deo dicatis S. P. D.

QVòd humaniſſimis literis veſtris hactenus reſpõdere diſtulerim, nolim id obliuione aut negligentia mutuæ inter nos charitatis eueniſſe exiſtimetis, quam ego pluris exiſtimem, quàm quiuis ambitioſus aut aſſentator principum aut regum conſuetudinem. Verùm cum præter munus hoc quod mihi maximè demandatũ eſt, aliæ quoque ſuperueniant curæ, quæ me interdum ita diſtinent, vt nullum temporis ſpatium mihi quod ſcribendis epiſtolis impendam ſupereſſe patiantur, factum eſt vt officio meo ſatisfacere commodè nequiuerim. Sed expurgationem hanc meam ſuperuacaneam idcirco exiſtimo, quod mea erga vos fides atque amor quo vos in Chriſto proſequor eſt multo magis vobis perſpectus quàm vt his apud vos excuſationibus vti neceſſe ſit. Scitote igitur ex ſuauiſſimis veſtris tantam me percepiſſe lætitiam, quantam non facilè verbis aſſequi poſſem. Intellexi enim ex iis vos mei apud Chriſtum ſponſum veſtrum retinere memoriam, & vos in virtutum ſtudiis tam ſtrenuè deſudaſſe, vt eruditionis veſtræ ſpecimen doctiſſimo cuique non poſſit non placere. Quorum vtrum me magis oblectet non facilè dixerim. Itaque iam iam mihi tempora illa inſtare videntur quibus Deo ſacratæ virgines Hieronymo hortante atque Ambroſio non fuſos tantum virum & multo magis ſacros codices diſcant voluere, vt non ſatis ſibi eſſe putent ſacros hymnos ore proferre, niſi etiam ſpiritale illud manna, id eſt, cœleſtis ſponſi veſtri amorem in iis quàm ſuauis ſit deguſtare aſſueſcant. Pergite ergo vt cœpiſtis filiæ cariſſimè, non vos incœpti pœniteat, non laboris vos pigeat, non difficultas, vanaque hominum quorundam opinio terreat. Iam enim tale de vobis ſpecimen præbuiſtis, vt nil niſi optimè de vobis ſperare nobis liceat. Quod autem mea carmina vobis tam grata fuiſſe memoratis, id ego non miror, cum enim gratiſſimè ſitis, non tantum rei pretium quàm amicum animum à quo profecta ſunt, cogitatis. Ea verò miſi ad vos vt cum veſtris precibus ac piis lachrymas inuitatus cœleſtis ſponſus veſter in hortum ſuum, id eſt, in cor veſtrum deſcenderit, vt diuerſarum virtutum poma in conuallibus humilitatis obedientiæque videat, & inſpiciat, ſi floruerint vineæ inter ſuauia illa cœleſtis ac diuini amoris colloquia memineritis obſecro mei, orantes vt à corde meo ſentibus vitiorum ac tribulis extirpatis dignetur in eò virtutum ſemina ſerere. Quod cum à vobis peto, Venerandam matrẽ veſtram meamque collegij veſtri Præfectam Magdalenam Dampetram ſororem in Chriſto cariſſimam, itemque alias omnes alloquor, quas & rectè valere & earum caſtiſſimis precibus me commendatum iri maximè exopto. Valete. Tharaſc. 1539.

Dionyſius Genouefæ Iaubertiæ & Mariæ Tarquiniæ S. P. D.

QVanquam veſtram erga me charitatem firmioribus puto radicibus niti, quàm vt literarum mearum adminiculo ad eam ſuſtinendam indigere exiſtimem, attamen veſtrarum percupidus quarum lectione delectari plurimum ſoleo, his rurſus ad ſcribendum vos incitare volui. Quod facturus eram citius, niſi me tabellárij cuiuſdam vanam ſpes fefelliſſet. Qui cum ſe

iſtuc propediem iturum affirmaret,& is eſſet maximè cui præter cæteros mea ſcripta tutò poſſem committere, effecit vt in hunc diem ſcribere ad vos diſtulerim.Nam præter literas ad vos etiam carmina quædam noſtra illi dare conſtitueram,vt per Piladem veſtrum meumque Salmonio Macrino homini mei amantiſſimo curarentur. Interea verò dum cupitam opportunitatem expecto,Lerinam à fratribus noſtris prouocatus petij,vbi dum illorum & meo deſiderio ſatisfacere cupio ,factum eſt, vt ſcribendi ad vos & reliquos amicos officium tam diu intermiſerim. Scitote igitur non mediocri me literarum veſtrarum deſiderio teneri, vt per eas de ſtatu veſtro certior fiam & quàm fœlices in inchoata bonarum artium & virtutum ſtudia progreſſus habeatis intelligam. Euidens enim iamdudum præclarumque veſtræ eruditionis ſpecimen præbere cœpiſtis,cui vt reſpondeatis impoſterum vobis non parua impoſita eſſe videtur neceſſitas, quod magni etiam viri & principes ipſi de ſtudiis veſtris & fructu quem inde colligere cœpiſtis, facti ſint certiores. Nam cum ego nondum Lerina me huc recepiſſem, rex huc cum veniſſet, Regina Nauarræ (quæ eius in nos fuit humanitas) collegium hoc & Scholaſticam in primis inuiſit. Vbi cum de literis ortus eſſet ſermo, occaſionem nacta Scholaſtica de vobis ac ſtudiis veſtris honorificam mentionem fecit, addens etiam me & ſeipſam à vobis litteras accepiſſe, quæ ipſam de vobis vera prædicare facilè teſtarentur. Quo ſermone audito regina ipſa & qui cum ea præſentes aderant viri doctiſſimi vobis abſentibus plurimùm viſi ſunt gratulari. Quare vos hortor filiæ in Chriſto Ieſu dilectiſſimæ, vt muliebri abiecta mollicie viriles animos induatis, vobiſque ipſis conſtantes talem literarum & profeſſionis veſtræ ſtudiis operam detis, vt diuinas ſcripturas & ſanctorum patrum qui vos ad pietatem inſtituant, libros aſſueſcatis nocturna verſare manu & verſare diurna. In quibus cum cœleſtem ſponſum veſtrum loquentem auditis, & quando cum eo viciſſim caſtiſſimis precibus veſtri loquimini, mei apud ipſum ac peccatorum meorum memoriam ne obliteraueritis. Valete.Tharaſc.1541.

Dionyſius Genouefæ & Mariæ Tarquiniæ S. P. D.

LIteras veſtras poſtridie Pentecoſtes datas accepi circiter calendas Nouembres, quo ego tempore morbo graui laborans tantam ex his lætitiam percepi(ſi tamen vlla à me tunc percipi poterat) vt corporalis moleſtiæ partem non modicam mihi abſtuliſſe viderentur. Neque enim mihi opportunius reddi poterant, quàm eò potiſſimùm tempore, quo corporis aduerſa valetudine malè affectus amicorum ſolatio indigebam. In quorum numero in primis cum vos eſſe minimè ignoretis, non mediocre ſolamen mihi à vobis contigiſſe debetis exiſtimare, quando ex literis veſtris mei memoriam intellexi vos cum ſumma beneuolentia retinere, & meum erga vos ſtudium tam vobis fuiſſe iucundum, vt contractum ex diuturno ſilentio aut literarum intermiſſione tædium ſolo dicatis earum contactu fuiſſe depulſum. Vtinam verò eiuſmodi eſſent meæ literæ, quæ à vobis meritò deſiderari debere viderentur, attamen vt ſunt, quandiu eas vobis gratas futuras cognouero, dabo operam ne vobis ſint defuturæ, præſertim quia per eas vos ad virtutum honeſtiſſima ſtudia dicitis incitari. Quantum putatis gaudeam, quando adhortationum mearum ſemina non iuxta viam quæ volucres abſumerent ceciderunt, non in ſpineta, quæ vna cum ſpinis exorta ſuffocen

ſuffocentur, non denique in petroſa loca, quæ nata ſtatim exareſcant, ſed in cordis veſtri terram bonam, quæ orta multiplici fruge non ſolum in veſtros verum etiam in poſteritatis vſus ſuccreſcant? Spero enim futurum vt aliæ veſtro exemplo prouocatæ diſcant bonas horas benè collocare, & laudes Deo non picarum aut pſitacorum more ſed mente & ſpiritu pſallere. Pergite ergo filiæ itinere inſtituto, à quo non labor aut difficultas vos vlla reuocet. Sed deſino plura de hac re reſcribere, ne noctuas Athenas, aut ligna in ſyluam. Venerandam collegij veſtri matrem iubeo plurimùm ſaluere & reliquas omnes, quas vnà vobiſcum Chriſtus Dominus incolumes conſeruet. Tharaſc. 1542.

Dionyſius Petro Pilado Monacho S. P. D.

A Suaui noſtra & diu cõcupita ſolitudine Tharaſc. reuocatus, & à multis iiſdemque primariis viris, quin & ab ipſis etiam ſanctimonialibus rogatus, curam priſtinam ſum coactus reſumere. Quam vixdum ſubire incœperam, cum cœli huius inclementia malè affectus, ab ipſo ferè menſis Auguſti principio in lectum decidi. Vnde cum me incolumen euaſiſſe exiſtimarem, recidi in morbum multò grauiorem quàm prior fuerat, cuius adhuc reliquiis fatigatus ægrè inde poſſum emergere. Cùm igitur moleſtè afficerer, longo quidem ex quo ſcriptæ fuerant, ſed opportuno tempore redditæ mihi fuerunt literæ tuæ. Quæ pro captu meo qui tunc erat, non paruo me gaudio repleuerunt. Eas igitur atque illas ſimul quas à cæteris amicis acceperam non ſine voluptate legi ac relegi, vt veſtro quaſi coram mihi exhibito ſolatio morbi moleſtiam ſubleuarem. Legi etiam quæ de ſylua tua ſcripta ſunt carmina, quæ quidem mirum mihi eius deſiderium excitarunt, nec minus etiam epiſtola illa tua ad Bellaium Cardinalem qua peregrinationẽ & labores in ea conſerenda ſumptos recenſes. Itaque, mi Pilade, te oro obſecroque ſi eam adhuc palàm exhibuiſti, & fidum inuenies nuntium, me eius participem facias, vt & ego ſub vmbris illius reſidens guſtare aliquando merear ex eius fructu quàm ſuauis eſt Dominus. Non enim eam niſi ſaluberrimos fructus producturam puto, quæ Chriſti ſuauiſſimam ſanctiſſimamque doctrinam ſit ad eam accedentibus propinatura. Ego verò carminum veſtrorum ſuauitate prouocatus tanquam inter olores anſer obſtrepere volui. Quæ autem ſcripſi de his carminibus ad te mitto, quæ quia digna non ſunt vt in manus doctorũ hominum deueniãt, poſtquam legeris, aut diſcerpe aut ignibus trade. Interea verò dabo operam ne quid mei in te amoris ob locorum diſtantiam diminutum eſſe videatur, quando nulla maior gratificandi tibi quàm literas ſcribendo ſeſe mihi offert occaſio. Gratulor præterea venerandæ collegij iſtius Præfectæ, ſed & tibi præſertim, qui ſpiritales alumnas habeas tam tuis per omnia ſtudiis obſequentes, vt non ſolum pios mores tuos (quod quidem ipſum in primis eſt conſentaneum) verum etiam doctrinam ita redoleant, vt optimi patris optimæ filiæ, & doctiſſimi magiſtri imitatores diſcipulæ ex ſuis ſcriptis facilè cognoſcantur. Vale. Tharaſc. 1542.

Dionyſius Franciſco Pillonio S. P. D.

CVm humaniſſimis literis tuis tam multas mihi laudes tribuas, cariſſime Pilloni, duarum rerum neceſſitatem impoſitam mihi eſſe video, vnam

tibi in amore reſpondendi, ad quod me tam humaniter inuitas, alteram ſuſtinendæ opinionis quam de me (vtinam non immeritò) videris concepiſſe. Quorum quidem alterum vt mihi facilimum eſt præſtare, ita minimè alterum promittere audeo. Quantum enim ad amoris viciſſitudinem rependendam attinet, in id tam diligentem operam me daturum ſpero, vt in hac parte nunquam abs te poſſim ſuperari, tametſi in ſignificanda tua in me voluntate mihi anteuerteris. Quis enim non amet eum qui cum multis nominibus ſummo amore digniſſimus ſit, ad amicitiam ſe ab ipſo videat incitari? Quare, mi Pilloni, ſcito te à me cum propter eruditionem tuam tum propter eximias virtutes quibus etiam erga me amor accedit, non mediocriter à me amari. Quem inde vel maximè non paruum eſſe iudico, quod ita tibi oculos præſtrinxit, vt me puſillum tam magnum exiſtimes, & mihi tam egregias laudes accommodes. Id enim eſt alterum, quòd ſuo pondere me premit, & quod imparibus nequeo viribus ſuſtinere. Maior eſt (mihi crede) æſtimatio de me tua grauiorque, quàm vt cuculli huius ambitu capi, & à me multis vndique animi morbis debilitato poſſint ſuſtineri. Sed amor qui te in hunc errorem impullit, perſuadebit tibi (vt ſpero & opto) Deum opt. Max. pro me frequenter precibus pulſare, ne monachi nomen inane habuiſſe & monaſticæ pietatis religioniſque ſigna in caſſum geſtaſſe videar. Vale. Tharaſcone 1542.

Dionyſius Franciſco Pillonio S. P. D.

ETſi mihi moleſtum fuit te in eam ſuſpitionem incidiſſe, vt tui me oblitum putares, attamen non tam mihi grauis querela tua fuit, quàm iucunda petitio. Petis enim à me vt tui memor precationum mearum apud Deum te participem faciam, quando tu mei in tuis memoriam tam amico ac pio animo tenes. Hoc eſt, quod abs te & tui ſimilibus, id eſt, veris Chriſti ſeruis atque amicis maximè cupio, nimirum vt eorum pio interuentu ac precibus vetuſtatis conſumpta rubigine ſpiritu & mente poſſim aliquando renouari, & breui quod mihi ſupereſt tempore vitæ meæ curſum ita dirigere, vt à Chriſto qui via veritas, & vita eſt, non deſciſcam, & tandem vel ſero incipiam eſſe quod vocor. Quid enim aliud monachi vocabulum ſonat, niſi totius perfectionis & Chriſtianæ pietatis ſummam? Hanc itaque & profeſſio noſtra requirit, & habitus nomenque promittunt. Vnde me mei piget, pudetque, qui tot annos perfectionis extrinſecus indicia præ me tulerim, nec dum eius initia videar attigiſſe. Quare, mi Pilloni, te oro, vt cœptæ rei aſſiduè inſiſtens mei apud Deum memoriam tibi non patiaris excidere. Ego verò licet valdè indignus ſim, dabo operam, ne petitioni tuæ deſim, ſperas Deum non tam peccata mea quàm fidem tuam inſpecturum. Quod autem ad querimoniam tuam attinet, tametſi rationibus adductis pro me ipſe tibi ſatisfeciſſe videris, attamen ne mihi ipſe defuiſſe videar, rem tibi fatebor vt ſe habet. Ex quo tempore literis tuis reſponderam nihil abs te neque de te in litteris aliorum qui iſtinc ad me ſcribebant, acceperam vnde putabam te aliò commigraſſe, & ea cauſa fuit, vt nihil ad te aut de te ad alios ſcripſerim, quem alibi eſſe putarem.

Nunc autem gauiſus ſum, vbi ex literis tuis te cum Pilade noſtro eſſe intellexi, & vtrique veſtrum fœlix iſtud ac iucundum contubernium

gratu

gratulans meam ſortem doleo, qui tam longo à vobis locorum interuallo diſiunctus ſim, vt doctiſſimis veſtris atque honeſtiſſimis congreſſibus mihi non liceat intereſſe. Saltem hoc abs te & ipſo poſtulo, vt literis ad me frequentius datis de veſtro ſtatu me faciatis certiorem. Vale. Tharaſ. 1543.

Dionyſius Ioan. Dampetro Monacho. S. P. D.

VIrtus tanti eſt, vt propter eam ipſos etiam quos nunquam vidimus diligamus. Nam cum mihi tam multa de tua excellenti doctrina & cæteris animi ornamentis Ioan. Vulteius retuliſſet, cœpi te nondum de facie cognitum vehementer diligere. Et quia nunquam otioſus eſt amor, coëgit me vt hæc ad te carmina inepta licet atque inconcinna tranſmitterem, quibus me in amicitiam tuam inſinuarem. Videlicet vt ei neceſſitudini quæ nobiſcum ex eiuſdem ordinis profeſſione intercedebat, conſuetudo quoque accederet. Quæ tametſi fortè ob id frigidior videretur, quod nulla inter nos vltrò citróque officia extarent, neque mutui ſermonis congreſſus, quibus amicitia ipſa perſpici & quaſi confricata ſolet incaleſcere, tamen quia virtus tua mihi non deeſt, quæ vna per ſe ſatis ad me excitandum ſufficere videtur, & quæ ad conciliandum amorem maximè requiritur, non video cur magnopere corporis tui præſentia (quæ & ipſa tamen iucundiſſima mihi accederet) expetenda eſſe videatur, cum ſcilicet animi tui qui corporeis oculis non videtur, imaginem intellectu ac mente contemplor. Amo igitur te mi Dampetre, méque abs te viciſſim redamari pluris facio, quam quiuis alius principum aut regum fragiles amicitias debeat æſtimare. Neque hoc dico, vt vllam in me virtutem ac occaſionem aliam ineſſe putem, propter quam diligi abs te meritò debeam, ſed eorum in quibus ipſa ineſt, cultorem me ac ſtudioſum maximè eſſe non negem. Vale. Tharaſc. nono calendas Decembris, milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſeptimo.

Dionyſius Antonio Guiramando ſacræ Theol. profeſſ. S. P. D.

SVmma me voluptate literæ tuæ affecerunt, pater humaniſſ. quod ex iis tanti Antiſtitis erga me tantillum non mediocrem beneuolentiam perſpexi. Ego verò propter ingentes animi illius virtutes dotéſque multiplices quibus ad Pontificī gradum meritò euectus eſt præter ſummam quam illi debeo reuerentiam pietatémque peculiarem etiam amoris ac beneuolentiæ viciſſitudinem me debere profiteor, à quo tam humaniter literis ſim prouocatus. Doleo autem non eſſe in me artis ipſius facultatem, quæ honeſtiſſimis tanti viri optatis reſpondeat. Sed dabo operam, vt meum ſaltem ſtudium atque animum promptum ſibi non defuiſſe cognoſcat. Vale. Tharaſc.

Dionyſius Antonio Guiramando. Theolog. S. P. D.

ACcepi literas tuas tuæ erga me humanitatis ac beneuolentiæ teſtes locupletiſſimas. Quibus quia tardè reſpondeo, nolim id propterea accidiſſe exiſtimes, quod aut amicitiæ noſtræ aut tuorum erga me beneficiorum oblitus ſim. Ea enim ſunt eiuſmodi, vt excidere mihi ſine

grauiſſimo ſcelere non poſſint. Sed cum raro ſeſe mihi tabellarij offerant, quibus literas tutò poſſim committere, meam in reſcribendo tarditatem boni æquíque conſules. Quod de N. homine ſceleratiſſimo ſcribis & quod illi ob gratiam mei beneficium non merenti præſtiteris, tametſi nomen illius vix ſine ſtomacho audire poſſum, tamen tibi eo nomine debeo plurimùm, méque tibi dum viuam profiteor debiturum. Verùm à me petis, quid ſuper eius negotio conſulam aut decernam, nihil ſatis certi quod reſpondeam habere mihi videor. Nam cùm priùs nobis impoſuiſſet, & ab ordine non abſque grauiſſimo ingratitudinis imò impietatis nefario ſcelere defeciſſet, rerum inopia egeſtatéque compulſus ad nos rediit, nos rati hominem temeritatis atque impudentiæ pœnitere, gratulabundi pro ſe quiſque illum ſumus cohortati, vt ad cœnobium ſeſe reciperet, futurum vt culpa quæ ætatis inſcitia potiùs quam malitia videbatur admiſſa, facile illi leui impoſita pœna condonaretur, eóque magis, quod falſa boni ſpecie deceptus à recto deflexerat. Ille (vt eſt vafer & veterator) dolum vultu & ſilentio tegens corraſis rurſus pecuniis ad vomitum adhuc recentem vt canis impuriſſimus rediit. Quo nefandiſſimo crimine nos omnes perculſi, dolore ac mœrore ingenti ferè (vt ita dicam) contabuimus. Mater verò illius pientiſsima fœmina cum dolori reſiſtere non poſſet, tandem eo, vt opinio eſt, ſuperata febrim totos vndecim dies perpeſſa occubuit. Quale igitur ei fratres ipſius ſunt allaturi auxilium, qui parentis defunctæ in eum mortem immaturam referunt, & qui ſine graui dolore, eius meminiſſe non poſſunt? Imo nec eum ad conuictum vel ſermonis conſortium ſunt recepturi, niſi fortè ita compunctum & ſuæ veſaniæ pœnitentem viderent, de cuius futura emendatione benè ſperare auderent. Ego verò vt paternitati tuæ quod ſuſpicor, liberè dicam, ſubuereor ne nouarum hæreſum labe aliqua ſit reſperſus. Quod quidem vt temerè omninò affirmare non auſim, ita etiam minimè poſſum ſuſpitionis illius vmbram ab animo meo penitus effugare, cum videam de tam pio tam impium derepentè effectum. Hoc autem ad te ſcribo, vt per tua in Deum pietate illum, ſi quid eiuſmodi fortè incurriſſe deprehenderis, admoneas, & vt in viam iam redeat cohorteris. Illi ego multa inculcaui, quibus ab animi pertinacia reuocarem, & ne ſub prætextu acquirendæ ſcientiæ ſeipſum & Deum ignoraret, præcinens illi etiam quanquam nec vates ſim nec vatis filius, grauia illi imminere mala, quibus comprehenſus mea monita vel ſero recordaretur, niſi ea dum licebat, admitteret. Sed de hominis inſania me pudet pigétque longiorem ſermonem protrahere, quem vt antea dixi, non poſſum ſine ingenti triſtitia recordari. Cæterùm, mi pater, ego tuis optatis tuo merito ſum totus addictus, qui cum tibi obſequi poſſum tum me quæſtum non mediocrem facturum exiſtimo. Cupio autem ſcire ex te de tuis ſtudiis ac ſtatu tuo, quare te oratum velim, vt de omnibus ad me perſcribas. Vale. Tharaſc. IIII. Nouembris. 1538.

Dioniſius Antonio Guiramando S. P. D.

REdditæ mihi fuerunt litteræ tuæ, quæ me idcircò non mediocri gaudio affecerunt, quod ex iis meam operam Arelatenſi Antiſtiti fore gratam

tam perſpexi. Vtinam verò facultas in me eſſet, qua tuæ apud illum de me prædicationi reſpondere vtcunque poſſem ne videlicet tantus vir à concepta de me opinione excideret. Dabo tamen operam & pro virili contendam, ne petitioni illius ac tuæ defuiſſe videar. Quod ſi mea induſtria tanti viri expectationem æquare non poterit, in te aut in tuum erga me amorẽ culpa hæc potiùs quã in me reiiciẽda videbitur, quippe qui talem apud illum de me opinionem concitaueris, quam ſuſtinere ipſe aut tueri non poſſim. Sed futurum ſpero vt non tam opus ipſum, quam meam erga ſe voluntatem, vt eſt animo candido ac perbenigno, ſit inſpecturus. Quantum verò ad mercedem de qua ſcribis, pertinet ego ſatis ſupérque mihi ſatisfactum iri arbitror, ſi meam operam atque ſtudium quod ego totum illi debeo, atque pólliceor, gratanter ſit acceptúrus. Quem cum meo nomine ſalutaueris, me illi etiam atque etiam commendabis. Vale Tharaſcone decimo tertio Calendas Decembr. milleſimo quingenteſimo trigeſimo octauo.

Dionyſius Iacobo Sarratio S. P. D.

TAmetſi nondum mihi eras de facie cognitus, effecit tamen tua virtus vt te plus inciperem amare quam noſſem. Nam hiſce diebus cum ego apud nobilem virum Franciſcum à Maudena cœnarem, tam honorifica de tua doctrina cum candidiſſimis moribus & pietate coniuncta ab illo facta eſt mentio, vt me in tui abſentis amorem ac deſiderium facilè incitaret. Accedebat ad hæc etiã tuus in me amor, quo te neſcio quibus de me rumoribus ita affectum eſſe affirmabat, vt cuperes occaſionem incidere, qua mecum coram poſſes aliquando colloqui. Vnde quamuis erubeſcerem, quod talis ac tantus vir eam de me opinionem concepiſſes, cui reſpondere non poſſem, gaudebam tamen honeſtam atque iucundam mihi neceſſitatem impoſitam, qua tibi amoris vicem reponerem. Poſtea verò cum Arlerius Prętor Arelatis ad nos veniſſet, homo mea quidem ſententia qui æquitatem cum bonis litteris & doctrina coniunxit, & ea Vulteio iuueni eruditiſſimo ornatiſſimóque ac mihi de tua eruditione & morum honeſtate quæ prius audieram, quaſi refricaſſet, tanta ſummo meo in te amori facta eſt acceſſio, vt verba quibus eam explicem non reperiam. Vnde has litteras meæ erga te voluntatis teſtes ad te dare cõſtitui, quibus cum me in gratiam tuam inſinuaſſem, tibi etiam gratias agerem, téque maximè rogarem, vt me in amicorum tuorum albo aſcribendum duceres. Ego verò quantum ad me ſpectat diligentiam adhibeto, vt nihil quod ad augendam retinendámque in amicitia fidem pertinere iudicabo, prætermiſiſſe videar.

Quod vtique officium meum inde tibi gratum fuiſſe cognoſcam, ſi cum tibi per otium licebit epiſtolam ad me longiorem remiſeris. Vale Tharaſc. vndecimo Calend. Auguſti.

Dionyſius Iacobo Sampriuatio S. D.

EX quo tempore abs te digreſſus ſum, & in ipſo itinere cum abs te diſcedens me hunc reciperem febri correptus aliquandiu lecto decubui. Quæ res effecit, ne tam citò vt volebam ad te litteras darem. Promiſeram autem miſſurum me ad te carmen, quod ego ante annos aliquot de amatæ ſolitudinis noſtræ laude conſcripſeram. Quod cum ego hic diligenter quæſiſſem, inuenire non potui. Dabo autem operam vt vbi res noſtras quæ Lerinæ adhuc

ſunt, recepero, promiſſioni meæ non videar defuiſſe. Interea verò hæc quæ inter diſciplinarum mearum ſanctimonialium chartas latitabant, mittenda cenſui, non digna illa quidem quæ in tuas aut tui ſimilium id eſt, doctorum hominum manus deueniant, ſed tu pro animi tui ſuauitate hoc qualecunque meæ erga te voluntatis ac beneuolentiæ pignus boni æquique conſules. Deſcripſi in his querelam infœlicis noſtræ huius ætatis, in qua Chriſtiana religio non minus fortè intrinſecus ab iis qui ſe orthodoxos profitentur, quam ab hæreticis extrinſecus impugnatur. Malis enim malorum hominum moribus prouocati quandam quaſi anſam aut vt magis dicam arma quibus Eccleſiæ ſtatum euertere conantur, arripiunt, & ſub prætextu & falſo nomine Euangelicæ libertatis cum ſeſe ipſi deterrimæ ſeruituti addicant, alios quoque noſtris malis inſtructi armatique in eandem facile pertrahunt. Vnde tanto magis lugenda hæc infœlicia tempora mihi videntur, quanto propius ad ea videntur accedere, aut, vt fortè verius dicam ea eſſe de quibus Apoſtolus ad Timotheum ſcribens prædixerat. *Inſtabunt (inquit) tempora periculoſa, in quibus erunt homines ſeipſos amantes, qui prurientes auribus prophanis nouitatibus illecti coaceruabunt ſibi magiſtros & à veritate auditum auertentes ad fabulas conuertentur.* Quæ ad te idcirco ſcribere volui, vt longè aliam mihi mentem quam commentatori illi in Eccleſiaſtem ineſſe cognoſcas, qui huic quaſi fœliciſſimo ſæculo gratulandum exiſtimat, quòd nunc demum veritas quæ in tenebris hactenus delituerat, in lucem emiſerit. Cuius ego ſcripta quantò magis magiſque conſidero, tantò magis eum non ſuſpectum modò, verùm etiam exploratum cognitúmque habeo, quem vitare omninò debeamus. Nam præterquam quòd arrogantior videtur, quàm Chriſtianam modeſtiam deceat, malè etiam de Eccleſiæ ſtatu & peſſimè de Euchariſtiæ ſacramento ſentire videtur, tametſi aliqua intermiſcet, quæ cùm à veritate non abhorrent tum ad morum inſtitutionem videntur pertinere. Sed nulla tam falſa doctrina eſt, quæ non aliqua vera intermiſceat, nimirum vt veritatis ſpecie falſitatem tanquam melle permixta propinet venena. Quod ego non idcircò ad te ſcribo, vt te me admonitore putem indigere, id enim nihil eſſet, quàm ſus Mineruam, ſed tua ingens mihi perſpecta humanitas & inita dudum inter nos amicitia mihi hanc fiduciam dedit, vt cum amico amicè ac confidenter proinde ac mecum iuxta veræ amicitiæ leges loqui audeam. Præterea quia (vt quidam ait.)

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

Meus in te amor ſingularis me cogit vt tibi non ſecus ac mihi omnia etiam tuta timeam, quando ea nunc eſt infœlicis huius noſtri ævi conditio, vt vndique nobis pericula & extrinſecus à prauis dogmatibus, & intrinſecus (vt antea dixi) ob corruptam diſciplinam à perditiſſimis ac deſperatis moribus impendeant. Quanquam tibi in hac parte cenſeo gratulandum, qui dum iucunda iſta tua ſolitudine frueris, ex ea tanquam ex ſpecula quadam inſanias orbis deſpiciens eáſque conſiderans aut cum Heraclyto luges, aut cum Democrito riſu cachinóque perſequenda ducis. Quod ſi mihi daretur optio, ſpeluncam vicinam eremi tuæ in qua tenui ac frugali victu pauperem vitam tranſigere, cunctis regum opibus & luxui præferendam putarem. Vale Thar. 1544.

Dionyſ. Iacobo à Maudenna optimæ ſpei adoleſcenti S. P. D.

TAmetſi ſatis mihi explorata eſt in virtutes & litterarum ſtudia voluntas tua, & patris tui viri optimi ac nobiliſſimi cura, conſiliumque non

non deeſt, volui tamen his ſtimulis pro meo in te & parentes tuos ingenti amore meam quoque adhortationem adiungere. Cùm enim adoleſcentiæ libertatem licentiamque qua facilè niſi nos ipſi cohibeamus, deteriores euadimus, & huius temporis perditos mores conſidero, me à charitate qua te proſequor rem non alienam facturum putaui, ſi te vt ſæpè ſoleo, ad conceptam de te opinionem ſuſtinendam cohortaret. Itaque te hortor atque oro, vt tota mente animique contentione in eas artes incumbas, ex quibus veræ ſolet nobilitatis non inane nomen aut ſuperbus titulus, ſed fructus ſolidus obtineri. Quam rem (vt ſpero) facilè es aſſequutus, ſi parentis tui piis veſtigiis inſiſtens amantiſſimiſque conſiliis præceptiſque obſequens eum te præſtiteris, qui talis patris meritò filius iudiceris. Nihil eſt enim, quod tibi maiori vtilitati honorique eſſe poſſit, quàm illius exemplo Dei timorem qui veræ ac perfectæ ſapientiæ initium eſt ac fundamentum à corde tuo nunquam abiicias, quo quaſi fræno coërcitus à virtutis itinere in latas & lubricas adoleſcentiæ vias nunquam deflectas. Quare eorum debes in primis vitare conſortia qui Dei timore abiecto tanquam effrænes equi per vitiorum deuia feruntur in præceps, quibuſque non ſatis ſua eſt ipſorum perditio, niſi alios quoque ſibi ſocios participeſque conciſcant. Cum his autem frequens eſto, quorum exempla & honeſta conuerſatio te doctrina & honeſtis moribus auctiorem poſſunt reddere. Nam nobilitatis atque honorum quantunlibet ampla vocabula ſi fueris aſſequutus, non tam tuæ quàm aliorum induſtriæ tribuentur, quicquid autem eruditionis virtutiſque pio ſtudio fueris adeptus, id erit totum ac perpetuo tuum. Sed virtutis ſignificatio quam egregia tua indoles præ ſe ferre videtur, facit vt non dubitem, quin noſtræ de te opinioni reſpondeas. Vale. Tharaſcone pridie Idus Ianuarij milleſimo quingenteſimo quadrageſimo.

Dionyſius Carolo Sammartano S. P. D.

ETſi ego minus idoneus ſum, quàm vt meis literis leuamen aliquod tibi afferre poſſim, propterea quod & literæ meæ non ſunt eiuſmodi, quæ id poſſint efficere, & ipſe tuis incommodis ita ſum affectus, vt magis conſolationem egere, quàm tibi eam adhibere poſſe videar, attamen quia vi temporum & calamitatum concurſu labefactatus animus minùs ſua quàm aliena videt iudicatque, volui pauca hæc ad te ſcribere, quibus & meus in te amor qualis eſſet, agnoſceres, & meum fideliſſimum amantiſſimumque conſilium tibi homini mei amantiſſimo non deeſſet. Dolui, Sammarthane cariſſime, vbi te in tam graue diſcrimen adductum accepi, quo vita tua periclitaretur, ſed dolore pœnæ contabui, quod de religione male ſentire te aiebant, & hæreticorum opiniones erroneas obfirmato animo ſuſtinere. Verùm cùm literas tuas nepos meus mihi reddidiſſet, gauiſus ſum cum ex iis, tum ipſius verbis intellixiſſem te melius quàm dudum ac liberius agere, futurumque vt breui ſopitis calumniis liber omninò dimittare. Nam cum te ſanctorum patrum veſtigiis inhærentem ſenatus deprehenderet, eſſe etiam ex eò ordine, qui tibi adhuc morbi reliquiis laboranti ſumptus ad victum neceſſarios ſubminiſtrarent, dum videlicet manifeſtius innocentia tua (quod breui futurum eſt) comprobetur. Vnde, mi Sammarthane, te hortor, & pro mutua noſtra beneuolentia rogo, vt talem te præſtes, quem nulla opinio mala vnquam à firmitate ſinceritateque fidei Catholicæ, nec vlla tribulatio à

mentis ſtatu & viri ſapientis dignitate poſſit dimouere. Id autem ſcribo non tam de tua conſtantia diffidens, quàm confidens te quicquid perſcriſerim boni æquiq́ue pro ea quæ mihi tecum intercedit beneuolentia charitatéque conſulturum. Faciat Deus qui eſt mœrentium conſolator, vt liber ad nos quàm citiſſimè reuertatis. Interea verò da operam vt conualeſcas tui Dionyſij memor. Tharaſcone. Vndecimo Calend. Iulias 1540.

Dionyſius Ioan. Malmaſeto. S. P. D.

CVm literas ad te dare inſtituiſſem, opportunitas nuntij mihi occurrit, quã vix vlla mihi alia poterat contigiſſe commodior. Hanc igitur præterire nolens pauca hæc ad te ſcribere volui. Cùm enim præterita hyeme Nemauſum veniſſem, & apud te diuertiſſem, vix credas quanto gaudio affectus ſum conuerſationis tuæ & conſobrinæ meæ coniugis tuæ modum & ordinẽ videns erat enim id tẽpus quo Chriſti Domini aduentus memoria ex ſanctorum patrũ decreto & ſentẽtia ab Eccleſia celebrabatur, cũ ipſa cognata mea quæ diuina tibi prouidentia vxor contigit, te promittente ieiunio ſeſe ad natalitios Chriſti dies præpararet. Quæ res eò mihi gratior ac iucundior fuit, quod hac temporum infœlicitate corruptiſq́ue moribus pleroſq́ue inuenias, qui libertatem carnis ſectantes ſacros Eccleſiæ ritus paruipendunt. Ego verò vos admonerem, ne ab inſtituto itinere deſiſteretis, niſi vos Dei timore firmatos magis ad id propenſos animatoſq́ue conſiderẽ, quàm vt quis vos ab inſtituto poſſit dimouere. Tantùm hoc peto vt Deum pro peccatis meis comprecemini, ne monachi nomen & habitum fruſtra mihi aſſumpſiſſe videar. Mitto ad ipſam ſobrinam meam tantillum hoc munus, meæ erga illam perpetuę charitatis pignus, vt eo admonita mei meminerit, cum Deum & ſacram virginem matrem precabitur. Vale Lerinæ tertio Cal. Iunias 1543.

Dionyſius Renato & Nicolao Grimoaldis nobiliſſ. adoleſcentibus S. P. D.

CVm præterita æſtate Pariſiis eſſem, ſupramodum gauiſus ſum, cum prę-clara veſtra indole & iam precocis in iſta ætate virtutis ſignificatione ſpecta occaſionem habuerim, vnde patri veſtro ac matri mei amantiſſimis eum de vobis nuntium afferrem, cuius fieri participes maximè exoptabant. Cum enim gloria patris & matris ſit filius ſapiens, duplicatam de vobis debetis eos eandémque non mediocrem æſtimare lætitiam percepiſſe, quando ad veſtrarum literarum teſtimonium mea quoque verba acceſſerunt, quæ de veſtro in bonas literas ſtudio ſimul & honeſtis moribus certiſſimam faceret fidẽm. Nunc autẽ ne quid ad lætitiæ cumulum illis deeſſe videretur, ad confirmandam quam de vobis opinionem conceperunt, allatæ ſunt illis à vobis aliæ literæ, quas ipſi (quæ ingens illorum eſt in me humanitas) ad me miſerunt, videlicet vt ſuum mecum gaudium participarent, & de illis meam ſententiam dicerem. Quæ vtique talis eſt, vt non minus vos ſapientiæ ac virtutis quàm literarum ſtudioſos eſſe demonſtrent. Cum etenim ex illis fœlices quos in honeſta bonarum literarum ſtudia progreſſus habetis, intelligo, tum prudentiæ veſtræ ſpecimen quoddam præ ſe ferre mihi videntur, vt non immeritò ſperare nobis liceat vos tales futuros, qui non modo à ſtirpe veſtra nobili non degeneretis, verum etiam noua eam in dies gloria decoréque augeatis. Quòd ſi quis fortè ſapientiæ aut prudentiæ nomen excelſius putet, quàm

quàm vt veſtræ adhuc patuæ ætati cómodè aptari poſſit, ampulloſius, quàm vt illius capaces eſſe poſſitis, ego tamen ſapientiam non exiſtimo annis eſſe metiendam, neque ſenectutem illam venerabilem, quæ ſolo annorum numero computatur, cum canos hominis veneratione dignos non longæuæ ætati, ſed ſenſibus & vitæ immaculatæ ſacræ literę deputent. Quid verò ad prudentiæ atque virtutis exemplar expreſſius, quàm videre adoleſcentulos familiæ nobilitate inſignes ita animum induxiſſe, vt natalium ſplendore tantiſper ſe conſpicuos fieri poſſe putent, dum deriuatam in ſe atque acceptam à maioribus gloriam doctrina & morum honeſtate tueãtur? Vnde longè quidem mea ſententia illi errant, qui ſolo nobilitatis ſterili titulo gloriantes nihil minus quàm virtutẽ vnde nobilitas parta eſt, curant. Sed gulæ atque ventri tanquam belluæ dediti inſignem illum illuſtris familiæ ſplendorem offuſis vitiorum tenebris obſcurant. Quamobrem vos hortor atque oro, ne vos incœpti pœniteat, néve ab inſtituto malorum vos atque intemperantium iuuenum conſortia conſiliáque depellant. Lubricum eſt adoleſcentiæ iter, per quod ſi ad ſapientiæ culmen vultis euadere, non eſt vobis niſi cum timore Dei & magna ſolicitudine gradiendum. Cauete igitur ab iis, qui cum viuant ipſi intemperanter, abutentes ſcilicet ætatis licentia, qua nullum eſt ſeruitutis genus miſerius, parũ ſibi eſſe videtur ſua ipſorũ perditio, niſi alios ad ſimilem quoque perditionis foueam ſecum inducat. Cum his frequentes eſtote, quorum doctrina & honeſtæ conuerſationis exemplum vos poteſt meliores in dies doctioréſque reddere. Sed quid ego improuidus facio? Ita vos hortor, quaſi non ſatis ſupérque ſint pia parentum veſtrorum hortamenta, & quæ his potiora ſunt, exempla, aut quaſi vos non ſatis veſtra ſpontè incitatos confiderem. Præterea præceptorem habetis virum doctum grauémque, cuius exemplis pariter & doctrina auctiores in dies maioréſque vobis ipſis fieri poteſtis. Valete. Lerinæ 1540.

Dionyſius Alexandro Grimoaldo S. P. D.

ACcepi funebrem illam orationem tuam, qua eruditiſſimi viri Andreæ Alciati laudes diſertiſſimè copioſiſſiméque proſequutus es. Quæ cum eiuſmodi eſt, vt verborum rerúmque copia, tum etiam ſententiarum grauitate ſatis per ſe eſſet placitura, maximè tamen inde mihi placuit, quod egregiæ tuæ indolis manifeſtiſsimum ſpecimen prę ſe tuliſſe viſa eſt. Acceſſerunt etiam ad gaudij mei cumulum deſideratæ iamdudum literæ tuæ, quæ & ipſæ de fœlici tuo in literarum & virtutum ſtudia progreſſu fidem mihi certiſsimam fecerũt. Vnde mi Alexander ſi diẽ illũ tibi fœliciſsimè illuxiſſe putabis, quemadmodum ad me ſcripſiſti, quo intelliges tãtam me ex literis tuis quantam tu ex meis lætitiam percepiſſe, hunc iubeo vt Cretenſi lapillo ſignãdum putes. Tantam enim ex iis voluptatem percepi, quantam & mutuus inter nos amor & confirmata iam à multo tempore cum optimis nobiliſsimiſque parentibus tuis charitas ac beneuolentia poſtulabat. Nam cum amicorum ſint omnia communia, nolim ſtudiorum tuorum fructus minus ad me quam ad illos exiſtimes pertinere. Ad quos augendos te pluribus verbis incitarem, niſi te ſatis tua ſponte ad honeſtiſsima quæque propenſum viderem. Verumtamen quia tu ita vis, & inde mei amantiſsimis parẽtibus tuis rem gratiſsimam me facturum non dubito, te hortor mi Alexander immò te quantum ex animo poſſum oro, ne te optimi tui inſtituti pœniteat, à quo nec te laboris terreat difficultas, nec perditorum hominum exempla depellant. Cum enim pariculorum plena ſint omnia, nũquam aliàs tantopere metuendum fuit, quàm

hoc infœlici æuo, in quod tot vndique mala inundare videntur, vt ſtatuere nequeas, plus ne mali ab iis qui falſis opinionibus imbuti de religione malè ſentiunt, an à corrupta Chriſtianæ pietatis diſciplina impendeat. Quocirca cum iis tibi conuerſandum cenſeo, qui quãtum ad Chriſtianam attinet fidem diſciplinamque ſanctorum patrum veſtigiis inſiſtentes poſſint te non minus pietate in Deum quàm doctrina maiorem in dies reddere. Ita enim fiet, vt in dies ſicut ætate ita etiam bonis artibus creſcens, talis ad nos reuertaris, qui concitatam de te opinionem non modo æquauiſſe, verum etiam ſuperaſſe videaris. Vale, mi Alexander & Dionyſio tuo tibi perſuade te eſſe ac perpetuo fore chariſſimum. Niceæ. 1545.

Dionyſius Vitali Abbati. S. P. D.

EX humaniſſimis literis tuis ſi me lætitia ingenti affectum dixero, ſuperfluus mihi ipſe videbor. Id enim ſatis pro vetere noſtra beneuolentia exploratum tibi eſſe arbitror. Vtinam verò mihi viciſſim liceret de ea re tibi lætitiam afferre, quam ſcire à me tantopere poſtulas. Nam quod ad Lerinam pertinet, eò res adducta eſt, vt de ea, ſicut tu appoſitè dicis, conclamatum ſit, niſi quod tenuis adhuc ſpes in eo ſit, quod impetrata iampridem à Pontifice ſummo diplomata adhuc extant, & vim quam ſemper habuerunt, retinent, vt non niſi contra fas vi extruſi eſſe videamur. Quod quidem ipſum ſentiens aduerſarius curauit ſcilicet apud ſummum Pontificem, vt iure noſtro excluderemur, ſed nihil potuit aſſequi, neque (vt ſpero) aſſequuturus eſt. Interea verò aliquid poſſet (quod vtinam faciat Deus) emergere, quo ſopita calumnia & perſpecta veritate quorundam hominum animi (vt ſunt in vtranuis partem mobiles) placarentur. Quod vtique multis atque aſſiduis precibus à Deo eſt expetendum. Præterea quod Placidum tuum meúmque mihi tam obnixè commendas, ſuperuacaneum id & pro egregia ipſius indole & ſolita mea in eum voluntate potes iudicare. Nam is eſt, de cuius virtute atque modeſtia omnes vno ore conſentiunt, ita vt qui eum non amat, non tam Placidi ipſius quàm virtutis inimicis eſſe videatur. Eſt mecum frequens, & cum adoleſcentibus neotericis non ſolum admittitur, verum etiam vt eſſe velit rogatur. Quod ſi nec ea in eò eſſent virtutum ornamenta, quæ illum cunctis reddunt amabilem, tamen pro meo in te amore ac ſtudio experiretur mea in ſe officia minimè eſſe defutura. Vale. Ex monaſterio ſancti Benedicti in agro Mantuano. 1530.

Dioniſius Hieronymo Gabioneto S. P. D.

PEriucundæ mihi fuerunt literæ tuæ, quibus ſignificabas te ex meis variè fuiſſe affectum, voluptate quidem quod ex eis certa meæ erga te voluntatis ac beneuolentiæ ſigna perſpexeris, dolore verò quod te humanitate à me ſuperatum dicas. Quorum alterum nimirum vt te amen, eò impenſius facere debeo, quod amantiſſimis tuis officiis prouocatus ſi id non facerem, non tam ingratus quàm etiam inhumanus aut impius meritò iudicarer. Cùm enim ex diuinæ legis præſcripto ipſos etiam inimicos & eos à quibus calumnias & perſequutiones patimur iubemur diligere, quid illi facere debeas, à quo tam ſingulari humanitate ac ſtudio fueris incitatus? vt interea virtutes tuas ac cætera animi ornamenta omittam, quæ cum ſint in te plurima, nolo in his commemorãdis tam tibi aſſentari, quàm patri luminum à quo omne donum perfectum de ſurſum eſt, gratias agere. Quod verò pudorem tibi à me pariter &

dolorem

dolorem obiectum in eo dicis, quod tuas partes anteuertiſſe videar, non eſt idonea, mi Hieronyme, pudoris aut doloris occaſio, quandoquidem ſummæ illius auctoritatis aut inſigne doctrinæ nomen quod tu neſcio quibus rumoribus collectum mihi tribuis, multò eſt ampulloſius, quam vt in hominem monachis clauſtris & regulis aſſuetũ poſſit incidere, tu ipſe me ad id quemadmódum antea dixi, etiã prior inuitaſti. Sed tu dum plus ſatis candidus es officioſúſque, locum tibi in conuiuio iuxta Euangelij præceptum nouiſſimum præſumis. Quod dum facis, vide (obſecro), ne iniquus in me ſis, quem indignis laudibus quaſi alienis plumis Flacci corniculam ornatum altiùs cogas aſcendere. Qui ſi fortè ſub iis fuero deprehenſus, quid ſupereſt, niſi vt de gradu pulſus immeritis laudibus erubeſcam? Sed hæc hactenus. Tibi verò Hieronyme doctiſſime ex animo gratulor, quod honeſtiſſimis tuis optatis non tam fortuna quam pietas diuina reſpondit. Nam ſi gloria patris eſt filius ſapiens, non dubito, quin tibi ſit in Domino gloriandum. Quid enim ſapienti ac bono patri magis ſolet eſſe in votis, quam vt filios qui ab honeſtis natalibus non degenerent, ſortiatur: Neque hoc idcircò dixerim, quod ſapientiæ nomen Vincentio noſtro optimę ſpei adoleſcenti aptari adhuc poſſe contendam, ſed ab ipſis adhuc teneris vnguiculis leones & aquilarum pulli vixdum ex oui cortice educti quales futuri ſint facile dignoſcuntur. Ego in Vincentij tui meíque litteris futuræ virtutis ac probitatis prælucere quædam ſigna video, quæ illum mihi ſuauiſſimo amore conciliant, ne putes ſcilicet me illum tam amare, quod tuus eſt, quam quod te tali ac tanto patre dignus eſt filius. Vale. Ex monaſt. diui Benedicti 1532.

Dionyſius Vincentio Gabion. S. D.

QVid eſt, mi Vincenti, quod ais, Túne etiam nimio in me amore lapſus eam mihi perſonam imponis, quam ſuſtinere non poſſim, qui me tam doctum & dicendi facultate peritum prædices, vt pro tuis elegantiſſimis meas litteras quaſi fœnore rem tuam aucturus expectes. Vtinam verò eiuſmodi eſſent ſcripta mea, quibus tibi ad rem litterariam aliquid emolumenti poſſet accedere. Nunc autem iſtud in me verius incidiſſe gaudeo, cui ex ſuauiſſima patris tui viri optimi atque eruditiſſimi amicitia tantus prouentus fructúſque contigerit, vt quaſi ex vna propagine dulcis tui ac peregrini noſtri erga me beneuolentia oriretur, quàm ego pluris quam principum aut regum periculoſam gratiam faciendam duco. Quid enim ſuauius? quid iucundius: quid denique vtilius mihi in hac vita poſſet cõtingere, quam eos habere amicos, quorum doctrina ac pręclaris moribus excitatus melior meipſo atque auctior in dies fiam. Quæ cum ſint veræ amicitię conſequentia commoda eiúque cõiuncta non eſt, mi Vincenti, quod me ad eam precibus inuites, quã qui non ſponte fuerit proſequutus, non tam tui quàm virtutis cuius in te ſpecimen elucere video, contemptor eſſe videbitur. Quanquam te prius nondum de facie cognitum diligebam, vtpote qui coniecturam facerem te, qui talibus eſſes natus parentibus, eorum virtutibus reſpondere. Quam opinionem meam cũ præclarè ſuſtineas te hortor ac pro mutua noſtra beneuolentia rogo, ne te ab illorum veſtigiis malorum hominum conſortia & praua conſilia auferant. Lubricum eſt enim adoleſcẽtiæ iter, per quod ingrederis, quod etiã ſapientiſſimus ipſe Salomon ſe penitus ignorare confirmat. Illorum igitur auctoritate piíſque conſiliis nitere, his greſſus tuos firmans tutus incedens, & tibi patrimonium ſub illorum diſciplina multò fortunatius auctiúſque parabis, quam

quod tibi relicturi ſunt terrenum hoc atque caducum. Quod cum ad ſolius corporis cultum pertinere videatur, non eſt quo poſſeſſorem ſui meliorem reddat. Studium verò atque doctrina cum virtute & pietate coniunctam immortalem ac cœlo dignum hominem efficiunt. Sed ego improuidus ſum, qui ligna in ſyluam, dum hæc ita ſcribo ad te, quaſi aut de tua virtute modeſtiáque diffidam, aut philoſophos domi non habeas, ſed mutuus noſter amor me coëgit. Vale. Ex ſancto Benedicto 1532.

Dionyſius Peregrino Bonatio S. P. D.

ETſi te nondum de facie cognitum habeo, Peregrine cariſſime, tamen quale ingenium haberes quantúmque me amares, facilè mihi indicauit epiſtola tua. Ex qua ſcito me non mediocrem cepiſſe voluptatem. Sed quid obſecro eſt, quod me ab ipſo ſtatim ſermonis initio tam pulchro ſcomate accipis, qui me calliditatis atque aſtutiæ ſic inſimules. Quaſi verò in hominem Gallum id nomẽ poſſit incidere, cum Strabo auctor grauiſſimus itémque alij complures Gallos ſimpliciſſimos eſſe confirment. Verùm tu multò es callidior, qui quaſi per iocum te inſinues, & in cauſam occultos tibi aditus pares, quos cum fueris aſſequutus, rhetorum artibus aſtutiíſque inſtructus locos ad perſuadendum tam argutè tractas ac commodè in rem tuam, vt parum abfuerit, quin bellus homo mihi ipſe viderer, tuis videlicet coloribus & tam præclaris doctinæ atque virtutis nominibus ornatus. Ac ne teſtimonium tuum parum validum eſſe videatur, Hieronymi noſtri hominis grauiſſimi auctoritatem adiungis. Sed cum collegio ipſe me & harum laudum in me meritum nullum agnoſco, quid quæſo niſi immeritis ornatus præconiis ingemiſcam? Hoc tamen tibi vnum affirmare auſim, me eos qui & honeſtis litterarum ſtudiis ac bonis artibus ſeſe totos addicunt, præcipuo amore complecti. Ex quorum numero cum te ex tuis litteris eſſe cognoſcam, volo, præſertim abs te tam amicè atque honorificè inuitatus, tibi perſuadeas me tui eſſe ac perpetuò fore amantiſsimum, meque in id operam eſſe daturum, ne in reponenda amoris viciſsitudine, cuius tu prior tam præclara fundamenta ieciſti abs te poſsim aliquando ſuperari. Quod autem à me petis, vt frequenter ad te litteras dem, futurum confido, vt neque hic neque alibi dum tu quoque ad me reſcribas, ſtudium meum tibi ſit defuturum. Vale. Ex monaſt. ſancti Benedicti, milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſecundo.

Dionyſius Hieronymo Gabioneto S. P. D.

PLuribus verbis tecum agerem, mi Hieronyme, quibus grauiſſimum iſtum dolorem tuum leuarem, ſi non idem tuo incommodo perturbatus magis ipſe conſolatione egerem, quam vt eam tibi poſſim adhibere. Cum enim nemo ſit noſtrum qui non grauem hunc caſum ſuum credat ac computet, quod in fratre tuo viro optimo non amicum modo chariſſimum, verumetiam tutorem ac pientiſſimum patrem ſe amiſiſſe communi dolore teſtetur, mihi tamen præter cæteros maior triſtitiæ ac luctus videtur oblata eſſe occaſio, quod me tuo (quantum ego exiſtimatione aſſequor) beneficio ſingulari humanitate ac beneuolentia proſequebatur. Quam ille cum elapſis diebus iſtic eſſet, tantam præ ſe ferre dignatus eſt, quantam ego à tali viro nec ſperare nec optare auderem. Quare tantum abeſt, vt ad te conſolandum idoneus ſim, vt conſolatione magis ipſe (ſicut antea dixi) indigeam. Quamuis ſi adeſſet mihi

mihi tranquilitas mentis cui famulatu idoneo dicendi ars facundiáque ſeruiret, non ea quæ ad hanc rem pertinent abundantiùs afferri à me poterant, quam in tuis ſenſibus manent. Cùm etenim rerum multo vſu inſtructus ſis, & diſciplinarum à tenera ætate ac bonarum artium ſtudiis aſſuetus, non ignoras homines nos ea lege eſſe natos, vt multis variiſque caſibus expoſita ſit vita noſtra. Quæ cum aliud nihil ſit quam labor continuus & militia ſuper terram, vtpote quam non ſolum aduerſa, ſed etiam quæ videntur proſpera impugnent, non video, quare amicorum deceſſu magnopere nobis dolendum eſſe videatur, eorúmque maximè quorum virtus & in Deum pietas, qualis fratris tui viri optimi ac religioſiſſimi extitit, perpetuam poſteris memoriam reliquit. Vnde & diuinus Paulus nos admonet ne de dormientibus contriſtemur, ſicut ij qui Deum neſcientes de futura reſurrectionis gloria, & cœleſti ſanctorum vita ſpem nullam habent. Quod ſi deſiderio illorum moleſtè affecti dolore ſuperamur, cauendum eſt, ne dum plus æquo mœrore conficimur, de his quos lugemus male meriti, & dum non tam illorum quam noſtra incommoda lachrymis ac fletu proſequimur, eorum commodis inuidiſſe videamur. Quis enim cum Alexandro noſtro commodè actum eſſe negauerit quem Dominus dignum iudicauerit, vt eum de hoc ſæculo nequam quaſi de tetro carcere, & longa dolorum colluuie liberaret! Nam mortalis hæc vita (vt diuus Gregorius ait) producta diutius nihil eſt aliud, quam quædam prolixitas mentis. Quod ſi aliquando illos qui moribundam hanc vitam cum morte commutarunt beatos exiſtimare licuit, quando obſecro fuit tempus, in quo id magis etiam libeat credere, quam nunc dum tot cladibus orbis detrimentiſque concuſſus atque afflictus nouis in dies criminibus oſtendat ſe interire poſſe, peccata quibus vrgetur & quæ eius excidio fomitem ſuggerunt, reprimi omninò non poſſe: vt more gygantum, vt in fabulis, homines in cœlum conſpiraſſe videantur. Quid enim, vt interim tam multa & tam deteſtanda crimina ſileam, quid tot & tam nefandæ blaſphemiæ portendunt? Quid niſi ſupremam perniciem minitantur? Quid denique expectare nobis aliud licet, quam, vt in hominũ genus demiſſo fulmine mundus intereat. Hæc eſt igitur, mi Hieronyme, luctus ac lachrymarum oblata nobis ampla materia, ad hanc Alexandro noſtro quod eum Deus ab his malis eripuerit, gratulabundus fletus tuos, gemitúſque conuerte. Atque his præcipuè diebus quos annuis ſacris venerandos inſtituit Chriſtiana religio mentis tuæ oculos ad pendentem in cruce Dominum Ieſum confer, & animo perpende, quam grauis ille humani generis morbus fuit, cui ſanando talem medelam oportuerit adhiberi. A patre noſtro Abbate ſalutem tibi plurimam dico, qui tametſi maximo dolore affectus eſt, erat tamen ad te conſolandum profecturus, ſi non ſacrorum ſolemnium cauſa domi eſſe his diebus maximè eum oportuiſſet. Saluum te Dominus Ieſus atque incolumen tueatur. Vincentio noſtro itémque Pelegrino ſalutem opto plurimam. Ex monaſterio S. Benedicti, milleſimo quingenteſimo trigeſimo tertio.

Dionyſius F. S. Senatori S. P. D.

ALlatum mihi eſt à quodam ordinis noſtri viro probo te animo eſſe contra me commoto ac perturbato, multáque aduerſum me queſtum fuiſſe cum ſuperiore anno eum de hac re Maſſiliæ conueniſſes. Qua ego re comperta pro ea quæ Chriſtianum hominem decet pietate & ea qua te ſemper

proſequutus ſum beneuolentia non potui non dolere. Cum enim totius Chriſtianæ legis argumentum Chriſtus eſſe in hoc vno voluerit,ſi diligamus nos inuicem,& totius noſtræ perfectionis ſumma in dilectione conſiſtat,valdè contriſtor,ſimulque admiror te animum induxiſſe aliquid me contra dignitatem tuam aliquando fuiſſe machinatum, vnde ſtomachi contra me indignationem retinere meritò debeas.Cuius quidem rei quia nullo modo mihi ſum conſcius, ſuperuacaneum videretur, vt in ea refutanda tempus conterem, ſi non me amor atque obſeruantia qua te proſequor hortaretur, & diuinæ legis præſcriptum etiam cogeret. Ita enim Chriſtus iubet, vt ſiquid habeat frater meus aduerſum me dum ad altare ſacrificaturus accedo,relicto ibi munere cum fratre prius in gratiam redeam, ſi velim munus meum Deo fore acceptum.Quocirca abs te peto,oro atque obſecro,vt iſta ſimultate depoſita me in gratiam tecum redire cupientem non reſpuas. Ita enim tibi contigit, mihi crede,vt dum tibi videris me tanquam inimicum odio proſequi, hominem tibi beneuolum, ac tuis etiam optatis obſequi cupientem odio habeas. Nam tuam erga me voluntatem falſis hominum maleuolorum calumniis aut ſuſpicione aliqua leui erroréque labefactatam (vt ſunt hominum iudicia errorum nebulis plerunque obnoxia)tibi facilè oſtendam.Sed antequam rem ipſam aggredior,peto iterum imo verò etiam atque etiam rogo, vt iam pacato atque æquiore me animo audias.Indignè fers ſcilicet,quod ego ab ea ſententia quam tu de N. cum Senecenſi Antiſtite pro ea in monaſterium & dignitatem reuocandam tuleras,prouocauerim ad Regem,&te iudicem recuſauerim.Nam quæ alia cauſa ſit,quamobrem contra me commoueri tantopere debeas, neſcio, cum à me nihil excogitatum ſit aliquando, in quo aut dignitatem tuam aut fortunas voluerim lædere. Cùm enim N. ipſam breue diploma falſis à ſummo Pontifice ſuggeſtionibus impetratum nondum coacto ſenatu, nec tranſactis feriis clanculum fuiſſet admiſſum, & noſtrum quod illud,vtpote ſubreptitium antiquabat,ſenatui oblatum ſupprimeretur à te dum ſententia quæ abs te paulò poſt lata eſt,optatos progreſſus atque exitus ſortiretur, in qua perſequenda ego multis iniuriis contumeliiſq; affectus ſum,reclamatũ à me eſt,ſcilicet ab ea tãquam quæ iniuſta mihi videretur, appellatũ. An ego propterea tibi aut cuiquam iniurius fui?aut mihi ſoli perſequi ius meũ non licebat: Num ego fortè deteriore quam alij conditione eram, vt iis pro vinea,pro agello,pro vili alia quauis re, mihi vni etiam in cauſa Chriſti qua de animarum ſalute agitur,appellare non licet. Cum verò te iudicem recuſaui,non ea mens mihi fuit,vt te offenderem,ſed vt me ipſe deffenderem. Depone tu gladium, & ego ſcutum abiiciam. Nam cum tu multa in me abſentem indignatus maledicta coniiceres,& propter me quia tam conſtanti animo in cauſa monialium tuæ voluntati reſiſterem,etiam in alios noſtri ordinis eſſes iratus,& indigna quędam acerbáque nobis minareris ſemper ego ita reſpondi iis qui me vt ab inſtituto diſcederem, hortabantur,tantum abeſſe me his terroribus commoueri, vt etiam pro ea cauſa quæ ad Dei cultum maximè pertinebat, mortem paratus eſſem obire. Neque propterea factum eſt, vt verbis recriminãdo tibi vicem reponerem,vel idcirco minus tibi bene optãrẽ.Imo verò maximè tunc voluiſsẽ vt alicunde honeſta orta eſſet occaſio qua meam erga te voluntatem & obſequium in tua vota paratum deprehenderes, & aliquoties mihi venit in mentem, vt id quod nobiles aliquot viri à me precibus atque officiis cõtendebant,tibi mea ſpõte offerrem præſtarẽq; ſi

tamen

tamẽ meũ erga te ſtudiũ nõ recuſauiſſes, vt videlicet inde cognoſceres quanti ego ſemper fecerim me abs te noſtri ordinis olim amiciſſimo amari. Sed expectabam illud tempus, quod videre non potui, nimirum vt pacatis rebus & in domo Dei diuino cultu reddito atque inſtaurato tranquilla in pace tandem poſt multos labores vitam traducerem. Qua quidem in re tua à noſtra valdè diſcrepauit opinio, & dum te putabas præſtare obſequium Deo, id quod vtcumque pro captu & oportunitate temporis inſtitutum erat, & iam iam ſpes aliqua reformandæ in monaſterio diſciplinæ arridere bonis ciuibus videretur, tu ſciens (tua bona venia ac pace dixerim) euertiſti. Et erat id quidem mihi valdè moleſtum, dum impedimenta inde mihi orta eſſe viderent, vnde opem atque auxilium expetieram. Sed & dolor meus eò grauior erat, quod tu veritatem ignorabas, (ita enim accipio) & eam neſcio quibus perſuaſionibus ab aduerſariis imbutus non facilè admittere videbaris. Quid ego igitur facerem? Tacerem? ſed graui ſcrupulo permouebar, neque diſſimulare moderatè id poteram, quod in animarum periculum vertebatur. Id tecum expoſtularem? Sed quis ego cucullatus homuncio, qui cum ſenatore viro potente contenderem? In hac itaque ancipiti ſententia dum verſor, accidit recuſandi tui occaſio, qua nulla mihi poterat euenire moleſtior. Hanc ergo non odio tui ſed vt antea dixi, defendendi mei atque pietatis quàm in primis Chriſto debeo cauſa omnino mihi diſſimulandam eſſe non cenſui etiam ſi inimicos ſciam mihi capiendos eſſe omnes homines. Num igitur moleſtum id tibi debuit videri, cum ſit nemo tanta inſtructus aut ſapientia aut doctrina, cuius conſilia etiam ſi ſint cum ſumma maturitate grauiſſiméque excogitata alieno iudicio interdum non egeant? Neque verò tam cõperta aut explorata quiſquam habet ſua iudicia, vt tanquam homo errare non poſſit. Denique videas cum aliqua res in conſultationem venit, varias inter doctiſſimos ac probatiſſimos viros diſſidere ſententias, nam aut amore, aut aliquo affectu animi pertubati à veritate longius aberrant, putantes ſcilicet ſe ea quæ ſunt æquitatis ſtatuere, cum tamen ab ea tam ſint alieni, vt nihil ei poſſit magis eſſe contrarium. Tua verò ſententia iuſta fuerit nec ne, & an ego ab ea perperam declinauerim, aliorum debet eſſe iudicium. Quod autem dicis per me dignitatem tuam & fortunas omnes in ſummum diſcrimen fuiſſe adductas, hoc quid ſit, non intelligo, téque etiam miror virum prudentem & ſciam præditum, addo etiam rerum experientia vſuque peritum id in animum inducere potuiſſe, vt crederes me aduerſum te ſicut ſcarabeum narrant fabulæ odiis contendere voluiſſe, & in his oſtendere quàm ſim perfidus, vt abiecto Dei timore meæque profeſſionis propoſito tibi aut dignitatis aut fortunarum periculum obiicerem. Nam quæ in me facultas eſt, qua id ſi attentatum eſſet, perficerem? Quod ſi tanta in me eſſet malignitas, vt in id animum deſtinaſſem, non eſſem tamen vſque adeo ſtolidus ac demẽs, vt in obſcuro odio tam apertas inimicitias gererem, aut in eo in quo nocere tibi nihil poſſem, ſummam vellem oſtendere voluntatem nocendi. Quocirca iſtam de me opinionem ab animo tuo amoueas oro, ſiue eam ſtomachi tui in me commoti perturbatio, ſiue maleuolorum hominum falſa delatio perſuaſit, deſináſque maledictis inſontem atque etiam te amantem inceſſere. Multa enim iam in me crimina congeſiſti, quæ cum à me nunquam fuiſſent excogitata, mirabar te talem ac tantum virum ea potuiſſe per te ſuſpicari, aut ab aduerſariis delata tam facilè credere. Me enim nequam, flagitioſum, nunc etiam hac ſcilicet ætate ſanctimonialium (ſi ſuperis placet) conſtupratorem

earumque ſubſtantiæ diſſipatorē ſeu furem dictitabas. Mirum etiam ſi non id tibi aut in mentem venit, aut ab aduerſariis meis delatum ſit, quod iam inter aliquos fuerat diuulgatum, me vtique magicis artibus abutentem nocturnos ciere manes, & cum malis dæmonibus mihi eſſe negotium, videlicet ad inueniendos theſauros ſub antiquis ruinis defoſſos, meque inſuper has artes ſanctimonialem vnam quampiam docuiſſe, quę tanquam vnam ex Apollinis mænadibus ex tripode accepta reſponſa ederet. Quæ flagitiorum portenta & alia multa eiuſmodi cùm in me ſæpius congererentur, nimirum vt me ab inſtituto depellerent, ego contra oblato mihi terrore in dies eram conſtantior optabamque illis à Deo optimo meliorem mentem dari, reique exitum talem contingere, vt & veritas & mea voluntas qualis in eos ſemper fuerit, innoteſceret. Gaudebam inſuper inde mihi occaſionē offerri vt diſcerem nō titulo tenus, ſed verè & ex animo fieri Chriſtianus, cuius vera ſummaque perfectio eſt, vt bona faciens, pro Chriſto Domino mala patiatur. Ipſe enim in Euangelio dicit dum ſuos ad paſſionum tolerantiam adhortatur. Nolite mirari, ſi odit vos mundus, quoniam me priorem vobis odio habuit. Et item ſi patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domeſticos eius. *Beati eritis, cum vos oderint homines, & perſequuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos mentientes propter me.* Hęc igitur ad te perſcribere volui, vt qualem in te ſemper animū habuerim, inde cognoſceres, & vt veritate agnita priſtinam in me & in noſtrum ordinem beneuolentiam reuocares. Hoc te Chriſtus docet, & abs te etiam vehemēter exigit, dum non ſolum amicos verùm etiam inimicos vt diligas, hortatur ac præcipit. Et tu igitur pacem petentis & beneuolentiam offerentis affectum aſpernabere? Age igitur nobilis ſenatoris humanum benignumque animum oſtende, & quicquid in te priſtinæ ſimulatis aut indignationis reſiduum eſt, id totum ne quid eius in cordis latebris remaneat, effunde. Si hoc feceris, rem profecto Chriſtiano homine, & te ſenatore nobiliſſimo dignam facies, ſin autem infenſo in me animo eſſe pergis, (quod vtique nolim) illud nunquam efficies, vt ego tibi aut odij aut iracundiæ vicem rependam, imò verò tecum officiis ſtudiiſque certabo, quæ ſi quando tempus opportunum inciderit, in quo tibi commoda eſſe poſſint, ea tibi polliceor atque etiam confirmo nunquam defutura. Vale. Ex monaſterio ſancti Benedicti.

Dionyſius Antonio Arlerio S. P. D.

LIteras à nepote meo nuper accepi datas Bellicadri, quibus ea mihi de te nuntiauit, quæ de amico fideliſſimo & homine coniunctiſſimo poterant commemorari. Quæ res maiorem mihi attulit voluptatem, quàm vt eam verbis facilè aſſequi poſſim. Nam etſi inita dudum inter nos & multis officiis confirmata beneuolentia adminiculis literarum non indiget, eſt tamen gratum mihi atque iucundum in abſentia de te aliquid audire, quo veluti refricetur ſuauiſſimi amici memoria. Quam rem quia itidem tibi cordi eſſe intelligo, ad te pauca hæc quibus de me ac rebus meis fieres certior ſcribere volui. Ego igitur (gratia Deo eſt) commodè habeo, méque hic cum fratribus mei amantiſſimis in literarum & monaſticæ diſciplinæ honeſtiſſimis ſtudiis die noctúque exerceo. Quorum modeſta cōuerſatio & optatiſſimus in mē amor tanto mihi ſuauior eſt, quanto moleſtius fuit elapſo triennio cum inſanientibus mulierculis non ſine magno meo incommodo diuerſari. Quarum impudens temeritas cum meis in dies beneficiis magis magiſque irritaretur, pudet me mei pigétque, quod tot bonas horas malè collocauerim, dum videlicet

lateres

lateres lauans operam ſimul atque oleum perdidi. Neque ſatis mirari poſſum vbi (malum) ſuam illam rhetoricam tam bellè didicerunt, nam Ciceronem ipſum artis dicendi & eloquentiæ principem non tam facilè crediderim, tam ex prompta memoria déque improuiſo ad dicendum fuiſſe paratum, quàm illæ ad maledicentiam falſaque & nunquam cogitata crimina comminiſcenda, ita erant ad malitiam probè inſtructæ. Vnde inter multa ſuauitate trãquillitatiſque cõmoda quæ ordinis noſtri ſtatus & conditio affert, hoc mihi non in poſtremis habendum puto, quod non ſit mihi quotidiè cum vxore rixandum. Quod ſi vni viro & qui huic ludo ſit longo tempore vſuque conſuetus muliercula vna ſua interdum importunitate tantum negotij faceſſit, vt miſerum ſuæ ſortis ſæpè pœniteat, dum ſcilicet illius difficiles atque aſperos mores tolerare vix poteſt, quid faciat quæſo monachus diuturnis monaſterij ſilentiis aſſuetus, dum vnus multis præficitur, quarum perſtrepentium quotidie tumultuoſis confuſiſque vocibus quereliſque tunditur? & dũ blandis ſermonibus demulcendo inſanientes mitigare contendit, irritat magis, & in ſuam perniciem quaſi calcitrones inſtituitur? Nam & ſi inter eas aliquæ extiterunt, quarum in Dei rebus explorata fides & mens ad religionis cultũ erat propenſior, contra tamen plures erant Zantipe etiam ipſa Socratica imporniores, quarũ per ſe vna quæque ſatis ſupérque idonea videbatur, quæ odioſa moroſitate ipſum etiam Socratẽ de patientiæ tam pertinacis gradu à Philoſophiæ inſtituto deiiceret. Huc, etiam nunc tam longè abſens rixantium ac tumultuantium voces mihi exaudire videor, tametſi arguti earum atque ira intenſi clamores aures mihi penè ſurdas reddiderant. Sed de iocis hactenus quos tamen ita tibi exhibitos velim putes, vt magis ſeriò nihil à me dictum credas. Vnde quamuis grauatè admodum tulerim iniuriam, quæ nobis nihil tale commerentibus facta eſt, eſt tamen quod in hac parte hominibus aduerſariis noſtris acceptum feram, qui dum per ſpeciem quaſi publicæ tuẽdæ vtilitatis pium à nobis Chriſtianiſſimi principis animum alienare contendunt, & innocentes monachos leuibus iiſdemque falſis calumniis perſequuntur, id mihi beneficium præſtiterunt, vt inde accepta occaſione me ab earum duriſsima ſeruitute ſubduxerim. Qui ſi verè nobiles eſſent, & non ſibi nobilitatis inane nomen immeritò vendicarent, eam vtique non faſtu ac titulo tenus ſed re ac virtute potiùs & in Deum pietate defenderent. Eſt enim ea vera nobilitas, quæ ex maioribus contracta natalium ſplendorem virtute ac religione tuetur. A qua quidem tam alieni eſſe videntur, vt nihil veræ ingenuitati magis ſit diſſentaneum. Quid enim à Chriſtiana pietate magis abhorret, quàm vt animo ſuo cupiditatibus æſtuanti dum quoquo modo ſatisfaciant, rem Chriſtianam euertere moliantur? Aegrè ferebant ſcilicet nobiles illi magnam cladem prouinciæ fuiſſe illatam, quod ſacerdotia quæ ad Lerinenſe monaſteriũ pertinent, non vt pleraque alia in vſus nobilium cederent, neque conſentaneum videri, vt ea debeant à monachis poſsideri, quibus è nobilitate multi alerentur. Quaſi videlicet eorum qui templa & monaſteria erexerũt ſtatuerúntque ea mens fuerit, vt non ſeruorum Dei vſibus deputentur prouentus, quos ipſi magna animi pietate atque amore Chriſto obtulerunt, ſed in venaticos canes accipitréſque (vt alia quæ his magis ſunt abhorrentia taceam) expenderentur. Sed ita nunc viuitur vt refrigeſcente in Chriſtianorum pectoribus charitate malitia iniquitaſque abundem. Vnde factum eſt vt eorum cura ac ſtudio diuinæ rei ac monaſticæ religionis cultus viginti & eò amplius ab hinc annis in ipſo cœnobio Lerinẽſi erectus & pro captu tempo-

rum inſtauratus funditus euerteretur, & earum de quibus ſupra mentio facta eſt, monialium effrænata licentia non potuerit cohiberi. Cæterùm iã tempus eſt, vt ad me redeam, & epiſtolam ne te moleſtia ac tædio afficere diutius videar, concludam. Feſtis igitur diebus pro ingenioli noſtri tenuitate & ſicut Dominus nobis gratiam ſuggerit, Diui Pauli epiſtolas interpretamur, reliquis verò diebus humanas adoleſcentioribus literas prælegimus, vt habeat iuuentus quibus ſe ſtudiis honeſtè delectet dicendi artem ſimul cum pietate coniungens. Ecce autem officio quod tibi pro mutua noſtra beneuolentia debebam, vtcunque ſatisfacerẽ, ad te ſcribere volui, expectans abs te mutuam vicem, qua me de te chariſſimoque vtriuſque noſtrum Maſſilienſi Præpoſito facias quàm diligentiſſimè certiorem, cui me etiam atque etiam commendabis. Vale, ex monaſterio ſancti Benedicti 1533.

Dioniſius Antonio Arlerio S. P. D.

NVntiauit mihi hodie frater meus te Nemauſum adueniſſe, quo ego nuntio accepto exhilaratus ſtatim has literas ad te mittere volui, nimirum vt meum erga te ſtudium agnoſceres, & ne me negligentiæ crimine accuſare iure poſſes. Ergo te ſaluum atque incolumen adueniſſe gaudeo, téque videre & coram alloqui cupio maximè. Quod futurum breui idcirco non deſpero, quod te Arelatem venturum non dubito, vbi ego te aut iſtic Nemauſi (niſi fortè Arelatem veniens hac tranſibis) inuiſam. Suſanna neptis tua valet, nec tam obnoxia eſt morbis (mea quidem ſententia) quàm collegij Præfecta aut putat, aut ne fortè ſit formidare ipſa videtur. Doleo tamẽ eius ingenium anilibus deliramentis & inepta facilitate à grauioribus vtilioribúſque ſtudiis diſtineri. Quod tibi etiã in aurem dictũ velim, videlicet ne te huius rei à me admonitum Præfecta ipſa reſciſcat. Vix enim credas, quàm id moleſtè latura ſit, ſi vel leuiter deprehendat, vtpotè quæ etiam ſi verbis puella caſtigetur, exanimari penè videatur. Sed hanc cantilenam tibi longè ante præcinui. Vale. Tharaſcone 1544.

Dionyſius Antonio Arlerio S. P. D.

VT amantiſſimæ petitioni tuę ſatisfacerem, & me data fide liberarem, has ad te literas ſcribere volui. Neque enim tam habebam quod ſcire tua intereſſe crederem, quàm vt deſiderio tuo minimè viderer defuiſſe. De noſtro igitur ſtatu ac rebus monaſterij ſi ſcire cupis, bellè apud nos (ſuperis gratia eſt) habent omnia, præter quàm quod loculi dolent, quem dolorem hi qui regis nomine pecunias imperatas exigunt attulerunt. Nam prouentuum decimam partem iam bis ſoluere coactæ virgines noſtrę breui rurſus aliam decimam ſunt ſoluturæ. Vnde grauatæ admodum alieno ęre quod ne prędia diſtrahantur, conflare oportuit, ægrè anhelitum trahunt. Sed non modo fundi noſtri, quinimo omnium eſt hæc communis calamitas, vt diſcamus ſcilicet & nos cum Paulo Apoſtolo pœnuriam ferre. Virginum ipſarum & in religionem & in literas ſtudia vigent. In his enim ſeſe pro ſuo captu ſtrenuè exercent, inter quas tua neptis quoque ſe vtcũque attollit, profectura vtique magis, ſi non ineptis (vt tuipſe non ignoras) Præfectæ blanditiis impediretur. Vix enim credas, quantum in dies magiſque ineptire videatur. Quod quidem vitium tũ mulieris ipſius ingenio quod huiuſmodi vanis ineptiis habuit ſemper propenſiſſimum, tum ætati quæ illam ſatis alioqui delirantem cogit deſipere tribuendum puto. Vale. Tharaſc. 1544.

Dionyſius

Dionyſius Antonio Arlerio S. P. D.

DEcreueram diebus præteritis literas ad te dare, quibus tibi & monaſterium hoc & cauſam eius quam obnixiſſimè commendarem. Experior enim non ſine magno meo incommodo quantæ molis curam ſuſceperim, qui inſtaurandæ religionis cauſa contra tot hoſtes decertare tam diu cogar. Neque laborioſi huius certaminis finem vllum ſperare adhuc audeo, quando toties acta agere, & à deſiderata tranquillitate (ſi quando arridere videatur) ſubitò contrariis reflantibus ventis illuc vnde enauigaueram, repulſus imminentibus vndarum fluctibus reluctari atque obniti compellor. Itaque me iandudum ſuſceptæ prouinciæ tædium cepit, feciſſemque forſitan animo ſatis, ne videlicet inuitis beneficium præſtarem, néve pro ingratis ætatem meam iam annis & laboribus grauem tandiu fatigando contererem, niſi me in primis Dei timor amorque & pius in eas affectus & miſeratio animaſſet, quas ego ſemper in rem monaſticam & Dei cultum propenſiore animo eſſe cognoui. Expectabam verò eorum qui me ad pugnam reuocauerant, congreſſum, ſed debilitatas aut oppreſſas potius ſuas vires agnoſcentes rurſus ad preces blanditiaſque conuerſi ſunt, & officiis ac dominationum titulis flectere nituntur, quem iure aut æquitate ſuperare non poſſunt. Tametſi quoſdam apud te & alios contra nos abſentes audio oblaterare, qui coram ſi ad rem ventum erit, forſitan hiſcere non audebunt. Sed non ego illorum abſentium querimonias pluris facio, quam mulierc ularum, quarum illi partes tuentur, pene inſanientium clamores ac minas. Iam enim ad nouas querelas veteribus aſſueræ obduruerunt mihi aures. Imo verò tantum abeſt, vt propter hæc ab inſtituto depellar, dum ne in vanum videar laboraſſe, quod etiam gaudeo me ſine meo merito dignum fieri, qui pro nomine & cauſa Chriſti contumelias feram. Sed de his hactenus. Nunc ad alia venio, quæ tibi fortè gratiora cum ſunt, tum mihi etiam iucundiora futura erant, ſi in his mihi diutiùs per otium liceret immorari, ſum enim meapte natura ad humaniora hęc ſtudia magis addictus, quam vt mulierc ularum moleſtiſſimis contentionibus poſſim delectari. Hoc igitur Aſclepiadeum carmen quod ego aliquot abhinc annis cùm adhuc in Italia eſſem compoſui inter chartas alias nuper inuentum mittere ad te volui ipſo videlicet tempore de quo ſcriptum eſt admonitus. Non quod dignum illud aut idoneum putem quod doctiſſimis auribus tuis debeat exhiberi, ſed ne vacuas cartas ad te mitterem, qui meis nugis qualeſcunque ſunt, ſoleas delectari. Vale. Tharaſc. 1545.

Dionyſius Antonio Arlerio S. P. D.

TAmetſi poſt diſceſſum tuum nihil accidit noui, quod ſcire tua intereſſe arbitrarer, tamen ne Scholaſticæ litteræ ſolæ ad te perferrentur, meas adiungere volui. Veritus enim ſum, ſi nihil ad te ſcripſiſſem, ne meum officiū deſiderares. Præterea quia quibuſdam non veriſimile videbatur puellam latinè ſcire, & epiſtolas quas ab ea ſuis aut precibus aut ſcriptis extorſerant, aliorum verbis ſiue ſententiis confertas, ſiue (vt quidam aiunt) confarcinatas ſuſpicabantur, hanc fidem tibi vt daret, eam coegiſti ſuo marte etiam mecum non communicatas vt litteras mitteret, volui ſi fortè tibi etiam id incredibile videatur, eius rei meo ipſius chirographo fidem facere. Quod ſi fortè meum in hac cauſa tanquam minus idoneum ſuſpectúmque teſtimonium repudiabis, tibi ſi opus erit, accerſito tabellione tabulas confici, & alios complures teſtes quos refellere nemo audeat, exhiberi iubebo. Quāquam vt citra iocum

loquar. miror aliquos tam difficulter animum inducere puellas ſcire latinè, quaſi non mulieribus æquè ac viris docile ingenium natura largita ſit, aut quaſi Scholaſticæ dictio aut ſtylus tam diſertus ſit, atque elegans, tam appoſitis etiam & tam grauibus nitatur ſententiis, vt credibile non ſit puellam quãtumuis magno labore in litterarum ſtudiis deſudantẽ eas per ſe inuenire non potuiſſe. Neque enim difficile creditu mihi videtur, Deo dicatas virgines litterato otio vacantes latinè vtcunque aut loqui aut ſcribere præſertim cum præceptore vtantur etſi non docto, attamen ſolicito atque ad legendum ſcribendúmque anxiè ſtimulante. Sed vide quò progreditur hominum quorundam inepta perſuaſio, qui cum ſint ipſi imperitiſſimi, nihil niſi quod faciunt ipſi aut ſentiunt, rectum putant, & nobis ſcilicet id vitio vertunt, quod ſtatui noſtro non decens aut vtile modo, ſed etiam maximè neceſſariũ eſt. Obſtrepunt nobis acclamantes ſat eſſe virginibus ſi tanquam picæ in cauea cantare norint, & pſalmos non intellectos legere mulierum munus colos tractare, fuſos rumbóſque non etiam libros voluere, nec plus decere eas litterarum ſtudia ſectari, quam aſinos vinum bibere. Bella admodum comparatio, ſed multo cõcinnior videretur, ſi ſuam ipſorum ſtoliditatem cum bruto illorum ſenſu comparaſſent. Sed horum ineptias ne dicam inſanias, quia ſtatuere nequeo riſúne an ſtomacho proſequendæ ſint, contemno, & Ambroſio, Hieronymoque magis aſſentior, qui ad Lætam nobilem matronam ſcribit quo pacto virgines quæ Dei ſeruituti ſunt deſtinandæ, debeant erudiri, & litteras etiam græcas ſimul cum latinis addiſcere. Vtpote quibus ſit neceſſe diuinam legem non picarum aut pſitacorum more tãtum labiis, ſed & corde meditari. Quod non facile poterunt adipiſci, niſi ſacros codices & ſanctorum patrum tractatus didicerint nocturna verſare manu & verſare diurna. Sed iam vereor ne longior meus ſermo tædio te afficiat, quem dum ad fidã de Bectoniæ ſcriptis faciendam afferre volui, mei pauliſper oblitus eò progreſſus ſum, vt non tam teſtis quam cauſidicus eſſe videar. Vale. Tharaſcon. 1540. Calend. Auguſt.

Dionyſius Antonio Arlerio S. P. D.

DOleo ex litteris meis iniectam tibi eſſe ſuſpicionem, vt me ſtylum aduerſum te exacuiſſe putaueris, quia quibuſdam non ſatis credulis vt ſatisfacerem teſtimonium de Boctoniæ litteris ferre volui. Neque enim ignorabam qualis tibi de illa ſemper & de illius ſtudiis ſententia fuerit, quam idoneam dignámque iudicauiſſes, cui neptem tibi cariſſimam ita commendares, vt niſi ea fuiſſet, quæ litteris ipſam inſtrueret, nunquam hic collocaturus videreris. Quomodo igitur putaſſem aut opinionem quam de eius eruditione conceperas tibi in dubium venire cœpiſſe? aut tuam in deterius mutatam eſſe ſententiam, vt in eam nunc damnares, quod tantis olim laudibus ſolitus es tollere. Sed neque in Toſſandum ſenatorem virum mea quidem ſentẽtia non minus iudicio acrem quam eruditione & morum probitate ornatum ſtyli aciem conuertere volui, in cùius ego amicorum numero aſcribi & gaudeo & opto. Nam quod ipſe tunc dixit Scholaſticæ phraſim virilis non muliebris ingenij ſpecimẽ præ ſe ferre, ita accepi, vt inde vel maximè laude dignam duceret, quã puella virili prędita ingenio tam viriliter vteretur, vt non tam fractam naturæ muliebris molliciem quam virilis animi ingeniíque virtutem referre videretur. Sed vis me apertè quæ habeo in animo tecum loqui: hæc igitur tibi vni atque in aurem dicta exiſtima. Scholaſticæ æmula illa quam tu ſuppreſſo nomine nutu ac ſignificatione intelligis, cum laudes quæ de illius eruditione & moribus ferebantur æquo animo ferre non poſſet, illius nomen quantum

poterat

poterat eleuare contendebat. Vnde cum ego ad aulam Lerinenſis monaſterij negotia tractaturus profectus eſſem, nactam ſe (vt opinio eſt) oportunitatem exiſtimans qua & illius nomen extingueret, & dignam quæ veluti olim cornicula ab aliis irrideretur, efficeret, cuidam ex iis quos antea non ſatis credulos dixi perſuaſiſſe ſuſpicio eſt, vt litteras ad eam latinè ſcriberet, probaturus ſcilicet id quod ipſa affirmare procaciter conſueuerat, eam nimirum litteras à me compoſitas, aut magna ex parte meis verbis ſententiiſque confertas ſolere ad alios mittere, vt eo quaſi commercio vanum atque inane doctrinæ nomen acquireret. His vero litteris ſuas etiam ipſa adiunxit, quibus ea artificio circumuenire videbatur fictis laudibus tollens, adhortánſque vt opinionem quam de ſe dudum excitauerat, ſuſtinere conaretur, & ad eum qui ad ſe ſcripſerat, omninò reſcriberet, vt laus quæ de ipſa ferebatur, nullum acciperet detrimentum. Nam eum qui ad ſe litteras dederat ſciret eſſe præter dignitatis gradum quo cæteris præeminebat, etiam doctiſſimum & emunctiſſimæ naris hominem, qui vna cum aliis qui illic erant ſolitus eſſet de litteris ſagaciſſimè iudicare, & propterea cothurnum attolleret, ne vulgatis iam & ſparſis vbique ſuis laudibus inferior ipſa videretur. Alterius verò ferè hoc argumẽtum erat, Scribebat abundè ſatis diuerſorum hominum ingenia ſibi eſſe perſpecta, aliorum (aiebat) qui non tam facilè ad incognitum quemuis ſcribere, amicitiáſque ſibi adiungere geſtirent, & horum modeſtiam ſuſpicere ſe, & ſibi imitanda proponere, aliorum verò qui ſeſe epiſtolis non ſuis, ſed aliunde confarcinatis ita enim loquitur, apud incognitos oſtentare, aut, vt ipſe ait, venditare ſolet, non poſſe ſatis & iudicium & temeritatem contemnere, & tanquam ſcopulos nauta effugere. Demum ad cauſam progrediens ne ſeſe Scholaſtica ipſa pungi ſentiat, ſe ipſe in id quod damnare videretur lapſum accuſat, ac deinde litteras ab ea poſtulans dicit ſe ſi reſcripſerit, gratiam habiturum, ſin minus experturum ſe famam quæ de ipſius eruditione vulgata eſt, aut friuolam vanamque eſſe, aut ſe ab ea contemptum fuiſſe interpretaturum. Bectonia igitur cum vtriuſque litteras accepiſſet, mirata eſt primò inſolitum mulieris obſequium, quę contrarium eius quod tum ſcribebat etiam apud Cardinalem Bellaium affirmare, quamuis parum fœliciter ſibi auſa eſſet, & de ea re impudenter contendere. Verùm cum amborum litteras diligenter perlegiſſem, deprehendit ſub falſo officio veras latere inſidias, & ad illam quidem ita reſcripſit, vt intelligere potuerit ſe deprehenſam fuiſſe, & non minus ſermone ſuo aut ſcriptis quam pedibus claudicare. Ad illum verò vt nec ſe conceptam ab ea putaret, nec ipſam tam alienis ſuo nomine miſſis epiſtolis auram vulgi captare, quam veris ac ſuis ipſius virtutibus in id dare operam vt ſpreto hominum fauore atque iudicio Deo placeat, cui ſe deuouit. Præterea Curtabotus ille noſter ſcilicet cum eius eſſet ſententiæ, vt in muliere eruditionem non ſatis approbare videretur, auſus eſt etiam Auenione, vt eſt homo temerarius atque impudens, ſimilia illis quæ ſupra ſcripſi effutire, ita vt quidam vir bonus & doctus qui eius temeritatem moleſtè ferebat, ea cauſa, cum huc veniſſet ipſam latinè loquentem audire voluerit, vt hominis poſſet impudentiam, ne dicam inſaniam refutare. Hi ſunt igitur atque alij huiuſmodi homines, in quos ſtyli aciem non in te nec in Toſſandum amicos conuertere volui. Nam cum hi nobis ſæpe aut verbis, aut factis obſtare conſueuerint, nec bonas litteras vnquam guſtarint, ſe à puellis ſuperari videntur æquo id animo ferre non poſſe. Vale. Tharaſcone, anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo.

Dionyſius Franciſco à Valentia à libellis Reginæ S. P. D.

LItteræ tuæ magnam tuam in me humanitatem ac beneuolentiam præ ſe ferentes non mediocri me lætitia affecerunt. His ego iamdudum reſpondiſſem, niſi me iſtuc peractis feſtis diebus ſtatim venturum ſperaſſem. Nunc autem quia perfectionem meam aliquantiſper differri oportuit, ſubueritus ſum ne te diutina expectatione moleſtè afficerem. Vnde has ad te dum venio ſcribendas cenſui. Rogo igitur te vt ne moleſtè accipias dilationem meam, quam ego moleſtius fero, quam tu ipſe, quippe qui anxius ſim de pecunia, quam tibi debeo, præſertim cum ſcribas te illa nunc maximè indigere. Ego verò auctore Deo ad te illam breui aut portabo, aut per œconomum noſtrum qui Venetias propediem eſt nauigaturus tranſmittam. Nihil enim magis vereor, quam ingratus tibi aut patruo tuo videri. Interea verò ſi ob aduerſam de quo ad me ſcripſiſti valetudinem tanta es penuria oppreſſus, vt importuna & incommoda tibi videatur expectatio. Pete Placidum noſtrum, qui in cœnobio ſanctæ Iuſtinæ degit, & chirographum noſtrum illi oſtende, vt ab œconomo monaſterij ſaltem ipſius pecuniæ partem accipias, quam illi paucis abhinc diebus reddendam curabimus. Ad illum enim ſcripſi de hac re, qui etiam ſi quid eſt, in quo opera illius egeas, non vereor, quin eam ac ſtudium ſuum in te ſit libentiſſimè collocaturus. De Dionyſio autem tuo ita tibi perſuadeas velim, vt alterum te in eo quo non ſecus ac teipſo vti valeas te & habere, & perpetuò habiturum putes. Vale, ex ſancto Benedicto, milleſimo quingenteſimo trigeſimo quinto.

Dionyſius Franciſco Valentiano à libellis Reginæ S. D.

ACcepi abs te binas litteras eodem ferè tempore ad me perlatas, quas tu ipſe mihi iucundiſſimas extitiſſe ſatis pro mutuo inter nos amore ac beneuolentia potes æſtimare. Cum priores mihi redditæ ſunt, aderant vnà mecum viri duo noſtrates, quorum præſentia effecit, vt ad conſuetam lætitiam quam ex humaniſſimis litteris tuis capere ſoleo, non parum etiam voluptatis accederet. Nempe quod appoſitè tunc mutuæ noſtræ neceſſitudinis & eius quem de te cum ipſis habueram ſermonis teſtes affuerint. De patruo tuo ab eis diligenter percunctatus ſum, qui omnia mihi de illo proſpera nunciarunt, tametſi iam menſes aliquot à patria longè abfuerant, ad quam etiam ſe remigrare aiebant. Quod autem de ceſſatione litterarum mearum conqueri viſus es, non eſt mi Franciſce quod in me hanc culpam reiicere meritò debeas. Nam præter quam quod amicitiam noſtram firmiorem multò exiſtimo quam vt litteris quibus quaſi retineatur, indigeat, tot me etiam ex demandato mihi munere impediunt curæ, vt ſi ſcabie laborarē, vix mihi ad ſcalpendum tempus ſuppeteret. Huc adde quod tabellariorum maxima nobis pœnuria eſt, qua maximè euenit, vt rarius quam velles à me litteras accipias. Quod autem me Lerinenſem monachum ſecundis tuis litteris appellas, facis tu quidem ex tui ac mei animi voto, quod vtinam abs te fœliciter ſit ominatum. Vix enim credas, quàm ea res mihi ſemper in optatis fuerit, vt ſacra illa Inſula diſciplinis olim ac ſtudiis cœleſtibus dedicata ab iniuria priſtini ſqualloris vendicetur, atque in antiquum decus reformari poſſit, vt & Tharaſconenſis monaſterij opus in Dei obſequium magnis meis laboribus moleſtiiſque ſuſceptū tandem optatos exitus ſortiatur, quod quidem futurum aliquādo confidimus. Nam Patiſiorum antiſtes veritate (vt ego exiſtimo) cognita, perſuaſus inſuper bonorum conſiliis vni ex ſuis mandata dedit vt cum patribus noſtris

de

de hac re loqueretur, duaſque conditiones proponeret, quarum neutra ſi per ſe offerretur, recuſanda eſſet, potius quàm ab re tota excidamus aut lites ſectemur. Res autem ipſa idcircò nondum abſoluta eſt, quod is qui mandata hæc retulit, ſe non habere poteſtatem ad negotium conficiendum dicebat, quod quidem patres noſtri crediderant, ſed tantummodo vt eos alloqueretur ſibi ab ipſo Epiſcopo fuiſſe iniũctum. Futurũ autem vt audita Anſtititum noſtri ordinis voluntate atque conſenſu, Pontifex ipſe ſibi ad omnia concludenda poteſtatem faceret, & tabellas quæ ipſius rei fidem facerent eſſet miſſurus. Cæterùm ego aduentum tuum expecto, téque oro vt cùm primum tibi commodum fuerit, venias. Deſideratus enim accipieris, & ſi non ea lautitia elegantiáque quam tua erga nos merita poſtulare vidẽtur, tanto tamen amore atque affectu, quantum ad veram animorum neceſſitudinem atteſtandam poteſt ſufficere. Præterea cum literis quas nuper ad te miſeram, alligatus erat aliarum faſciculus quas ad Arbaudum noſtrum mittebam, vt per eum Aquas Sextias mitterentur. Cupio igitur de his aut per te aut per ipſum fieri certior redditæ illi fuerint necne, quem cum ſuis tuiſque ſodalibus à me ſaluere iubeas oro. Vale. Ex Monaſterio ſancti Benedicti milleſimo quingenteſimo trigeſimo quinto.

Dionyſius Franciſco Valentiano S. P. D.

MAgno me tibi beneficio diuinxiſti, tametſi multò antehac pro ingenti tua in me humanitate ac beneuolentia tibi eram deuinctiſſimus. Sed ea eſt tua & patrui tui in me benignitas atque amor, vt cum tãta & tam multa ſint à vobis in me profecta beneficia, parui tamen à vobis æſtimentur, niſi noua illis in dies fiat acceſſio. Accepi enim codices illos de quibus ad te perſcripſeram pulchrè & ex animi mei ſententia concinnatos imò verò multo elegantiores, quàm vt abiectum homunculum deceant, aut quàm eos abs te vel alio quouis expectare auderem. Sed tuus erga me amor omnibus partibus ſe oſtẽdit. Eos igitur cum ego à patruo tuo accepiſſem, pretiumque vellem perſoluere, non conſenſit vt ſibi pecuniam numerarem, ſed (vt eſt erga me benigniſſimus) eos mihi liberaliſſimè donauit. Vnde quia gratiam nec illi nec tibi me poſſe rependere video, meas partes eſſe exiſtimaui tibi per literas gratias agere. Vtinam verò tempus aliquando incidat, quo tibi animũ meum coram poſſim manifeſtius aperire. Nam etſi non poſſum non gaudere, quod abſentis tui laus claro ad nos ſermone perlata ſit, & noſtræ de te opinioni ſolicitudo tua induſtriaque reſpondeat, tamen te tam diu à nobis abeſſe doleo, quod iucundiſſimæ tuæ cõſuetudinis ſuauitate mihi non licet frui. Puto enim quod præter ſuauiſſimorum congreſſuum honeſtiſsimam voluptatem non mediocris nobis ex conſilio tuo fructus accederet. Fuit namque mihi hęc reformationis ſuſcepta prouincia laboris maximi ac moleſtiæ plena, quam ego ne fruſtrà ſubierim, néve ſudoris ac diligentiæ meæ reliquias effundã, valdè laboro. Nam cum iam in hoc virginum collegio res vtcunque diuina pro captu temporum inſtituta eſſet, & diſciplina longa dudum deſidia & veterno collapſa inſtaurari atque erigi cœpiſſet, cumque iam in altũ opus excreſceret, rurſus ab inſtituto retracti ad ſolitum certamen redire cõpellimur. Sunt enim quidam qui contra nos ab earum partibus pugnant, quæ veterem nondum hominem exutæ introductam nouæ vitæ diſciplinam æquo animo ferre non poſſunt, opuſque ad Dei laudem inchoatum ſua importunitate obturbare cõſueuerunt. Sed eorum earumque iam debilitatas vires (vt ſpero) aſpirante Do-

mino facilè ſopiemus opprimemúſque. Præterea quod de tuis ad me literis ſcribis,ſcito mi Franciſce nullas mihi abs te ex quo tempore Patauij eras redditas fuiſſe,videóque ac doleo idem tuis quod meis literis eueniſſe. Vnde tabellariorũ incuriam ne dicã perfidiam tuli & fero moleſtiſſimè, qua factum ſit vt voluptate quam legendis tuis literis percepturus eram, caruerim, quæ tibi fortè non longè minor pro mutua inter nos charitate ſi tibi meæ redditæ fuiſſent,futura erat.Vale.Tharaſc.Quinto.Idus Aprilis 1537.

Dionyſius Franciſco Valentiano S. P. D.

LItteras tuas frater tuus mihi reddidit puer quantum ego coniicio, indolis bonæ & acris ingenij. Quod autem me rogas, vt illius curam ſuſcipiam, videris (quod tua pace dixerim) in amicitiam noſtram ſermonem ſuperuacaneum induxiſſe.Tantum enim abeſt,vt rogari abs te velim cũ meam operam tibi vtilem aut neceſſariam putas,vt dum tibi obſequi in aliquo poſſim, magnam rebus meis acceſſionem factam exiſtimen. Dabo igitur operam,ne Dionyſij tui ſtudium(qualecunque illud erit)fruſtra expetiiſſe videaris.Patrem tuum & matrem à me plurimùm ſaluere iubeas,méque illis obnixè commendes rogo.Vale.Tharaſc.v.Cal.Octobris 1538.

Dionyſius Franciſco Valentiano S. P. D.

MIttimus ad te litteras ad amicos, quas tu quoque amicus pro tua in nos fide & mutua inter nos beneuolentia cures diligenter. Rogo autem te & vehementer obſecro, vt cum tu ad aulam perueneris obſerues diligenter Curtabotum quid agat. Nam eum accepimus neſcio quid aduerſum Cardinalis Bellaij Vicarium moliri, & ſuſpicor aduerſarios aduerſariaſque noſtras quas ille in collegium curauit introducendas aliqua contra ea quæ ad Dei laudẽ iam iam benè inſtituto progredi proſperè cœperũt,ordiri. Vſque adeo in Dei rebus dæmon malus bonis Zelatoribus aduerſatur.Solitus ille erat elapſo anno me aut ſuis aut alienis mendaciis acriter inſectari hominem inſontem, & à quo nunquam læſus fuit caninam illam ſuam exercens facundiam. Homo eſt vt impudentiſſimus & maximè temerarius, ita à quo ſummopere eſt cauendum. Vtpotè qui ad bonorum perniciem & turbas moleſtiáſque concitandas videtur eſſe natus. Multa ille negotia nobis faceſſit, ex eo etiam tempore quo inſolentes illas quas ipſe tuebatur introducendas curauit. Diabolus autem aut per ſeipſum aut per eos qui Dei cultum impedire moliuntur nouas in dies tricas quibus nos inuoluat,non ceſſat innectere. Oro te igitur vt hominis vbi opportunum fuerit impudentẽ temeritatem refellas. Ego tametſi eius ineptias nè dicam inſanias paruipendo, qui Deum opt.Max.pro cuius cauſa laboro & pugno me innocentem defenſurum confidam, tamen curandum putaui,vt te harum rerum commonefacerem, vt ſi quid aduerſum nos ille impudens effutierit,partes noſtras tua autoritate tuearis. Frater tuus mihi obſequentiſſimus eſt, & literarum ſtudio nauiter indulget. Patri tuo ac matri meo nomine ſalutem dicito. Vale.Tharaſc.1538.

Dionyſius Franciſco Valentiano S. P. D.

PAucis diebus ante quàm literæ tuæ mihi redderentur, venerat ad me frater tuus,qui cum me parentum tuorum nomine ſalutaſſet, nuntium de te mihi attulit, quo mirificè ſum gauiſus. Quod etiam gaudium meum literæ tuæ iamdudum à me expectatæ refricuerunt. Tibi igitur mi Franciſce gratulor, & mihi pro mutuo inter nos amore gaudeo,dum te nactũ conditionem intelligo,quæ cum ſit ea quam expectabas multo melior,& gradus tanto ſublimior

blimior,quanto ij in quos incidiſti digniores ſunt,niſi tua mihi prudentia & animi celſitudo perſpecta foret, te vt perſonam tibi à tantis principibus impoſitam ſuſtineres,hortarer. Vnam rem tibi metuendam,quam & tu ipſe non ignoras,cenſeo, inuidiam nimirum peculiare aulicorum malum. Sed ea pernicies tibi qui in aula es, notior eſt, quàm vt eam nunc demum noſſe incipias,prudentior etiam ipſe es,quam vt me admonitore indigere videaris. Literas à ſanctimonialibus cum tuis miſſas dedi Scholaſticæ, ex quibus quia erant elegantiſſimæ & dilectionis illarum erga eam teſtes certiſſimæ, non mediocrem lætitiam percepiſſe viſa eſt. His igitur cum plus otij nacta erit,eſt reſponſura. Ea tibi ſalutem dicit,& quod ipſam in illarum amicitiam inſinuaſti tibi gratias ingentes agit. Vale. Tharaſc. 1539.

Dionyſius Emerico Valentiano S. P. D.

REdditæ mihi fuerunt literæ tuæ officij erga me tui ac ſuauitatis pleniſſimæ, quæ vna cum ſeminibus quæ ad me miſiſti tantum me tibi obtrinxerũt,vt vix vllo modo ad rependendam vicem ſufficere videar. Quod cum ita ſit,in id mihi elaborandum eſt,ne voluntatem mihi defuiſſe, aut aliquando defuturam cognoſcas. Quare,mi Emerice,ſcito te à me cum ob tua in me merita, tum præclaras animi tui dotes vehementer amari. Quod autem ad ſemina ipſa pertinet pergratum mihi feceris, ſi tempus quo ſeri debeant, ad me perſcripſeris. Neque enim ea temerè commendanda terræ cenſeo, ne ſcilicet operam ſimul cũ his amiſiſſe videamur. Cæterùm te oro, vt meo nomine patrem tuum & matrem iubeas ſaluere, méque illis ac tuis omnibus tam addictum confirmes, vt nihil tam graue ac moleſtum ſit, quod pro illis non ſit libentiſſimè ſubiturus. Baptiſtam fratrem tuum ex me hortaberis, ne illum inſtituti pœniteat,ſed progreſſus quos in literarũ ſtudiis habere cœpit,ita augere ſtudeat,vt domeſticis exemplis prouocatus maior ſeipſo in dies euadere contendat. Vale. Tharaſc. 1538.

Dionyſius Baptiſtæ Valentiano optimæ indolis puero S. P. D.

OFficium meum tibi fuiſſe gratum gaudeo. Vtinam verò ea facultas in me eſſet, qua tibi(vt optas)gratificari poſſet. Scribis enim cupere te vt literis meis frequentius te ad honeſta literarum ſtudia & bonas artes excites. Quam rem facio & ſum facturus tanto libentius quanto me id non fruſtra facturum certius confido. Sicut enim agricolam pœnitere laboris ſui non ſolet, vbi colligendarum frugum ſpe atque expectatione animatus ſeſe die noctúque fatigando exercet, dum tempus meſſis auidus præſtolatur, ita & ipſe dum me in terram bonam laborem collocaturum video quicquid laboris pro te in hac parte(ſi tamen is labor æſtimandus eſt)impẽdero,ſcito tam mihi eſſe iucundum, quàm quod ſolet eſſe iucundiſſimum. Ergo, mi Baptiſta, totus in id incumbe, vt nõ fruſtra inſtitutum iſtud tam honeſtum atque vtile arripuiſſe videaris. Veniet (mihi crede) tempus, quo laboris tui atque ſudoris optatos fructus colligas, quorum ſpe incitatus fac vt nulla te ab incepto difficultas abducat. Capax ac docile tibi ingenium natura largita eſt, habes parentes, qui tibi omnia quæ ſunt ſtudiis tuis opportuna, ſuppeditant, habes præterea domeſtica exempla, quæ acres tibi ſtimulos admouent, quibus impulſus potius quã incitatus nõ potes facilè ab arrepto propoſito ſine ſummo dedecore abduci. Neque enim quicquã ſi à cœptis(quod nolim)deſiſtas,tantũ tibi quantum tuipſe defuiſſe videbitur. Sed aliam de tua indole opinionem concepimus, quã te & poſſe & velle non dubito ſuſtinere. Vale. Tharaſ. 1538.

Dionyſius Emerico Valentiano S. P. D.

STudium erga me tuum multis & officiis & beneficiis ſeſe oſtendit, quod cum mihi ſit iamdudum magis perſpectum, quàm vt dubitare de illo poſſim, conaris attamen ipſe ita efficere, vt me tibi in dies magis magiſque obnoxium reddas. Recepi enim libros, de quibus mecum hic coram egeras, quos ſeruabo diligenter, & diligentius fortaſſe quàm ab aliquibus fuere ſeruati. Nam is in quo ſunt virorum mulierumque depictæ imagines, tam malè habitus eſt, vt multis locis facies imaginum fuerint obliteratæ. Quod ego aut ab infantulis dum eas fortè ore hiulco & muccoſo oſcularētur, aut de induſtria ab aliquo puto in odium videlicet rei de qua liber ipſe ſcriptus fuiſſe videtur. Nam de amore laſciuo vt mihi cum verſus aliquot legere cœpiſſem, viſus eſt, tractat. Ago igitur tibi gratias, & peto abs te, vt ſi ſtudium meum atque operam in aliquo tibi opportunam putaueris, ea tuo iure vtaris. Vale. Tharaſcone 1539.

Dioniſius R. Patri Petro Oliuario Theologo S. P. D.

ACcepi cum grauiſſimè ægrotarem binas literas tuas & eas ſimul quas è Salicto mihi curandas acceperas. Quæ cum me antiquæ noſtræ amicitiæ admonerent, opportunę mihi redditæ tunc ſunt, cum tuo & aliorum amicorum ſolamine indigerem. Ago igitur tibi gratias immortales, téque oro, vt ſi fortè tibi illuc iter aut alteri cui toto literas committere poſſim arripiendum ſit, ante quàm te iturum pares, me facias certiorem. Si quid eſt interea, quod tibi à me gratum præſtari poſſit, tuum eſt præcipere, meum autem tuis optatis quàm libentiſſimè obſequi. Vale. Tharaſc. 1539.

Dionyſius Petro Oliuario Theologo. S. P. D.

IAm dudum ex quo tempore literas tuas ſimul cum libro tuo de inuentione dialectices ad me miſiſti, ad te literas dederam, quibus tibi gratias agēs quàm gratū mihi munus tuum ac iucundū eſſet ſignificabam. Agnoui enim his veterem tuam iampridem confirmatam amicitiam & beneuolentiam erga me ſingularem. Verùm literas meas tibi non fuiſſe redditas inde ſuſpicor, quod eas Lutetiam miſeram, vbi te eſſe arbitrabar. Cùm autem apud aulam eſſe audiſſem, & nuntij huius optata mihi ſeſe opportunitas obtuliſſet, nolui eum meis literis vacuum ad te proficiſci, ne ſcilicet ſi meas priores non accepiſti, me tuas non habuiſſe, aut tui & tuorum me officiorum parum memorem ſuſpicarere. Scitò igitur tua ſcripta mihi ac virginibus noſtris fuiſſe gratiſſima, ſunt enim tum docta, tum terſa, & quæ officina vnde prodierunt, id eſt, ingenium tuum & iudicium emunctum facilè referunt. Vulteium ſalutabas, ſed ſalutationem tuam & alia quæ mandabas referre illi non potui, cum iam diem ſuum obiſſet morte crudeliſſima indignè affectus. Sed iam dudum rem omnem te aliunde accepiſſe exiſtimo. Magna in eo iactura facta eſt. ſiue mores ipſius, ſiue eruditionem ſpectes. Res collegij noſtri tandem auctore Deo pacatæ ſunt, & abſentibus iis quæ potiſſimum lites & diſcordias ſolebant intendere, in pace viuitur. Litteris iuniores & virtutibus ſub Scholaſticæ diſciplina in ſchola Chriſti operam nauant, & te Scholaſticáque in primis ſaluere pturimum optant. Vale. Tharaſc. octauo Idus Sept. 1537.

Dionyſius Paniſſæ Senatori S. P. D.

CVm ſuperioribus menſibus ad nos veniſſes, petieras à me vt eglogam quam ego de laudibus Lerinæ conſcripſeram, ad te mitterem. Quod quia me facturum promiſeram, nolui petitioni tuæ ac meæ promiſſioni] defuiſſe

de fuiſſe. Tantum in hac re id mihi dolet, quod ſcripta mea non ſint eiuſmodi, quæ abs te ac tui ſimilibus debeant deſiderari. Attamen vtcunque ſunt, tu pro tua in me humanitate & animi candore boni, æquiq́ue cõſules. Ego enim vt tibi obſequerer, elegi potiùs ineptus tibi atque indoctus videri, quam datam fidem frangere. Præterea eſt quod te admonitum maximè velim, quandoquidem in ea fœmineum genus inſectari videor, id in eam partem accipias oro, vt de proteruis ſi quæ fortè adhuc illic ſunt aut olim fuerunt, me dixiſſe exiſtimes. Nam bonas velle me perſtringere tantum abeſt, vt eas etiam caſtiſſimo amore atque non mediocri honore proſequar, idque eò magis, quam in ſexu fragili virile ingenium & cõſtantem in Dei rebus animum præ ſe ferunt. Vale. Lerinæ, milleſimo quingenteſimo quinquageſimo.

Dionyſius à Bello monte Canonico S. P. D.

GAudebam ſuperiore anno quod mihi datum iri aliquando opportunitatem confidebam, qua vnà tecum ſpiritalibus colloquiis animum ſubleuarem. Nempe quod audieramus ciues iſtos locum conſtruendo monaſterio nobis deſtinaſſe, ſed id hominibus quibuſdam veſtri ordinis minimè placuit. Neque ſatis coniicere poſſum quæ cauſa ſit, quare ad rem tam piam. Deiq́ue laudem honorémque inſtituendam animum non adiiciant, cum inde illis nulla oriri iniuria aut incommoditas poſſit, ſi bonorum ciuium liberalitate aliqua nobis ad victum tenuem neceſſaria ſuppeditabuntur. Neque enim Eccleſiæ veſtræ prouentus inde diminui ob acceſſionem quæ nobis fiet, neque item ordinibus aliis qui ſub mendicitate ſunt inſtituti aliquid detrimenti damni ve obuenturum puto, quandoquidem ea non eſt ſtatus noſtri conſtitutio aut conſuetudo, vt medicando ab aliorum faucibus bolum rapere velimus. Sed ea eſt antiqui hoſtis maliria, vt bonarum rerum principiis ſeſe opponat, & iam inchoatas promotáſque conetur euertere. Hoc ipſum quotidie Chriſtiana religio non ſine ingenti bonarum mentium dolore experitur, & quod eſt deplorandæ calamitatis, cum tot & tanta vndique in hoc ſæculum infœlix mala confluant, quale his remedium ſperare poſſimus, ignoramus. Quanta proximis annis expectatio fuit, quanta religioſis ac piis mentibus gratulatio, cum deſideratæ pacis tranquilitatíſque ſpes eis arridere videbatur aduenisſe iam tempus, quo celebrata publica patrum ſynodo Chriſtianæ reipublicæ & Eccleſiaſticæ religionis antiquum decus inſtauraretur? Sed reuolutis in contrarium rebus quid nobis miſeris ſupereſt, niſi vt breue gaudium longo dolore mutatum defleamus. Verum de his hactenus. Ego ex quo tempore mihi es cognitus, tui memoriam cum beneuolentia & charitate retineo cuius abs te viciſſitudinem etiam atque etiam peto, nimirum vt apud Deum mei memoriam tibi nunquam excidere patiaris. Vale. Lerinæ ſeptimo Idus Februarij 1552.

Dionyſius Antonio Viuario Rectori Academiæ Auenionenſis S. P. D.

LItteras tuas, ſuauitatis plenas & mutuæ inter nos charitatis teſtes legi perlibenter. Tantum id in his mihi dolet, quod ea mihi tribuis, quæ cum in me non agnoſcam, quod mihi aliud reſtat, niſi vt immeritis laudibus ornatus, aut (vt verius dicam) oneratus erubeſcam: Tamen vt vt erunt meæ litteræ, meum in ſcribendo officium quandiu illud non aſpernabere, tibi polliceor nunquam defuturum. Neque ex tuis minorem me quam tu ex meis literis te quæſtum facturum exiſtimo. Quod ad Theophilam puellam attinet, ego illam ſtatim lectis tuis litteris euocaui, cui cum illam epiſtolæ tuæ partem quæ de ipſa mentionem faciebat interpretatus eſſem, eámque multis

ſermonibus eſſem cohortatus,in lachrymas facilè(vt muliebre ingenium eſt) reſoluta promiſit ſe in poſterum ita facturam, vt præteriti temporis negligentiam futura diligentia compenſet, téque orat, vt matrem ſuam de re hac facias certiorem, nihil ſe promittere, quod auxiliante Deo non ſtudeat præſtare. Cæterùm, quod partium mearum eſt, ego illi quandiu fideliſſimis meis amantiſſimiſque conſiliis adhærebit, operam meam omnem atque ſtudium nunquam defuturum promitto. Atque vtinam ea tam ſit capax támque patientes mihi aures accommodet, quantum ego ex animo ſum paratus infundere,ſiue quia ex iniuncto mihi officio ad id obnoxius ſum,ſiue quia ipſi præſtantiſſimæ matronæ ob eximias eius virtutes non minus quam ipſi puellæ bene cupio. Eam verò ſaluta mea vice, quantúmque potes me illi ex animo commenda.Vale.Tharaſcone,tertio Calendas Auguſt.1546.

Dionyſius Antonio Gilberto S. P. D.

DE tua in me fide ac beneuolentia dubitare omninò non audeo, quippe quam & ſignis argumentiſque euidentiſſimis oſtendiſti, conſuetudine præterea & officiis in me tuis confirmaſti. Miror autem quomodo euenire potuerit, vt poſt meam à vobis profectionem nec minimam quidem abs te ſalutationem acceperim,ne dum pluribus verbis longioribus meis Epiſtolis reſponderes,præſertim à me toties prouocatus, quem tu etiam abeuntem ad id officium tam humaniter tamque anxiè hortabaris. Vnde adduci non poſſum,vt nullas putem datas,ſed quod mihi redditæ non fuerint,tabellariorum incuria eueniſſe mihi perſuadeo potiùs,quam vt propter locorum ac temporum interualla noſtræ neceſſitudinis amicitiæque obliuionem tibi obrepſiſſe credam.Scripſi autem ad te iam,niſi mea me ſententia fallit,octies,aut ad minimum ſepties.Ex quibus quidem Epiſtolis aliquas te accepiſſe inde coniicio quia à fratre meo & ſorore litteras quæ meis reſpondebant, accepi, ad quos nunquam vnam epiſtolam miſi, quin ad te eſſet altera. Quamobrem te oro obſecróque,ne me in hoc deſiderio tam diu eſſe patiaris. Cupio enim ex te noſce quam tecum proſperè agitur, præterea quo in ſtatu monialium res ſint conſtitutæ:& ſi ea tibi adhuc prouincia demandata ſit, audiui ego aliqua quæ ſi vera eſſent,fortè non ab ſpe bona omninò deciderem, expectari videlicet in dies ſanctimoniales ſacris regulæ inſtitutis ac moribus aſſuetas, quæ illic diuinum cultum & monaſticos ritus iam dudum longa deſidia prauáque licentia collapſos erigant atque inſtaurent.Quod vtinam aliquando contingat, quæ autem abs te de hac re cognouero, vera eſſe non abigam. Sed vereor ne in fumum verba hæc euaneſcant, priuſquam in rem exeant. Si de me ac meis rebus ſcire cupis,ego hic cum iuuentute, quæ vtique numeroſa eſt,me in ſtudiis litterarum cum humanarum tum diuinarum exerceo.Prælegimus enim quotidie ex Cicerone aliquid. Atque item ex Ioannis Caſſiani opuſculis, vt habeant iuniores vnde diſcant cum monaſtica pietate etiam latinæ linguæ nitorem coniungere. Feſtis verò diebus diui Pauli epiſtolas pro ingenioli noſtri captu & vt Dominus donare dignatur, iuxta ſanctorum patrum ſententias interpretamur. Vellem autem huic tam ſanctæ ſocietati nepotem tuum,ſi illi ſua ſtat ſententia,intereſſe.Piget verò me & pudet ineptiarum mearum,dum ad memoriam reuoco tempus illud, quo cum inſanientibus mulierculis pene deſipui,qui poſſem cũ mei amantiſſimis fratribus me in tam honeſtis exercitiis delectare.Sed ex ea peregrinatione hunc fructũ maximè tuli,quod tuę paternitatis notitiã habui,& cum ea nunquam interituram amicitiam contraxi.Eſt etiam quod tu & ego pariter in domino gaudeamus,

quia

quia nimirum voluntatẽ & animum bonum in obſequium Chriſti præſtitimus, & bonæ illæ moniales quibus mens in Dei rebus & voluntas erat propenſior, Deo in primis auctore & noſtris conſiliis in bono ſunt propoſito confirmatæ. Det illis Deus meliorem ac ſaniorem mentem, quorum opera & ſtudio effectum eſt, vt & iam ſtabilita monaſterij Lerinenſis res euerteretur, & Tharaſconenſis cœnobij lapſa non potuerit erigi. Sed de his hactenus, quorum cum me maximè miſereat, piget etiam reminiſci. Vale. Ex monaſterio ſancti Benedicti, anno 1535.

Dionyſius Antonio Gilberto S. P. D.

TRitum ac iamdudum vulgatum eſt ſermone prouerbium: amicorum omnia eſſe communia. Vnde rem noſtræ iampridem conciliatæ ac confirmatæ amicitiæ conſentaneum me facturum putaui, ſi te de rebus noſtris facerem certiorem. Scito igitur nobis omnia quæ abhinc biennium ſiue temporum iniquitate, ſiue quorundam hominum, vt nunc ſunt perditi mores, falſis calumniis fuerant adempta, nunc demum fuiſſe reſtituta, rémque Lerinenſem eo ſitam eſſe loco, vt aſpirante nobis Deo bene de illa ſperare liceat, tuæ igitur paternitatis erit, vt qui nobiſcum (quæ tua eſt & in Deum pietas, & in nos beneuolentia) noſtra gaudia tua reputare ſoleas, Deum comprecari, vt rem dudum ad honorem ſui nominis inſtitutam bene vertat, ne videlicet loca cœleſtibus diſciplinis conſecrata girouagorum aut Sarabaitarum fiant receptacula & malorum dæmonum officinæ. Iam ferè tædet me vitæ huius conſiderantem monaſtici ordinis antiquum decus ſacrarúmque virginum quaſi cœleſtes atque Angelicos choros in tantam licentiam prorupiſſe, vt vix vlla antiquæ religionis extare veſtigia apud aliquos videantur, & quorum meritis olim ſtare mundus putabatur, nunc luxu & ignauia cæteriſque flagitiorum portentis interitum ruinámque minitari, imò verò iam iam funditus ruere videatur. Sed hæc hactenus. Paternitas tua rem mihi admodum gratam faciet, ſi de rerum tuarum ſtatu me certum reddet. Præterea te ornatum velim, vt meo nomine venerandum priorem cœleſtinorum ſaluere iubeas, ſimul & dilectiſſimum mihi in Chriſto fratrem Claudium nepotem tuum, eoſque à me rogabis, vt ſuis apud Deum precibus me & rem Lerinenſem adiuuent. Vale. Lerinæ quinto Nouembris milleſimo quingenteſimo trigeſimo quinto.

Dionyſius Iacobo Balneo S. P. D.

ACcepi litteras tuas ſimul & epigrammata quæ ad me miſiſti, ex quibus quantum voluptatis perceperim, facilius per te æſtimare potes, quam ego litteris aut ſermone aſſequi. Cum autem eiuſmodi ſunt, quæ grata per ſe aut iucunda litterarum amatoribus eſſe debeant, tum fiunt mihi donantis gratia & amore multò gratiora. Amo enim te, & elucentis in te virtutis ſpecimen non mediocri affectu proſequor, méque viciſſim abs te amari ex animo gaudeo. Quare ne expectes à me dum tibi pluribus verbis gratias agam. Id enim ab amicitia noſtra quam tametſi non ita dudum incepta eſt, ad ſummum tamen beneuolentiæ gradum perueniſſe puto, alienum eſſe debet. Quod verò tuam in ſcribendo tarditatem excuſas, admittto lubens expurgationem tuam, ob id vel maximè quod litterarum tuarum iacturam tibi aduentus præſentia & viuæ vocis officio compenſare ſtatueris. Quod & ipſe iamdudum (vt tibi promiſeram) animo deſtinaui. Nam præter negotia quæ iſtic mihi expedienda ſunt, cupio etiam te inuiſere. Tua emblemata expecto dum abſoluas, & videre vehementer opto. Mea verò non quod ea digna iudicem quæ

abs te aut tui ſimilibus legi debeant, ſed quia tibi amico negare nihil audeo, ad te mitto, atque id tantò libentius, quanto ex tuis maiorem quæſtum cum fœnore me facturum confido. Pauca ſunt autem, quæ à tuo hinc diſceſſu, adieci negotiis vtpote & curis multis diſtentus. Diutius enim cum muſis mihi non licuit verſari. Si quid præterea eſt, mi Belnee, in quo tibi mea opera grata futura ſit, eam tibi ac ſtudium omne meum amicitiæ iure debitum nunquam defuturum promitto. Vale Tararaſcone 1537.

* *Dionyſius Chriſtophoro Richerio S. P. D.*

QVod conſtitueras te in perferendis ad Scholaſticam litteris eatenus mea opera vſurum, quatenus id mihi, vel tuo vel ipſius nomine moleſtum non eſſet, nolim propterea quod aliter quam tu optabas euenit, quicquam exiſtimes quod mihi abs te iniunctum moleſtiam mihi aut tædium afferre poſſe, quando vel eo nomine me non parum tibi debere profiteor, & rebus meis acceſſionem fieri credam, cum tuis poſſum deſideriis obſequi. Nolim inſuper id putes aut negligentia tui aut obliuione noſtræ beneuolentiæ, aut alia denique mea culpa factum eſſe, quandoquidem præterquam quod tibi ac Bectoniæ cupio inſeruire, mea etiam intereſſe maximè arbitrabar conuenire te qui mihi carmina & alia quædam ſcripta tua te mecum communicaturum promiſiſſes. Sed cum id tempus incidiſſet, quo vix tibi reſpirandi (vt tuipſe ſcribis ſpatium concederetur, & ego te inquirendo toties operam luſiſſem, importunè me facturum putaui, ſi te tot alioqui diſtentum curis interpellarem. Adde huc inſuper quod Gratianopolim ad Scholaſticæ parentes cum mihi eundum eſſet, verebar ne tempus ad explicanda quæ volebam, non ſuppeteret, præſertim cum iam iam ſolemnes Paſchæ dies inſtarent, quibus domi me eſſe oportebat, & litteræ ad Bellaij Vicarium celeriter curandæ vehementer vrgerent. Sperabam autem te cum aulico comitatu Tharaſconem eſſe venturum, quod cum ego amicis prædixiſſem, ipſi mecum auidè aduentum tuum expectabant. Sed, vt facile coniicio, eadem cauſa quæ te implicitum tunc habuit, nunc quoque ne tu huc appelleres, videtur prohibuiſſe. Deſiderium verò tui litteræ tuæ vtcunque leuauerunt, quod te in his (etſi videre non licet) te ſaltem quaſi loquentem audimus. Quæ cum idem nobis lætitiam non paruam attuliſſe videantur, quanta noſtris gaudiis acceſſio facta eſſet, ſi videre & coram loquentem audire contigiſſet? Quare, mi Chriſtophore, da operam, vt nos quoad tu facere poteris, aliquando inuiſas. Quod ſi te aliò negotia publica cogent diuertere, literas ſaltem ad nos frequentes aut certè muſam tuam quæ ſuaui carmine de ſtatu ac rebus tuis nos certiores faciat, mittere non graueris. Vale, & nos (vt ſoles) ama, quoniam & ipſi te non mediocriter amamus. Tharaſc. Cal. Iunij, 1538.

Dionyſius Chriſtophoro Richerio S. P. D.

SIgnificauit mihi Vulteius noſter te noua dignitate à Rege noſtro Chriſtianiſſimo auctum eſſe. Quo ego nũtio pro amicitia quæ mihi tecum intercedit mirificè gauiſus cenſui tibi his literis gratulandum, ne videlicet putares muneris iſtius quod tibi delatum eſt, me nõ eſſe participem, amicorum enim omnia ſunt communia. Quare, mi Richeri, tibi, imò verò eruditioni tuę atque virtuti etiam atque etiam gratulor, & Regis noſtri munificentiam laudo, qui cum habeat perſonarum delectum, & in id operam det, vt in eos qui promerentur beneficia ſua conferat. Gaudeo etiam quod ad nos Paſcha ſius noſter ſcripſit te aulæ regiæ perpetuum forè ſectatorem, ita enim fiet, vt noſtræ

ſtræ ad te literæ tutius perferantur. Vulteius noſter hic eſt, & neſcio quid noui operis meditatur, ab eo tibi plurimam ſalutem dico. Amat enim te ob virtutes tuas mirum in modum de me nihil dico, quādo quidem præter doctrinam & mores candidiſſimos, accedit etiam tua erga me beneuolentia ſingularis, cui ſi non reſponderem, non ingratus modo verumetiam impius quodammodo mihi eſſe viderer. Vale. Tharaſc. 1537.

Dionyſius Chriſtophoro Richerio S. P. D.

OStendit mihi Vulteius noſter literas quas ad eum nuper dederas, in quibus grata mihi admodum fuit ea quam de me & ſpititalibus alumnis meis mentionem faciebas. Quia verò officium meum in ſcribendo deſiderare te ſignificabas, nolim quicquam putes mihi iucundis accidiſſe. Inde enim tuus erga me & ſuauis & optatus amor ſatis alioqui mihi iamdudum perſpectus magis magiſque inoteſcit. Vnde licet exactis paulò ante diebus ad te ſcripſerim, attamen ne amantiſſimæ petitioni tuæ & officio meo defuiſſe viderer, has ad te volui mittere id abs te pro iure amicitiæ noſtræ poſtulans, vt me quoque cum tibi à perpetuis iſtis negotiis curiſque reſpirare contigerit, aut epiſtola aut carmine oblectes. Ad Franciſcum Valentianum nihil in præſentia ſcribo, quandoquidem iam eum meas literas quas his diebus ad eum miſi aut accepiſſe aut breui accepturum puto, ipſum verò à me vt ſaluere iubeas oro, quem tibi etiam amicum eſſe factum ſeriò gaudeo. Si Dominum inſuper Caſtellanum Tullenſem Pontificem ſalutabis mea vice, rem mihi gratiſſimam te facturus ſcias Vale. Tharaſc. 1538.

Dioniſius Chriſtophoro Richerio S. P. D.

TErtius mēſis & plus eo iam præteriit quo ad te literas dederamus, vt Bectoniæ negotia apud Cancellarium pro tua in nos fide & beneuolentia curares diligenter, ſed cum rem iam confectā iri putaremus, is cui literæ noſtræ creditæ fuerant, perfectionem quam iſtuc inſtituerat, re cum aduerſariis compoſita & ex animo abiecit. Nunc verò Bellaij Vicarius in aulam ab ipſo reuocatus Bectoniæ diplomata ſecum perfert, quibus expediendis ſi operam ac ſtudium tuum (vt ius noſtræ amicitiæ poſtulat) dedicaueris, nihil nobis eſt amplius requirendum. Cæterùm quod ad literas tuas attinet, ſi eas nobis gratiſſimas iucundiſſimaſque fuiſſe dixero, importunum in amicitiam noſtram ſermonem afferre videbor, ſatis enim de te ipſe id potes coniicere, qui noſtris tantopere ſoleas delectari. Neque enim ſine ingenti voluptate legi à nobis poſſunt tam ſuauis atque optati amoris veſtigia, quæ ſeſe in ſcriptis tuis omnibus partibus oſtendunt. Quare & ſi non ea mihi adeſt facultas, vt in reponendis beneficiis tibi poſſem reſpondere, dabo attamen operam, ne ad id animus mihi defuiſſe videatur. Sed tu vide obſecro quid egeris mi Richeri, dum libri tui iam æditi mentionem feciſti, in varios enim imò verò contrarios affectus me conieciſti, dum ingēti cum gaudio & gratulatione intelligo opus ipſum non modo dignum quod doctiſſimorum hominum manibus verſetur, verum etiam quod optimi Chriſtianiſſimique regis nomine iudicioque approbari meruerit, ingenti etiam illius deſiderio & moleſta quadam anxietate fatigor affligorque tandiu dum illum (ſicut promittis) ad me miſeris. Nec aliud quicquam feciſſe videris, quàm ſi cuipiam intenſa febri & ſitis ardore æſtuanti fontis limpidiſſimi quo frui ipſe non poſſit, memoriam refricaſſes. Quamobrem te oro, ne me hoc deſiderio diutiùs laborare patiaris. Dici enim non poteſt, quantum tui & ſtyli & animi ſuauitate delectet. Spero

autem futurum vt ea tam iucunda & vtili ſarcina ipſe Bellaij Vicarius ſeſe libẽti animo pro ſuo in bonas literas amore patiatur onerare. Hinc ergo aut alicui fide ſi prior tibi occurrerit, librum ad nos perferendum tradas, te vehementer etiam atque etiam rogo atque obſecro. Vale. Tharaſc. 1539.

Dionyſius Ioan. Nicotio conſobrino cariſſimo S. P. D.

LEgi literas tuas, quibus variè affectus neſcio indignationíne an dolori, an denique meo in te amori priùs ſatisfaciam, niſi quod meus erga te amor ac tuus in me viciſſim cauſa eſt, cur dolor & indignatio maior mihi refricetur. Cum enim te vrgente & matre tua etiã anxiè rogante, ſed & amore quo te proſequor impellente operam darem, vt pecunia quam indigniſſimo illi mutuo dederas tibi & Frumento noſtro etiam ſua redderetur, & rei pecuniariæ pœnuria æſque alienum quod ille hinc inde multum contraxerat, rem moraretur, ecce tibi de improuiſo domus noſtræ calamitas & ignominia ſempiterna rurſus veluti alter Protheus mutatus in alium adfuit. Qui neſcio quibus impetratis per ſubreptionem literis inſtructus fratribus ſuis iterũ negotia faceſſens pudore perfricto tam procaciter in eos debachari aggreſſus eſt, vt nemo bonus ſit, qui non eius inſaniam maximè deteſtetur. Res ipſa tamen ſuo malo atque incommodo ſucceſſura eſt ei. Et nunc quando eius impudentia legibus retundenda eſt, petit vt pecuniis aliquot acceptis hæreditati in qua nihil omnino iuris habet, cedat. Neque enim capax eſſe poteſt poſſeſſionis terrenæ, qui in cœleſtem militiam nomen dedit, monaſticémque profeſſus rebus domeſticis confectis tabulis (vt fieri in tali negotio ſolet) ſpontè ceſſerit. Sed vereor ſi in id fratres illius ſeſe adigant, vt argẽtum ei numerent, ne rurſus omnia diſſipet, & perdat, veſtramque ſi iſtuc redierit, opem iterum imploret. Qui ſi ad vos venerit, nullum ei poteſtis maius beneficium præſtare, quàm vt ipſum acriter (vt dignus eſt) caſtigetis, moneatiſque vt profeſſionis ſuæ memor Dei iudicium quod proteruè videtur contemnere, timere tandem incipiat. Res quem finem habitura ſit, ignoro. Quod ſi fortè fratres eius ad id ſe obſtrinxerint, vt ab eo æs alienum conflatũ ſoluant (multum enim eſt) dabo operam vt vobis quàm fieri poterit citiſſimè ſatisfiat. De Frumenti noſtri ſtatu & ex tuis & ipſius literis intellexi, & eius incommoda pro eo quanti eum facio, dolui, maximè quod ad infirmitatis moleſtiã etiam rei pecuniariæ ſumma pœnuria accedat. Quam etiam eò moleſtius fero, quod in preſentia non video, quale huic malo remedium poſſit adhiberi, niſi quod rei finem expecto. Ad matrem eius literas ipſius curaui perferẽdas, quã etiam propediem niſi me noua (vt hactenus) negotia detineãt, ſum inuiſurus. Illum ex me ſaluere vt iubeas oro, cui etiam has opto vt communices. Nam prẽterquam quod nil habeo quod ſcribam in præſentia, temporis etiam me anguſtia premit. Vale. Tharaſc. viij. Idus Auguſt. 1539.

Dionyſius Ioan. Nicotio conſobrino S. P. D.

NVper cum eſſem Nemauſi, & parentes tuos inuiſerem, reddidit mihi pater tuus literas abs te, breues illas quidẽ ſed graues mihi atque moleſtas. Nam niſi querelas acutiſſimas continebãt, quibus lectis cœpi ſimul & iraſci, & tua incommoda mecum reputãs tecum dolere & vicem tuam ferre moleſtiſſimè, ſed in illum qui tantarum nobis turbarum cauſa extiterat, magis eſſe infenſus, de cuius impudentia aut inſania potiùs nil ſatis pro eius criminibus dignum dici poteſt. Paucis deinde diebus cũ me huc ab aula recipiſſem, redditæ mihi item abs te fuerunt binæ literæ, quæ & ipſæ pleniſſimæ erant expoſtula

poſtulationis & quærelæ,quæ quàm iuſtè mihi impingantur,ex iis quas ad te ante paucos hos dies miſi poteris intelligere.Ego,mi Nicoti,pro eo quanti te ſemper ob ingenij tui ſuauitatem & præclaram indolem æſtimaui(vt interea ſanguinis ſuauiſſimum vinculum & collata in me merita taceam)ex quo mihi cognitus eſſe cœpiſti, putaui me tam tibi eſſe deuinctũ, vt tua cauſa nihil mihi non ſubeundum ducerem.Vnde cum ab aula huc rediiſſem, literas tuas ad matrem(nam pater tuus aberat)curaui diligenter, & pecunia tua cum fratribus apoſtatę illius vt tibi & Frumento redderentur,agere cœperam ab ipſa matre tua cum idipſum mea ſponte curarem,vehemẽter ſtimulatus. Moleſtè verò ferebant nepotes mei cum ille inſanus tantùm alieni æris vndique conflauiſſet,ſi comedente illo vnam acerbam eorum dentes obſtupeſcerent, nec debere ſe id diſſoluere,de quo ipſi nomina non feciſſent,præſertim cum tantum eſſet,vt ſine magno rei familiaris diſpendio ſoluere non poſſent. Tãdem verò id effeciſſe videbamur,vt ſi non tam citò vt volebamus, poſt aliquot tamen dies id facturos ſe pollicerentur, cùm ille ſolita ſua impudentia mutato rurſus habitu affuit.Qui fratribus ſuis negotia multa faceſſens multam etiam inſanis ſuis auſibus nobis omnibus moleſtiã attulit.Sed hæc omnia per priores literas cognoſces. Tandem verò cum Auenionem iuiſſet, tanquam apoſtata à vicegerente in carcerem coniectus eſt, ac deinde in carcerem monaſterij traductus, vbi paucos dies fuit,& inde neſcio quo pacto poſt corraſas mutuo à conciuibus quibuſdam qui illi fautores erant, pecunias aufugit, neque hactenus quo ſe contulerit,compertum habemus.Æſtimato nunc tuipſe pro tua prudentia qualem cum fratribus ipſius inire gratiam poſſint, hi qui in eorum perniciem illum ſuis beneficiis armauerunt. Hærebat ille ſicariis neſcio quibus & aleatoribus, quorum conſilio & auxilio fultus cum dicam innocentibus fratribus ſuis impegiſſet, etiam ſupellectilis aliquam partem domo abſtulerat. Nec facilè vnquam animum induxiſſem, in tantam illum potuiſſe aliquando temeritatẽ inſaniamque deuenire. Nam nihil minus quã Chriſtianum videbatur referre,ſiue vultus procacitatem,ſiue geſtum corporis aut habitum, ſiue denique perditiſſimos illius mores conſiderare voluiſſes. Magnam hyeme præterita eius aduentu iacturam fecerant fratres ipſius, ſed æſtate reuerſus in id dare operam videbatur vt domum euerteret, & nobis omnibus qui aliquando eius commodis inſeruieramus,perpetuo dedecori & ignominiæ eſſet. Sed illius ſine magno dolore meminiſſe non poſſum. Pauca verò de multis quæ in nos admiſit ſcelera attingere volui, ne Dionyſium tuum aut negligẽtiæ aut ingratitudinis ſuſpectum haberes.De Frumento noſtro miror quo tuis literis nihil mihi ſignifices,te autem oro,vt has atque item alteras quas illi tecum commune fieri volebam,illi legas,méque illi etiam atque etiam commendes. Scripſi tibi literas ad Bigotium, quibus te illi (vt petieras) de meliore nota commendaui. Eas ad te mitto, vt per te illi reddantur. Parentes tui & reliqui omnes noſtri proſperè valent, téque in literis proficere gaudent.Vale.Tharaſc.xvj.Cal.Decembris 1539.

Dionyſius Ioan. Nicotio conſobrino S. P. D.

LEgi literas tuas ad me & eas quas amicum illum noſtrum ſcripſiſti. Quibus cum riſum mihi ſimul & lætitiam concitaſſes, cœpi etiam mirari te profectionis tuæ dilationem tam moleſto animo ferre. Nam cum ea ſtudia propter quæ Tholoſam profectus es, tuo ingenio vitæque inſtituto vſque adeo diſſentanea ſint, vt nil ab iis magis diſſentire videatur, lætitiæ potiùs

quàm triſtitiæ tibi offertur occaſio, quod tantiſper dum iſtic agis, tibi liceat tuo more viuere & animo tuo obſequi, niſi fortè idcirco profectionem longius reiectam doles, quia putas te decumanis illis codicibus euoluendis tranquilliorem vitam traducturum, dum ſcilicet forenſes lites & iurgia meditaris, quàm ſi diuinæ philoſophiæ præceptis animũ excolas, quibus non inter Chriſtianos lites protrahere, ſed intenſas extinguere ac dirimere diſcas, & gaudium illud pacemque de qua ſcribit Apoſtolus prægustare, quæ quia omnem ſenſum exuperat, deſiderari facilius poteſt à nobis, quàm ſermonibus aut cogitatione complecti. Hęc eſt enim vitę cœleſtis Arra & mãna illud abſconditum, quod nemo nouit, niſi qui accipit. Hoc verò diuinum nectar & animi Deo inhærentis ambroſiam ſolitudinis & ſilentij commoditas cœleſtiſque diſciplinæ iuge ſtudium ſubminiſtrant. Quibus Deo addicta mens vegetata exceſſu ineffabili ſupra ſe fertur. Ita enim vnus è diuinis vatibus ait: *Ecce ego lactabo eam, & ducam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* Et item alius. *Bonum eſt viro, cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua, ſedebit ſolitarius & tacebit, quia eleuabit ſe ſupra ſe.* Sed de his hactenus. Tu verò vide amici noſtri vaframentum, lato margine inſcribendo & interuallis plus ſolito diſtantibus vſus eſt, vt breuis epiſtola longior videretur. Præterea ne ipſum (vt eſt negligentiſſimus) accuſares negligentiæ, & ſeſe ſtrenuum mentiretur, tertium diem ante idus ſubſcripſit, cum plures poſt hunc dies alij dum literas ſcriberet, ſucceſſiſſent. Patrem tuum & matrem noſtroſque omnes ſaluere à me iube, & tu quoque cura Valeas. Tharaſc. xiv. Cal. Ianuarij 1539.

Dionyſius Moneto Regio S. P. D.

GAudeo, Monete chariſſime, te priſtinæ ſanitati eſſe reſtitutum. Nam vt ex literis tuis intellexi, non ab re ſubueritus fueram, ne quid tibi ſiniſtri euenisſet, ſed nunc mihi gaudens tibi gratulor, & Deo in primis gratias ago quod ea cura quæ animum meum ſolicitabat, ſum liberatus. Quãta verò gaudio meo acceſſio facta ſit, quod mihi ſignificaſti ſtrenuos ingenuoſque adoleſcentes in id manibus pedibuſque operam dare, ne bonas horas malè colſe videantur, tu per te ipſe potes coniicere. Cum enim eorum parentibus ſum charitate deuinctus, tum eorum indole præclara & virtute delectatus, fœlicibus illorum ſucceſſibus mirificè gaudeo. Literas tuas ad Vrbanum mittam, quæ ſi paulo ante mihi redditæ fuiſſent, egomet illi tradidiſſem, nam apud nos triduo fuit aut quatriduo, & paulo priùs quàm mihi redderentur, ille diſceſſerat. Quod autem iuuenes ipſos ſatis tibi alioqui commendatos ob gratiam mei commendatiores ſis habiturus, & operam tuam tam ex animo mihi offers, gratiam tibi habeo ingentem. & tibi viciſſim meam omnẽ & ſtudium ſi quid erit, in quo id tibi commodum iudices affuturum polliceor. Vtinam verò is eſſem, cuius tu apud Deum precibus niti poſſes, quarum opem atque ſuffragium tam obnixè à me petis. Sed cum ipſe miſeriæ meæ mihi ſim conſcius, reſtat, vt tuas viciſſim impenſè requiram, vt vitiis liber & peccatis dignus efficiar Dei ſeruus, ne monachi nomen quod præcipuum quoddam religionis indicium præ ſe ferre videtur, immeritò mihi vſurpaſſe videar. Vale. Lerinæ raptim. Cal. Septembris 1547.

Dionyſius Honorato Spinulæ Monacho S. P. D.

CVm huius tam fidelis nuntij opportunitatem nactus eſſem, nolui vt iſtuc ſine meis literis ad te proficiſceretur. Non quod noui quicquam eſſet apud me quod ſcire te oportere putarem, niſi fortè à me te vehemẽter diligi, ſed neque

ſed neque id quidem nouum apud te eſt,quandoquidem ex quo tempore mihi licet nondum de facie,de nomine tamen & fama cognitus es, ad communem illam ordinis & profeſſionis neceſſitudinẽ tanta facta eſt mei in te amoris acceſſio, vt nullis eum locorum in teruallis aut temporũ labefactari poſſe exiſtimẽ. Cum enim me tuis humaniſſimis literis prior ipſe prouocaueris,neceſſe mihi eſt,ſi notam ingratitudinis velim effugere,vt dem operam, ne abs te poſſim in hac parte ſuperari. Cæterùm quod me tam bellum hominem tuis laudibus conaris effingere,agnoſco quanta ſit tui erga me amoris vis, qui tametſi mihi non poteſt eſſe non iucũdus atque optatus,in eo tamen mihi moleſtus eſt,quòd tibi de me ac miſeriis quibus vndique obſitus ſum, iudicium abſtulit. Vnde,mi Honorate,ſi me amas(quod ego nõ dubito)te oro obſecróque vt magis pro peccatis meis Deum roges,quã me immeritis laudibus oneres. Nihil enim in me tam efficiunt iſtæ tuæ laudes, quam vt ex his rememorentur iniquitates meæ. Quamobrem ſi gratificari mihi cupis, in operam dare debes, vt precibus tuis adiutus expugnatis vitiis & propria voluntate,incipiam tandem is eſſe,quem tu opinionis errore fore exiſtimas,ne ſcilicet Monachi nomen fruſtra mihi vendicare,aut apparentem in habitu & tonſura extrinſecus quãdam virtutis & magni nominis vmbrã inanem exhibere videar. Piget ſiquidem me miſeriarum ineptiarúmq; noſtræ huius infœlicis ætatis, in qua ego &qui mei ſimiles ſunt,magnis neſcio quibus atq; ampulloſis monachicæ obſeruationis nominibus tituliſque non ſatis firmiter innitentes vereor ne ſicut Horatij Flacci cornicula in illis magnis omnium gẽtium & populorum comitiis ceu alienis plumis ornati,ſubſannemur. Ibi enim referet vnuſquiſque non ſecundum nomina vel ſteriles obſeruatæ profeſſionis titulos,ſed ſecundum opera ſua ſiue illa bona fuerint ſiue mala. Cum igitur monachus ille ſit,ſecundum definitam ſanctorum patrum ſentẽtiam, qui ſemper in Deum acie mẽtis intentus, in cœlis cogitatione ac deſiderio ita conuerſatur,vt iam futuræ beatitudinis ſpecimen quoddam aſſequutus eſſe videatur, pudore non paruo afficior, qui iam tot annos cœleſtis cõuerſationis exteriora inſignia geſto,& adhuc tanquam vermis per terram repens proprij amoris vinculis obſtrictus circa meipſum aſſidua vertigine rotor. Quocirca te iterũ rogo, vt caſtis tuis precibus Deum pulſes, vt tandem diruptis vinculis ad ſupremam illam monadem vnde monachi nomẽ deductum eſſe videtur,aciem mentis intendens liberè valeam aſpirare. Vale Lerinæ pridie Cal. Iunij. 1552.

Dionyſius Honorato Spinole Ianenſi Monacho. S. P. D.

DVm ego nuntij ad te proficiſcentis opportunitatem expecto,vt tibi pro acceptis muneribus gratias agẽs ſuauiſſimis literis tuis reſpõdeam, ecce de improuiſo Ambroſius noſter alia mihi abs te attulit, quæ me tibi arctiore vinculo obligatum reddiderũt. Vnde, mi Honorate, quando vt tibi vicem reponam,facultas mihi denegata eſt,vellem ſaltem mihi verba adeſſent,quę ad gratias agendas eſſent idonea. Reſtat igitur vt quia nec referre nec agere dignas poſſum,ſtudeam habere quam maximas. Vtinam verò aliquãdo tempus incidat,quo tibi huius meæ tibi promptæ voluntatis ſpecimen aliquod poſſim exhibere. Quod quidem fiet,ſi quid eſſe in me putabis,quo tibi gratificari queam. Sed iam ad munera ipſa venio. Miſeras prius cũ libello penicillos ſex, qui ſenarius cum in numerorum progreſſu primus inueniatur eſſe perfectus tacitè me vocationis meæ ac profeſſionis admonet,hortatúrque, vt ſi perfectionis quam tonſura & habitus præ ſe ferre videntur,ſummã adipiſci cupio,

neceſſe mihi exiſtimen interioris hominis vultum pulchris variiſq; virtutum coloribus ad Chriſti exemplar effingere. Quod ſi fortè modum quo id fiat, ignorem, Zonam pelliceam miſiſti ſimul & librum diuini amoris ignem omni ex parte ſpirantem, ignem inquam illum quem Chriſtus Ieſus venit mittere in terrã, & quem vult in nobis vehementer accendi. Vt ſcilicet lumbis præcinctus igné deſiderij cœleſtis ardentem in corde & bonorum operum ſplendore in manibus prælucentem feram. At nequid myſticis muneribus tuis ac ſpiritali negotio deſit, caudas conficiendis penicillis addidiſti, quæ quia olim in ſacrificio apponi iubebantur, latenter innuunt, bonis vſque in finem operibus perſiſtendũ. Parum enim eſt ſanctæ cõuerſationis lumen cœpiſſe oſtendere, ſi tepefacto in corde cœleſti deſiderio ad modicum tenuis auræ flatum lumen extinguatur, quia non qui incæperit, ſed qui vſque in finem perſeuerauerit, ſaluus erit. Cæterùm quod ad literas tuas attinet, ita me gaudio affecerunt, vt non parum ſolicitudinis mihi attuliſſe videantur. Quid eſt, mi Honorate? Ita ne te adulationis vitio expurgas (quod tamen à me tibi nunquam obiectum eſt) vt in paſtorum mihi non liceat de tuis aut aliorum ſuperfluis laudibus quas mihi immeritàs tribuis çóqueri? Omnem enim mihi querimoniæ imò verò & inficiationis aditum obſtruis, cum dicis præſtantiſſimum quemque tam indignè laudum ſuarum præconia ferre, vt quaſi vulnerantes ſagittas intorqueri ſibi exiſtimet. Quid igitur faciam? laudatorẽ admittam? ſed certiſſimus teſtis malè ſibi conſcius animus meus reclamabit, méque impudentiæ arguet. Laudes reſpuam? ſed iam per te id mihi non licet, cũ quiſque (vt tu ais) quanto illis dignior eſt, tanto magis eas execratur. Itaque non video tutum effugium, niſi me ad id conferam, quod antea ſcripſi ad te, quod & tuipſe diui Ioan. Chriſoſtomi authoritate confirmas: nimirum ſicut de Apoſtolo Paulo dictum eſt, quod multæ literæ ad inſaniam eum perduxerant, ita & te quoque nimius amor ita te allucinãtem reddit, vt verum tibi de me iudicium auferat, méque quaſi de ocularibus ſpecillis intuens de pigmeo repentè gygantem factum admireris. Quanquam & aliud eſt, quod te ad id compuliſſe poteſt, vt ſcilicet ſtylum exercendo exacuens acquirendæ copiæ occaſionem captares, & dum me, ſicut Cyrum ſuum Zenophõ, non qualis ſim, ſed qualem me eſſe deſideras, alienis me & non meis ipſius virtutibus pingis. Scribis præterea vt de libro quem miſiſti, reſcribam tibi quæ ſit mea ſententia. Ego quamuis me multo minore doctrina & ſpiritualium maximè rerum peritia preditum videam, quam vt de re tanta iudicium meum requirere poſſis, aut debeas veruntamen ne omninò petitioni tuæ deſim, dicam quod ſentio, me videlicet eò tantùm delectari, vt theſaurũ illum ſiue margaritam Euangelicam me inueniſſe exiſtimẽ. Quem etiã eò lego ſecuriùs, quod eorum qui librum ipſum imprimendum curauerunt, authoritate nitẽs, & eius imprimis qui ob doctrinæ, & vitæ meritum cenſor & inquiſitor fidei eſt conſtitutus, nil in eo reprehenſibile puto, quod tanti viri nequiuiſſent deprehẽdere. Hoc vnum me malè habet, quod hebetior eſt mihi ſenſus, & in diuinis rebus exercitatio ſegnior quam vt profunditatem eius in locis omnibus penetrare poſſim. Verùm ego abs te viciſſim ſcire cupio de Thomaſia illa de qua in ipſo libro mentio fit, quid tu ſentias, & ſi extant adhuc ea quæ ſpiritalibus diſciplinis inſtructa ędiditſe fertur. Id ego cum legiſſet, dici non poteſt, quanto eorum deſiderio effectus ſim. Quare te etiam atque etiam oro obſecróque, vt ſi quid ſcriptorum eius poteris alicunde nanciſci, facias me eorum participem. Importunus ſum nimis, & tibi oneri eſſe cœpi, ante quam à me aliquid commodi tibi contigiſſet,

tigiſſet, ſed vt nauiter impudens fierem, tu ipſe ſingulari tua in me humanitate anſam mihi præbuiſti. Ambroſius noſter tibi ſalutem dicit, & ego quoque vt valeas plurimum, iubeo. Lerinæ, vij. Idus Aug. 1553.

Dionyſius Honorato, vt ſupra. S. P. D.

TAmetſi diebus præteritis literas ad te miſi, attamen nactus Hilarij noſtri opportunitatẽ iterum hæc pauca volui ſcribere ab eo etiam prouocatus, qui præter munera quæ mihi abs te reddidit, ea mihi de tua in mea voluntate ac beneuolentia nuntiauit, quæ de amico fideliſſimo & fratre (ſi dici poteſt) pluſquam coniunctiſſimo referri poſſe viderentur. Quam rem cum tu antea & verbis amantiſſimis & rebus etiam ipſis teſtatiſſimam reliquiſſes, iucundum tamen fuit admodum eandem hominis vtriúſque noſtrum amantiſſimi teſtimonio cõfirmari. Vnde me in eam neceſſitatem adactum video, vt ſi te non redamen, non ingratitudinis modo, verumetiam impietatis grauiſſimũ crimẽ inuri mihi poſſe meritò iudicem. Sed de his hactenus, cupio enim hoc ipſum te ipſa potius, quam pluribus verbis tibi oſtendere. Oro autem te, vt literas tuis alligatas iis ad quos diriguntur, reddendas cures, méque illorũ præcibus obnixè commendes, & tu ipſe vide ne Dionyſij tui apud Deum memoria tibi excidat. Vale. Lerinæ. 1553.

Dionyſius Leonardo Spinulæ Monacho. S. P. D.

EX libro tuo quem mihi olim dediſti, hoc carmẽ ex vulgari lingua in Latinam tranſtuli, quod ad te idcircò mei erga te amoris ſymbolum mitto, vt mei apud Deum memor pro peccatis meis illum cõtinuo compreceris. Illa enim mihi obſtant, ne ignis ille quẽ Chriſtus venit mittere in terrã, in me accendatur, quo ſanctus vir ipſe qui librum edidit, totus inflammatus amatoria Deo cantare didicerat. Vnde me ignauiæ meæ atque ingratitudinis vehementer piget pudétque, qui iam tot annos ſine ſanctitate ſanctitatis inſignia geſto. Quam cum tonſura & habitus ipſe promittat, & ordinis profeſſioniſq; inſtitutio requirat, non poſſum hãc meam tepiditatem nõ exhorreſcere. Quare tuũ eſt, frater cariſſime, Deum pro me rogare, vt qui de ſtercore erigit pauperes, & potens eſt de lapidibus Abrahæ filios ſuſcitare, me in vitiorũ & propriæ voluntatis ſterquilinio putreſcentem vocis ſuæ fremitu à torpore exſuſcitet, & tecum in eorum numerum adſcribat, quibus in ſe credentibus dedit vt filij Dei fierent, poteſtatem. Vale. Lerinæ. 1553.

Dionyſius Ioan. Laſcari Prioris Caſtri noui. S. P. D.

EX quo tempore frater tuus vir non minus morum honeſtate quam ſanguinis nobilitate conſpicuus mihi cognitus eſt, magno illum amore proſequutus ſum. Vnde cum de illius deceſſu mihi allatus eſt nũtius, ita ſum animo perturbatus, vt magis ipſe conſolatione indigerẽ, quam vt eam aliis afferre poſſem. Verum quia te quanto propius attingebat, tanto grauius commoueri exiſtimo, partes meas eſſe duxi, vt aliqua tibi afferrem, quæ etſi non penitus tollere dolorem queunt, ipſum tamen aliqua ex parte ſubleuent. Non eſt igitur, mi Laſcaris, cur amicorum decedẽtium dormitionem magnopere doleamus, quandoquidem tot & tam varia mala nos premant, vt iis qui ante annos aliquot obierunt mortem, ſit potiùs gratulandum, quam vt ij qui ex his periculis laboribúſque per mortem eripiuntur, lugendi ſint. Nam ſi omnium mortalium gradus conditionéſque cõſideres, quid inuenis, quod non ſit ſummo dolore luctúque proſequendum, quando vbique Chriſti Eccleſia hæreſibus & corruptis peruerſiſque hominum moribus fatigata ferè opprimitur?

Vnde viuentium magis quàm morientium eſt deploranda cõditio, qui adhuc reſeruantur in vita, vt ingraueſcentia in dies mala videant, & magno ſuo incommodo perferant. Vnde enim cœli tanta inclementia intemperiéſque? Vnde tot & tam aſſidua bella? vnde tot ſchiſmata hæreſéſque? nonne à recrudeſcentibus in dies malis atque peccatis quando conniuent ij, quorum intereſt procurare ne oriantur, & orta ne prævaleant extirpare? Quare ſi rem propius reputabis, cariſſimo fratri gratulationem deberi potiùs iudicabis quàm lachrymas, qui de imminentibus vndique malis ereptus in Chriſto dormiens à laboribus ſuis requieſcit. Hinc Apoſtolus nos de dormientibus contriſtari immoderato luctu non vult, ne infidelibus ſcilicet ſimiles eſſe videamur, qui glorioſæ reſurrectionis, quàm etiam non credunt, ſpem nullam habent. Accedit etiam tibi ad lenimen doloris, quod hinc decedens totum ſeſe in Chriſtum iactauit, cuius paſſionis imaginem ſibi ob oculos proponens & miſerationes eius toto corde implorans magnum atque euidens fidei ſuæ ac religionis in Deum indicium exemplúmque reliquit. Reſtat igitur vt de Quintino noſtro viro nobiliſſimo pientiſſimóque ſpem optimam habeamus, à fletúque temperantes illi ex animo gratulemur, ſtudeamúſque ita viuere, vt vitæ extremum diem cum venerit, non metuamus. Vale. Lerinæ. 1553.

Dionyſius Arnoleto Gatto. S. P. D.

EX literis tuis tanto maiorem lætitiam percepi, quanto veriùs certiúſque de te conceptæ opinioni reſpondere viſæ ſunt. Sunt enim eiuſmodi, quæ & verborum nitore & ſententiarum grauitate de tua eruditione fidem faciunt euidentiſſimam. Quod autem de peruerſitate & intemperantia morum noſtræ huius infœlicis ætatis eleganter doctéque perſcripſiſti, in qua omnia & humana & diuina iura confundi videmus, tam verum eſt, vt Chriſti contemptis legibus diuiniſque inſtitutis in Epicuri aut Ariſtippi verba homines coniuraſſe videantur. Nulli igitur mirum videri debet, ſi fame, ſi aëris intemperie, ſi bellorum tumultibus, ſi denique aliis atq; alij, ſibi inuicem ſuccedentibus malis quotidie affligimur, quando iam extincto fidei lumine & frigeſcente charitate ſumptis in dies viribus iniquitas impietáſque recrudeſcit, & quod deploratæ eſt calamitatis, inter tot mala quæ nos vndique circundant, quaſi noſtra nihil referat, miſeri ridemus, aut tanquam perpetuis aſſueti damnis ita obduruerimus, vt nec præſentia ſentire, nec futura quæ imminent, timere videamur. Vtinam verò exſuſcitare dignetur aliquando pius Ieſus præſtans aliquod tanquam pueri Danielis ingenium, quo admonente diſcant tandem homines de rebus humanis diuiniſque rectè iudicare. Vt illuceſcente quandoque humanis mentibus diuino lumine cœleſtis originis atque adoptionis memores cœleſtia diſcamus, ad quæ conditi ſumus, tota mentis auiditate inquirere. Nam quod tu neſcio qua opinione adductus de me ſcribis, tantùm diſtat à vero, vt pudorem mihi non mediocrem immeritæ quas mihi tribuis laudes ingerãt. Nihil enim tam agũt, quàm vt ad memoriam reuocentur iniquitates meæ. Te verò hortor, & moneo, vt cœptis ſtudiis ita inſiſtas, taliſque ad nos reuertariis, vt de tua eruditione & morum probitate tibi ac patruo tuo amici meritò gratulemur. Vale. Lerinæ. 1550.

Dionyſius

Dionyſius Arnoleto Gatto S. P. D.

LEgi litteras tuas quas ad me menſe Iunio ſcriptas dediſti. Quibus intellexi te ſacris litteris probè inſtructum & aduerſus temporum iniquam conditionem quaſi in acie paratum ſtare. Placet igitur mihi quod intermiſſis quandoque iuriſconſultorũ variis opinionibus ſententiiſque ad diuinæ legis libros quaſi deturbulenta tempeſtate in portum tutiſſimũ tranquilliſſimumque te transferas. Vbi Chriſtum dum diuina euoluis volumina, ad cor tuum loquentem audis, quo docente diſces vnam rem cum pſalmiſta concupiſcere, nimirũ vt in domo illius in gloria illa æterna perpetuò habitare poſſis, quã præparauit Deus his qui eum diligunt & requirunt in veritate. Itaque te hortor vt inſtituti iſtius te non pœniteat. Ita enim fiet, vt iuriſprudentiam cui ex profeſſione intendis, nõ tam ad lucra temporalia ſectanda tibi acquirendam putes, quam vt per eam ius veritatémque tuearis ſuum vnicuique tribuens. Hunc enim ſcopum ſtudia noſtra & conatus noſtri omnes debent attendere, vt inſtitutis diuinis præceptiſque imbuti nihil diuino timori amorique præferamus, quaſi inſtet iam dies domini. Qui vtique iam ex mundi huius ruina inſtare & ex Euangelij ſententia coniicere poſſumus, quãquam de die illo nemo determinatam proferre poteſt ſententiam, quia non eſt hominum ſcire tempora vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate, & quæ ſolus ipſe nouit. Veniet enim dies ille tanquam fur in nocte. Quamobrem nos oportet ſemper eſſe paratos, vt cum mors ipſa & horrendus ille iudicij magni dies aduenerit, iudicis Chriſti facie ſecuri videre mereamur. O infœlix hominũ genus, ô mentes tenebris excæcatas, eorũ dico, qui nil niſi quod ante pedes eſt, cogitantes fugientem mundum ſequuntur, & per varios anfractus currendo fatigati laſſatique dũ labenti adhærent, ſimul cum eo miſeri corruunt. Quot vidimus noſtra ætate etiam iuuenes & validos robore, diuitiis honoribuſque & fallacis mundi variis fauoribus elatos morte non prouiſa intercipi? Quorum vita nil niſi ſomnium quoddam aut inane ſpectrum præ ſe tuliſſe videtur, Vnde & pſalmigraphus de his appoſitè dicit. Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis. Quid oro vita eorũ ad ſomnij exemplar expreſſus? Qui Dei, ſuique tanquam dormientes & in voluptatibus acquieſcentes obliti, dum ſe his rebus diutius fruituros ſperãt, morte interueniente quaſi è ſuaui illo ſuo ſomno euigilant, & earum rerum quibus affixi hærebant, nihil eſt, quod eis ſolamen ſalten leue afferre poſſit, imo triſtitiam tanto maiorem acerbioremque quanto his tenacius adhæſerunt. Nos igitur ſicut Paulus nos admonet, abiiciamus tenebrarũ opera, & induti arma lucis ſicut in die honeſtè ambulemus. Vigilemus, & contra antiquũ illũ aduerſarium fidei ſcuto muniti ſtemus in acie, qui circumiens quærit ſi quem oſcitantẽ & noxia ſecuritate torpentem inuenire poſſit, quẽ opprimat. Hoc ſi fecerimus, ſub vmbra Chriſti protecti nil eſt, vnde hoſtẽ illum timere debeamus. Ioan. Vitali à me ſalutem dicito, & tu quoque noſtri memor, cura vt valeas. Lerin. 13, Calend. Septemb. 1550.

Dionyſius Arnol. Gatto. S. P. D.

MAgnam mihi attulerunt lætitiam litteræ tuæ, quod mihi proſperum atque incolumem aduentum tuum iſtuc nuntiabant, inſuper & de vitali noſtro ea mihi referebant, quæ me non mediocri gaudio affecerunt. Gratulor igitur vtrique veſtrum, quod ab illo doctrinæ & virtutum emporio tales in patriam rediiſtis, vt expectationem de præclara indole veſtram con-

ceptam non modo æquare, verum etiam longo interuallo ſuperare contendiſtis. Vnde præter ſplendorem quem natalibus veſtris inuexiſtis, etiam patriæ atque amicis vtilitatem in poſterum afferre poteritis. Moleſtè autem tuli bellorum ſuſpitionibus factum eſſe, vt ad nos venire tibi non licuerit, ſed ſpero breui futurum, vt ea ſuſpitionis nube diſcuſſa te videamus. Vale. Lerinæ Calend. Iunij. 1554

Dionyſius Franciſco Raſcaſio Senatori S. P. D.

SOluto patrum noſtrorum publico conuentu dum ablatis noſtri aduentũ preſtolamur, acceptis ab eo litteris ſignificatum eſt nobis patres noſtros perſpecta religioſa voluntate tua & propenſo in ordinem noſtrum ſtudio conceſſiſſe vt ſacellum diuæ Mariæ abs te oblatum acciperent. Quam rem tibi ſignificandam cenſui, ne diutiùs ſuſpenſo animo hæreres, qui totum integrum annum in ea expectatione perſeuerans magnum tuæ erga Deum religionis ac pietatis indicium præbuiſti. Reſtat igitur, vt quia res iam ex animi noſtri ſententia cœpta eſt agi, talem progreſſum faciat, vt optato ac fœlici ſuperis annuentibus valeat fine concludi. Ita fiet vt ſpero, vt nec te incepti, nec nos ſolitudinis illius aliquando pœniteat, cum tu viros tuis honeſtis ac piis optatis vtcunque pro temporis captu reſpondentes, & nos viciſſim te virum diuini cultus auctorem Zelatorémque inueniſſe gratulabimur. Vale. Lerinæ. 1550.

Dionyſius Raſcaſio Archidiacono Aquenſi. S. P. D.

IAmdudum is de tua virtute cum eruditione coniuncta nuntius apud nos percrebuerat, vt te amare inciperẽ ante quam noſſem. Vnde tu ad nos nuper veniſſes, optabam aliquam mihi occaſionem dari, qua me in amicitiam tuam inſinuare. Verùm neſcio quo meo fato euenit, vt vix dũ de facie cognitus etiam inſalutatus mihi elapſus ſis. Cùm verò audiſſem cupere te videre carmen illud, quod ego his diebus de huius loci ſitu & conditione edideram, hanc declarandi tibi amoris mei opportunitatem idoneam exiſtimaui, ſi ad te illud tranſmitterem. Tu igitur illud qualecunque eſt, pro ingenita tibi humanitate atque animi candore eo quo à me animo proficiſcitur, ita accipies, vt non tam illud à me miſſum putes, quod dignum exiſtimem, vt abs te tuiq; ſimilibus legi debeat, quam vt occaſione illius meam erga te voluntatem atque animum declararem. Vale. ſexto Calend. Nouemb. 1553.

Dionyſius Bigotio S. P. D.

SI de tua in me voluntate beneuolentiáque dubitarem, verecundius abs te ſi qua petenda me ſunt, & pluribus etiam verbis contẽderẽ. Nunc autem quando tua ſponte nullis meis meritis excitatus me amare cœpiſti, & tuam operam ac ſtudium ſi quãdo opus eſſet, tam liberaliter mihi obtuliſti, nõ dubitaui id abs te per litteras petere, quod tibi vt concedas non minùs facile eſt & honeſtum, quàm mihi id petere opportunum. Hic igitur adoleſcens qui has tibi meo nomine litteras offert, nepos meus eſt ingenij ſuauitate & optima indole preditus, & bonarum litterarum tuiq; in primis ob inſignem doctrinam & virtutes tuas amantiſſimus obſeruantiſſimuſque. Sed amorem quo te proſequitur, pudore quodam puerili deterritus cum tibi propalare ſubuereatur, rogauit me, vt ſe tibi meis litteris commendarem. Hunc igitur quantum poſſum ex animo tibi commendo, vt tua familiaritate & beneuolentia vtens te magiſtro doctus æquè ac probus poſſit euadere. Quem ſi (vt ſpero & opto, mea cauſa in tuam amicitiam aut potiùs clientelam ſuſceptis,

me

me non minus quam illum tibi hoc beneficio obnoxium reddes. Vale Tharaſc. decimo ſexto Calend. Decemb. 1539

Dionyſius Salmonio Macrino S. P. D.

MIttо ad te carmina, quæ ad te ſecundo ferè ab hinc menſe ſcripta pe-tierant. Neque idcircò ea iterum ad te mitto, quod eorum iacturã tanti æſtimarẽ, ſed quia tu me ſuperioribus menſibus cum Pariſiis conueniſſem, id vt promitterem, ſacramento ferè adegiſti. Elegiã etiam ad regem quã à me tantopere exigebas, mitto, vt corrigas, ſi quid in ea ſtridulum aut alio quouis modo inconcinnum repereris, miſſurus inſuper alia multa, quæ iamdudum à me in eodẽ genere ſcripta, & sũt à me amico animo & pia ſolicitudine flagitaſti, ſed ea conditione ac lege, vt abs te aut corrigantur emendentúrque, aut ſi tam ſcabra aut dura erunt, quæ lima tua indigna iudices, ignibus tradas. Deum precor, vt cum Geloníde tua & relìqua familia proſperè ac fœliciter valeas. Tharaſ. octauo Idus Aug. 1539.

Dionyſius Nicolao Grenerio Priori ſancti Victoris apud Pariſios S. P. D.

GErmanus noſter datis ad me litteris me tua vice (quæ ingens in me humanitas fuit) ſaluere iuſſit. Quo factum eſt, vt admirarer, vnde tibi de homũcione hoc mẽtio incidiſſet, niſi putarem Germanũ ipſum qui in explẽdis omnibus amicitiæ numeris non tam officioſus quàm ambitioſus eſſe videtur, me in tuam gratiam inſinuare voluiſſe. Quod quidẽ eius ſtudium me variè affecit, neq; poſſum nõ erubeſcere ac dolere, quod ſuſpicer hominẽ de me tibi ea ſuggeſiſſe, quorum opinionem cum ſuſtinere nõ poſſim, oneratum me ab eo magis quàm honoratus ſentio. Gaudeo tamen quod vel hac qualicunque occaſione te mihi amore coniunxerit. Nam ex quo tempore in libris tuis ingenij tui ac religioſæ mentis ſpecimen deprehendi, non potui te non amare atque ſuſpicere. Cuius meæ erga te voluntatis has litteras teſtes ad te ipſo etiam hortante dare conſtitui, nimirum vt ingratitudinis notam effugerem, & Chriſti glutino iunctam inter nos amicitiam confirmarem. Ob quam te etiam atque etiam oro obſecróque, vt mei apud Deum memoriam tibi nõ permittas excidere. Vix enim credas quantum mei piget, qui tot annos in Chriſti militiam dato nomine inter monachos conuerſatus tam parum promouerim, vt nec rudimenta quidem militiæ ſpiritualis videar aſſequutus. Vnde conſcientiæ meæ pudore confuſus monachi nomen ſine ingenti rubore mihi vſurpare non audeo. Tu ergo pro me pium Ieſum quam obnixiſſimè compreceris, vt fidei clypeo cæteriſque Apoſtolicis armis inſtructus optatam de meipſo vel ſero victoriam adipiſcar, & qui via veritas & vita eſt, in veſtigiis ſuis greſſus meos ita cõfirmet, vt cũ benè gradiẽtibus, erroribus declinatis & exuto vetere homine profecta illius imitatione nouum iam iam vel ſenio fatiſcens induere merear. Cæterum quia te apud cardinalem Lotaringiũ plurimum auctoritatis habere intelligo, rem nobis omnibus gratiſſimam feceris, ſi nos illi & collegium hoc noſtrum nunc ob deſtinatos nobis ad victũ prouentus variè diuexatum de meliore nota commendabis. Vale. Lerinæ. vndecimo Februarij. 1557.

Dionyſius Ioan. Laſcari S. P. D.

SAlutem mihi abs te nunciauit vnus è ſubditis tuis qui apud nos eſt, Faber lignarius, ingẽtémque tuam erga me humanitatem liberalitatémque retulit. Quæ cum mihi iam inde à multis annis magis perſpecta ſit, quam vt de illa poſſim dubitare, nihil noui attuliſſe viſus eſt, niſi quod pudorem mihi

inuexit,cum meritum nullum in me agnoſcam, quod tu tanto fauore amoréque proſequi iure debeas.Mitto igitur ad te lagenam,quia tu ita vis, quam cũ remiſeris,vide obſecro,ſi quid eſt, in quo Paternitati tuæ gratificari queã. Cupio enim occaſionem incidere, qua tibi animum meum non tam verbis quàm re ipſa poſſim declarare. Interea verò ne breuis epiſtola ad te ſola veniret,adiunxi comitem muſam meam,cuius tu verecundiam vel ruſticitatem potius boni ęquiqúe conſules.Nam marinis littoribus aſſueta,doctorum hominum refugit conſpectum,quorum ſubueretur aures effundere.Vale.Nobilem matronam ſororem tuam ſaluere à me iubeas rogo. Lerinæ pridiæ Calend.Martias 1561.

Dionyſius Cypriano iuuentutis inſtitutori apud Antip. S. P. D.

PErlatus ad nos nuntius fuit,quo nihil nobis grauius poterat afferri,te ſcilicet iniqua neſcio cuius perſuaſionis impulſum in profanarum nouitatum errores aut(vt magis appoſitè dicam)inſanias corruiſſe.Quam rẽ tametſi non facile animũ inducere poſſum,vt credã,meus tametſi erga te amor facit, vt ſibi nõ timere non poſſim, cum his noſtræ huius infœlicis ætatis ſtatus ſit atque conditio,vt etiam tuta omnia metuere debeamus.Ea ſiquidem tempora de quibus Apoſtolus Paulus ſcripſit,non tam imminere nobis, quam iam adueniſſe videntur.Inſtabunt(inquit)tempora periculoſa,in quibus erunt homines ſeipſos amantes, qui prurientes auribus coaceruabunt ſibi magiſtros, & à veritate quidem auditũ auertent, ad fabulas autem cõuertentur. De quibus & beatus Apoſtolus Petrus dicit, quod per carnẽ in concupiſcentiis immunditiæ ambulantes dominationem contemnent, audaces, ſibi placentes, ſectas non metuunt,introducere blaſphemantes.Hi verò velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem & in perniciem in his quæ ignorant, blaſphamantes in corruptione peribunt percipientes mercedem iniuſtitiæ. Vt pote qui(vt paulò inferius dicit)maledictionis filj cum ſint animas inſtabiles pelliciunt derelinquentes viã rectam. Et in hanc quoque ſentẽtiam Iudas ſiue Thadeus Apoſtolus.*In nouiſſimis*(inquit)*temporibus veniẽt illuſores ſecundum deſideria ſua ambulantes in impietatibus. Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos animales ſpiritum non habentes.* Quid oro, magis ad huius miſeræ noſtræ ætatis exẽplar expreſſum dici potuit?cùm videamus ipſos perditionis filios,crucis Chriſti inimicos omnem in id dare operam, vt ventrem ſuum in ſuam ipſorum confuſionem Deum ſibi conſtituant, & tanquã qui nuper ex Ariſtippi ſchola prodierint,ſub prætextu Euangelicæ libertatis ieiunia irrident,cœlibatum donant, & monachos monachaſque poſt emiſſa conceptis verbis ſolemniter vota ad nuptias detrudunt.Vt poſt traductam in monaſteriis multam ætatem ingraueſcentes iam ſenio,noui ſcilicet coniuges ex inceſtu ſacrilegóque concubitu nothos ſuſcipiant.Sed poſt condemnatos à tot annis errores, non eſt mei nunc inſtituti contra hæreticos diſputare.Tantùm hoc dixiſſe ſuffecerit, quod indocti & inſtabiles homines carnalis voluptatis aſſertores & Apoſtoli Pauli epiſtolas cæteraſque ſcripturas diuinas dum illotis manibus & ſuperbo ſuo pertinaciqúe ſenſu tractandas ſuſcipiunt, ad ſuam & aliorum perniciẽ perditionémq; deprauant.Hos igitur tãquam venenatos ſerpentes vt fugias te hortor,moneo,atque oro,corrumpunt enim bonos mores colloquia praua,quippe quæ(vt Apoſtolus ait)veluti cancer ſerpunt,& ſimplicium mẽtes inficiunt.Quanta à Pſeudo Apoſtolis Euangeliſtíſque infœlicis huius noſtræ ætatis reip. Chriſtianæ clades inuecta eſt? qui in veſtibus ouiũ in ouilia

ſubeuntes

ſubeuntes fucatis verbis lupina perciti rabie Chriſti oues inuadunt, dum in id operam nauant, vt Eccleſiam Chriſti & ſtatum eius funditus euertant. Quis damna enumeret, quæ à neſcio quibus magiſtellis quotidiè obueniunt. Qui plus quam oportet ſapere dum volunt, per ſpeciem erudiendæ iuuẽtutis peſtiferos errores tenellis adhuc & incautis puerorum animis imprimunt, qui ſemel admiſſi non facilè deinceps poſſunt aboleri. Et hoc eſt cum tu ad iſtud munus tertiò ferè abhinc anno animum intenderes, quod ciues iſti maximè cauendum putauerunt; Nam cum me vnum è Cenſoribus cuius ſentẽtia niterentur, elegiſſent, hoc me imprimis rogabant, vt probarem ſi qua tibi fortè pernicioſæ huius doctrinæ labes inhæreret, facilè fore, vt eam quaſi contagioſam ſcabiem tenellis adhuc animis affricares. Nec tam curare ſe verborũ fucis inſtructam ad malitiam habere iuuentutem, quam benè moratam & piè de Chriſti & Eccleſiæ dogmatibus conſentientem. Vnde cum ego ex tuis ipſius & Andreæ noſtri ſermonibus & ea qua tunc poteram experiẽtia didiciſſem te erga fidem & Chriſtianæ religionis placita benè eſſe animatum, cum diſputationis certamen eſſet abſolutum, rogatus ego imprimis ſententiam dicere, id de tua indole ingenióque teſtimonium tuli, quod reliqui omnes ſine controuerſia ſunt ſequuti. Quo fit, vt vnus quiſpiam ex amicis ac beneuolis tuis cum eo rumore perturbatus me rogaret, vt de hac re datis ad te literis contenderem te ab huiuſmodi falſis opinionibus abducere, reſpondi nil temerè aggredi velle, nec me facilè adduci poſſe vt audita tam ſubitò crederem. Eſto (inquit) vt falſa hæc ſint, nil tamen in hoc reprehẽſione dignum eſſe poteſt, ſi amici officio functus, etiam Chriſtiani hominis partes tibi vendicaſſe videaris. Ad quam rem (aiebat) te etiam ea neceſſitas adigit, quod ciues ipſi ex tua maximè ſententia pendentes talem illum exiſtimarunt, cui pretioſiſſimum theſaurum liberos nempè ſuos committerent. Vnde, mi Cypriane, te per noſtram amicitiam oro atq; obſecro, vt tuo honori ſalutiq́ue conſulens illorum conſortia vites, quorũ conuerſatio aliquod tibi damnũ aut damni ſpeciem ſimilitudinémque afferre poteſt. *Ab omni* (inquit Apoſtolus) *ſpecie mala abſtinete vos.* Vtinam verò prior illa tibi ſtetiſſet ſententia vt à mundi laqueis liber ad nos conuolaſſes. Experireris (mihi crede) quam iucunda ſitientibus Deum ſit noſtra hæc ſolitudo, & quam amœna quærentibus Chriſtum hæc noſtra deſerta ſint, in quibus diuinæ ſapientiæ ſtudiis intentus adhortante loco & ſuffragante ſilentio corporis ſarcinam linquens ad purum ætheris poſſes volare fulgorem. Hic nunc Andreas ſodalis olim tuus, nunc frater noſter in domino Pharaone ſubmerſo in hoc deſerto cum Moyſe ſerpentem in ligno ſuſpendit, nunc Chriſti veſtigiis inſiſtens diſcit ab eo quia mitis eſt & humilis corde, & ſicut generoſæ viuacéſque arbores quantò profundius radices agunt, tantò ſublimius tolluntur in altum, ita & ipſe quo ſe in Chriſti ſeruitio ſubmiſſius gerit, eo magis exaltatur à Chriſto. Quid de tenera ætate dicam? in qua adhuc degentes adoleſcentuli, tui quondam nunc autem Chriſti diſcipuli viriles animos referũt, dum ſpretis parẽtum & patriæ blandimentis pro lacte materno quod adhuc anhelitu ipſo ſpirare videntur, de ipſa petra quæ Chriſtus eſt, mel ſugere quotidie diſcunt, dum tu fumoſarum vrbium carcere incluſus dulcedinem quæris, vbi verè reperiri non poteſt, ait quidam.

In mundo (ait quidam) ſpes nulla boni, ſpes nulla ſalutis,
Sola quies ſeruire Deo, ſunt cætera fraudes.

Quid ergo frater, quid facis in ſæculo, cuius anima vniuerſo maior eſt mũdo

Cur labenti inhæres,cur fugientem perſequi velis, quem etiam ſi apprehendas diu retinere non poſſis?fuge ad Chriſtũ qui prę occupat eos qui eum concupiſcunt, iacta in eum cogitatus tuos & cor tuum torquentes ſolicitudines trade te illi totum,& excipiet te,vt cum Prophæta lætabũdus decantes: Mihi adhærere Deo bonum eſt,ponere in domino Deo ſpem meam. Vale. Lerinæ. Nonis Martij 1561.

Dionyſius Proſpero Monacho. S. P. D.

SVperiore anno ſcripſi ad te literas perbreues, idcircò quod temporis anguſtia non ſinebat vt pluribus verbis tecum agerem,quod mihi fuerat inſtitutum,& maximè in votis erat, quando mihi tecum coram ſermonem habere non licet.Faciebam in his mentionem literarum tuarum & librorũ quos ad me miſeras,quæ omnia quam grata mihi iucundaque fuerint, facilius pro ea quæ mihi tecum intercedit beneuolentia coniicere potes, quam ego verbis exprimere.Nam literæ ipſæ cum mutuæ inter nos charitatis indicia vndique præ ſe ferrent, accedebant etiam tanquam locupletiſſimi teſtes libri tui. Pro quibus quia gratiam tibi referre non poſſum,reſtat vt perpetuò me habiturum profitear.Gratulor autem tibi quod patriæ reditus, non minus ad eam doctrina multiplici quam dignitate auctus rediiſti. De qua quidem doctrina honeſtis moribus tuis natalibúſque conſentanea is ad nos perlatus eſt muntius,vt in ſpem bonam excitemur futurum te eſſe,qui ordini ac ſodalitio noſtro non parum luminis ſis allaturus.Res Lerinenſes proſperè(Deo eſt gratia) nunc habent,& quæ iniuſtè nobis ablata fuerant,magno & principum & populi fauore ſunt reſtituta.Reſtat igitur, vt tales nos exhibeamus, qui diuinis beneficiis non indigni ingratique conceptæ ab hominibus de nobis opinioni reſpondere videamur.De me quid ſcribam,non habeo,niſi quod de ſene iam iam capulo inſtãti dici ſolet,à quo non tam vt valeo,quam quid mihi doleat, requirendum ſit. Quamobrem te oro obſecróque vt tuis apud Deum precibus ſenectutis meæ imbecillitatem ſuſtentes,vt ſuprema hac mea ætate incipiam tandem eſſe qui vocor. Nam monachi nomen pudorem mihi non mediocrem ingerit, qui mentis euagatione diſtractus ſancti huius nomins vim virtutémque nondum norim, quæ tota in interioris hominis cum ſuprema illa monade coniunctione conſiſtit.Vale Lerinæ.III.Cal.Aprilis 1561.

Dionyſius Proſpero Monacho. S. P. D.

EX humaniſſimis literis tuis quantam lætitiam perceperim, pluribus verbis tibi ſignificare contenderem, ſi non ea res tibi pro conſtituta inter nos dudum & confirmata amicitia perſpectior eſſet, quàm vt me atteſtante nota eſſe inciperet. Quæ quidem literæ tuæ cum partibus omnibus ingentem tuum erga me amorem præ ſe ferre videantur,non parum etiam doloris ſimul & pudoris ingeſſerunt. Quantum enim ad intenſiſſimum amorem erga me tuum attinet,ſpero futurum,vt in referenda eius viciſſitudine tibi non cedam.Nam cum tanta & tam varia ſint in te bonarum artium ornamenta,ſi te non amen præſertim abs te tam humaniter prouocatus, non tam te quam virtutes tuas videbor contemnere.Neque verò id velim me auribus tuis dare exiſtimes.Scio enim te nihil habere ex te, quod non à patre luminum à quo omne donum perfectũ de ſurſum eſt,acceperis, vt dum animi tui dotes laudo Deũ ipſum magis quam te me laudare reputem. Sed quàm facilè mihi eſt tibi in amore,tam difficile etiam cæteris Epiſtolæ tuæ partibus reſpondere. Quis enim ego ſum, quem tu meritò tanto doctrinæ ſplendore illuſtrare conten-

das?

das? aut quæ in me facultas eſt, vt incomparabilis ſanctitatis tam grande nomen poſſim ſuſtinere? Præclarè certè mecum ac proſperè ageretur, ſi harum rerum aliquod ſpecimen, præguſtaſſe, aut eas quaſi per tranſennam inſpexiſſe contigiſſet. Sed quod de diuo Paulo legimus, quod multæ literæ illum ad inſaniam redegiſſe videbãtur, in te efficit multus amor, qui oculos tuos ita præſtringit, vt me pygmeo minorem gygantem admireris. Vnde te oro obſecróq; vt ſicut ego tui ita & tu quoque mei apud Deum memoriam teneas, vt vel nũc hac ſuprema mea ætate incipiam eſſe, qui vocor, & nominis mei virtutem agnoſcẽs illam aſſequi poſſim, ne ſcilicet ſterile atq; inane nomen pro gloria mihi ignominiã parem. Quod autem de Euagrij homiliis ſcribis, pergratum mihi erit, ſi tam præclara ſanctiſſimi viri monumenta ad nos mittas. Itaque fiet, vt cum tibi plurimum debeam, multo etiam plura ſim perpetuo debiturus. Interea verò quia cum literis ſimul mittere inſtitueras ſi apud bibliopolas fuiſſent inuentæ, acceptam tibi fero propenſam in id voluntatem tuam. Cæterum cui mirum videri debet, ſi hæc mea non iam ingraueſcens, ſed grauis & oneroſa ętas multa mihi ſecum afferre videtur incommoda, cum ad hoc naſcimur, vt moriamur, imò verò ita naſcimur, vt naſcẽdo mori incipiamus, cum breuis hæc & tam multis miſeriis obnoxia vita noſtra nil aliud ſit, quã mortis tædioſa prolixitas? Quare (vt tu verè atque appoſitè dicis) iuxta Pauli Apoſtoli ſententiam in hoc maxime reſpirare atque acquieſcere debemus quod ſi ὁ ἔξω ἡμῶν ἄνθρωπος διαφθείρεται ἀλλ' ὁ ἔσωθεν ἀνακαινοῦται ἡμέρα καὶ ἡμέρα. Et alia quæ in hanc ſententiam commodiſſimè affers. Vnde non video, Proſper humaniſſime, cur ætatatem meam renouari & vitam longiorẽ in hoc ſæculo deſiderare debeam, in quod tot vndique mala videntur confluere, niſi ea cauſa, vt in amœniſſima iſta ſolitudine tua de qua ſcribis, vna tecum degere liceret, vt Deo totus intendens ſacris muſis & renouandis corrigendiſque moribus meis inuigilarem. Cæterùm quod literas meas tantopere deſiderare te ſcribis, & quaſi conquereris, quod vnas tantum quotannis accipias, vellem vtique ſcripta mea eiuſmodi eſſe, quæ abs te meritò deſiderari poſſe viderentur, vellem etiam tabellariorum copiam mihi adeſſe, vt dum deſiderio tuo ſatisfacerem, conſulerem etiam ipſe rebus meis, dum tuas videlicet doctas pro indoctis meis quaſi aurum pro plumbo reciperem. Præterea quæ de poëmatibus meis ſcribis, quæ tu præclara nominas, quia tu ita vis, ea mittam ad te, vt ea nimirum emendes corrigáſque. Quæ quidem dum lego, & ea cum doctorum hominum ſcriptis confero, tam mihi ſordent, vt non ſine rubore proferre illa poſſim. Tuum erit igitur illa corrigere, & ex his demere & his addere, quæ ſagaci tuo atque emuncto iudicio demenda & addenda cenſueris. Deniq́ue rem ita tractes, vt non meam ſed tuam exiſtimes. Enim verò quia Pontificis leges præſcriptæ ita iubent, ne quid ſine cenſorum quos inquiſitores vocant iudicio in lucem veniat, ſi ea cum emendaueris digna iudicabis quæ foràs prodeant, da operam, vt eorum interueniat authoritas. Vale. Lerinæ nonis Iulij. 1561.

Dionyſius Eucherio nepoti. S. P. D.

MIrati ſumus his diebus vnde nouus de morte mea rumor apud vicinos noſtros increbuerat, ita vt Antipoli & Graſſæ alibiq́ue publicè diceretur Dionyſium vita functum, cum tamen nulla mihi alia infirmitas ſuperueniſſet præter eam quam anni ſeptuaginta & ferè quinque inuexerant. Ea tamen fama, id mihi commodi attulit, vt pro me amici preces ad Deum effun-

derent,quod & teipſum feciſſe & gaudeo,&tibi gratias ago.Verùm quia ætas mea iam annis & peccatis grauis mortem non à me diu aut longè abfuturam denũtiat, tuum eſt,vt paucis his diebus qui mihi adhuc ſuperſunt,Deum preceris,vt ita mores meos vel ſero corrigam,ne vitæ extrema reformidem. Piget enim me ac vehementer pudet,tot annos ſine ſanctitate ſanctitatis habitum & reliqua inſignia geſtaſſe.Vale.Lerinæ.1561.

Dionyſius Ioan.Faucherio medico nepoti. S.P.D.

CVm ego ſuperiore anno morbo laborarem,lecto decumbens hoc carmen de miſeria vitæ humanæ meditatus ſum, argumentum ſatis amplum mihi ſuggerente ipſa miſeria qua premebar. Quod ad te mittere voluj non tam vt te quaſi ignorãtem docerem id quod nemo ſenſum hominis gerens neſcire poteſt, quam vt tuam quoque muſam prouocarem, facies igitur mihi rem gratam,ſi dum per otium licebit, aliquid de te cæteriſque noſtris atque imprimis de patre tuo ad me ſcripſeris.Scripſi iam bis ad eum,& adhuc literas eius quæ meis reſpondeant,expecto.Vale.Lerinæ. 1561.

Dionyſius Andreæ à monte rubeo monacho. S.P.D.

ACcepi tandem poſt dies multos quibus ſcriptæ fuerant ternas literas tuas,quæ vario ſtylo conſcriptæ variè me affecerũt.Doleo enim te cum cæteris patribus ac ſodalibus tuis in continuo metu anxietatéque degere propter latrunculos qui mare æſtatis tempore ſolent infeſtare.Id enim mihi longa illa Epiſtola tua vulgaribus verbis perſcripta non ſine magno meo dolore ſignificauit.Cum enim nulla arx vobis aut præſidium ſit, quo ab illorum incurſibus tuti eſſe poſſitis,non poſſum vobis non timere,niſi quod vobis præter humanam induſtriam cœleſtem etiam opem ab eo qui non dormit neque dormitat, & qui cuſtodiens Iſrael turris fortitudinis eſt ſeruis ſuis à facie inimici,affore non ambigimus.Quantum verò ad priorem illam quam latinè ad me ſcripſeras,attinet, ea non fuit ad me perlata, neque puto Vrbanum nicenum amicum noſtrum illam recepiſſe,illiſque contingit,quod meis ſæpé ſolet contingere, nempe vt tabellariorũ incuria(ne dicam perfidia,pereãt.Quæres me à ſcribendo maxime ſolita eſt deterrere, quia videlicet me piget bonas horas malè collocare.Ex illa verò vltima quantum gaudij perceperim, tu ipſe per te facilius coniicere potes,quam ego exprimere.Nam & ſi amicitiam noſtram firmiorem puto,quam vt obliuio in illam aut alia quæuis clades poſſit incidere,aut literarum ad eam confirmandam videatur adminiculis indigere attamen ſuaue mihi eſt ac iucundum amici erga me ſtudium curámque tam propenſam percipere.Tam enim anxiè amici partes exequeris,vt in explendis amicitiæ numeris nihil quod officij tui eſt, prætermiſiſſe videaris. Quod ad libros de quibus tecum coram loquutus fui, & de quibus ad te ſcripſi, pertinet,non eſt quod hic ad cenſorem ſeu inquiſitorem dioceſis huius recurram, cum ſit apud nos nullus,cui hæc ſit prouincia demãdata. Inde verò reſpirare tantiſper cœperam,quod R.ille Pater, cõcionator ſcripſerat ad te ſanctorum doctorum libros poſſe liberè & ſine ſcrupulo conſcientiæ legi, ſed aditum quem mihi aperuiſſe viſus eſt,ſtatim obſtruit,cum in fine ſuę Epiſtolæ dicit ſe de libris qui ex officinis prohibitis prodeunt,nolle temerè iudicare. Hi verò libri qui vbique apud bibliopolas veneunt,vt ſunt libri diui Hieronymi,Ambroſij, Auguſtini & alij Baſileæ ex officina Frobenij aut aliorũ ſimilium prodierunt,quo fit,vt iam neq; Euangelia ipſa,quia ex huiuſmodi officinis emiſſa ſunt,euolui aut tractari à nobis poſſint,tametſi compertiſſimum nobis ſit,

nil

nil aliud quàm quod textus purus ſincerúſque continet in his reperiri. Quam ſi eiuſmodi auctores in bibliopoleis qui ante annos quinquaginta impreſſi ſunt, inuenirentur, eſſet vnde anxietas noſtra reſpirare poſſe videretur. Sed vbi nunc tales inuenias? Vnde ex eiuſmodi edicto duo non parua incommoda exoriri videntur, nempè quod dum religioſis conſcientiis inextricabiles laquei obiiciuntur, ex quibus, obfuſis tenebris, non facilè ſe poſſunt euoluere, fit etiã vt qui dura ceruice ſunt (ſicut hac infœlici tẽporum cõditione tam multi ſunt) duriores in dies fiant. De quibus & eorum profanis deteſtandiſq; opinionibus piget meminiſſe. Sed hæc hactenùs: faciat Deus vt à tantis & tam periculoſis tempeſtatibus Chriſto imperante ceſſent venti, & compoſitis fluctibus arridentéque tranquillitate nauis eius poſſit emergere. Præterea, mi Andrea, amo te & admodum me tibi obnixum fateor pro libello ad artem pictoriam pertinente, quem ad me miſiſti, eſt enim meis vſibus non parum accommodatus. Quare cum tibi pro eo & reliquis tuis in me officiis gratiam referre non poſſum ſupereſt, vt perpetuò me habiturum permittam. Vale. Lerinæ Calend. Aug. 1561.

Dionyſius Genouefæ Saubertiæ virgini Deo dicatæ S. P. D.

POſt multos in Tharaſconenſi virginum collegio, vtinam non fruſtra exhauſtos labores ſudoréſque cum me Lerinam recepiſſem Chriſti virgo Saubertia, dici non poteſt quantum ex animo de tuo ac veſtri collegij ſtatu aliquid noſſe concupierim. Nuper verò cum in Reuerendum Patrem Oliuarium hominem ob inſignem doctrinam vitæque integritatem arctiſſima mihi iamdudum familiaritate beneuolentiáque coniunctum incidiſſem, nihil mihi magis in votis fuit, quàm de te ac cæteris ſodalibus tuis percunctari. A quo cum Tarquiniæ noſtræ obitu déque tuo fœlici in ſtudia bonarum artium virtutúmque progreſſu nuntium accepiſſem, ſtatuere nequeo, plus ne gaudij an doloris acceperim, niſi quod de illorum dormitione qui in domino quieuerunt contriſtari Apoſtolus prohibet. Quod cum ita ſit, non debemus dubitare cum Tarquinia noſtra præclarè actum eſſe, quæ arduum ſanctæ virginitatis propoſitum arripiens, ipſum tam diu infatigata ſeruauit, donec adueniente Chriſto & eam ad ſe vocante cum eo meruit in cœleſtes thalamos introire. Vbi nunc caſtis eius amplexibus hærens à ſuis laboribus fœliciſſima requieſcit. Ad quos amplexus & requiem te ſoror & filia in Chriſto cariſſima inuito, & ſi quid meus in te affectus poteſt, te per ipſum adhortor, & oro, & talem te præſtes, quæ inter prudentes virgines deputata cum Chriſtus ſponſus aduenerit, accenſa lampade illi occurrens cum eo ad cœleſtes nuptias introire merearis. Vale.

Dionyſius Faucherius Petro Brunerano S. P. D.

NOn mediocrem mihi ſcripta tua ſollicitudinem iniecerunt, ſtudioſſime Petre, nam cum ſingularis tuæ eruditionis atque amoris erga me tui hominem nondum tibi de facie cognitum teſtes eſſent locupletiſſimæ, erant etiam ardentis tuæ in Deum & eius ſeruitium voluntatis euidentiſſimæ indices. Quæ quidem res quãto me gaudio lætitiáque affecerunt, non facilè dixerim. Quis enim non gaudeat, ſe cum illis amore ac beneuolentia iungi, quorum doctrina cum probitate ac Chriſti religione cõiuncta ipſum valeat ad bonarum artium virtutúmque ſtudia incitare? Quod autem mundi contemptum animo concepiſti, & Chriſti ſeruitutem te tantopere deſiderare ſignificas, tibi ex animo gratulor, te autem ad id hortari ad quod tua ipſius

ſponte,imò vt veriùs dicam,Chriſto domino inſpirante ſatis ſis incitatus ſuperuacaneum mihi videretur.Tantùm hoc dicam vt ſpiritum Dei iuxta Pauli Apoſtoli præceptum non velis extinguere, ſed adhibitis quotidiè ſacris lectionibus precibúſque quaſi fomẽtis ignem illum quem Chriſtus venit mittere in terram & quem vult in nobis vehementer accendi,ita nutrias, vt altari cordis tui nunquam deficiat.Iſta ſunt igitur, mi Petre, quæ cum me maximè oblectant tum in tui amorem me vehementer accendunt, ne tu fortè neſcio quid plus adeptum ſi in albo meo ſcribaris,quàm ego putem,ſi in tuo viciſſim adſcribi merear. Cæterùm non parua mihi abs te cura iniecta eſt, quod neſcio quibus opinionibus adductus tam grandem me fruſtrà exiſtimas,talémque mihi perſonam imponis, vt ſub ea deprehenſus cum pro mõte ridiculum murem inueneris riſum moueam, & hinc te ipſe accuſare incipias, qui ex incerta & leui quorundam opinione tam magna de me tibi promiſiſſe videaris.Non eſt igitur quod de me conqueri iure poſſis, qui rem ipſam propius quàm quiuis alius agnoſcens eam vt eſt, manifeſtè tibi aperiam. Germanus autem noſter ipſe eſt,in quem potiſſimùm culpa hæc tota reiiciẽda eſt,qui dum exequẽdis omnibus amicitiæ officiis totus incumbit,ita agit, vt non tam officioſus quàm ambitioſus in hac parte videatur. Hoc vnum te oro obſecróque vt Deum pro meis peccatis aſſiduè compreceris,& quia opinionem de me illius atque tuam ſuſtinere non valeo, præſtet hoc mihi pius Ieſus vt ſaltem voluiſſe videar.Vale.Lerinæ duodecimo Idus Aug.1561.

Dionyſius Magnifico Renato Grimaldo S. P. D.

PRæterito anno cum ad nos dominus Antipolis pater tuus veniſſet, vt natalium Chriſti diem nobiſcum ageret de futuris nuptiis tuis iucundum mihi nuntium attulit.Actis verò deinde paucis diebus,febri laborans cum lecto decubarem, in gratiam tui & ſpõſæ carmen hoc nuptiale meditatus ſum. Quod ego cum æſtate præterita iſtuc veniſſem, cuidam puero qui mihi audaculus,& præter cæteros ad rem idoneus videbatur, tradidi, vt nuptiarum feſto die illud coram conuiuis recitaret.Qui cum à me ſæpè admonitus, rogatúſque fuiſſet, vt mihi in hac parte ſuam operam ſtudiúmque præſtaret, patrẽ inſuper adoleſcentis præceptorémq; eius,de hac re conueniſſem,nimirum vt illi animum ad id adderent,promiſerunt,quod pudore(vt ego exiſtimo)aut ruſtica verecundia victi,minimè præſtiterunt.Quod tantò mihi moleſtius fuit, quantò maiore ſtudio contenderam, vt tibi gratulans animi mei erga te,& tuos affectum declararem. Verùm quia non ſucceſſit ea res ex animi mei voto, volui ſaltem Epithalamium ipſum(ne omninò labor deperiret) ad te mittere. Tu verò pro animi tui candore & ſolita in me beneuolentia, ipſum qualecunq; eſt grato placidóque vultu animóq; ſuſcipias.Vale.Parentes autem tuo,quinam etiam nou à me nuptã,ſi ita videbitur ſaluere vtiubeas oro. Lerin. 1560.Epitalamij initium. Iam votis optata. Infra in poematibus.

Dionyſius Antonio medico S. P. D.

HOc tempore,Antoni,variè afflictus fui, nunc inteſtinorum, nunc dextri lateris, nunc ſiniſtri doloribus, incommodè affectus. Nunc verò illis, non quidem omnino, ſed vtcumque ceſſantibus cſucceſſit dolor renum, qui me nocte potiſſimum,ita torquet, vt ſomnos mihi impeditos, & valdè interruptos reddat. Exiſtimo autem dolorem hunc aduenisſe propter fomenta, quæ tam frequenter pro extrudendis intrinſecus incluſis ventoſitatibus adhiberi oportuit. Cibi præterea appetentia omnis ſic à me abſceſſit

ſceſſit,vt ad refectionem inuitus magis quàm libens accedere videar. Alui inſuper durities & ſimplicitas tanta eſt, vt poſt quintum aut etiam ſextum diem vix egerat.De membrorum omnium laſſitudine taceo,quàm ex his quę dicta ſunt potes coniicere. Hæc autem ad te ſcripſi, non tam quod longioris vitæ inane mihi deſiderium inſit, quàm ne medecinam(quam de cœlo creauit Altiſſimus)contemnere videar,quamquam vnum eſt propter quod adhuc me ſuperſtitem eſſe non piget,ſi videlicet tam diu viuam, vt expulſis profanis erroribus Eccleſię Chriſti pacẽ videam reſtitutã.Cuius etiam aliqua ſpes nobis inde arridere videtur, quod quinque miniſtri qui Pariſios diſputaturi aduenerant mihi à Germanis aut Gebenenſibus poſt longum conflictum victum victi tandem ſacro ſanctæ Euchariſtiæ miniſteriũ eo modo quo ſancta mater Eccleſia tenet,publicè ſunt manifeſti, & Eccleſiæ ipſius veræ ac legitimæ Chriſti ſponſæ vnitatem,ſua illa confeſſione ſunt complexi. Faciat Deus opt.max.vt reſtituta in antiquum decus ſancta mater Eccleſia, & reformatis moribus, nobis tandem cum beato Simeone liceat cum gaudio decantare. *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundum verbum tuũ in pace.* Vale.Lerin.15. Nouemb.1561. optimã matronam coniugem tuam ſaluere plurimùm iubeo.

Dionyſius Angelo Foroiulienſi monacho Lerinenſi S. P. D.

SI patribus laudi,ac gloriæ ſunt filij ſapientes, & præceptorum magna eſt voluptas, ſi diſcipulos nacti ſint qui bonas horas benè collocantes eruditionis pręclarum ſpecimen exhibere contendant,litteras tuas mihi fuiſſe gratiſſimas iucundiſſimaſque non debes ambigere. Ex his enim præter amorem erga me tuum quem præ ſe ferunt deprehendi etiam tuos in literarum ſtudiis progreſſus tam eſſe fœlices vt conceptum de te iamdudum opinionem non modo æquaueris,verùm etiam longo interuallo ſuperaſſe videaris.Ad quam rem diligentia & ſollicitudine perſequendam te, niſi te ſatis tua ſpontè incitatum confiderem.Hoc autem vnum eſt,quod te admonitum velim,ne videlicet humanioribus ſtudiis tam pertinaci ſtudio hæreas, vt litteras ſacras obliuioni mandes.Nam hæ ſunt,fili cariſſime, quæ ſtatui noſtro ex ordinis noſtri profeſſione,inſtitutionéque propriæ congruunt,reliquæ verò, quæ litterales dicuntur, harum ancillæ & quaſi adiutrices ſunt. Verùm hæc ſcribo ad te nõ quod de animi religioſiotate diffidã, ſed vt in te amorem meũ ſignificẽ, qui te omni ex parte,& numeris omnibus abſolutum perfectumque eſſe deſiderem.Quod autem à me docto tuo atque eleganti carmine petis, vt te de rerum mearum ſtatu certiorem faciam, ſcitò me his præteritis inæqualibus Autumni menſibus variè fuiſſe afflictum,nunc autem(gratia Deo eſt)bellè vt cumque valeo, ita tamen vt ſemper aliquis clauus ſit malè cohærens vacillanſque qui ſenilem ætatem exerceat. Contigitque ſiue corpori iamdudum annis fatiſcenti,quod vetuſtis ædibus ſolet euenire,quæ dum parte alia reparantur alia lapſum ruinamque minitantur.Sed quid facias?ferenda eſt humanæ naturæ ea lege inſtituta conditio, nempè vt orta omnia occidant, & aucta ſeneſcant.Attamen maximæ Deo opt.max. debentur à me gratiæ,qui me tandiu ſuperſtitem eſſe voluerit donec viderem tot vndique confluentia in hoc noſtrum infœlix ſæculum,mala,quibus inſtigatus, futuram illam vitam & regnum beatum in quo inueniri nulla poterunt ſcandala deſiderare compellar.Verùm id mihi maximè dolet, quod non ita vitæ meæ curſum conſumaui vt cum Paulo Apoſtolo repoſitam mihi coronam iuſtitiæ audeam affirmare,ſed reſpiro in hoc, quod venit pius Ieſus in hunc mundum vt pecca-

tores ſaluos faceret, inter quos ego tam maximè primus ſum, cum opinionis errore deceptus me non eſſe exiſtimo. Vale & pro peccatis meis dominum Ieſum aſſiduè roga. Lerinæ 16. Nouembris. 1561.

Dionyſius Antonio medico. S. P. D.

POſt lectam ſecundam Epiſtolam tuam tuis precibus, & Reuerendi patris noſtri hortationibus perſuaſus, decreueram me ad vallem auream conferre, quanquam & hoc ipſum non ſine timore maioris periculi, propterea quod tanta, omnibus membris meis debilitas imbecillitaſq; inceſſerat, vt quicquid mihi aduerſi accederet magnum periculum afferre videretur. Hanc autem profectionem meam deliberationémq; aëris intemperies impediuit. Interea verò creſcente debilitate, atque inedia lecto decumbo tam fatigatus vt vix inde ſine aliena ope poſſim conſurgere. Acceſſit autem his incomodis febris, non illa quidem vt antea videbatur latens, ſed manifeſta, quamuis non admodum feruens, attamen non parum moleſta, propter dolorem renum, & guſtus faſtidium. Vnde quia nec tu ad nos commodè, nec ego ad te omninò venire poſſum, te rogo per amicitiam noſtram vt ſi quid arte tua potes, amico ſubuenias, mittáſque ea Pharmaca quæ tu ad extrudendam febrim hanc opportuna iudicabis. Hæc autem ſcribo non quod adeò curem vitam hanc mihi prolongari, ſed ne remedium de cœlo nobis allatum contemnere videar. Quantum verò ad me attinet, ad vtrumque me paratum exhibeo, ſiue enim viuimus, ſiue morimur domini ſummus, ſi conſulis vt vino albo vtar, dabo operam vt valle aurea ad me afferatur. Vale. Lerinæ tertio Decembris. 1551.

EPISTOLA DIONYSII FAVCHERII MONACHI Lerinenſis ad Franciſcum Prin. Gall. Regem.

MIror equidem (Princeps Clementiſſime) vnde hæctam effrænata linguæ petulantia in pauperem hunc homuncionem omni ope & auxilio deſtitutum poſſit debacchari, niſi id eſt quod vulgò ſolet euenire vt eum fortuna cuipiam aduerſa eſſe cœpit omnes omnium ætatum homines miſerum infectentur. Teſtis huius rei eſt ille Seianus Romani olim vice Imperatoris moderator Imperij. Cui cum fortuna blandius arrideret nemo non illi honorem, atque omnis generis obſequia deferebat, vbi verò eũdem aduerſa fortuna vexauit mutauitque vicem, is quem omnes antea quaſi numen quoddam à cœlo delapſum in ſumma veneratione habebant, pedibus tractus ignominioſa, calamitoſáque morte ab hac luce ſubſtractus eſt. Nec ſatis etiam mortuus videbatur, niſi & ſtatuæ illius honorem erectæ contumeliosè deturbarentur. Neque opus eſt tragœdias Clitemneſtræ, Eccubæ, aliáſve recenſere, recentiora apud nos hac ipſa noſtra tempeſtate vidimus quæ facilè nos admonent quàm ſint inſtabiles res humanæ, & quam ſtultum videatur ex opinione vulgi pendere vt quis ſe quandiu mortali hac pelle tegitur beatum exiſtimet, ſcilicet (ait quidam) vltima ſemper expectanda dies homini eſt dicique beatus ante obitum nemo ſupremáque funera debet: Et Creſus ille olim rex potentiſſimus à Cyro ſuperatus tertio Solonem rogo impoſitus, & iamiã flammis vrendus inclamauit, admirantique Cyro & percunctanti reſpondit ſe verè edoctum à Solone neminem ante cineres & ſuprema

ſuprema funera beatum dicendum, nimirum hoc illi Solon dum ab ipſo inquireret num ob rerum diuitiſſimarum copias & affluentiam ſe beatum iudicaret ſæpius prædixerat. Igitur vt ſacræ nos literæ docent ante mortem ne laudaueris quemquam, Quorſum hęc, mitiſſime princeps, niſi vt intelligas miſerandum hunc hominem quem nunc maioris contumeliæ cauſa Paſquillum vocabant ex ſuprema olim non Romanenſium qui nunc ſunt, ſed Romanorum nobilitate traxiſſe originem. O fortuna quàm variabilis? quam mortale hominum genus ludibrio habes? quam res humanas perpetua reuolutione permiſces? Hic igitur (Princeps humaniſſime) cum natalium illuſtriſſimorum ſplendorem aduerſante fortuna ob nimiam inopiam noui modo ſuſtinere, verùm etiam vnde vitam miſeram duceret habere non poſſet miſerè opprobriis vulgò affectus, exploſúſque ab omnibus compulſus eſt ſibi quoquomodo & ratione victum quærere, non vt ingluuiem (vt aduerſarij calumniantur) expleret, ſed vt famem moribũdus eximeret, quo quidem caſu nulla lex prohibet quin cuiuis liceat vndecumque ſibi acquirere quo vitam ſuſtẽtet. Non eſt enim mirum (inuictiſſime Rex) ſi ſuprema famis neceſſitate vrgente ſuffurari aliqua viſus eſt pro quibus tamen modicis furtis maximas, & grauiſſimas pœnas dedit quibus excuſante eum neceſſitate non erat obnoxius verunt illi fortuna deorſum obuertit, omniúmque in illum hominum gradus, & ordines conſpiraſſe videntur. Hinc multa in eum crimina falsò conficta magis credo vt riſum mouerent, quam verba; verùm eſto ſit ita vt dicunt fuerit fur, ſacrilegus, adulter, inceſtus, magus, proditor addo & conſilij Iudæ proditoris conſcius. Num propterea tam ſeuerè in eum vindicandum eſt vt animo pœnitenti nullus relinquatur veniæ, ac miſericordiæ locus. Conſidera (Princeps optime) tantos, tamque inſignes maiorum illius extitiſſe triumphos, tot ex hoſtibus victorias reportatas (nam ex illuſtriſſima Scipionum familia longa ſerie deſcendit) vt ſi nullum aliud ſibi præſidium adeſſet ob honorem tamen illuſtriſſimorum natalium eſſet dimittẽdus. Quanquam eſt alia res quam contra omnia maleficia quæ illi obiiciuntur etiam poſſunt opponere pœnitentiam ſcilicet quam ille non ſolùm vultu, & geſtu corporis, verùm etiam vocem fletu impedita proteſtatur ita vt etiam ſaxa ipſa ad miſericordiam excollire poſſe videantur. Aduerſarij hac in parte ſaxis duriores ſeſe oſtendunt. Non enim illata illi mors videtur ſatisfactura niſi etiam miſerum ad tartara detrudi velint. Habent igitur zelum qualem dicit Apoſtolus qui non eſt ſecundum ſcientiam. Nam ſi Chriſtianæ inſtitutionis & legis formam tenerẽt ſcirẽt vtiq; quod iudicio ſuperexaltatur miſericordia, & ambularẽt (vt inquit) D. Ioannes, *ſicut ambulauit Chriſtus, & ipſi Apoſtoli*, legant Euangelium, *eſtote* ait Dominus noſter, *miſericordes ſicut pater veſter miſericors eſt & dimittemini*. Et Petro interroganti quoties fratri peccanti dimitendum eſſet ſeptuagies ſepties, ſemper reſpondit. Quid nonne Magdalenam miſeratus eſt lacrymantem nonne in adulterio deprehenſam, nonne latronem pœnitentem vt quod verbis docuerat firmaret exemplis, voluntas enim eius eſt (vt ipſe per prophetam ait) non mors peccatoris, ſed magis vt conuertatur, & viuat, quod verò poteſt maius excogitari crimen quàm quod crudeliſſimi Iudæi in eum admiſerunt, quorum immanitati non ſatisfactum videbatur, niſi etiam in cruce pendenti in ipſo ſupremo anhelo opprobriis inſultarent, ſitique inſuper anxiè laboranti non ſolum aquam quæ ſceleſtiſſimis concederetur denegarent, ſed fel & acetum propinarem. Quid autem tot contumeliis affectus illis imprecatus eſt; *Pater (inquit) ignoſce quia neſciunt quid faciunt.*

Beatus verò protomartyr Stephanus nonne etiam ſe boni magiſtri bonum diſcipulum præbuit. Sed quid ergo in numerādis Chriſti ſectatoribus tempus conſumam deficeret profectò me ſi Apoſtolos, ſi Laurentium, Vincentium alióſve martyres. Quin etiam puellas virgines quæ carceribus attritæ tortores aut ſuæ ſalutis admonebant, aut pro eis Deum precabantur ſingulatim recenſerem. Oſtēdebant nimirum ſe veros eſſe Chriſtianos, & Chriſti diſcipulos qui eius ſancta veſtigia tam ardenti deſiderio ſectarentur. *Imitatores Dei, eſtote* (ait Paulus) *& ambulate in dilectione ſicut & Chriſtus dilexit nos, qui non ſolum pœnitentes ad miſericordiam admittit, ſed pro ipſis mortuus eſt, & in proprio ſanguine in ſancta ſanctorum non manufacta ingreſſus eſt, & aſſiduè pro nobis interpellat.* His igitur exemplis prouocatus (mitiſſime Rex) hunc miſerum pœnitentem ſqualore, & nullæ calamitatibus obſitum miſerationis oculo intuere. Recordare obſecro Romam Maiorum ſuorum præſidio, & fortibus geſtis toties fuiſſe ſeruatam, reuoca in memoriam Chriſti Domini & omniū regis exempla, & verba *vade* (inquit) *& iam amplius noli peccare.* Idem tibi faciēdum Chriſtus admonet, admonet Paulus Apoſtolus, admonent Martyres & quotquot Chriſtianæ legis cultores extiterunt, Admonent denique apes ipſæ quarum rex aculeum non habens docet te in pœnitentem non eſſe ſeuerè vindicandum. Certè à natura tibi tale inditum ingenium eſt vt præter regis officium quod magis ad miſerendum, quam iudicandum puniendúmque propenſum eſſe ſolet & tua natura, tua conſuetudo, tuus denique nos ad id mos non ſolum adhortetur, ſed etiam compellat.

Finis Epiſtolarum.

DIONYSII FAVCHERII MONAnachi, varium Poëma.

Matthæi Marcillij carmen Aſclepiadeum ad Dionyſium Faucherium Monachum Lerinenſem.

Si quem relligio claráque caſtitas
Morum nobilitet, laude vel efferat
Vlla, quid feretrum buſtáque pallida
Faucheri pater intremis?
Ignauis tumulus maior & amplior
Debetur, duo ſunt quæ ſimul accipit
Artus examines & gelidos, quibus
Et nomen ſocium datur.
Hi ſunt quos penitùs credimus emori,
Quorum fama breuis corpore mortuo
Vna ſic moritur, vilis inertia
Hoc optat ſibi præmium.
Sed tu docte ſenex, quo ſtudioſior
Virtutis ſolidæ non vel amantior
Vſquam nemo fuit, viuito quandiu
Virtus viuet, amor tuus.

Eiuſdem ad eundem.

Multis appoſitis, pater diſerte,
Cœnabas epulis heri quietus
Cœnanti tibi cum (quod ipſe teſtor)
Improuiſus ego viator adſum.
Cœnam perficis, vt ſoles, modeſtè,
Audax interea nimíſque fidens
In quoddam iacio manus volumen,
In quo carmina quæ piè probéque
Scripſiſti tuuenis ſenéxque tandem,
Sunt congeſta nouo tuo labore.
Codex delicias ſuauiores
In ſe continet, vt licet videre,
Quàm quas ſæpè ferunt potentiorum
Molles pontificum ducúmve menſæ.
Supremis labris eas (quod aiunt)
Delibo citò, non enim decebat

Ignarum iuuenem, rudem, moleſtum
Illas ore dapes vorare pleno,
Quas vix digereret, tamen rogarem
Noſtrum paſtus vter magis remanſit,
An lautis ego verſibus, tuíſque
An tu, vel tibi ferculis ciborum
Multis appoſitis pater diſerte.

Antonij Caſſolæ ad Dionyſium Monachum carmen.

QVæ cauſa eſt hebeti ſupponi carmina linæ,
Quæque ſuum meriti pondus honoris habent?
Non ego digna quidem laudum præconia tanto
Huic operi video ſubdere poſſe tuo.
Quod ſatis à docto nulla celebrarier arte
Vate poteſt, reddi commeritúmve decus.
Integer, intactus, redeat ſine labe libellus,
Nec naſum timeat rhinocerotis opus.
Tutus eat, metuátque graues non denique morſus,
Non poterit terſum carpere liuor opus.
Ergo ne dubitet nitidis committere chartis
Hoc opus, & fidis tradere cacographis.

Vale.

AD DIVAM VIRGINEM DEI MATREM.

SAlue virginei flos intemerate pudoris,
Salue iterum ſummi ſponſa beata patris
Digna cui Gabriel celeres mandata per auras
Afferat excelſa miſſus ab arce poli.
Quæ veluti ſpeculum intacto capit orbe figuram
Concipis integra virginitate Deum.
Terrenis in te coeunt cœleſtia, matri
Virginitas, homini iungitur ipſe Deus.
Obſtupuit quondam magna hæc miracula Moſes
Innocuo ardentem vidit vt igne rubum.
Salue igitur ſacri flos intemerate pudoris,
Mater & aterni nata beata Dei.
Ad te confugio ſupplex ſanctiſſima virgo,
Suſcipe contrito quas fero corde preces.
Sit tibi cura meæ cœli regina ſalutis,
Debilibus membris fer rogo mitis opem.
Sed mage chara ſalus animi, nam mille procellis
Actus in ambiguis æger anhelat aquis.

Da

Da mihi vt illeſus per tot diſcrimina, per tot
Et laqueos tutus tendere diua queam.
Hinc malus impugnat dæmon, hinc orbis, & intus
Me caro blanditiis illecebroſa premit.
Inſidias & tot ſurgentes vndique fluctus
Te ſine deiectos quis ſuperare queat?
Tu potes iratum miſero placare tonantem,
In mea tu natum flectere vota tuum.
Tu potes inter tam diuerſa pericla fauorem
Aurea cœleſtis conciliare mihi.
Ergo procelloſis per te mea puppis in vndis
Tuta natet, dubiam dirige virgo ratem.
Dirige ne in ſcopulos miſere tranſuerſa feratur,
Néve procelloſi hanc ſorbeat vnda maris.
Comprime crudeles piratas, comprime rebus
Carmina Syrenum tam malè fida meis.
Per te mi optatos liceat contingere portus,
Fer lumen tenebris ſtella coruſca meis.

De amore patriæ cœleſtis, ex Pſalmo. 41.

CEruus vt ad vitreos fontes ſuſpirat aquarum,
Quem calor exurit diſcruciátque ſitis.
Sic Deus ipſe tuos ſitio iam cernere vultus,
Corporis abiecta mole premente graui.
Quis mihi det pennas aquillæ, pennaſve columbæ,
Vt celer in cœlum mente volare queam?
Nunc mihi ſunt lachrymæ panes noctúque diéque.
Dum mihi vbi dicunt eſt Deus ille tuus?
Mens mea quid trepidas, quid triſtis & anxia mœres?
Quid me conturbas, ſollicitáſque metu?
Hoſtia grata Deo contriti cordis amaræ
Sunt lachrymæ, & caſto pectus amore gemens.
Spera ergo in domino, quo nil clementius vſquam eſt,
Vt pote qui ſoleat parcere ſponte reis.

De caſa natalitia Saluatoris.

SAlue clara domus tot venerabilis orbe
Qua Deus intacta virgine natus homo eſt.
Tu ſuperas radiis rutilantia lumina ſolis,
Indicat & meritum ſtella coruſca tuum,
O, benedicta igitur ſacri quæ conſcia partus
Extitit, ô fœlix, ô benedicta domus.
Huic cedant meritò ambitioſa palatia regum,
Quæ fuit angelicis concelebrata choris.

Chriſtus in cruce ad hominem ingratum.

SCire cupis tantos quis me tolerare labores
Et mortem pro te ferre coëgit? amor.
Tantus amor meritò ſibi nonne reposcit amorem

Abs te? Cur mundum diligis ergo magis?
Falsus amor mundi in stigias in fine paludes
Mergit, amor nostri te super astra vehit.
Ergo ne fallacis fugientia gaudia mundi
Perpetuis demens anteferenda putas?
Insuper infaustam quæ agitat vesania mentem,
Vt properes stygias sponte subire lacus?
Ad me igitur redeas, tantum quid spernis amorem?
Spretus amor magis est hac mihi morte grauis.
Brachia aperta tibi pando amplexantia cunctos,
Criminis admissi quos puduisse solet.

Christus populum ingratum & variis vndique cladibus oppressum alloquitur.

IMpiè nonne vides vt nunc ruat imbribus æther,
Fluctibus & Rhodanus subruat arua suis?
Insuper & variis concussum cladibus orbem
Nunquid ad interitum non properare vides?
Vnde putas veniant isthæc tibi damna, frequenter
Immò quæ infœlix cogeris vsque pati?
Hanc (nisi conuiues) tantam periisse malorum
Congeriem inuenies crimina sola tibi.
Crimina sola mouent bellum, pestémque famémque,
Aggeribus ruptis crimina & arua necant.
Crimina tolle igitur, si optata pace frui sci,
Sique famem & pestem ritè cauere velis.
Nempè hæc si abstuleris, custos te nocte diéque
Seruabo, à cunctis eripiámque malis.
Nam nisi te seruem, frustra vigilabis, & omnis
Cura labórque simul totus inanis erit.
Scilicet ad portas positis custodibus, vrbis
Pestiferam credis posse cauere luem?
Desipis imprudens, vano desiste labore,
Et mea constanti pectore iussa tene.
Hæc nisi seruabis, pestem tumidúsque fugáxque
Hoc magis incurres, quo magè cautus eris.
Nam tua te pauidum semper male facta sequentur,
Et secum morbos & mala cuncta ferent.
Pectora vbique sibi si sint malè conscia, nunquid
Non sentis quantum sint onus ipsa sibi?
Ipsa sibi stimulos pariunt, quibus vsque molestas
Atque graues pœnas exagitata luunt.
Ergo hos carnifices animi depelle cruentos,
Si bene vis rebus consuluisse tuis.
Pax erit, & placida arridebunt gaudia menti,
Quæ timor aut clades tollere nulla queat.
Frustra aliàs diuos & me implorabis inepta
Voce, & inania sunt vota precésque tua.

Vtquid

Vtquid enim elato cœlum clamare fatiges,
Cum tua ſint verbis diſſona corda tuis?
Scilicet hos ſtrepitus oris curare moleſtos
Me credis, vacuas & pietate preces?
His ego non flector, nec me replicata frequenter
Mens niſi ſit voci conſona, verba mouent.
Ad me igitur toto conuerſus corde piáque
Mente redi, & te res lædere nulla poteſt.
Nulla fames, gladius nullus, nullus quoque morbus,
Denique nulla queunt damna nocere tibi.
Tutor ero, & tandem fœlici morte ſolutum
Corpore, te ſuperis aſſociabo choris.

Arelate. 1542.

In falſos Chriſtianos Deum & ſanctos blaſphemantes.

IMpiè quæ tanta euertit veſania mentem,
Dicere vt in dominum verba nefanda queas?
Voce Deum rabida, Chriſti quoque voce parentem
Et ſuperos omnes voce furente petis.
Quæ miſer vtilitas? fructus tibi qualis in iſtis,
Dum teipſum in ſtygios trudis iniquè lacus?
Viſibus ecce tuis cuncta hæc Deus ipſe creauit,
Vt tibi laus eius ſemper in ore foret.
Sed tu pro tantis meritis blaſphemus in ipſum
Quæ proferre nefas impia verba refers.
Quæ ſolo auditu quatiunt pia corda tremore,
Sed tu obduratus cor Pharaonis habes.
Vnde putas igitur peſtes tantámque malorum,
Colluuiem & dira hæc bella venire tibi?
Luxuries immunda iſta & blaſphemia gignunt,
Et ſceleris varium multimodúmque genus.
Quin niſi iam caueas, parient ſine fine dolores
Et tormenta tibi non habitura modum.

De amore diuino. Ad Baſilium monachum Lerinenſem à valle aurea.

QViſquis amat Chriſtum, fœlici dulciter igne
Carpitur, & languens corpore, mente viget.
O, fœlix langor, quo mens vegetata frequenti
Exceſſu ſuperos gaudet adire choros.
Freta Deo exultat ſeruili exuta timore,
In cuius viuit pectore ſolus amor.
Contemnit mortale decus, popularis & aurę
Plauſum, & quæ fallax proſpera mundus habet.
Tranſtulit hinc omnem regna in cœleſtia curam,
Nec fidit vitæ quæ velut vmbra fugit.
Tanta hinc tranquillum pertentant gaudia pectus

Quanta nec vlla hominum promere lingua poteſt.
Lætitiæ quæ ſint huic verba æqualia deſunt,
Manna latens eſt, quod qui probat ille capit.
Difficile attamen eſt flagrante in pectore flamma
Cordis vt ardorem diſſimulare queat.
Æſtuat, & crebro ſuſpiria mittit, amoris
Quæ ſigna ingentis ſunt manifeſta ſui.
Cogitur ergo Dei feruente intrinſecus igne
Vtque voce nequit corde gemente ferat.
Corporis inſolito & geſtu pia vota pudici
Pectoris, & placida prodere fronte ſolet,
Fœlix ergo nimis, Chriſti qui captus amore
Orbis fallacis gaudia vana fugit.
Dignus erit ſpecimen vitæ cœleſtis & arram
Sumere, quæ ſolus pignora nouit amor.

Ad dominum Chriſtum.

SVſcipe contriti cordis pia vota preceſq́,
Et gemitus, ardens quos tibi fundit amor.
Peccatrix veniam lachrymis & amore meretur,
Cui ſua ſunt iuſſu crimina miſſa tuo.
Quas igitur lachrymas dilectio multa dolórque
Exhibet, his veniam da piè Chriſte precor.

Ad dominum Chriſtum ante ſomnum.

BLanda quies molli dum claudit lumina ſomno,
Chriſte precor vigilent pectora munda tibi.
Hinc procul, hinc abeant Veneris phantaſmata blanda,
Sit procùl à caſtis turpis imago thoris.
Cunctáque fallacis fac ſpernere gaudia mundi,
Te ſine dulceſcant dulcia nulla mihi.

Poſt ſomnum gratiarum actio.

NOcte hac præterita pater benigne
Quòd nullis meritis meis, tua ſed
Me ſola bonitate ne perirem
Seruaſti, vt ſolita benignitate
Huius principium videre lucis
Feciſti, tibi gratias, licet ſint
Ago, téque precor piè vt futurum,
Et qui mihi reliqui dies ſuperſunt
Vita, ſic peragam, tibi vt pudico
Et puro valeam placere corde.
Toto pectore viribúſque totis
Tota mente mea te amen colámque
Atque vim tibi dedicata totæ
Vita inſeruiat, vni amore toto
Vota vnita ſit obſequens voluntas,
Vt iam res queat hanc ab inſtituto
Placendi tibi nulla dimouere.
Præter te queat huic nihil placere,
Præter te valeat nihil timere,
Præter te nihil vltra amet, nihilque
Præter te cupiat, nihilq́, quærat.
Quin iam mortua rebus inquieti
Orbis, ſollicitudines moleſtas
Vitet, & ventris libidinoſas
Calcet ſedula cogitationes
Serpentis caput obterat maligni,
Ne ſeſe inſinuans ſuis dolis

Sibilis

Sibilis queat auribus venenum
Praua infundere perſuaſionis,
Vel ſpiris ſinibuſque tortuoſis
Mentem inuoluere & implicare ſenſus,
His vt libera & expedita clarum
Spreto pondere corporis grauante
Diſcat ſcandere cogitatione,
Et deſiderio æſtuante cœlum
Tota vnita tibi obſequens voluntas.

De contemptu mortis.

NAſcentes morimur, primáque ab origine, noſtra
Semper in interitum, vita caduca fluit.
Vita caduca fluit, ſecumq́, volubile tempus
Hac notas homines conditione trahit.
Inq́, dies aliqua infœlicis portio vitæ
Demitur, & ſenſim viuere deſinimus.
Cum nequeas igitur mortem vitare timendo,
Naturæ legem quid moriture times?
Quid moriture times mortem? num gratior eſſe
Optatus finis quàm via longa ſolet?
Longa dies homini, longa eſt via plena laboris,
An cupis immenſum carpere feſſus iter?
Sed tremis inſpecta turbatus imagine mortis
Et metuis ne te falx truculenta trahat.
Deſipis imprudens, vanum depone timorem,
Atque necis ſtudeas anticipare vices.
Diſce mori mundo, valeas vt viuere Chriſto,
Vt Chriſto valeas viuere, diſce mori.
Clauſtra quieta ſubi, hanc artem te clauſtra docebunt?
Vt ſueſcas viuens mortis inire vias.
Mors pretioſa Deo propria eſt cum cæſa voluntas,
Et Chriſti in puro pectore viuit amor.
Sic poteris tutus tranquillam ducere vitam,
Et læto extremum claudere fine diem.

De laudibus horti.

QVæ rogo lingua poteſt oblectamenta referre
Omnia, quæ in ſeſe fertilis hortus habet?
Dum vaga vere nouo diſtinguit Chloris amœnum
Et ſpargit vario flore & odore ſolum.
Hinc roſa virgineo arridet venientibus ore,
Canáque producto lilia caule nitent.
Purpureos etiam videas fulgere hyacintos,
Et violas, quæ à vi nomen odoris habent.
Mollis amaracus & tenuis ſerpillus, amica
Et ſtomacho ſuaui menta vapore fragrant.
Surgit olus varium, varios quod creſcit in vſus,
Obuiat hæc morbis, hæc parat herba cibos.
Hæc radice valet, foliis hæc, vtilis illa
Semine, dat flores vſibus illa tuis.
Florida pampineas vitis tibi ſuggerit vmbras,
Vnde breui dulce eſt ſponte datura merum.
En tibi diuerſi generis quoque pendula ramos.

Poma grauant menſis grata futura tuis.
Quam iuuat hic querulos auium exaudire ſuſurros,
Et reſonans murmur lene fluentis aquæ:
Et vidiſſet place quantos æſtate labores
In venturam hyemen ſedula tentet apis.
Floribus inſiliens ſtrepitu fremitúque ſonoro
Te excitat, vt nullum tempus inane teras.
Dum licet ergo tibi duro exercere labore,
Perpetua vt valeas inde quiete frui.
Hortulus ipſe etiam dum tot tibi commoda profert
Te docet vt referas pectora grata Deo.
Nam quid terra ferax tanto veſtita decore
Tam varia quid nos vtilitate monet?
Garrula cum denſis reſidet philomela ſub vmbris
Aures quid mulcens mellifluo ore canit?
Nonne creatori ne noſtra ingrata voluntas
Fiat, qui noſtris vſibus iſta dedit?
Quæ ergo lingua poteſt oblectamenta referre,
Omnia, quæ in ſeſe fertilis hortus habet?
Vtpote ſollicito qui excultus ritè colono
Corporis & mentis commoda tanta ferat.
Nunc igitur mentem virtutum floribus orna,
Quæ ſummi debet hortulus eſſe Dei.
Hic roſa virginei referens inſigne pudoris
Floreat, in caſto lilia corde micent.
Fulgeat hic viola & florum genus omne, vapores
Fundat odoratos mens bene culta ſuos.
Aſſiduo vireat lachrymis rorata pudicis,
Chriſti amor has duces ipſe miniſtret aquas.
Queis & odore bono hunc poteris reuocare morantem,
Cordis vt inuiſat ſæpè vireta tui.
Quàm fœlix igitur mens, eſt, quæ culta pudicis.
Moribus, & Chriſti languet amore ſui.
Hanc res nulla poteſt vinctam retinere, ſed illi
Ad cœlum vt ſcandat cuncta creata fauent.

Ad diuam Martham.

HOſpita ſancta Dei noſtros miſerata labores
Aſpice nunc quantis angimur vſque malis.
Hinc mare & hinc tellus Martis concuſſa tumultu,
Euentu dubio pectora noſtra quatit.
Suſcipe quæ ferimus tibi nunc pia vota, gementum
Afflictas noli diſſimulare preces.
Gallica námque ſoles Chriſti hoſpita ſceptra tueri,
Gallia præſidio nititur inde tuo.
Ergo tuam noſtri patrio pro iure ſub armis
Sudantes proceres experiantur opem.
Rex vt Franciſcus gemina cum prole fugato
Amplas exuuias victor ab hoſte ferat.
Sed mage chara foret pax inuiolata, fidéſque

Firma,

Firma, niſi obſtarent his mala noſtra bonis.
Nam mala noſtra ſolent domini mouiſſe furorem,
Nos & inoptata degere pace vetant.
Terrificant igitur merito crudelia mentes
Prælia, ſed clades nulla dolenda magis.
Quam quòd relligio peſſum ruit, atque vigore
Et fidei extincto lumine, ſpreta iacet.
Dogmata praua illam lacerant, laceratq; malorum
Chriſtigenum variis impia vita modis.
Speq; & amore ſimul iam deficiente fidéque
Impietas ſumptis viribus aucta viget,
Inq; dies creſcit ſceleris genus omne, nec vlla
Affertur tantis apta medela malis.
Diſſimulata etenim cumulantur crimina, mirum
Eſt igitur miſeros ſi mala tanta premant?
Sique noua antiquis accedant damna ruinis
Dira fames, peſtis, ſæuaq; bella grauent.
His grauiora quidem noſtri meruere reatus,
Et magis eſt multo crimine pœna leuis.
Sed tua iam cunctis pietas eſt cognita ſæclis
Nominis inde etiam gloria nota tui:
Hoſpita tu Chriſti, Chriſtum placare precando
Atque in noſtra ſimul flectere vota potes.
Hoſpitis ergo tui iuſtum moderare furorem,
Nóſque illi ſtudeas conciliare reos.
Det veniam miſeris clemens, ne forte fugandis
Cladibus obſtaclum crimina tua noſtra ſient.
Exterſis ſcelerum maculoſis ſordibus, almis
Moribus exornet pectora noſtra ſibi.
Fœlices erimus nimium nimiúmque beati,
Hoſpitium in noſtro ſi ſibi corde paret.
Pax erit, & gladiis in falces atque ligones
Conflatis rigidam ſcindet arator humum.
Et repetent læti intermiſſa negotia ciues,
Atque Deo cuncti debita vota ferent.

De Chriſto à mortuis reſurgente.

DE cruce qui renuit deſcendere Chriſtus ab atra
Morte triumphatis hoſtibus ecce redit.
Crede igitur Iudæe Deo, nam plus fuit orco
Scandere, quàm viuum poſſe cauere necem:

De diſciplina pſallendi.

PSallite concordes animis & vocibus, vt ſint
Cantibus & ſacris conſona corda modis.
Nam ſteriles cœlum qui corde vagante feruntur,
Obtundunt potiùs quam placuiſſe queant.
Nec de nare decet balbum reſonare canentem,
Molliter & ſegnes promere ab ore preces.
Mollis fœmineos deſignat vocula mores,
Dentibus & pigros vox male preſſa ſonans.

Qui oſcitat & vaſtos pſallendo pandit hiatus,
Exhululans faciles concitat ille iocos.
Ergo virili animo pariter quoque voce canora
Diuinas laudes pangere ritè decet.
Non tamen elato vt ſuperos clamore fatiges,
Hoc quaſi te cœlum ſic penetrare putes.
Si deſyderio clames & amore, benignè
Vota precéſque tuas audiet omnipotens.
Audiit omnipotens Moſis ſine voce precantis
Clamorem & fuſas corde rogante preces.
Effundens animam domini conſpectibus Anna
Excelſum penetrat ore ſilente polum.
Si optas ergo Deum cantu placare, memento.
Ferueat vt ſancti Pneumatis igne pio.
Non aliena ſacris immiſce verba camœnis,
Vt purè valeant complacuiſſe Deo.
Syncopa nec minuat, nimium nec verba trahantur,
Nam vitia vtraque ſunt iſta cauenda tibi.

De reditu auctoris à cura monialium ad Inſulam Letinam.

VExatus toties fruſtrà ſudoribus hauſtis,
Lerinæ repeto littora nota meæ.
Eſt vbi tuta quies, tutus placidúſque receſſus,
Tutus & à vulgi turbine portus adeſt.
Non ibi fœmineas metuam exaudire querelas,
Longè eſt à tantis Inſula ſacra malis.
Nam licet hic inter fratres gratóſque ſodales,
Optata mentis vſque quiete frui.
Ergo ne ſunt tanti muliebria iurgia, charis
Vt ſociis iſtæc anteferenda putem?
Sæpè ego contendi inſanas compeſcere voces:
Sed labor impenſus totus inanis abiit.
Nam mihi iam ſurdas intenſus fecerat aures
Clamor & indomitum garrula lingua furens.
Vnde modo illarum cedo clamoribus vltro,
Ne inſanire miſer fortè ſimul videar.
Nunc igitur valeant, mihi ſi datur optio, ranas
Cornicésve magis perdomuiſſe velim.
Eſt tamen vnde pios quarundam extollere mores
Poſſim, quas meritò vita modeſta probat.
Charius his Chriſto nihil eſt, pro cuius amore
Angustam gaudent arripuiſſe viam.
Iugiter illius memores pia vota ſimúlque
Sinceras fundunt pectore & ore preces.
Lampadibus ruilis eius noctúque diéque
Aduentum vigiles ſollicitæq; manent:

Ad Grego. Monaſterij, S. Benedicti in agro Mantuano præpoſitum diſſuadentem Dionyſio reditum ad Inſulam Lerinam.

CArmina noſtra precor placido pater accipe vultu,
Carmina quæ tenuis noſtra camœna tulit.

Hæc

Hæc olim denſis placuit cecinisſe ſub vmbris,
Dum Lerina dabat otia tuta mihi.
Dictabant teneros captata ſilentia verſus,
Viſáque cantati eſt ſylua referre vicem.
Dum tremulos agili pulſarem pectine neruos,
Carmina carminibus laurus amica dabat.
Ardua de ſummo reſonabat vertice pinus,
Et myrtus Zephyro ſollicitata leui.
Penſilibus reſidens ramis philomela canoro,
Conſuerat lenes ore referre modos.
Turtur caſta ſuos gemebunda canebat amores,
Suaueq́, reddebant culmina celſa melos.
Nempè ibi ſoliuagus modulando paſſer, amœnum
Mulcebat placidis æthera carminibus.
Quinetiam rauco ſtrepitabat murmure pontus,
Curua dabant dulces littora pulſa ſonos.
Hic inter denſas ſalices ranaſq́, loquaces,
Neglectam ſiui conticuiſſe chelin.
Et veluti hebræis quondam Babylonis ad amnes
In luctum verſa eſt cantio læta Syon.
Sic mutata mihi in planctum ſolatia cantus
Claudunt, nec cytharæ fila canora iuuant.
Sed repetens auida Lerinam mente, moleſtum
Exilium triſtis lugeo ſæpè meum.
Et mea dum longo differtis gaudia voto,
Anxius excruciat pectora mœſta dolor.
Nec mihi veſtra placent auguſta palatia, reges
Illa habeant, decet hos marmore fulta domus.
Me deſerta iuuant, ſecretáque littora, quare
Delitiis ſatis eſt Inſula parua meis.

Ad ſcholaſticos, de cultu & veneratione diei feſti Diuæ Catharinæ.

Quos ruis ô pubes? quo te malus abſtrahit error,
Virginis vt ſacrum ſic venerere diem?
Deſipis, ô quantum, non his Catharina choreis,
Nec leuibus gaudet virgo beata iocis.
Virgo beata iocos ſpreuit, luſúſque procaces,
Munda vt ſeruaret corda dicata Deo.
Multiplici radians doctrina & moribus almis
Nos docuit quales exhibuiſſe decet.
Scilicet vt Chriſtum puro amplectamur amore,
Inde bonas auido pectore litterulas.
Hoc ſtudio ætatem decet exercere tenellam,
Ornatu hoc mentem nos coluiſſe decet.
Sed mage contendit vitiis corrupta iuuentus
Vana puellarum iungere vota ſibi.
Inde choros agitant cythara reſonante lyráque,
Et ſaltu quatiunt agmina mixta ſolum.
Omnia complentur variis clamoribus, atque

De multis ſieri vocibus vna ſolet.
Hinc alios videas riſu effuſóque cachinno
Soluier, & dentes his numerare queas.
Hic ſalit, & molli tactu blanditur amicæ,
Furtiuis animum nutibus illa legat.
Detinet hæc alium iucundo ſcommate, dúmque
Verba volant, pectus blanda loquela ferit.
Dúmque alios alij accendunt, Babylonius ignis
Creſcit, & immiſſo quiſque calore furit.
Nec miſeri aduertunt quantò in diſcrimine ſemper
Verſentur, morti & quanta feneſtra patet.
Sed Chriſti immemores fiunt ſtudij atque ſalutis,
Et velut effrenes in mala ſponte ruunt.
Scilicet hinc ſanctis ſtolidi placuiſſe putentur,
Vnde ſolent ſummo diſplicuiſſe Deo?
Quam diuerſa igitur ſtudia & contraria puris
Moribus iſthæc ſunt, quos Catharina doces?
Virgo precare Deum procùl hinc mala tanta repellat,
Artibus inſtituens corda tenella bonis.
Sic dignè poterunt pueri inuptæq; puellæ
Hunc tibi ſacratum concelebrare diem.

In inconſtantes.

NOn cœpiſſe bonum ſatis eſt, ſi fortè laboris
Impatiens cœptum deſeruiſſe velis.
Coniugis Euridice fidibus reuocata canoris
Infernæ exierat iam nigra clauſtra domus.
Infœlix, ſed enim, quia dum malè ſanus amatam
Reſpicit, in ſtygios eſt reuoluta lacus.
Loth coniux, Sodomæ flammis erepta ruentis
Vix benè digrediens cœperat inde fugam,
Cùm miſera in vetitum nitens muliebre ſequuta
Ingenium, vertit lumina flexa retro.
Lumina flexa retro vertit fugitura, moueri
Sed nequit, in ſtatuam verſa repentè ſalis.
Accelerare gradum videas voluiſſe, ſed imos
In glaciem ſtupuit diriguiſſe pedes.
Flectere nec rurſus valet ora pauentia, cuncta
Sed velut inſpecta Gorgone membra rigent.
Ille manus etiam non ritè coaptat aratro
Qui poſt terga tuens ſulcat arator humum.
Ipſe nec eſſe poteſt regnis cœleſtibus aptus.
Diuinæ vt legis nos ſacra verba docent.
Ergò malè exacti puduit ſi temporis, vltra
Qui repetis ſordes vana puella tuas?
Turpis vt ad vomitum rediens canis ipſa videris,
Aut velut obſcœno ſus reuoluta luto.

Ex diuo Ambroſio in Virginem lapſam.

SIccine propoſiti & fidei quoque ſedula cuſtos,
Sic ſeruat votum mens tua firma ſuum?

Quis

Quis furor, infœlix, quæ te dementia cœpit,
Quæ in tantum potuit te rapuiſſe nefas?
Cùm tua membra dares ſceleri, expoſitúmque pudorem
Pollueres fœdis victa libidinibus.
Cùm ſponſo fieret tam magna iniuria Chriſto,
Dum violarentur templa ſacrata Deo.
An non horrebas facinus tam grande, pauéſque
Num tua ſenſiſti corda tremore quati?
Nam domini templum quiſquis voluerit, illum
Diſperdet dominus vt ſacra verba docent.
Sed furor ipſe tuos ſenſus præuerterat, vt nec
Ipſa tui poſſes nec memor eſſe Dei.
Sacra dies aderat Paſchæ cum adſtante frequenti
Cœtu hominum ſacris es ſociata choris.
Tunc mixtos lachrymis plauſu & gaudia vidi,
Quæ pietas ardens iunxerat atque fides.
Non tibi ſuccurrit populi gratantis imago,
Non lucis feſtæ concelebratus honor?
Tunc benè cœpiſti, ſed nunc malè turpia caſtis
Reſpondent cœptis vltima facta tuis.
Non etiam ſanctæ tenuere exempla Suſanne,
Cuius tu immerito nomen inane geris.
Illa ſenum blandis non eſt inflexa loquelis,
Illa nec illatis eſt ſuperata minis.
Vnde fidem potiùs quàm non ſeruare marito
Ritè datam voluit ſuccubuiſſe neci.
Te cœleſtis amor, te olim data dextera Chriſto,
Te timor inferni contimuiſſe nequit.
Lubrica mortifero, ſed ſcortatoris amore
Vinceris & laſſas das ſuperata manus.
Non tu impulſa minis, non tu terrore coacta es,
Sed te ſpontaneam blanda loquela capit.
Nam dum furtiuos cupis auſcultare ſuſurros,
Influit in pectus molle libido tuum.
Quis feret illæſus cinctis ſub veſtibus ignem?
Aut fugiet mortem dira aconita bibens?
Dira aconita tibi ſermo mellitus & ignes,
Immundæ veneris ſuggerit atque faces.
Non pudet imbellem tam te exhibuiſſe, nec hoſti
Vlla reſiſtendi ſigna dediſſe tuo?
Principis Virgo ſegnis quæ obſtare recuſat,
Hoſtibus vt vincant ſe ingerit vltro ſuis.
At quæ principia obſeruat, ſcutúmque fidémque
Obiicit, hanc hoſtis ſuſtinuiſſe nequit.
Sed quæ te ſequitur videas & quanta malorum.
Colluuies, dum ſic ſponte ſubacta cadis.
Nam mitto quod eris communis fabula vulgi,
Quàm priùs in cœlum plauſibus extulerat.
Hæccine quæ monitam ſeſe ſub nocte ſilenti

Dixerat in ſomnis terrificante Deo?
Scilicet hæc, dicent, quæ ſpectris territa florem
Virgineum Chriſto virgo dicata tulit.
Virgo futura breui quæ imprudens viribus impar
Sumit onus, cuius pondere preſſa ruat.
Quàm melius fuerat, robúrque animíque vigorem
Expendiſſe prius, quàm ſe oneraſſe nimis.
Sed grauius thalamis quod deſtinata ſupremis
Extiteras arris iam decorata Dei.
Infœlix igitur quando Veſana furori
Obſequeris tantis iam caritura bonis.
His mala ſuccedunt, queis tu conſueta, pudore
Perfricto toleras qualiacunque libens.
Chriſti ſponſa, patris fueras & filia ſummi,
Dæmonibus nunc es facta miniſtra malis.
Cœleſtis dudum roris nutrita liquore
Angelicos fueras carpere digna cibos.
Nec tamen hunc reputans quo te Deus auxit honorem,
In cœno ſuibus aſſimulata iaces.
Stercora complexa es cœleſtem oblita ſaporem,
Et ſapiunt ori ſordida ſola tuo.
Quo nunc ergo malus, quo te mălus abſtulit error?
Nonne vides quo te turpis adegit amor?
Quo ruis impudens? tua num diſcrimina ſentis?
Heu, neſcis quanta eſt pœna parata reis?
Nunc ſaltem reuoca greſſum, num cernis aperta
Vt rapiant animam tartara dira tuam?
Impia da lachrymas, fletus perfunde perennes:
Et tua continuis ora rigentur aquis.
In cinere & ſacco ſedeas gemebunda, frequénſque
Conſcia peccati pectora tunde tui.
Fortè Deum gemitu contricti cordis amaro
Flexeris, huic talis victima nempè placet,
Non quod virgineum poſſis reparare pudorem.
Non ſi oculis Rhodanus, ſegnis Ararq́, fluant.
Nam Deus ipſe ream potis eſt abſoluere, ſed non
Redditur amiſſus virginitatis honos.
Virginitatis honos & mente & corpore caſtis
Aureola eſt meritis debita virginibus:

Virginitatis amiſſæ deploratio.

QVem tibi virgineum ſacraram, Chriſte, pudorem,
Expoſitum infœlix & miſeranda gemo.
Victa dolore gemo, mœſto dum corde voluto,
Quæ fuerit mentis prima ruina meæ.
Dum malè ſana auidis impuros auribus hauſi
Sermones, penetrat pectora turpis amor.
Diráque dum fallax infligit vulnera, duris
Me ligat, heu, vinclis fœda libido ſuis.
Corrumpunt etenim laudatos turpia mores,

Verba,

Verba, nec eſſe diu viſcera caſta ſinunt.
Inſpirant tacitum dulci ſub melle venenum,
Morſq; ſub illecebris inſidioſa latet.
Impius ille mei florem qui carpſit amoris,
Me traxit fictis in ſua vota dolis.
Captus amore mei gemitus fundebat anhelos,
Me rogitans tanti ferre doloris opem.
Sapè etiam blandis ſuſpiria laſſa querelis
Iunxit, vt his animum flecteret ipſe meum.
Interdum niueas tentans tractare papillas,
Anxius ad fœdum ſollicitabat opus.
Sed nondum veneris fallacia gaudia noram,
Reddere ſola fuit cura in amore vicem.
Stultaq; credebam me poſſe cupidinis artes
Vincere, nec mentem cedere poſſe meam,
Sed malè ſecuram mea me ſententia fallit,
Ferrea nam mollis corda libido domat.
Gaudebam miſeri triſtes audire querelas,
Et cepi gaudens vulnera grata pati.
Hinc mihi Chriſte tui dilectio caſta medullis
Effluit, & cordis ima, libido tenet.
Iam non templa placent, non lectio, non ſacra, leuéſque
Quæro iocos, tantum mollia verba placent.
Mollia verba placent vultúſque occuluſq; renidens,
Aſpera & ad matris verba monentis eram.
Præcipuus labor eſt rutilos componere crines,
Atque leues multo tergere fonte genas.
Conſilio ſpeculi intendens gero cuncta, decora
Fœdo vt amatori complacuiſſe queam.
Blandiri hinc etiam diſco, faciéque ſerena
Arridens molles diſco ciere iocos.
Ora mouere, oculos furtim vibrare petulcos
Ediſco, indiciis & ſine voce loqui.
Quæ quid erant niſi iam præludia cœpta futuri
Signaq; iam ſceleris non dubitanda mei?
Hinc ego compoſito oſtentabam gaudia vultu,
Ore, ſupercilijs luminibúſque loquens.
Dúmque meos foueo laſciuis nutibus ignes,
Iam nequit in toto pectore flamma capi.
Garrula & inconſtans, ſolitæ impatiénſque quietis
Diſcurro nullis iam capienda locis.
Mitibus alloquijs veſanum quæro furorem
Vincere, ſed vinci flamma agitata nequit.
Inq; vicem longas ſolitus traducere noctes
Peruigil amplexus cogitat ille meos.
O, quoties noctis ſecreta ſilentia captat,
Et me clàm tacito conuenit ille pede.
Anxia venturam excuſſoq; ſopore manebam,
Auribus intentis dum mihi ſigna daret.

Cognita ſigna notans ſuſpenſis greſſibus ibam,
Cauta per obſcuram nocte ſilente domum.
Quis furor eſt mentis, dum ſollicitudine tanta
Et varia turpem quærimus arte necem?
Non labor abſterret, non frigora pigra trementes,
Anxius in tenebris non vetat ire timor.
Sed memorare pudet triſtémque reuoluere caſum,
Cùm miſera ab mortem ſponte ligata trahor.
Quo furor inſanam, quo me malus abſtulit error,
Vt ſcelus in tantum me rapuiſſe queat?
O, vtinam mihi tunc nox illa ſuprema fuiſſet,
Cùm potui ſalua virginitate mori.
Ergo vbi productis mulcemus corda ſuſurris,
Sentio iam domitum pectus amore quati.
Sentit & hic, & me queruloſa voce labantem
Impellens vrget turpis amoris opus.
Ingemit, & lachrymis vultum perfuſus amaris
Vlterius ſeſe viuere poſſe negat.
Impia túne meum (dixit) miſerata dolorem
Flecteris, & mortis vis fore cauſa meæ?
Cùm mihi ſis propriis ſemper mage chara medullis,
Sis oculis etiam plus mihi chara meis.
Siccine reſpondes tanto crudelis amori,
Vt miſerum votis diſcruciare iuuet?
Quid faceres odiis ſi te veſanus iniquis
Inſequerer? nonne es tigride ſæua magis?
Illa quidem inſontes, ſed tu immeritos & amantes
Conficis, idcirco es Trigide ſæua magis.
Dixerat & roſeis ſimul oſcula blanda labellis
Imprimit, inde pudet facta ſequuta loqui.
Sic ego dum quæro nocturnos ſtulta ſuſurros,
Curro in vincla mei neſcia facta mali.
Sternit enim vinctam, vinctam ſed ſponte voluptas
Hei mihi & effricta lubrica fronte cado.
Nec valeo in cœlum pudefactos tollere vultus,
Criminis infœlix pondere preſſa mei.
Erigere collapſam, laqueos dirrumpe prementes,
Cerne precor lachrymis ora rigata nouis.
Ora rigata nouo ſemper mihi rore madeſcunt,
Impia dum ſceleris ſum memor ipſa mei.
Lilia quinetiam duplicant mihi viſa dolorem,
Lilia quæ indicium virginitatis habent.
Nunc breuis heu, longo nocet empta dolore voluptas,
Pectora dum ſtimulis vrget anhela ſuis.
Falſa etenim vero mutantur gaudia luctu,
Fixáque ceu cuſpis culpa relicta manet.
Nam Deus ipſe ream potis eſt abſoluere, ſed non
Redditur amiſſus virginitatis honos.
Nunc igitur meritò triſtis mea viſcera fletus

Concutit,

Concutit, & miſeram nil niſi flere iuuat.
Nil niſi flere iuuat, lachrymas rogo Chriſte dolentis
Accipe, & hæc tibi ſit victima grata precor.
Triſtia ne ſpernas Ieſu bone pectora, iam iam
Delitiis ſatis eſt lachryma amara meis:

Ad Delphinam virginem.

SI Chriſto cupias ſponſo Delphina placere,
Filia ſit ſpeculum lectio ſacra tuum.
Lectio ſacra animum virtute & moribus almis
Sordibus abſterſis excoluiſſe docet.
Hoc ergo ad ſpeculum mentis componere vultum
Diſce, in quo ſummi fulget imago Dei.
Non autem prodeſt periturum corpus & ora
Putria conſulto compoſuiſſe vitro.
Corpora pulchra cadent mortis dilapſa ſub vmbras,
Atque auidis fient vermibus eſca breui.
Ludificant tamen hæc vana ornamenta puellas,
Mortis vt immemores tempora vana terant.
Ad ſpeculum pexos diſponunt arte capillos,
Cuncta vitri nutu conſilioq; gerunt.
Sed dum ſtulta cutem virgo depingit & ornat,
Interior fœdo crimine ſordet homo.
Dúmque bonas tanto ſtudio malè collocat horas
Imminet, & furtim mors inopina venit.
Clàm venit, atque frequens ſe dulcibus inſerit annis,
Et vitæ longam ſpem rapit hora breuis.
Ac veluti inflexo moritur flos ſectus aratro,
Falce vel immiti lilia rapta cadunt,
Sic cadit infœlix ſerò quàm pœnitet acti
Temporis, vnde mori iam malè tuta timet,
Tu verò ſtudeas tua ſæpè nouiſſima mente
Voluere, ne incautam falx violenta metat.
Sæpiùs ad mentem ſi atram reuocaueris horam,
Peccati nequeunt arma nocere tibi.
Hanc igitur prudens reputa, noctuq; diéque
Præcaueas animo ne excidat illa tuo.
Cordéque ſollicito Chriſti mediteris amorem,
Et quam te propter pertulit ipſe necem.
Cumq; pium ſuauis ſponſi miſerata dolorem
Lachrymulas dulces fuderis ante crucem,
Fletibus his oro me iungas filia patrem,
Et precibus caſtis tu mihi flecte Deum.

Ad eandem.

AVribus attentis has filia percipe voces,
Vt videas quæ te verba paterna mõnent.
Immemor ipſa domus ſis, immemor atque parentum,
Solius & Chriſti ſit tibi dulcis amor.
Vt valeas Veneris motus cohibere rebelles,
Et carnis ſenſus mortificare vagos.

In cruce fixa mane, crucis amplexare dolores,
Chriſto conformis in cruce diſce mori.
Filia diſce mori, in cœlo ſi viuere gaudes,
Si cupis in cœlo viuere, diſce mori.
Mortua ſint mundo virgo tua membra, ſacriſq;
Vita ſit in Chriſti condita vulneribus.
Hæc meditare frequens, in his tibi ſola voluptas,
Hic vitæ auxilium præſidiumq; tuæ.
Crux tibi ſit ſpeculum, ſpeculum tibi vulnera, mores
Ad quod componas filia chara tuos.
Ipſe tuum cupiet Chriſtus ſpecioſa decorem,
O, nimium fœlix gratia quanta tibi?
Sponſa eris æterni regis, ſummíque parentis
Filia, quantus honos, gratia quanta tibi?
Quantus honos etiam, cum térque quatérque beatam
Te angelicis iunget cellula parua choris.
Paruula cella tuis optata ſilentia votis
Suggeret, & magni munera magna Dei.
Hic Deus immenſa mentem dulcedine paſcet,
Delitiis implens viſcera caſta nouis.
Quàm iuuat hic Chriſti dulces audire loquelas,
Et quæ non liceat verba ſtupenda loqui.
Quàm iuuat & lachrymis eius perfundere ſacros
Et flauo madidos tergere crine pedes.
Quàm dolor vtilis eſt, fletus gemitúſque ſalubres,
Quos trahit ex imo pectore multus amor.
Multus amor paritérque fides ſeruauit amantem,
Cui dat pro lachrymis debita multa Deus.
Hos benè culta tibi rores infundet amoris
Cellula, quos referas munera grata Deo.
Si cupis ergo Dei donum guſtare, ſimúlque
Si optas ad celſi regna volare poli,
Sique ad cor, Chriſti ſecreta audire loquentis,
Verba, caue nugis tempus inane teras.
Sit tibi cura orbis contemptis ſedula rebus
Mente pia & toto pectore amare Deum.
Sedulò amare Deum ſecreta ſilentia cellæ
Sola docent, ſola hæc otia tuta dabunt.
Extra hanc non poteris tutam reperire quietem,
Vndique ſed miſeram prælia acerba prement.
Sola igitur monachis præſtat ſua cellula pacem,
Sola illis rectam monſtrat ad aſtra viam.
Monſtrat & in cœlum ſcalam, quam innixa valebis
Scandere, & angelicos læta videre choros.
Scala crucis lignum quo dulcis Chriſtus Ieſus
Crimine pro noſtro funera dira tulit.
In qua dum madidis illum ſpecularis ocellis,
Et tacitò puras fundis ab ore preces,
Dum lachrymoſa volant alto ſuſpiria cœlo,

Et rigi

Et rigida tundis pectora caſta manu,
His lachrymis precibuſq́, tuum pia filia patrem.
Iunge precor, patris ſis memor vſque tui.

Item ad eandem.

NOn valet agnoſci Naucleri induſtria, ſemper
Si ſua per placidas cymba feratur aquas.
Noſcitur aduerſis quando ille agitatus in vndis
Flamina ſeruauit inter iniqua ratem.
Nec ſine conflictu duri certaminis vllus
Strenuus aut fortis miles habendus erit.
Aſt vbi pugna grauis fuit intenta, labores
Victori merito præmia digna parant.
Sic tua cum fuerit conſtans agitata procellis
Notior emerget inde probata fides.
Et tibi quo grauior pugna eſt abiecta laborum,
Hoc maiora tibi præmia certa manent.
Ergo vagandi aliis conceſſa licentia non te
Abſtrahat à clauſtris virgo pudica ſacris:
Dèque via abducant quarundam exempla, quibus iam
Iam tot aperta patet magna feneſtra malis.
Prædandi datur hinc occaſio ſæpè latroni,
Aurum quum vidit quod rapuiſſe queat,
Dina egreſſa aliàs cupiens vidiſſe puellas,
Vim malè ſeruato rapta pudore tulit.
Tu quoque formida, hæc tibi ſit cautela ſalubris,
Et propriæ curam cauta ſalutis habe.
Viue tibi, quantúmque potes conſortia vita,
Corrumpunt mores impia verba bonos.
Quid iuuat impuras voces audire procorum,
Si decus intactæ virginitatis amas?
Nam quæ virgo procis faciles accommodat aures,
Spernantem proprio confouet illa ſinu.
Ergo quæ tectum geſtat ſub veſtibus anguem,
Illæſa à diris morſibus eſſe poteſt?
Labitur hic ſenſim, & molli ſermone receptus
Icta venenato pectora dente ferit.
Viuere ſola tibi diſcas, mortíſque frequenter
Sis memor, & voti caſta puella tui.
Sis memor & Chriſti ſponſi cœleſtis, & eius
Aduentum accenſa lampade virgo mane.
Hunc audire tibi licet ad tua corda loquentem,
Scripturæ ſanctæ dum ſacra verba legis.
Sic Delphyna potes florem ſeruare pudoris,
Si eius dicta pio pectore fixa tenes,
Et tua ſic virtus ſpectata vt in ignibus aurum,
Virgineis fiet norma tenenda choris.

Ad Franciſcum Valeſium Galliarum Regem. Pro ſacra Lerina.

GRandia qui breuibus tentat præconia chartis.
Claudere, vel tenui voce ferenda putat,

Sic operam ludit, veluti ſi fluminis alti
Vellet aquas minimis impoſuiſſe cadis.
Vnde tuas cupiens Franciſce attingere laudes
Muſa mea ingenti territa mole pauet.
Attamen vt nequeat, ſaltem vt voluiſſe putetur.
Geſtit auens tremula te ceciniſſe chely.
Quod ſtudium vt placeat, Rex humaniſſime, paruis
Addidit augendis munera parua modis.
Scilicet exemplo Perſarum principis, ore
Qui facili oblatas pauperis hauſit aquas.
Certa illi & conſtans creuit fiducia, promptos
Te inſpecturum animos quàm ſua dona magis.
Magna ferant alij, ſed ſi mea pectora pendas,
Non ſunt parua ingens quæ tibi donat amor.
Claráque laurigeri referant tua geſta poetæ,
Belláque meoniis condecoranda ſonis.
Altior vt ſteteris fortunæ pulſus iniquis
Flatibus, vt preſſa creſcere palma ſolet.
Vtque ignes proprio ſuperat Salamandra rigore,
Sic nequeas tantis ſuccubuiſſe malis.
Ergo tuos doctis liceat cantare triumphos,
His quibus intendit clarus Apollo lyram.
Sat mihi nunc fuerit, tua ſi clementia princeps
Me audiat orantem vota animúmque probans.
Non ego te peterem Rex, ô mitiſſime, ni res
Exoptata foret digna fauore tuo.
Nam quid te magis eſt dignum, cui nomina Chriſtus
Indiderit ſummo ritè vocanda gradu.
Quàm Chriſti reparas cultum, Chriſtique clientes
Protegat illuſtris nominis vmbra tui.
Obſequiis Lerina tuis deuincta, potenti
Digna eſt obſequio quam tueare tuo.
Illa tot inſignes monachos pietate tulit, quot
Non radiant nitido ſydera clara polo.
Languenti ſed enim dudum vitiata veterno
Relligio peſſum lege ſoluta ruit.
Abſtulit hinc ſacros laſciua licentia ritus,
Otia dum nutrit mollia ſomnus iners.
Nuncverò antiquæ ſtirpis noua germina priſcum,
Promittunt duce te poſſe redire decus.
Gens colit hanc veteres caſtis imitata parentes
Moribus, auxilio ſed caret ipſa tuo.
Quæ doctrina animum colit, & virtute, piáque
Mente Deum, prompta non ope digna tua eſt?
Huic igitur dextram præbe frontémque ſerenam,
Quodque olim dederas ſponte, dediſſe velis.
Hoc tibi reſtat opus, opus hoc tibi conuenit vni,
Debita pro meritis vt tibi vota canant.

Ad

Ad Margaritam Valeſiam Reginam Nauarræ.

Margaritam candens rutilo ſi iungitur auro,
Pulchrius ex auro ſpendida gemma micat.
Sic tua conſpicuam te reddunt ſceptra, ſed almis
Moribus es multo nobilitata magis.
Moribus accedit diuina ſcientia, quæ te
Inſignem triplici nobilitate probant.
Lumina tanta igitur claris natalibus addens,
Margarita es nitido fulgida ſole magis.
Ergo quis inficias ibit Regina ſupremo
Noblis vt ter ſis ritè vocanda gradu?

Ad Scholaſticam de abnegatione proprię voluntatis.

SI cupis innumeras mundi pia filia fraudes
Et Satanæ varios fallere cauta dolos.
Siq́, rebellantis blandos ſuperare tumultus
Carnis & ætatem ducere caſta velis.
Ægypti fugias cœnoſas nata paludes.
Et montem ſanctæ relligionis ama,
Hic poteris tutam fœlix traducere vitam,
Si ſtudeas pura mente placere Deo.
Cuius ſi cupias altum ſuperare cacumen,
Vince voluntatem filia chara tuam.
Vince voluntatem propriam, tua nempè voluntas.
Te retinet vinclis non ſuperata ſuis.
Semper in inſidiis obſtacula mille parabit,
Libera ne montis ſcandere ſumma queas.
Bellua multorum eſt capitum, quæ inſtructa malignis
Artibus, incautos inſidioſa capit.
Nunc tibi proponit vani fallacia mundi
Gaudia, nunc molles corporis illecebras.
Nunc capti capitis ſpeciem, cutis atque nitorem,
Nunc varium veſtis luxuriantis opus.
Semper & aduerſus Chriſtum fera peſſima bellum.
Concitat, & quæ ſunt huic inimica petit.
Quæ verò ſemel eſt Chriſtum veſtita, fauores
Mundi, & quæ carni ſunt placitura fugit.
Sola animæ reputans vera ornamenta, pudore
Nititur & mundo corde placere Deo.
Ergo voluntatem motus eiuſque rebelles
Comprime, ne laqueis te liget ipſa ſuis.
Impia crudeli cum dæmone fœdera iuxit,
Qua ſine nulla queunt arma nocere tibi.
Vnde feram totis iſtam viribus vnam
Straueris, antiquus debilis hoſtis erit.
Hanc igitur cohibe frænis, niſi nomen inane
Et velum ſanctæ virginitatis habes.
Non meruit monachæ nomen, cui dura voluntas,
Et proprius miſeræ prædominatur amor.

Ad eandem.

Accipe dona tui patris pia filia, quæ te
Vt mundi fugias gaudia falſa monent.
Hei mihi quam ſtultum mundanis fidere rebus,
Deliciiſque animum mergere corporeis.
Hæc igitur tibi ſint moderandæ formula vitæ,
Scalaque qua in cœlum ſcandere nexa queas.
Sint ſpeculum inter vos ad quod componere vultus
Nitere, vt ornata mente Deo placeas.
Hic tibi præcipuus labor, hæc tibi maxima cura,
Ne caſta inficiat pectora turpis amor.
Turpis amor rutilos docet exornare capillos,
Et roſeo niueas pingere rore genas.
Conſpicuæ veſtis deuerrere ſyrmate terram,
Et rara nudos tela amicire ſinus.
Dumque cutem niueam viſu penetrabilis ambit
Faſcia, fit mulier dæmonis eſca mali.
Nutibus hinc blandis iuuenum præuertere ſenſus
Docta eſt, & molli voce ligare procos.
Sed quæ ſponſa Dei eſt, carnis mundique fauores
Reſpuit, & gemitus gaudia magna putat.
Sola igitur Chriſti in thalamo meditatur amorem,
Qui impulit inſontem crimina noſtra pati.
Quæ ſecum voluens nimio liquefacta dolore
Ingemit, & dulces ſoluitur in lachrymas.
Fletibus inde piis caſti rorantibus hortum
Pectoris, accreſcunt lilia mixta roſis.
Illa pudicitiam ſignant, roſa pulchra pudorem
Præ ſe fert gratum virgineumque decus.
Inſuper & violis & purpureis amaranthis,
Virtutum & vario mens pia flore nitet.
Hortulus eſt Chriſti afflatus ſpirantibus auſtris,
Vnde arabum manant ſuauis odoris opes.
Nardus odoratum fert herba puſilla vaporem,
Qui Chriſti celſum ſpirat ad vſque thronum.
Vnde & odore bono ſpecieque illectus amantis
Aduenit è cœlo munera magna ferens.
Quem pura accipiens venientem mente, beata
Ore refert grato cantica læta Syon.
Magnificat dominum, quod hyemes tranſiuit & imber,
Iámque fauent votis tempora verna ſuis.
Caſta gemit turtur, florens dat vitis odorem,
Floribus & gemmis gramina cuncta nitent.
Ergo has delicias, hæc gaudia vera frequenter
Sentit, quæ mundi gaudia falſa fugit.
Pignora caſta capit vitæ cœleſtis & arram,
Donec perpetuis eſt fruitura bonis.

Ad

Ad eandem virginum antiſtitem deſignatam.

Filia vis ne vicem ſtudij mihi reddere? totis
Viribus & tota dilige mente Deum.
Dilige virtutes, animum cole moribus almis,
Diſcere & ſcripturas voluere mente ſacras.
Caſta pudicitiam ſerua, inſidiáſque caueto,
Virgineum & cœtum cauta cauere doce.
Blanditias timeant & mollia verba procorum,
Si integra ſeruare clauſtra pudoris amant.
Inſidiantur enim molli ſermone pudori,
Aſtuti inſidias ficto & amore tegunt.
Fallax ille etenim, quem iungit cœca voluptas,
Solius & carnis ſenſibus hæret amor.
Ille amor, ille inquam verus ſanctúſque probatur,
Si in cunctis colitur corde tremente Deus.
Virgineas igitur diuino nectare mentes
Imbue, vt his aliud nil ſapuiſſe queat.
Solus eis placeat ſponſus cœleſtis, & eius
Flagret in illarum pectore ſemper amor.
Hunc ipſe aduenies ignem cum miſit in orbem,
Quid niſi vt in nobis ardeat vſque iubet?
Cauta ergo vigila colubri ne flatus iniqui
Opprimere hunc, aut res vlla creata queat.
Multa quidem tibi ſunt, poſſis quæ exempla referre,
Nulla ſed his fuerint vſibus apta magis,
Quàm vt tua facta tuis ſint conſentanea dictis,
Vt tua vox moneat, ſed pia vita magis.
Sic tua ſedulitas aliis impenſa docendi
Præmia centenis fructibus aucta dabit.
Virgineum & florem ſi ſerues integra, fructus
Tot tibi virginitas intemerata feret.
Martyribus meritam & tolerantia longa malorum
Æquam mercedem proferet ipſa tibi.
Si ergo bonam de te ſpem ſuſtinuiſſe, laboras,
O te ter fauſtam præmia quanta manent?

Ad eandem ſcholaſticam virginum antiſtitem factam.

CVm præfecta aliis teneas loca prima, memento
Vt tua ne exhibitus pectora mutet honos.
Ille honor vtilis eſt tibi filia chara futurus,
Acceſſiſſe vt onus quem tibi cauta putes.
Sarcina (quis neget?) eſt aliorum cura moleſta,
Vlla nec eſt grauior, ſiue oneroſa magis?

Ad quandam virginem vt virorum colloquia & amœniorem veſtium cultum fugiat.

HEu fuge virgo precor, fuge gaudia falſa doloſa
Orbis & impuros filia chara procos.
Nunquid quæ tectum geſtat ſub veſtibus anguem,
Illæſa à diris morſibus eſſe poteſt.
Nam quæ virgo procis faciles accommodat aures,

Serpentem proprio confouet illa ſinu.
Labitur hic ſenſim, & dulci ſermone receptus
Icta venenato pectora dente ferit.
Rumpe igitur carnis vanique tenacia mundi
Vincula, nec ſubeas tam graue virgo iugum.
Quid tibi cum mundo? tibi quid cum carne caduca?
Quæ Chriſto iam ſis ſponſa dicata Deo?
Non potes his dominis ſeruire ô filia, ſi vis
Cœleſti ſponſo morigera eſſe tuo.
Luxuriante caput quid opus velamine cingi?
Quid pulchræ veſtis ſyrmata longa iuuant?
Syrmata longa pedes inuoluunt atque morantur,
Difficiles Chriſti ne ingrediare vias.
Putria non opus eſt ornari corpora, quæ iam
Iam moribunda auidis vermibus eſca patent.
Illa ſed interior facies ornanda pudicis
Moribus, vt ſponſo ſis ſpecioſa tuo.
Huic vni cupias tantum formoſa videri,
Huic vni placeat complacuiſſe tibi.
Huic inquam ſtudeas ſoli te comere, ne te
In barathrum inferni fœdera fracta trahant.
Fœdera cum Chriſto pepigiſti, pacta frequenter
Volue animo, & retro ne tueare caue:

In virginem laſciuam & proteruam.

QVid renuis mandata pij ſeruare parentis,
Et refugis Chriſti ferre proterua iugum?
Nonne vides vani vt ſubitò fallacia mundi
Gaudia diffugiunt tempore lapſa breui?
Gaudia falſa abeunt vero mutata dolore,
Qui malè continuo conſcia corda grauat.
Inſuper æternos pariunt abeuntia luctus,
Et mala quæ nullum ſunt habitura modum.
Ergo ne ſunt tanti blandæ fugientia carnis
Commoda, vt æternis ſint coemenda malis?
O quantum cupies vitam duxiſſe pudicam,
Cum inſperata tibi venerit hora necis.
Quando igitur ſtimulis vrget te blanda voluptas
Sollicita ſummum mente reuolue diem:

In eandem.

AD ſpeculum flauos dum pectis ſtulta capillos,
Et pingis niueas rore rubente genas,
Quàm ſatiùs fuerat mentis componere vultum,
In quo cœleſtis fulget imago patris.
Nam tibi quid prodeſt moriturum comere corpus,
Interior dum ſe crimine fœdat homo?
Decidet hæc ſpecies carnis dilapſa ſub vmbras
Mortis, & in tenebris hanc teget atra dies.
Pondere preſſa ſuo vita hæc labentibus annis
Decidit, vt grauis hic puluis ad ima fluit.

Ludificata

Ludificata tamen dum vanis tranſigis ævum,
Te reputas nullo tempore poſſe mori.
Dúmque bonas tanto ſtudio male tranſigis horas,
Imminet,& furtim mors inopina venit.
Clàm venit,& tacitè ſe dulcibus inſerit annis,
Et vitæ longam ſpem rapit hora breuis.
Ac velut inflexo moritur flos ſectus aratro,
Sic rapta immiti falce repente cades.

Conſcientia.

NIl grauius torquet,nec pœna moleſtior vlla eſt,
Quàm malè ſi fuerint conſcia corda ſibi.
Ipſa ſibi fiunt carcer,tormenta,crucéſque,
Et grauius quicquid inferus orcus habet.
Contra,nulla magis ſunt gaudia certa modeſtis
Quam bene ſi fuerint conſcia corda ſibi.
Vincula non metuunt,dira aut tormenta,crucés ve,
Vel grauius quicquid inferus orcus habet:

Ad Io. Charrerium.

CHarreri placido legi tua carmina vultu,
Quæ mihi ſunt dulci dulcia melle magis.
Nempe tuæ referunt virtutis ſigna & amoris
Erga me optati non dubitanda tui.
Ergo quod hæc tibi ſunt ſecreta ſilentia cordi,
Et tibi Lerinæ littora amœna placent.
Gaudeo,& hæc vtinam liceat viſiſſe frequenter,
Sæpè vt congreſſu perfruar ipſe tuo.
Sed quia te retinent nunc publica munera,ſaltem
Prouocet optatis me tua muſa modis.
Próque modis modulos referet tibi,ruſtica quamuis
Noſtra ſit,inq; vicem pignus amoris erunt:

Ad Hortenſiam Clariam virg.

ILluſtrem genus,illuſtrem doctrina,ſed alma
Te illuſtrem virtus reddit ipſa magis.
Hinc tua virginitas tantis ſplendoribus aucta
Clarior ignifero ſole micante nitet.
Digna igitur thalamis es Claria virgo ſupernis,
Digna vt ſis Chriſto ſponſa dicata Deo.
Sed prudens caueas aliqua ne labe nitorem
Præclari inficias nominis ipſa tui.
Hortatur clarum te hortenſia Claria nomen
Corpore vt in caſto mens tibi caſta fiet,
Vita igitur fuerit ſi conſentanea claris
Nominibus,dici Claria ritè potes.
Et poteris thalamos ornata lampade claro
Lumine cum ſponſo læta ſubire poli:

Ad Helenam à Maudena virg.

VIrgo Helena inueniſſe crucem lætaris,at iſtud
Ni inuentam caueas deſeruiſſe,parum eſt.
Hanc igitur puris ſtringens amplexibus,vſque

Ad ſummum retine caſta puella diem.
Ipſa iugum domini eſt, teneris quod ferre ſub annis?
Qui didicit, vitiis æthera liber adit.
Nam neque colla premit, nec humi defigere vultus
Cogit portantem, ſed ſuper aſtra vehit.
Ergo iugum Chriſti ſuaue & leue pondus amanter
Suſcipe, & huic mundo mortua viue Deo.

Ad eandem.

PRæcinctos habeas lumbos Helena, atque pudicis
Fulgeat in manibus clara lucerna tuis.
Lampade & accenſa ſponſi cœleſtis in heras
Peruigil aduentum virgo pudica, mane.
Lumen & aſſiduè prudens vigilánſque caueto
Ne grauis extinguat dæmonis aura mali,
Hoc etenim Chriſtus veniens accendit, & ipſum
Quid miſi vt in nobis ardeat vſque iubet?

In ſenem libidinoſum.

DEcrepite & delire ſenex ætate fatiſcis,
Et iam iam capulo vita propinqua tua eſt.
Attamen inſanis, veneriſq; furoribus actum
Te inſolitas ſordes fœda libido rapit.
Continuò ex oculis lippis fluit humor, & iſto
Rore genas rugis oráque arata rigas.
Naribus immundis dependet ſtiria mucci,
Quo velut vnguento ſordida barba madet.
Dentibus & putridis aut vix hærentibus vſque
Dirum fœtorem putido ab ore trahis.
Ergo tibi roſeos formoſa puellula vultus
Vltro protendens oſcula fœda petet?
Quam malè ſtulte ſapis, meretrix te non amat, ipſos
Sed potius nummos captat auara tuos.
Ipſa tuis captam ſe oculis confingit amanter,
At magis eſt loculis capta doloſa tuis.
Dúmque putas vinctam te illam retinere malignis
Artibus incautum te tenet ipſa ſuis.
Illudénſque tibi nummos emungit, & inde
Cùm tibi nil fuerit, perfida terga dabit.
Sed grauius Satan quod rete teneris iniqui,
Illius & nequeas te eripuiſſe iugo.
Et veluti cautam nuclei nidoribus vſti
Mus miſer illectus non rediturus adit.
Sic quoque dum illecebras carnis ſectare, voluptas
Dæmonis obiectos te trahit in laqueos.
Vnde redire volens fruſtrà conabere, per te
Si credis fixum vellere poſſe pedem.
Sed Deus ipſe poteſt duris te euoluere vinclis,
Illum ſi pura quærere mente velis.
Ergo quid expectas? oculos dum luce ſuprema
Proxima iamque inſtans mors inopina premat.

Imminet

Imminet atra dies tibi, & imminet orcus, & ipſa
Expectant animam tartara aperta tuam.

De inuictiſſimo Chriſtianiſſimóque Henrico Francorum rege.

E Cœlo rediens Henrico auctore gubernat.
Legibus Aſtræa gallica regna ſacris.
Ille æqui rectiq; tenax hanc duxit ab aſtris,
Illius hæc clarum nomen ad aſtra vehit.
Stemmatibus claris, fidei cultoribus, amplis
Conuenit & geſtis imperialis apex.
Stemmate præclarus, ſceptris ſimul, atque trophæis
Et fidei Henricus cultor in orbe micat.
Cæſario eſt igitur dignus cognomine, Chriſti vt
Protegat hinc armis, hinc pietate fidem.

De aurea ætate.

I Lla ætas fœlix, humanæ quæ aurea vitæ
Glandes & gratis mitia poma dabat.
Tunc non cura hominum mordax tranquilla premebat
Pectora, nec nummi ſollicitabat amor.
Sed læta cunctis in pace agitantibus æuum,
Sollicitudo fori nulla ſtrepentis erat.
Nunc mea nunc tua res mortalia corda fatigat,
Nos & inoptata degere pace vetat.

Ad Maximum mon. Lerinenſem.

NOx erat, & placidè dederam mea membra quieti,
Cum mihi per ſomnum viſa Thalia tua eſt.
Adſtitit atq; meas permulcens ſuauibus aures
Cantibus, inſolitum prompſit ab ore melos.
Paſcere ſed vix dum dulci modulamine ſenſus,
Ceperat, ex oculis cum mihi lapſa fugit.
Excutior ſubitò, mollique ſopore ſolutus,
Audio adhuc tenues illa abeunte ſonos.
Somnia credideram, mihi ſed fugientis imago
Hæſit, & hanc video cernere mente mihi.
Hæc quoque diſcedens ſigna indubitanda relinquit,
Quæ cecinit digitis ſcripta fuere tuis.
Sed mihi viſa breuis nimium tua cantio, nomen
Maximè nonne decent cantica longa tuum?
Cantica longa decent tua maximè nomina, cùm ſint.
Suauia & hyblæo dulcia melle magis.
Hinc veluti vitreas auidè ſitientibus vndas
Excitat ardentem lympha negata ſitim,
Ac velut ægroto ardorem ſedare volenti
Hunc magis atque magis parua laceſſit aqua.
Sic tua dum metuit prolixo offendere cantu,
Me grauius ſtimulat carmine muſa breui.
Quare age mitte aliàs longiſſima carmina, nomen
Maxime namque decet cantio magna tuum.

Ad Laurentium Cremonenſem.

ME pater hortaris teneros componere verſus,
Et neglecta diu plectra mouere iubes.
Hactenùs obtinuit, fateor, mea muſa tenellos
Quòd nondum didicit pangere docta modos.
Non igitur potui dudum ſepelire talentum,
Mittere vel ſterili dona negata ſolo.
Sed tua me doctos doceat conſcribere verſus,
Muſa rogo, & ſuaui voce referre melos.
Inſuper atque leui percurrere pectine cordas,
Vocibus & fidium iungere ritè ſonos.
Ipſa frequens etenim mihi ſi demulceat aures,
Fortè tibi diſcam retribuiſſe vicem.

De Chriſti domini iugo tollendo.

OBlatum calicem Chriſtus tolerauit amarum,
Orbis vt hinc diſcas ſpernere delitias.
Ergo voluntatem propriam ſpreuiſſe memento,
Chriſti ſuaui ſubdere colla iugo.

Deo exemplo Abrahæ obſequendum.

IMperium domini placida ſi mente ſubibis,
Tutor erit, merces & tua magna nimis.
A terra procul ergo tua diſcede, Deique
Iuſſa tene, & firmam corde calcante fidem.
Firma fides aſino ſed longe à monte remoto
Scandat, & æterno te immolet ipſa patri.

De Placido adoleſcente.

VT viret aſſiduo tellus verſata labore,
Sic pia mens Placidi culta pudore viget.
Et velati exornant pulchri viridaria flores,
Sic roſeus Placidum fuſus in ore pudor.
Nec roſa mane rubens ſuaues cum ſpargit odores,
Sic placet vt Placidus ore pudente puer.

Ad Antonium Arbandum.

QVam tibi noſtra ferunt Antonij ſcripta ſalutem,
Hanc mihi nulla abs te littera miſſa tulit.
Qui mihi pollicitus toties tua ſcripta roganti,
Scripta dare & noſtræ pignora amicitiæ.
Pignora certa peto noſtrum ſignantia amorem,
Nulla tua veniunt ſigna notata manu.
Iam decies pleno creuit Latonia cornu,
Abs te nec ſaltem eſt ore remiſſa ſalus.
Quid ceſſantem alias blandis dum iurgo querelis,
Quid mihi ni nugas ore referre ſoles?
Nuncius omnis abeſt, aut otia nulla ſuperſunt,
Vendicat hæc (dicis) tota Minerua ſibi.
Mitte hæc, & falſum me in Pallada coniice crimen.
Pigritiam potiùs corrige lente tuam.
Nam multi è noſtris iſtinc venere, ſalutis

Qui exoptata tuæ nuntia lata ferant.
Qui iubeat ſaluere tuo me nomine nullus.
Venit, an oblitus fortè ſodalis eras?
Immemorem ſi longa mei te abſentia fecit,
Cauſa leuis te animo denotat eſſe leuem.
Nulla poteſt firmos facilè diſtantia amicos
Soluere, quos Chriſtus iunxit amore pari.
Vnde te amicitiæ decuit ſeruare fidemq́,
Iuráque, vel certè non mihi verba dares.
Verba dabas præſens, nunc abſens verba dedisti
Terga mihi, hinc parua eſt iam tibi habenda fides.
Dum legis hæc forſan rugis obducere frontem
Incipis, at læſus ſcribere cogit amor.
Læſus amor triſtem neſcit cælare dolorem,
Spretus amor ſtomachum continuiſſe nequit.
Ingratus nimis eſt veterem qui ſpernit amicum,
Quando inimicum etiam Chriſtus amare iubet.

Ad Antonium Rorincum adoleſcentem.

QVid dubitas Rorince pio ſubmittere Chriſti
Colla iugo? ambiguas rumpere diſce moras.
Chriſtus ab excelſo veniens deſcendit Olympo,
Pro te dignatus vincula dira pati.
Vincula dira parum, propria te morte redemit,
Abſorptum barathri faucibus eripiens.
Quare igitur ſuaui metuis ſubmittere Chriſti
Colla iugo? dubias rumpere diſce moras.

Ad Annam de Boufremont Virg.

ANna ſoror, Chriſti ſemper tibi pectus amore
Ardeat, & mundi gaudia vana fuge.
Solus amor Chriſti ſponſi cœleſtis, odórque
Te trahat, & poſt hunc currere ſemper ama.
Nil niſi quære Deum, qui ſe quærentibus vltro
Offert, ſi toto quærere corde velint.

Ad eandem.

VIrginei poteris florem ſeruare pudoris,
Si ſpeculum fuerit mortis imago tuum.
Nam vitium ſi vis virgo vitare, ſupremam
Pectore ſollicito ſæpe reuolue diem.

Ad Catharinam de Boufremont virgin. præfectam

AVrea poma tibi mitto Catharina, libenter
Accipe, ſincero quæ tibi corde damus.
Paruula (quis neſcit?) ſunt hæc mea dona, voluntas
Sed tibi ſi nota eſt, munera magna dedi.
Non etenim rebus ſunt menſuranda, benigna
Pectora, ſed dantis ſunt reputanda magis.

Ad Ioannem Vulteium amicum.

MVneris exigui pretium perpendis amice?
Non eſt paruum, ingens quod tibi mittit amor.

Grandia ſi ſit amor grandis, dat munera, parum
Si ſit amor, paruum ſic quoque munus erit.

Ad Reuerendum in Chriſto Patrem Leonem Vrſinum Epiſcopum.

QVæ tibi parua fero læta pater accipe fronte
Munera, nec tam rem quàm mea corda putes.
Si id facies, donum me grande dediſſe putabo.
Et multo maius te retuliſſe mihi.

Ad Ægidium Boerum.

IRo pauperior nequeo tibi mittere magna
Dona, ſed hæc ſtudiis ſint precor apta tuis.
Tu dulces recinis mellito gutture verſus,
Et docto ad numerum pollice plectra moues.
Scribere quo valeas etiam tua carmina, lauem
Hunc calamum noſter mittere iuſſit amor.

Ad Reuerendiſſi. Cardin. Bellaium.

PAuperis exiguum munus ne temne clientis,
Cuius ſi reputes pectora, magna dedit.
Æra duo viduæ num grata fuiſſe probantur,
Grandibus & donis plus placuiſſe Deo?
Scire cupis quare? munera noſtra benignus
Non tam perpendit, quàm pia corda Deus.

Ad Guillielmum Langeum.

SI quem nobilitant proauorum ſtemmata, ſi quem
Conſpicuum meritis inclyta geſta probant,
Si doctrina piis accedens moribus vllum
Indicio inſignem nobiliore notat.
Quis neget immenſis te dignum laudibus, in quem
Quæ diuiſa aliis omnia miſta fluunt?

Ad Eucherium monachum Lerinenſem.

VT moritur vitreo tractus de gurgite piſcis,
Sic extra monachus viuere claustra nequit.
Si cupis ergo Deo fœlix vixiſſe, polúmque
Scandere, parua tibi cellula monſtrat iter.

Ad Angelum Monachum Lerinenſem

CVm tua cœleſtem teſtentur nomina vitam,
Huic mundo moriens Angele viue Deo.
Ordinis hoc abs te ipſa profeſſio ſancta requirit,
Ni veſtem & monachi nomen inane geris.
Si Angelicos igitur tua conuerſatio mores
Præferat, & Chriſtus ſemper in ore ſonet,
Angelus hinc poteris meritò monachúſque vocari,
Nominibus cum ſit conſona vita tuis.

Ad Ambroſium monachum Lerinenſem.

LErinæ quid nota fugis ſacra littora? nunquid
Oppida fumoſa his anteferenda putas?
Ergo redi fœlix, nec mundi in finibus vſquam
Te credas tanta poſſe quiete frui.

Ad

Ad Margaritam Caſtellanam puellam nobilem.

MArgaritum candore nitens, ſimul atque figuram
Orbis habens, auro carius eſſe ſolet.
Sic tua ſi fuerit virtute & moribus almis
Splendida, margarito eſt mens pretioſa magis.

PROSOPOPOEIA.

Hortatur Muſam ſuam Dionyſius vt Baltezarem Archiepiſcopum miſſo metu adeat.

BAltẽzarem ſummo patrem mihi honore verendum Dion.
Ire ſalutatum cur mea muſa negas?
I, fœlix, anibúſque bonis, quid inepta retractas
Imperium domini ſponte ſubire tui?
Non ego retracto, tua nec mandata recuſo, Mu.
Illuſtres metuo ruſtica adire viros.
Ruſtica ſis ſanè, modo non oblita pudoris Dion.
Illuſtris poteris complacuiſſe viro.
Nam placuiſſe bonis ſatis eſt, placuiſſe malignis
Ne cura, quibus eſt diſplicuiſſe decus.
Quid mea contemnis, mea cur tibi iuſſa moleſta?
Ruſticitas iſtac excutienda tibi eſt.
Altera ſed potiùs vadat, quæ gutture leni Mu.
Docta ſciat doctis concinuiſſe viris.
Nempe ego littoribus quæ ſim conſueta marinis
Quid niſi rancidula, murmura voce darem?
Muſa tibi videor, ſed tunc ſuperata timore
Muta ero, nec piſcis me mage mutus erit.
Dicere contendis ſolitò concuſſa tremore
Vix potero tenuem vt muſca ferre ſonum.
Inde abigar, doctas quod ſic ſtridore fatigem
Aures, indignis accipiárque modis.
Non rectè accipis hæc, hominem quia ſi benè noris, Dion.
Dices, in toto eſt mitius orbe nihil,
Nomine ſi tantum noſtro ſoluere iubebis
Illum cognoſces quam tibi vera loquar.
Amplexu accipiet blando, referétque ſalutem,
Gaudebis iuſſus te ſubiiſſe meos:

Ad Antonium Niſam medicum.

GRata mihi tua ſunt Antoni carmina, cum ſint
Culta, ſed & noſtræ pignus amicitiæ.
Difficiles dicis aſcenſus huius ab imo
Montis, & ægrè me ſcandere Niſa putas.
Durum iter oſtendit quod ad aſtra laboribus itur,
Tramite nam molli nullus ad alta venit.
Vi eſt opus, & conſtans ſola eſt inſtantia cœlum
Quæ rapit, ignauus inde repulſus abit.
Si Deus inſtituit panem ſudore parandum,
Quo ſub lege necis vita caduca agitur.
Quo magis eſt æquum, non abſque labore beatam

Quærere, quæ finem non habitura ſiet?
Hæc alacres animos reddunt meditata frequenter,
Fitq́; labor facilis, qui fuit ante grauis.
Iſtis Oreades celſis in montibus errant,
Naiades hinc videas ludere in amne vagas.
Frondibus & Driades vernant, & flore Napeæ,
Et vario Chloris compta colore nitet.
Hic etiam dulces licet inuitare camœnas,
Suauibus vt recreent pectora mœſta modis.
Hæc ſecreta igitur mihi ſunt paradiſus amœna,
Horridus & ſemper vrbs mihi carcer erit:

De paſſione ſancti Torpetis quam Antonius Aineſius Niſa deſcripſit.

MArtyris illuſtres Torpetis noſſe triumphos
Si cupis, hos docto carmine Niſa canit.
Doctus Apollineis aures mulcere camœnis,
Corpora Pœoniis artibus ægra leuat.
Ergo canit medicus, doctiſque poëta medetur,
Hinc illum meritò præmia bina decent.

Ad Io. Meynerium ſummum Prouinciæ Præſidem.

MOeſta tuo abſceſſa, ſed nunc prouincia gaudens
Pro reditu teddit debita vota Deo.
Lutheri paueant qui dogmata praua tuentur,
Gaudeat & fidei cui pia ſcita placent.

Hortatur Dionyſius Muſam ſuam vt Andream nepotem & Honoratam conueniat, & eis epithalamium decantet.

TE parere meis Thalia dictis
Nunc nũc condecet, vt meũ nepotem
Andream impigra concitóque greſſu
Volſcorum ſtudeas in vrbe agentem
Conuenire, cui nouo marito
Honorata venuſtula integellum
Florem virginei dicat pudoris.
Arſit hanc placido calens amore
Ille cui referens vicem cupitam
Hæc illum ſimili æſtuans amore
Arſit ſi ergo pari æſtuante vtrimque
Flamma, dulcis amor ligauit ambos,
Eſt qui ſoluere vinculo hoc ligatos
Poſſit? non neque mors quidem nec vlla
Quantumuis violenta ſit poteſtas,
Quin poſt fata etiam magiſq́;
Arcte ambos charitas benigna nectetè
A terriſq́; vehens polo locabit,
Ergo hos conuenias libénſque noſtros
Iuſtos ne renuas ſubire iuſſus.
Vrbes quid metuas adire, & vſque
Obſcuris latitans locis, frequentes
Quid cœtus hominum peroſa vites?
An tu fortè nouam verere nuptam
Conuenire? Sed hæc pia te amanter
Cum ſponſo accipiet benigna fronte.
Fauſtis ergo auibus metúque pulſo
Illos oro adeas, libénſque noſtros
Iuſtos atque pios capeſſe iuſſus.
Nam parere meis Thalia dictis
Debes, & memori tenere mente
Quæ mandata damus tibi, hinc memẽto
Cùm illuc veneris, vt meis vtrique
Verbis ſedula nunties ſalutem,
Et quas non monacho licet puellis
Blandas imprimere oſculationes,
Tu noſtra vice gratulans ducentas
Et nuptæ ſimul & nouo marito
Audens porrige, nuptiiſq́; carmen
Suetum concine, & imprecare fauſta
Illis omnia vterque vtrique fidum
Vt ſeruet ſimul integrúmque amorem.

Epithalamium Andreæ Faucherij & Honoratæ Bouiæ.

TRiſti procul hinc, abſcedat & anxia cura,
Feſtum hunc namq́; decent omnia læta diem.

Fulſeris

Fulſerit hæc igitur nobis lux ſydere fauſto,
Almáque cretenſi more notanda ſiet,
Qua ſibi Honoratam nouus ad ſua iura maritus
Andreas dulci captus amore vocat.
Pangite Hymen pueri, ſimul innuptæq; puellæ,
Dicite io ter Hymen, ô Hymenæe Hymen.
Hanc placido iuuenis vernantem flore iuuentæ
Arſit, & optatam reddidit illa vicem,
Par amor hos igitur vinxit, quem nulla vetuſtas
Debilitare, aut vis frangere nulla queat.
Multi illam petiere proci, quos aurea forma
Traxerat, illa fidem frangere fida negat.
Hunc etiam prima vix dum lanugine malas
Signantem multæ concupiere virum.
Attulit hæc aurum, tulit hæc ſua prædia, ſed non
Iſta placent, quoniam docta Minerua vetat.
Pangite Hymen pueri ſimul innuptæq; puellæ,
Dicite io ter Hymen, ô Hymenæe Hymen.
Diligit hanc vnam, ſibi quam Tritonia pallas
Seruauit ditem dotibus ipſa ſuis.
Huic dedit ingenium, ſenſus, animóſque viriles,
Moribus exornans corda pudica bonis.
Artibus inde ſuis inſtruxit diua puellam
Otia vt impigro lenta labore fuget.
Ergo agili gracilem deducere pollice filum
Docta eſt, ſeu tereti carpere penſa colo.
Et lenibus radiis percurrere ſtamina telæ,
Et faciles ad opus ritè mouere manus.
Quin & acu tenues ſic nouit pingere telas,
Vt nec Honoratæ cedere Arachna neget.
Huic etiam ſuaues cantum tribuere Camœnæ,
Delius & dulcem tradidit ipſe lyram.
Pangite Hymen pueri ſimul innuptæq; puellæ,
Dicite io ter Hymen, ô Hymenæe Hymen.
Ergóne ſunt tanti Iunonis munera & aurum,
Palladis vt donis anteferenda ſient?
Iudicio Paridis venus eſt prælata duabus,
Plus alij gazas quas hera præbet amant.
Arbitrio Andreæ potior Tritonia viſa eſt,
Nec piget huic vni poſthabuiſſe duas.
Cui tenerum dederit primis virtute ſub annis
Formandum pectus litteruliſque ſimul
Illa ſibi addictum caſto confouit amore, &
Doctrinæ ad ſummum vexit alumna gradum.
Huic igitur docta nutrito à Pallade quæ nam
Ritè magis fuerit iuncta puella viro,
Quam quæ virtutum redimita eſt floribus, & quam
Artibus erudiit caſta Minerua ſuis?

Hinc benè Honoratam Andreæ deſponsit alumnam,
Quorum eſt hæc thalamis læta dicata dies.
Pangite Hymen pueri ſimul innuptæque puellæ,
Dicite io ter Hymen, ô Hymenæe Hymen.
Hinc Paphia myrto & lauru contexta coronæ
De more ornatos pendeat ante lares.
Spargite nunc thalamos diuerſis floribus intus,
Purpureis halent atria tota roſis.
Huc & odoratos Arabum conferte liquores,
Inque ſacris fument thura cremata focis.
Veſperus exoriens veneri dilectus amantes
Sub thalami leges & pia iura citat.
Pangite Hymen pueri ſimul inuptæque puellæ,
Dicite io ter Hymen, ô Hymenæe Hymen.
Quid metuis virgo? tu ne aſpernaris amantem?
Cur notat obfundens ora venuſta rubor?
Mitis erit, placidas vltro tibi porriget vlnas,
Inter & amplexus oſcula blanda premet,
Oſcula mille dabit, taceo prohibente pudore
Cætera, queis fructus huius amoris ineſt.
Fructus amoris erit, pulchra vt te prole parentem
Efficiat, fructum hunc tæda iugalis habet.
Quid trepidas igitur tædas perferre iugales?
Coniugij renuis præmia tanta tui?
Anxia ſed cunctas quæ nunc tua pectora tangit
Cura nouas nuptas ſollicitare ſolet.
At niſi caſta viro ſacrarit virgo pudorem,
Eſſe nequit coniux, mater & eſſe nequit.
Diſce vxor fieri atque parens, proliſq; futuræ
Spe læta triſtes pellere corde metus.
Pangite Hymen pueri ſimul innuptæque puellæ,
Dicite io ter Hymen, ô Hymenæe Hymen.
Nox hæc vos inter nexum confirmet amoris,
Mutuáque æterno fœdere vincla liget.
Conueniant mores, animi quoque pace ligentur,
Perpetua, vtrique & ſeruet vterque fidem.
Viuite concordes, caſtum ſeruate cubile,
Ne venus infamet hunc aliena thorum.
Sit moderata etiam, ne tanto iniuria fiat
Huic ſacramento, quod Deus inſtituit.
Coniugij finis ſit fœcundare perenni
Prole genus, luxum fœda libido monet.
Non deſunt exempla, quibus frænare monemur?
Carnem, & ſtirpe noua multiplicare domum.
Tobias & Sarra docent qua lege iugales
Vos deceat tædas & coluiſſe thorum.
Exemplo hoc generate Deo pia pignora, caſtam
Vt matrem referat fœmina, maſq; patrem.

Ad

Ad diuam Annam.

ANna parens eius peperit quæ virgo tonantem,
Suſcipe quas humilis fundimus ore preces.
Tu potes infenſum noſtris placare nepotem
Culpis, nóſque illi conciliare reos.
Annuet ille tuis Anna ô ſanctiſſima votis,
Ille tuas vanas non ſinet eſſe preces.
Ergo det vt veniam te interpellante, rogamus.
Promptior afflictis auxiliare precor.
Nos pudet exacti malè temporis, inque futurum
A noſtris cupimus ritè cauere malis.
Noſtra ſed eſt vitiis adeò corrupta voluntas,
Vt meliora probans deteriora velit.
Propoſitum firmet, vires quoque ſuggerat, illud
Vt liceat poſſe, velle quod ille dedit.
Noſtra & ſi poterit iam viribus aucta voluntas,
Freta Deo quæ ſunt hæc potiora ſequi.

In Monachum vagum.

QVid facis in turba, monachi ſi nomine gaudes?
Si fore vis monachus, clauſtra remota cole.

Beati qui lugent.

QVi mœſtus lachrymas fundens ſua crimina luget,
Gaudebit quando venerit hora necis.

Ad monachos diſcumbentes.

DIuinæ legis nutrit ſacra lectio mentem,
Corporeæ vt paſcunt corpora noſtra dapes.
Auribus ergo piis cœleſtes percipe voces,
Vt vegetent mentem pabula ſacra tuam.
Et procul hinc abſint ingratæ murmura linguæ,
Quæ tibi dat Chriſtus munera gratus habe.
Non decet huic monachum triſtes inferre querelas,
Debita ſed potiùs vota referre Deo,
Si tibi non ſapiunt pulmenta aut vina, memento
In cruce quam Chriſtus pocula amara tulit.

Ad Matthæum Marcillium Alenconienſem.

LAudibus immeritis oneras incautus amicum
Me, dum ſupremo tollere honore paras.
Nempè aliena ferunt mihi veſtimenta pudorem,
Cornici vt quondam non ſua pluma tulit.

Ad magnificum. D. Muletum conſiliarium.

MAgna viri magni magno tibi munera donent,
Paruus ego nequeo munera magna dare.
Littoreas conchas læues quoque mitto lapillos,
Naturæ varium luxuriantis opus.
His tamen exiguis quàm magna potentia ſummi
Artificis fulget, cernere mente potes.

Ad Ioannam Tornatoriam virg.

SI fremis inſpiciens mortis pauefacta figuram,
Quid facies cum te falx violenta metet?

Ergo vt non metuas eius cum venerit horam,
Huic mundo viuens incipe cauta mori.

Item de memoria mortis. Diſt.

PEccatum vt valeas prudens vitare, memento
In corde extremum ſemper habere diem.

Item aliud.

SI cupis æternæ vitæ contingere portum,
Sollicita extremum mente reuolue diem.

Ad Barthol. Caſtellanum.

MVnera magna darem, ni eſſet mihi curta ſupellex,
Parua, ſed hæc magni pignora amoris habe.
Magna ferant alij, ſed ſi mea pectora pendas
Non ſunt parua ingens quæ tibi donat amor.
Vnde rogo tibi ſit noſtra hæc accepta voluntas,
Quod volo ſi nequeo, ſit voluiſſe ſatis.

De orando Deum.

ANxia dum variis mens fluctibus æſtuat, oret,
Et Dei in aduerſis experietur opem.

Vera nobilitas.

INgenuus verè eſt, & verè nobilis, vltrò
Qui didicit Chriſti ſubdere colla iugo.

Eleemoſina.

HOc opus eſſe Deo gratum reputato, ſiniſtra
Si manus ignoret, quod tua dextra facit.

Virginitatis typus.

VIrginei teſtudo refert inſigne pudoris,
Dum latet in duro cortice clauſa ſuo.

Vita humana.

ASſidua eſt hominis tentatio vita, nec illi eſt
Donec in hoc viuit corpore, tuta quies.

Conſtantia.

FLuctibus & ventis quatior, tamen vndique firmus
Sto, ſolitus nullis cedere turbinibus.

Otium vitandum.

IGnea ſi cupias effringere tela, Cupido
Quæ mittit, prudens otia lenta fuge.

Eſca plures quàm gladius interimit.

SObrius eſto puer, nam plures ſæpius eſca
Ventris & ingluuie quam gladio pereunt.

De flabro muſcario & morte.

COrporea abigit flabrum, ſed corde latentes
Aſſidue muſcas mors meditata fugat.

In helluonem & guloſum.

STulte ac nocte cades, auidis & vermibus eſcam
Aluum diſtentam Sardanapale dabis.

In doloſum & proditorem.

OScula blanda tibi qui ſe mentitur amicum
Porrigit, ad morſus ſed tibi roſtra parat.
Roſtra parata tibi impendent truculenta retrorſum,

Dum facies ridens inſidioſa fauet.
Leua velut panem monſtret manus altera ſaxum
Occultet, feriat quo malefida canem.

Præteriti temporis pœnitentia.

TEmpora dum tacitis abeunt labentibus annis,
Obrepſit ſenſim cana ſenecta mihi.
Et capulo inſtanti mihi tanta incommoda triſtis
Suggerit, vt nil nunc ingemuiſſe iuuet.
Sed mihi nulla magis ſunt deploranda, mei quàm
Quod fructu vacui præteriere dies.

In eum qui patriam impugnat.

ERgo ne tanta tuam potuit veſania mentem
Et tua tam dirus vertere corda furor.
Sollicitè vt ſtudeas illam lacerare ratem, quæ
Te vehit, vt ſocios perdere ſæue queas.
Sed tibi perniciem ſupremam neſcius vltrò
Stulte paras captus artibus ipſe tuis.
Nam tibi quid reſtat lacera pereunte carina,
Ni vt caput inſanum ſorbeat vnda tuum?

Virtutem ſpreta voluptate eſſe ſectandam.

HErculis exemplo ne te rapuiſſe voluptas
Blanda queat, latam diſce cauere viam.
Lata via incautos laqueis inſtructa doliſq;
Decipit, ad mortem præcipitèſque trahit.
Ardua & angusta eſt, quam virtus inclyta monſtrat,
Ducere ſed tandem ad præmia magna ſolet.
Aſpice victricem quam præfert dextera palmam,
Aſpice victorem quanta corona manet.
Ergo voluptatem ſpernens iter arripe durum,
Digna & pro duro dona labore feres.

Caro aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem.

QVid renuis ratione regi? quid pondera dorſo
Excutis, & collo ſegnis aſſelle iugum?
Nonne ferendo oneri datus es duróque labori?
Et tibi poſt eſcas otia ſola placent.
Dúmque cibo nimium diſtenta exæſtuat aluus,
Nil mihi luxuriem deſidioſus amas.
Inde proteruus hero non vis audire, ſed illum
Niteris obſcæno ſternere calce luto.

Mutua opera.

LÆua manus dextram, læuam quoque dextera mundat,
Inque vicem muli ſcalpere dente ſolent.
Sic cæcus claudum portat claudúſque viciſſim.
Cæco oculos præſtat, præſtat vt ille pedes.
Iſta monent igitur, Chriſti ſi implere velimus
Leges, alterius geſtet vt alter onus.

In eos qui inſontes perſequuntur.

QVadratum lapidem trudens quid inepte laboras?
Tu ne ſtatu hunc recto vertere poſſe putas?

Rectus erit, partes quamuis voluatur in omnes,
Dum teipſum vano ſtulte labore premis.
Sic etiam iuſtum ſi odiis contendis iniquis
Pellere, pœna tibi es, firmior ille manet.

De veritate in lucem prodeunte in linguam maledicam.

CEſſa iam mala lingua virus atrum
Ceſſa effundere, quid iuuat venenũ
Ore tabifico & furente vultu
Suffuſiſq́ oculis draconis inſtar
Paſſim ſpargere? Quis pios malignis
Inſectare odiis, bonumq́ nomen
Illorum laceras? vidéſne tandem
Veritas duce tempore vt retecta
Quæ obſcuris latuit diu tenebris,
Ad lucem venit, vt tuos ſeuerè
Auſus tam temerè licentiores
Ad mendacia comprimat? Proinde
Ceſſa iam mala lingua virus atrum
Ceſſa ſpargere, nam mihi nocere
Dum credis, tibi pœna ſemper ipſa es,
Et paras mihi neſciens coronam.

In ingratum.

ECce herus obſequio vt ſibi demereatur aſellum,
Refricat huic læui pectine ſæpè cutem.
Ille ſed officio domini indignatus in ipſum
Rudit, & excuſſo calce nocente petit.
Hæc, niſi conniues, ſigna tibi picta figura
Quam ſolet ingratus reddere ſæpè vicem.

De indomabili proteruitate malæ mulieris.

QVid tua ſollicitis diſtendis pectora curis
Imprudens, fruſtra tempus inane teris.
Fœmineam ratione velis ſi vincere mentem,
Flectere vel dictis colla proterua putes,
Sic operam ludis, veluti qui ſemina ſiccis
Littoribus mittit, æthiopémve lauat.
Aduerſum in montem ſaxum qui Siſyphus vrget,
Illius euadet culmina ad alta prior,
Quàm muliebrem animum voces linguámque rebellem,
Inſanóſque auſus perdomuiſſe queas.

Epitaphium Iacobi A Graſſa domini Albarni.

SVme chelim, manes cantu venerare viator,
Et tepido fletu frigida ſaxa riges.
Sparge roſam tumulis, manibus fer lilia plenis,
His tecta accumules funera muneribus.
Hic iacet, heu, priſcæ fidei & pietatis imago,
Doctrinæ exemplar, normáque iuſtitiæ.
Oſſa ſepulta iacent, ſuperas ſed vecta per auras
Libera mens cœlum non moritura petiit.
Ergo Iacobe nouo celebrat tua carmine Chriſtum,
Sancta anima Angelicis nunc ſociata choris.
Dum nos, heu miſeri, ſuſpiria crebra gementes
Fundimus, & lachrymis pectora noſtra madent.
Euge beate ſenex, triſtes miſeratus amicos
Reſpice, quos mundi prælia dura premunt.
Prælia dura premunt, noſtri miſerere laboris,
Et pia quæ ferimus munera gratus habe.

Fundimus en ſacros latices, Arabúmque liquores,
Ecce tibi ad tumulos fumat inuſtus odor?

De Cardinali Gonzaga & ſucceſſore eius Hercule.

CArdine diuulſo tremuit domus ampla ſed almi
Firmior Alcidæ robore fulta manet.

Epitaphium Franciſci Faucherij, filius loquitur.

SParge ſacros latices ad buſtum caſte ſacerdos,
Vocibus & puris funde benigne preces.
Funde preces, ſuauémque ſimul ſpirantia odorem
Imponas ſacris maſcula thura rogis.
Túque puer teneras dum condimus oſſa parentis,
Sparge roſas, tumulis ſpargito veris opes.
Ipſe pio gemitu & triſti ſqualore, ſepultum
Proſequar, & lachrymis ſaxa rigabo meis.
Hæc Franciſce tuæ prolis cape vota pióſque
Fletus, quæ heu, nollem dona ſuprema fero:

Epitaph. Ioan. Bectonij Viri nobilis.

COrpus in hac liquit prudens Bectonius vrna,
In cœlum tardet ne graue pondus iter.
Nobilis ille quidem claris natalibus, alma
Sed virtute magis nobilitatus erat.
Nam flagrante Deum coluit pietate, hominéſque
Officiis iunxit demeruitq́; ſibi.
Quis neget hanc igitur cœlum abſcendiſſe ſolutam
Carne animam, ſuperis nunc & adeſſe choris?

Epitaph. Claudiæ religioſæ Tharaſconenſis.

SVnt quibus erecto mens eſt in corpore curua,
Quique figura hominem, brutum animo referunt.
At contra fitiens auido pia pectore cœlum
Claudia, contracto in corpore recta fuit.

Epithaphium Thomæ Couſinerij viri æquiſſ. & ſummi Prouinciæ præſidis. Viator & Cinis loquuntur.

DIc rogo, quid mœſto crucias pia pectora luctu, Vi.
Et tibi continuis fletibus ora madent?
Inuida fatales Lacheſis quia voluere fuſos Ci.
Abnuit, hinc Thomæ eſt accelerata dies.
An gemis hunc, cuius ſuperas euectus ad auras Vi.
Spiritus in cœlum non morituras abiit?
Non, ſed quod Thomam viſa eſt Aſtræa ſequuta, Ci.
Atque hominum rurſus oſa fuiſſe genus.
Hinc dolor, hinc gemitus, hinc triſtia pectora luctus
Angit, & aſſiduis fletibus ora madent:

Dionyſij pinguì Minerua ſe ab oratione de laudibus Thomæ Couſinerij excuſat.

DVm Thomæ ſtudeo clariſſima geſta referre,
Debilis immenſo pondere preſſa cado.
Dúmque ſimul video populos venerandáque patrum
Ora, mihi inſolito corda timore tremunt.

Dicere conanti ſubitò vox faucibus hæret,
Hei mihi, nec poſſum verba negata loqui.

Ad Ioan. Vulteium de morte Cliniæ puellæ.

VVltei dulcem quid luges triſtis amicam,
Inuidia veluti mortis adempta foret?
Clinia viuit adhuc, nec enim mors liuida talem
Abſtulit, at placidam tranſtulit in requiem.
Parce igitur lachrymis, charæ gratare puellæ,
Et miſſam vates docte reſume chelyn.

Proſopopœia ad Cliniam defunctam.

ORbis Clinia ſentiens maligni
Artes atque dolos licentiores
Ad nefas, pia virgo vt integella
Cœleſtes thalamos ſubire poſſes,
Sublata es, nimio ſed eruditus
Iam iam Vulteius poëta preſſus
Ingenti & gemitu grauique luctu
Et deſyderio tui macreſcit,
Languet, liquitur, & velut tepentis
Ad Phœbi radios gelu ſolutum
Senſim deficit. Huic chelys nec vlla
Ars ſolatia vel leuamen vllum
Attuliſſe poteſt, ſed vſque triſtes
Triſtis atque miſer ciet querelas,
Vt blandus gemit angiturq́ turtur
Amiſſam ſociam parémque fidam
Lugens, iam & miſerum perire præſtat,
Quam ſic viuere, nec dolor modo vllo
Eſt vnquam niſi morte finiendus.

Item Cliniæ Epitaphium.

EGregia ſpecie, mage ſed virtute decora
Clinia ſub pario hoc marmore tecta iacet.
Luxêre hanc Charites, dulces luxêre Camœnæ,
Hanc luxit doctus quiſquis in orbe fuit.
Præcipuè ſed enim vates Vulteius illam
Luget, & efficta non ratione gemit.
Vouerat huic thalamos, primum florémque iuuentæ, vt
Iuncta eſſet docto docta puella viro.
Inuida ſed Lacheſis renuit, quia voluere fuſos,
Soluere promiſſum Clinia non potuit.

Epithaph. fratris Petri Macanelli, amicus de morte conqueritur.

ERgo ne cuncta licent tibi mors inimica, nec vlli
Fas erit imperium diſſimulare tuum?
Dignus Neſtoreos Petrus qui viueret annos,
Interiit telis ictus iniqua tuis.
Moribus hic caſtis doctrinam iunxerat, vnde
Neſtoreos annos viuere dignus erat.
Cuncta ſed immiti reſecans viuentia falce
Conficis, & nulli parcere ſæua ſoles.
Mors reſpon. *Quid quereris fruſtra? geminas quid inepte querelas?*
Mœſta quid aſſiduis fletibus ora rigas?
Non ego mors iuſtos perimo, ſed lege ſolutos
Naturæ, è tenebris lucida ad aſtra veho.
At contra reprobis tetri ſum ianua Ditis,
Semper vbi excruciat debita pœna reos.
Parce igitur lachrymis, vanum depone dolorem,
Fletibus his Petrus non eget ipſe tuis.

Oſſa

Oſſa hic tecta cubant, mollique quiete fruuntur
Dum pia mens adiit non moritura polum.
Quòd ſi flere iuuat, potiùs tua crimina defle,
Crimina, quæ ne iteres ſæpè memento mei.
Nam veſtra eſt potiùs ſors commiſeranda, caduci
Quos mundi aſſiduè prælia dira grauant.

Epitaph. Antonij Vitalis.

ANtonij Vitalis in hoc ſunt oſſa ſepulchro
Condita, mens cœlum carne ſoluta petiit.
Nam licet ipſa mori potuere obnoxia morti
Corpora, Vitalis mens periiſſe nequit?

Aliud.

ANtonij mortalia ſunt hoc membra ſepulchro
Condita Vitalis ſpiritus aſtra tenet.

Epitaph. Ioan. Surdi Medici, hoſpes & præfica colloquuntur.

QVis iacet hoc tumulo? quem triſtis & anxia luges? Hoſp.
Non potis es nomen preſſa dolore loqui?
Vix queo, parce hoſpes, Surdus iacet, arte medendi Præf.
Pœonia, quo non doctior alter erat.
Ille inquam ſurdus, male qui non audiit vnquam,
Et claudus quo non rectior alter erat.
Rectius alter erat nullus qui incederet, aut qui
Sanctius excoleret relligione Deum.
Proſequor hunc igitur lachrymis, huic mœſta parento,
Iuſta hæc pro meritis ſoluere cogit amor.
Ergo ne iuſta decent hæc Surdum, qui male nunquam Hoſp.
Audiit, & quo non rectior alter erat?
Sparge roſas tumulis, violas, & lilia plenis
Fer manibus, iuſtum talia iſta decent.
Suauis Amaracus hic de pixide fundat odores,
Et pleno cornu Copia veris opes.

Proſopopœia qua Ioan. Vulteium amicus alloquitur de immatura illius morte conquerens.

SIccine Vultei mœrentes linquis amicos,
Vixque ſalutatus chare ſodalis abis?
Heu, quantam fecere probi ſimul atque diſerti
Iacturam, & doctus quiſquis in orbe fuit.
Quam male de multis igitur meruiſſe putanda eſt,
Illa tuum quæ hauſit dextera ſæua latus.

Item alia ad eundem de Xeniis Cal. Ianuarij paulo ante quam obiit morte.

HEi mihi, quam nollem Iani hæc tibi ferre Kalendis
Munera, quæ fidus reddere cogit amor.
Sed ſic fata volunt, fatis ceſſiſſe neceſſum eſt,
Inuida cum fuſos voluere parca neget.
Attamen hi gemitus noſtrum teſtentur amorem,
Has lachrymas noſtri pignus amoris habe.

Reſponſio Vulteij ad amicum.

NE raptum tibi me putes amice. (lis | Mœſtus proſequeris: necis ne tantas
Quid me tot lachrymis tot & quere | Vires fortè putas, tibi quæ amicum

Integrum ſimul & pium & fidelem
Abſtuliſſe queant? mihi ipſe nexu
Hæres perpetuo æſtimas amicos
Quos non impia vita, non voluptas
Cæca, non ſcelus improbum ligauit,
Sed virtus, faciles q̃ii q̃ mores
Et par ingenium parésque ſenſus
Iunxerunt, nece ſoluier, vel vllo
Seclo diminui pios amores?
Non quin in cineres leues ſoluta
Noſtra hæc corpora morte dũ putreſcũt,
Immortalis amor manebit, vt iam
Teſtatum tibi, ſi tenes, reliqui
Meis carminibus. Proinde ceſſa
Proſequi lachrymis tot & querelis
Me, raptum tibi nec putes amice.

Epitaph. Io. Vulteij.

HVc quicunque venis viator audi,
Huic pacẽ cineri & piam quietem
Exora, & lachrymis benignè caſtis
Si qua ineſt pietas tibi fidéſve,
Et ſacro latice irriga ſepulchrum
Inſignis iacet hic poëta, & ipſe
Rhetor optimus, inclytæq̃ cultor
Virtutis placidus, probus, modeſtus,
Comis, nobilis, elegans, diſertus
Vulteius Lacheſin ſeuerioremi
Et duram violentiam ſororum
Paſſus. Chare igitur viator audi,
Et ſi qua eſt pietas tibi fidéſve
Profuſo tumulum rigato fletu, &
Vdis hinc oculis abi geníſque.

Epitaph. Ioan. Luperij nobilis.

MEnte polum ſitiens oneroſa Luperius oſſa
Liquit, & hoc voluit marmore clauſa tegi.
Nempe quod in melius ratus eſt mutanda die, quo
Pro meritis cuncti præmia digna ferent.

Epitaph. nobilis Matronæ Guillelmæ Luperiæ.

COndita Guillelmæ recubant hic oſſa viator
Siſte gradum, & gemitus funde benigne pios.
Hanc luxêre ſenes pueri, innuptæq̃ puellæ,
Huic fletus mœſtos ſexus vtérque dedit.
Nobilis & quiſquis minima eſt de plebe doloris
Non dubitanda grauis ſigna dedere ſui.
Præcipuè tamen orbatus nunc triſtis alumnam
Hanc ſibi ſubtractam pauper inópſque gemunt.
Nam licet haud dubitent animam petiiſſe polorum
Regna, tamen tali triſte carere putant.

De morte Theophili infantis Epitaph.

DVctus ab his tenebris nunc clara Theophilus infans
Poſſidet ætherei regna beata poli.
Nam Deus ipſe ſuum ne falleret hoſtis amicum
Inſtructis voluit eripuiſſe dolis.

Ad Salmonium Macrinũ de morte filij Theophili infantis cõſolatorium.

QVid fles, & tepidis ſubinde mœſtos
Perfũdis lachrymis Macrine vul-
Non eſt mortuus innocens puellus (tus?
Quem luges, gemitum his amice debes,
Quos error malus abſtulit, nefáſque.
Heu per omne rapit, Vides ne tandem
Vt nunc impietáſque iniquitáſque
Impuri quoque perditique mores
Infœlix hominum genus fatigent?
Vnde prælia, & vnde peſtilentes
Anni? & vnde fames, ſimúlque tanta
Incumbit miſeris cohors malorum?
Nonne hæc crimina noſtra commerentur?
Quare hæc flenda magis, magis dolenda
O duram nimium, grauem, moleſtam,
Ipſi quam ferimus vicem vidéſne
Semper præteritis periculis vt
Succedant noua, quæ imminent miſellis
Nobis vndiq̃? Quid necem ergo tãquam
Crudelem quereris Macrine quod te

Dulci

Dulci parte tui carere iuſſit?
Immò hac parte tui beatiorem
Te fecit potiùs, polo inſerendam
Quàm de carcere vinculiſq; tetri
Traxit corporis. Hinc Macrine gaude,
Et conſors pia gaudeat Gelonis
Veſtri portio quod beata cœli
Tenet gaudia, deſpicitq; terras.
Nam Theopilus abſolutus iſtis
Malis, & ſuperum piis, choreis
Fœlix inſeritur, tenelluliſq;
Cum innocentibus inſequens Ieſum
Qui veſtem ſine labe candidantem
Seruare nouas pio ore laudes,
Et cœleſtia cantica integellis
Tantum viginibus canenda pangit.

Epitaph. nobilis matronæ Andrææ à Seua quæ vſque ad prouectam ætatem virginitatem ſeruans mortem obiit. 1554. præfica & viator loquitur.

PArce precor tumulo, greſſum ſuſpende viator,
Virginis Andrææ hic molliter oſſa cubant.
Vna fuit ex his quæ ornata lumine claro
Lampade, cœleſtes introiêre domos.
Interea donec Chriſto mandante reſurgant
Sarcophago voluit hoc ſua membra tegi.

Epitaph. Petri à Portu Præpoſiti Vencienſis.

SVb lapide hoc dudum vario vexata dolore,
Petri Præpoſiti condita membra iacent.
Mortua membra iacent, ventis mens vecta ſecundis
Optatos portus non moritura tenet.

De immatura morte Scholaſticæ Beſtoniæ virgin. Præfectæ.

ETſi flere vetat fides & ipſa
Chriſti religio necem piorum,
Quòd duro atque graui moleſtiarum
Tandem pondere liberi cupitam
Tendunt in requiem, tamen dolori
Succumbens animus mihi paternos
Fletus imperat, imperat tepentes
Vt fundam lachrymas tuo ſepulchro,
Et ſi flere vetat fides & ipſa
Chriſti religio necem piorum.

Scholaſtica reſpondens loquitur.

QVid raptam tibi me putas? paternis
Quid me tot lachrymiſq; fletibuſq;
Mœſtus proſequeris? necis ne tantas
Vires eſſe putas, tibi quæ alumnam
Caram diſcipulam piámq; natam
Me abſtuliſſe queant? proinde ceſſa
Me iam tot lachrymis tot & querelis
Deplorare pater, mihi ipſe nexu
Hæres perpetuo, nec vlla ſecla
Diſſoluiſſe queunt pios amicos
Quos non impietas iniquitáſve,
Cæca nec laqueis ſuis voluptas
Sed virtus & amor Dei ligauit.
Quinimo in cineres putres ſoluta
Noſtra hæc corpora mortẽ dum fatiſcũt,
Immortalis amor vireſcit, vt iam
Teſtatum tibi (ſi tenes) beatus
Olim Paulus Apoſtolus reliquit.
Ergo tot lachrymis tot & querelis
Ne me proſequere amplius, tuamq;
Me raptam tibi me putes alumna.

Ad Chriſtum Redemptorem.

CHriſte ô dulce animi mei leuamen,
Tutum præſidiũ & decus te amãtũ,
Morte quos propria & pio cruore
Vinclis implicitos necis grauiq;
Oppreſſos Herebi iugo reſoluis.
O verè validam cruoris vndam,
Quæ implexos adamante ſola nexus
Rumpit, quanto hominem tibi atque cœlo
Aſſeris pretio benignè Ieſu.
Quis dignè tibi gratiam vicémque
Pro tantis meritis rependet vnquam:
Qui nos exilio procul fugatos
A cœlo & quaſi faucibus voracis
Abſorptos colubri feruens ſuperno
Patri victima factus & ſacerdos
Nos reconcilias, necémque noſtram
Vincis morte tua. Quis ergo tantis
Dignam pro meritis vicem reponet?

Fac me grati animi referre ſaltem
Signum hæc vt recolens tibi frequenter
Pro diris cruciatibus ſacróque
Sanguinis roſei fluore mœſti.
Heu ſuſpiria pectoris piáſque
Et dulces lachrymas amor refundat.

De aduentu Chriſti ad animam, Ad virgines.

CHriſti ſponſa pio occupata amore
Quæ cœlo niueum integella florem
Caſti corporis integráq; fructus
Mentis ſub teneris dicauit annis,
Laſciuas fugit impias, procaces,
Quas fœdis petulans libido vinclis
Et fallax amor implicat puellas.
Sola eſt in thalamis, vbi libellos
Euoluens ſtudioſius refulgens.
Ad legis ſpeculum ſacræ, decenter
Deterſis maculis genas & ora
Componit, vigilantibúſque ocellis
Cœleſtem manet anxiè maritum.
Hunc vnum cupit, hunc decora ſolum
Scripturæ ſpacians ſacræ in viretis
Quærit ſollicitè, quod ille denſis
Illic ſit ſolitus latere in vmbris.
Qui ſponſæ vt ſtudium probet fidémque
Et deſiderium excitet, cupitos
Vultus ſubtrahit, hæc ſui doloris
Pro ſolatio ſuaue olentes
Et pictos vario colore flores
Carpit, queis agili manu nitentes
Dum ſponſus veniat, ſerit corollas.
Diuinis etiam ſedens in hortis
Dulcem fonte ſacro bibit liquorem,
Qui caſtis refluit ſubinde ocellis,
Dum ſponſi ad numerum chely ſonante
Et leni modulatur ore laudes.
Nam blandis teneros beata amores
Irritans modulis leues ſupernè
Delapſas volucri grada ſagittas
Excipit, rapidóſque amoris ignes
Perſentit tacito in ſinu latentes.
Hinc languens miſeras gemit querelas,
Hinc ſuſpiria laſſula, hinc frequentes
Erumpunt lachrymæ, quibus benignum
Cit blandè in thalamos benigna Ieſum.
Cuius non patiens moras frequenti
Et largo imbre rigat fluente vultus.
Iam vires adimit, dolórque amorq́;
Et cæca taciturnè æſtuante flamma
Senſim liquitur vt gelu ad tepentes
Abſumi radios ſolet micantis
Solis. Quod ſtudium fidele amoris
Ieſus placidè intuens probánſque
Et mœſtos miſerans pióſque queſtus
Secretè placido ſerenus ore
Sponſæ illabitur, & graues repentè
Pellit triſtitias, nouámque vultu
Spirat lætitiam velut procellis
Propulſis hyemis leues Fauoni
Turbati faciem aëris ſerenant.
Cordis dehinc humiles amans receſſus
Sponſæ ſe in placidos ſinus recondit,
Amplexúque ſacro fouet. Cui illa
Arridens nitidis cupita labris.
Sumit oſcula, blandulóſque amoris
Dum aure percipit & refert ſuſurros,
Paulatim in tenuem ſoluta ſomnum
Obdormit placidè. O pium ſoporem,
O certè vigilem nimis quietem,
In ſomnis celeres beata mentis
Attollens oculos videt ſupernas
Admirando acies, ſtupendáque audit
Quæ nulli liceat referre verba.

Animæ diuino amore languentis deprecatio.

LYmpharum vt vitreos ſitit liquores
Ceruus, quem nimius calor perurit,
Sic blandos cupio tuos Ieſu
Vultus aſpicere, & ſacris labellis
Caſtas imprimere oſculationes.
Quare, ô ſponſe meus tibi pudicas
Effundo lachrymas pudici amoris
Teſtes, & gemitus trahens anhelos
Heu heu delitias meas requiro.
Eremi incola ſollitudiniſq́;
Vmbrarum virides peto receſſus.
Hic quærens animi leuare curas
Pro ſolatiolo mei doloris
Aſſumo cytharam ciénſque plectrum
Cantu ſollicito pios amores.
Reſponſant volucres meis camœnis
Illectæ, & quærulis ſtrepunt ſuſurris.
Ah, deſiderium latens medullis,

Vim

Vim nouam patior furentis æſtus,
Quo languens animus liqueſcit igne.
Dein caſtum nitido & pio liquore
Os pectúſque madet, tument ocelli.
O dulcis placidos amoris ignes,
Quid vultus retrahis ſacros Ieſu
Sponſæ num renuis tuæ querelas,
Quæ te deperit impotente amore?
Pectus languidulum tibi ecce anhelat
In me ſplendidulos reflecte ocellos,
Et mi ſuauiloqui ſtrepant ſuſurri.
Vox certè tua blandulíque ocelli
In riſum lachrymas repente vertent.

Ad Barthol. Caſtellanum Archidi. Auenion.

CAſtellane vir eruditione
Inſigni, & pietate moribuſq;
Puris prædite te vnus ex amicis
Lerinæ incola ſolitudiniſq;
Sectator Dionyſius ſalutat.
Qui te ſuſpiciens amat colitque
Quem non immeritò colunt probiq;
Et docti ſimul & colunt diſerti,
Qui doctos ſoleas probos, diſertos
Multo plus propriis amare ocellis,
Et pluris facere intimis medullis.
Hinc Scholaſtica virginum pudica
Cuſtos atque chori ſacri magiſtra
Impertit tibi plurimam ſalutem,
Promiſſiq; tui memor precatur
Vt librum ſibi commodes cupitum.
Vult hinc carpere floſculos nitentes,
Vt libri ad ſpeculum tui decenter
Ornet ſe, & ſpatians in his amœnis
Et vernantibus hortulis requirit
Inter lilia candida & rubentes
Roſas virginei indices pudoris
Pungentes animum leuare curas.
Hinc & virgineæ inſtituta vitæ
Legiſſe vt teneras puellularum
Informet ſimul imbuátque mentes.

Ad Ioan. Vulteium Poëtam

DVlce ô delitium nouem ſororum
Vultei vitreo cui frequenter
Conceſſum eſt labra proluiſſe fonte,
Muſarúmque ſinu quiete blanda
Largitum placidos leuéſque ſomnos
Dormiſſe. Hinc fidibus ſonos canoris
Noſti & gutture ſuauiore lenes
Cantus promere. Da precor pudori
Huic noſtro veniam, tibi ſalutem
Iamdudum voluit Camœna multam.
Noſtra hæc dicere, ruſticas ſed inde
Voces edere cantiunculáſque
Aſſuetam ceciniſſe non venuſtas
Pudebat ſimul & pudens timebat:
Quod ſic auſa foret ſuis ineptis
Indoctiſque modis tuas peritas
Aures tundere. Sed timore miſſo
Excuſſo quoque ruſtico pudore
Perſuaſi facilem, pium, benignum,
Sed (& quod caput eſt) fidelem amicum
Te ſecura petat, ſereniorem
Cui tu porrigeres piámque frontem.
Quin complexu etiam benigniore
Aceeptam faceres tua Camœna
Dignam quæ modulos venuſtiores
Audiret. Docilem proinde ſeſe
Præſtaret, poſito & procul veterno
Attenta numeros notaret aure,
Tandem diſcat vt eruditiores
Fœda Barbarie procul repulſa
Doctis ſueta ſonis referre verſus.

Ad Scholaſticam de miſſa ad eam imagine crucifixi.

O Scholaſtica plurimam ſalutem
Exopto tibi, paruulúmque poſco
Hoc munus placido & ſereniore
Vultu ſuſcipe, nec rei puſillum
Perpendas pretium, magis ſed ipſos
Affectus animi tibi ipſe magna
Pauper mittere non queo, ſed ipſum
Vtcunque eſt, cupio fideliorís
Caſti ſuauis & integelli amoris
Quem in Chriſti tibi debeo, perenne
Pignus poſſideas, mei frequenter
Ad Deum memor vt ſies, magiſq;

Vt Chriſti inſpiciens tui dolores
Quos hæc picta tibi refert tabella
Commori ſtudeas, tuam crucémque
Poſt hunc ſedula baiulans benigno
Et miti domino hanc vicem rependas,
Toto vt pectore & intimis medullis
Illum ſedula diligas. Amorem
Iure abs te repetit, tui qui amore
Tantos ſuſtinuit doloris æſtus
Et mortem tibi debitam. Proinde hunc
Vnum ex omnibus eligas amicum
Et ſponſum, teneros cui pudici
Affectus animi ſacrum q3 puri
Florem corporis offeras, grauéſque
Illius memorans doloris æſtus
Pro diris cruciatibus pióque
Sanguinis roſei cruore caſta
Des ſuſpiria lachrymáſque dulces.
Quæ grati indicium notent amoris.
Quod ſi his lachrymuliſq3 fletibúſque
Et caſtis precibus frequentius me
Iunges, rem mihi feceris placentem.
Et gratum nimis, vnde ſum futurus
Tibi obnoxius vſque dum ſupremum
Claudam fine diem, putrémque donec
Soluar in cinerem & leues fauillas.

Ad Delphinam Tornatoriam.

DElphinæ Dionyſius fideli
Gratæ & diſcipulæ piæq3 natæ
Plurimam ex animo cupit ſalutem.
Si Delphina Deo dicata virgo
Florem virginei tui pudoris
Intactum, intemeratum, & integellum
Conſeruare cupis, quod ipſa certè
Debes, nempè fidem Deo dediſti,
Quam fregiſſe tibi haud licet, fideli
Affixa & memori teneto mente
Quæ mandata aliàs dedi frequenter,
Hæc ſalubria ſunt, honeſta, fida, &
Noſtri in te ſpecimen pudici amoris
De noſtra faciunt bona piáque
Voluntate fidem ſat euidentem.
Turpes ergo procos pudica virgo
Quin porcos potiùs ſuéſque cœno
Aſſuetos grauiter magiſque olentes
Quam commotæ oleant putreis latrinæ.
Hos inquam procul, hos procul fugato
Abs te, cuius amor Deo dicatus
Annis à teneris, piúmque pectus
Nil ſpirare niſi Deum, Deique
Debet verba, nihil putare pulchrum,
Iucundum nihil, & nihil venuſtum,
Nihil denique vel bonum aut ſuaue,
Ni quod Chriſtus amat, cupit, iubétque,
Exemplóque ſuo tibi ſuaſit.
Nil contra reputare precauendum,
Nil durum, nihil aſperum, inſuaue,
Nil putare malum, vel inuenuſtum,
Ni quod is prohibet, vetat, ſuóque
Exemplo docuit cauere, comptos
Hos ergo iuuenes venuſtulóſque
Nitenti cute & ore perpolito
Qui puppas referunt, pudica virgo
Vt peſtes fuge, nam tuo pudori
Tendunt inſidias ſuis venuſtis
Verbis muneribúſque blandientes.
Sub illis laquei latent, quibus te
Incautam capiant, ligent, trahántque
Vinctam in vota ſua, vt tui inſtituti
Effecta immemor ad putres lacunas
In quibus variæ latere peſtes
Et omnis generis ſolent venena,
Contempto nitidi liquore fontis
Ad quem Chriſtus amor tuus benignè
Te ex Euangelio vocat, recurras.
Vt quæ olim croceis ali ſolebas
Fœdo ſtercore nutriare tandem.
Delphina ergo precor tui fidelis
Audi concilium patris, ſilentis
Vt cellæ otia ſolitudinémque
Sectans ſedula diligas grauéſque
Hic Chriſti domini tui dolores
Tecum ſola putans recogitánſque
Et ſanctæ meditans beata legis
Mandata, ambroſiam ſacrúmque noctar
Hoc potes fugiens auerni olentis
Vndas, quas tibi blandiens voluptas
Et calix Babylonius propinat.
Diſce & dura pati boni magiſtri
Greſſus atque ducis tui ſequuta.
Si certè niueum Deo placentem
Florem Virginei potes pudoris
Intactum, intemeratum, & integellum
Conſeruare. Vale, & mei memento
Mi Delphina Deo dicata virgo.

Ad

Ad eandem.

SI Delphina cupis Deo placere
Et cordis thalamum parare Chriſto
Virtutum vario nitore cultum,
Mortis ſi memor, æſtimes & omnem
Diluxiſſe diem tibi ſupremum.
Illam volue animo frequenter horam
Cum ſummi tibi venerint agones.
Tum compreſſi oculi ſuo carebunt
Dulci lumine, cæterique ſenſus
Morte inſtante vigore deſtituti
Fatiſcent, gemitu & frequente pectus
Conceſſum trahet halitus ſupremos.
Hinc migrare neceſſe erit, nec eſt qui
Hanc vitare queat neceſſitatem.
Mortales etenim ſumus ſub iſta
Nati lege, domos potentiorum
Mors æquo pede pauperum & tabernas
Improuiſa quatit. Proinde fixa
Iſtæc mente tene, vt queas vagantes
Corde expellere cogitationes
Et cauta inſidias tibi paratas
Sæuo à dæmone præcauere, & illa
Nunc prudens operare, quæ ſupremo
Te feciſſe die iuuet, putas ne
Tunc in delitiis iociſq; vanis
Vitam egiſſe voles: vel ante mortem
Mortis ſæpè memor tibi paraſſe
Illas diuitias opéſque veras
Fures quæ metuunt nihil, nec vllis
Hoſtis inſidiis patent. Proinde
Has dotes tibi quære ſanctiores,
Queis ornes thalamum Deo dicatum
Caſti pectoris, ô pudica virgo
Sic mortis memor, & mori parata
Mortis impauida anxios timores
Contemnes, ſimul & moleſtiores
Atque acres animi cauere morſus
Diſces freta Deo, Deique amore
Et deſiderio æſtuante iam iam
Diſſolui cupies, vt eſſe Chriſto
Poſſis iuncta tuo, cui placere
Et cordis thalamum ſtudes parare.

Ad eandem.

HOc mortale animam pudica virgo
Corpus continuo grauat, caduca
Et terrena habitatio moleſto
Senſum pondere multa cogitantem
Peſſum deprimit hinc frequenter illam
Vocem cogimur anxiè gementes
Pauli promere gentium magiſtri,
Infœlix ego homo nimis, quis iſto
Me de corpore vinculiſq; mortis
Soluet, libera mens & expedita
Vt Chriſto domino Deóque tandem
Nexu perpetuo hæreat? nec vlla
Hanc res hinc retrahat creata, nullus
Hanc terror moueat, metúſque nullus,
Non tentatio dæmonis maligni,
Non mortis pauor, aut dolor moleſtus,
Aut quicquid ſolet eſſe nunc acerbum,
Sed iuncta Angelicis choris cupita
Dudum pace fruatur & quiete
Laudes ritè canens Deo perennes.

Ad Scholaſticam & Delphinam.

DVlces filiolæ patríſque veſtri
Charis pignora chariora ocellis,
Chara inquam magis intimis medullis,
Veſtra ſcripta mihi expetita dudum
Tantam lætitiam tulere, quantam
Verbis aut animo aſſequi nequirem.
Nam cum ſunt animi benè inſtituti
Et veſtræ ſimul eruditionis
Teſtes, ſunt etiam indices pudici
Optati ſimul & ſimul ſuauis
Quo me diligitis benignè amoris.
Ergo has litterulas legens, tenellos
Et veſtros modulos canens frequenter,
Dum veſtros reputo ſubinde mecum
Fructus, in ſtudiíſque tam beatos
Progreſſus facilè explicare nunquam
Poſſem gaudia, quæ labore feſſa
Demulcent mihi pectora, inde totus
Totus lætitia affluens modeſta
Mecum geſtio, tantum abeſt & huius
Suſcepti vt pigeat laboris vnquam,
Aut me pœniteat, libenter huius
Mandati vt mihi muneris moleſtas
Et multas animi anxiáſque curas
Hoc ſolatiolo leuem. Suaues
Ergo filiolæ patríſq; veſtri
Charis pignora chariora ocellis
Chara inquam magis intimis medullis

Huc incumbite, viribúsque totis
Huc nauate operam, pio atque sancto
Ne vos proposito mouere quisquam
Possit, Dulcis amor Dei sacratum
Pectus occupet, occupétque ocellos
Librorum sacra lectio, pudicis
Solus auribus insonet frequenter
Christus, sermo malus faceſſat omnis
Et quisquis potis est ab instituto
Sancto pellere vos, faceſſat omnis.
Omnes denique sensuum fenestras
Duris claudite pessulis timoris
Christi, ne pateant Deo dicata
Orbi pectora & hostibus malignis.

In natali die Saluatoris, ad Salmonium Macrinum

CAstis nunc animum modis leuemus
Docto & pollice voculisq; blandis
Cœlestes resonet camœna laudes.
Lux nempè orta micat cupita dudum,
Quæ mortis tenebras fugat, nouámque,
Affert latitiam piámque terris
Pacem nuntiat. O diem serenum
O lucem rutilam, ô diem beatum
Summi progenies patris pudico
Virginis thalamo exiit miſellas
Pro nobis miseris gemens querelas.
Huc Macrine pios reflecte mentis
Huc reflecte oculos, Dei ecce verbum
Verbum inquam patris aureum quod or-
Stellarum rutilo venustat igne, (bem
Et pulchris variisq; humum colorat
Passim floribus, & mari vt tumescat
Altè vim incutit, imperátque ventis,
Et motas cohibet potenter vndas,
In præsepe cubat, tenelluliſq;
Nunc vagitibus insonat, quatit qui
Humanas tonitrus fragore mentes.
Verbum denique quod patre à superno
Est natum sine matre, nunc tepente
Virginis gremio fouetur infans.
Huic nunc ergo parens iugalis expers
Tedæ, virgineus sinus recludit.
Atque illum nitidis alit papillis
Cui castis pia blandiens ocellis
Paruis oscula dat tenella labris.
Arridet roseo benignus ore
Christus, & placidos leuans ocellos
In matrem, radios suæ refundit
Immensæ deitatis. Illa prorsus
Sese non capiens modestiore
Gestit latitia, suúmque natum
Cœli delitias tremens adorat.
Cerne vt sedula, & anxia atque anhela
Pannis vilibus obuoluta ritè
Stringit fasciolis tenella membra
Vagitu tenero interim crepantem
Virgo naniolis beata mulcet,
Blæso & murmure canticisque blandis
Inuitat placidos leuésque somnos.
Et nos ergo pios canamus hymnos,
Et sacris modulis Macrine dulces
Iungamus lachrymas precésque puras,
Oremus veniam, precemur vna
Nobis mitis opem ferat cupitam,
Oremus facilem simul parentem,
Vt sua placidum prece & serenum
Nobis efficiat benigna natum.

Ad Margaritam Valesiam Reginam Nauarræ.

LAudabunt alij venustiorem
Formosi speciem oris, aut decoram
Pulchri corporis efferent figuram,
Maiestatem alij, potentiámque
Et regni imperium fauore magno
Tollent, diuitias opésque, multi
Clientum obsequia, omniúmque rerum
Multi congeriem affluentiámque,
Quas fortuna dedit caduca dotes.
Quæ cum corporis attinere solum
Ad cultum videantur, inde nullus
Iustior, melior, beatiórve.
Effici valet, attamen putare hæc
Vulgus summa solet, solétque veram
Hanc vnam reputare faustitatem,
Et tantum reputat beatiores
Queis hæc sunt, sed ego beatitate m
O regina tuam bonis caducis
His non metior, at magis magisq;
Dignam laude fero, quòd ista vili
Pendens, mente pia Deum requiris,
Et ceu legitimum colis parentem,
Cuique sedula seruiens rebelles
Et vagos cohibes seuera carnis
Sensus atque animo imperans beata
Regnas, firmius obtinésque regnum,
Quàm qui olim macedo imperauit orbi.
Hinc mentem sine labe candicantem

Conatu

Conatu aſſiduo ſtudes pudicis
Comptam moribus exibere Chriſto.
Diuinos etiam hauriens liquores
Sacris fontibus irrigas amœnum
Puri pectoris hortulum, vnde tantos
Fructus, diuitias, opéſque profers,
Quantas non tituli queant ſuperbi
Aut nullum valeat tuliſſe regnum:

Ad Annam Coſſeiam puellam nobilem.

ANna virgo graues doloris æſtus
Quos Chriſtus tulit innocens reatu
Pro noſtro meditemur, & profundo
Demus pectore lachrymas pióſque
Fletus, obſecro reſpice vt benignus
Dat tortoribus impiis ſacratum
Corpus aſperioribus flagellis
Cædendum, aſpice quam graui & moleſto
Preſſus pondere montis ad cacumen
Golgotha graditur, ſuam & parentem
Afflictam nimis intuens anhela
Fert ſuſpiria, laſſus, & rudente
Vinctus ducitur innocentis inſtar
Agni, vt ſacrificetur, & reatus
Noſtros victima factus & ſacerdos
Emundet propriꝝ cruoris vnda.
Ah, ſæuus nimium fuit tenellas
Duro in ſtipite qui manus pedéſque
Fixit. Vertice luſtra ad vſque plantas,
En nexam capiti ſacro coronam
Ex ſpinis, ſpeculare Nazareos
Concretos roſeo fluore crines.
Contemplare oculos ſuo carentes
Claro lumine languidóſque vultus,
Afflictaſq; genas, ſiti & moleſta
Arentem nimis intuere linguam
Totum denique contuere corpus.
En foſſum latus, en cruore membra
Manant vndique, quo lauantur omnes
Qui illum corde pio ſequuntur. Ergo
Diſce aduerſa pati, & tuæ ſaluti
Prudens inuigila. Sitim benignus
Chriſtus ſuſtinuit tuæ ſalutis
Cauſa, tantaq; pertulit, beatam
Vt diſcas auidè ſitire vitam.
Diſcas & domini tui ſacrata
Per veſtigia quærere hanc, crucémque
Poſt hunc tollere, debitamq; tanto
Gratiam ſtudeas referre amori.

Ad Salmonium Macrinum.

HVnc Macrine diem notare poſſem
Fœlix candidulo lapillo, & ipſum
Fauſtum dicere, dicere & ſerenum
Et ter dicere & amplius beatum,
Si amplexu mihi contigiſſet atque
Aſpectu placido tuo frui
Regis dum comitatus hic adeſſet,
In quo erant alij tui ſodales.
Nam virtus tua me allicit piúmque
Et ſuaue ingenium tuiq; mores,
Mores candiduli venuſtuliq;
Deuinxere tibi, tibiq; vinctam
Arctiore tenent amore mentem,
Quam magnos ſoleat tenere ferrum.
Quare ſi mihi non licet cupito
Perfrui alloquio, Macrine ſaltem
Me caſtis recrees tuis camœnis.

Ad Ioan. Dampetrum Monachum.

EXpectata diu diúque multum
Exoptata mihi fuere tandem
Abs te reddita dulciora flauo
Melle carmina, quæ erudita cum ſit,
Sint facunda, pia, & ſimul diſerta,
Dulcis mi referunt pij & diſerti
Et docti ingenium ſui parentis.
Nam patrum facies ſolent frequenter
Nati & ingenium ſimúlque mores
Præſe ferre. Proinde quis neget mi
Melle grata magis fuiſſe? cannis
Vel qui de ſiculis fluunt liquores?
Hæc ergo relegens mihi videre
Dampetrum videor bonum ſodalem,
Et fidum pariter bonúmque amicum.
Hinc niſi vetitum foret cuiquam
Præſertim monachis, malum imprecari
Illi ego ſcabiem & grauem chiragram
Lubens imprecer, ac manu reuulſos
Vngues, qui fuit author vt cupitis
Iſtis deliriis diu carerem,
Tanto & tempore ſit frui negatum.
Annos namque duos & amplius iam
Nummularij in ædibus latebant,
Cùm Vulteius amicus vtriúſque
Noſtrum illuc veniens iacere chartas

Neglectas doluit, ferénſque ſecum
Nobis reddidit, illius tenacis
Argentarij in ædibus latere,
Quæ indignæ fuerant, nimis qui auarè
Dum contendit, & huic videtur vni
Rei incumbere quæſtu vt ampliore
Rem magnã augeat, haud pili æſtimauit
Me priuare meo lucro expetito,
Quod pluris facio omnibus tyranni
Lydi diuitiis, opéſque nullas
Nullas delitias, caduca nulla,
Nulla denique quæ putare vulgus
Solet maxima confero cum amore
Noſtro tam placido, pio, atque honeſto,
Quem nec debilitare vel vetuſtas
Longum vel ſpatium queat locorum.

Ad eundem.

QVos ad me numeros tuos dediſti
Legi percupidè atque perlibenter,
Quinimo relego frequens, amicæ
Quod noſtræ referant ſodalitatis
Et noſtri referant amoris ingens
Et clarum indicium, ſimúlque cepi
Magnam lætitiam nouo ex libello,
Illo inquam lepido tuo libello
Æquo pectore quo doces amici
Monentis bené reprehenſiones
Ferendas. Liber elegans, diſertus,
Et doctus magis eſt, magiſq; terſus,
Quam ferre vt temerarias lituras
Noſtras debeat, imperitiórque
Multo Dampetre ſum, pudentiórque
Quam doctas temerè & nimis licenter
Carpſiſſe vt valeam & velim camœnas.
Sed quantum ex animo alterum volumen
De re virginea ſimúlque longum
Carmen quod mihi iam diu dicatum
Scripſiſti, cupiam, æſtimare per te
Vales, vnde ſitim mihi anxiúmque
Hoc deſiderium leuare ſi vis,
Ad me des operam rogo vt ferantur.

Ad Cardinalem Bellaium.

SAlue Pontificum decus ſacræq;
Lerinæ columen, piæ & caterua
Illam quæ incolit, excolitque puris
Ritè moribus & ſacris camœnis
Inſtaurans veteres decenter artes,
Artes cœnobij Deiq; cultum
Collapſum penitus ſopore inerti,
Lenta & deſidia, licentiáque,
Qua per omne nefas licebat olim
Graſſari, nec erant relicta priſcæ
Signa vel leuia vlla ſanctitatis.
Nunc verò auſpice te piæ innouantur
Artes, hinc pietas labórque honeſtus
Suaue exercitiúmque litterarum
Diſcuſſo procul impio veterno
Reflores cit, & in dies reſumptis
Creſcit viribus, impij ſed ipſos
Obnixè impediunt pios, malignis
Et dictis lacerant, grauiq; mole
Falſorum ſcelerum obruunt canino
Docti prælia concitare dente,
Docti crimina cogitata nunquam
Scite effingere, fictáque impudenter
Docti ſpargere vbique & hos & illos
In tuos rabidis ciere dictis,
Quódque acerbius eſt amariúſque
Fletu continuóque proſequendum,
Quod tantum ſcelus atque præter omnem
Execrabile cogitationem
Proles impia perpetrare in ipſam
Audet quæ genuit Deo parentem,
Et vt vipereos ſolere dicunt
Fœtus, ſic laniat maligna matrem,
Quando ſcilicet obſequi recuſans
Euaſiſſe cupit, iugúmque ſuaue
Audacter refugit proterua ceruix.
Vnde nunc miſeri tui clientes
Diris morſibus vndique impetiti
Tanto & pondere perſecutionum
Oppreſſi gemitus trahunt anhelos,
Et ſuſpiria laſſæ lachrymáſque
Squallore obſiti & anxij expetitum
Te te præſidium ſuæ ſalutis
Tutelámque ſuæ beatitatis
Implorant. Igitur pater cupitam
Afflictis fer opem, manúmque feſſis
Mitis porrige, porrige & ſerenam
Frontem triſtibus, & tuo fauore
Dignis iam liceat malis repreſſis
Reſpirare parum, vt beatiores
Progreſſus habeant nouata dudum
Fœlici auſpicio tuo benignè
Præſul hæc ſtudia artium bonarum.

Ad

Ad Antonium Arlerium.

ARlerij faciles piỹq; mores
Et virtus tua me tibi alligatum
Et nexu tenet arctiore vinctum,
Quam vt vllo ſpatio queat locorum
Vllo aut tempore longiore ſolui.
Ergo ſcire volens ſtatum tuámque
Sortem, te volui meis ineptis
Indoctis ſimul & minus venuſtis
Conuenire modis, modos venuſtos
Et doctos ſimul & ſimul diſertos
Vt abs te elicerem, ſeueriore
Qui interdum ſtudio ſoles remiſſo
Sub Daphnes placida virentis vmbra
Dũ plectrum ad munerũ moues, moleſtas
Curas pellere, vt interim ſtrepentis
Oblitus varios fori tumultus
Ceu pennis leuibus repente latus
In altum ambroſiani ſacrúmque nectar
Fonte è Caſtalio bibas, & hinc eſt
Quòd tam ſuauiſono ore cantiones
Profers, & facili manu ſonantem
Percurris cytharam. Mihi ergo gratam
Si vis rem facere & nimis placentem,
Ad me carmina mitte noſtri amoris
Quæ certam faciant fidem, mihique
Statum ſignificent tuum vicémque.
Quòd ſi ſcire meam velis, libenter
Quòd verum eſt referens fatebor, ergo
Paucis accipe. Iam labore longo &
Dudum ſollicitans meam ſenectam
Annorum numero grauem quietis
Olim præteritæ memor, moleſtis
Et duris nimium anxiíſque curis
Expedire animum volens, ſilentis
Lerinæ expetij locos amœnos,
Nota & littora ſolitudinéſque
Secretas mihi iandiu expetitas.
Huic ergo modo redditus latentes
Interdum inſidias paro, voraces
His vt piſciculos vocem trahámque.
Quæ captura mihi dolos & artes
Atri dæmonis indicat monétque,
Vt dum me mala pellicit voluptas
Cautus delitias timere diſcam.
Vt ſub citro etiam iuuat fragranti,
Sub myrto paphia & virente lauro
Vmbrarum placido frui receſſu.
Vt lenes iuuat obſtrepentis auræ
Hic captare ſonos, & æſtuantes
Soles, & quæ animum ſolent moleſtas
Curas pungere, depuliſſe, & inter
Frondes Arboreas aues vagantes
Vt videre iuuat, ſuauiores
Et audire canentium ſuſurros.
Has inter licet & iuuat frequenter
Caſtas delitias Dauidis hymnos
Sacros pangere, verſibúſque caſtis
Et ſonante chely excitare mentem,
Ne torpore iacens graui & veterno
Tandem preſſa ſui immemor retrorſum
Vergat, diſſiliátque ab inſtituto.
Hoc hortantur aues piis ſuſurris,
Hortatur nemus hoc virénſque ſylua,
Quæ dum continuo viret fragrátque
Quid virore ſuo ſuóque odore
Ni exemplar ingerit vt virere ſemper
Atque odore bonæ fragrare famæ
Noſtra mens ſtudeat, bonúmque nomen
Dum ſanctorum operum fragrãte fama
Paſſim ſpargitur, optimum parentem
Qui in cœlis habitat, pio ore cuncti
Dignis laudibus efferant colántque.

Ad Ioan Arlerium Ant. Arle. filium.

QVam de te omnibus ipſe concitaſti
Expectatio opinióque vinctum
Me nexu tibi ſempiterni amoris
Iunxit. Nam Cicero vim ineſſe tantam
Virtuti aſſerit, vt videre nobis
Quos non contigit, hos amare cogat.
Hinc præclara tua indoles tuique
Ingenii ſpecimen boni ac modeſti
Vix dum de facie agnitum coëgit.
Vt te diligerem vnicéque amarem.
Huius cauſa etiam tui parentis
Erga me charitas amoris eſt, qui
Cùm me plus oculis amet, viciſſim
A me plus oculis amatur. Vnde
Mirandum eſt igitur boni parentis,
Fili, Iamque diu probati amici.
Si prolem quoque diligámque amémque?
Præſertim ingenij probi exhibentem
Tam clarum ſpecimen, patriſq; celſam
Cùm præ ſe ferat indolem? Ergo fretus

Hoc amore bonáque opinione,
Quam de te omnibus ipse concitasti,
Te nostro volui monere versu,
Vt patris studio pióque amori
Optatam studeas vicem referre.
Quòd si scire velis viam modúmque
Te Christum decet vt priùs pudicis
Discas fingere moribus, piisque
Et castis precibus colas tenellos
Gressus firmet, & vt labare nusquam
Siue errare queant, sui timore
Sancto dirigat. Hinc adire honestos
Sudores studiúmque litterarum
Iam tutus poteris, quibus decorem
Illustris cumules domus, velut dum
Candens margarita alligata fuluo
Vel iunctus radiat pyropus auro,
Aurum illustrius efficit, vicissim
Auro gemma nitens ligata, multò
Splendet pulchrius & magis renidet.
Alter alterius nitore fulgor.
Ergo nunc rigidis domanda mens est
Præceptis, studiisque litterarum
Informanda, manu & pij magistri
Prudenter moderanda, liberales
Artes ingenio tuo modesto
Dignas, vt cupidè haurias, deinceps
Has vbi imbiberis, iam ad altiores
Possis scandere ritè disciplinas,
Vel sacras studij æmulus paterni
Leges iuráque, queis fori strepentis
Lites & fremitus pacare discas.
Seu mauis sophiæ studere, quæ te
Sursum ad sydereos poli recessus
Introducat, vt hinc queas latentes
Naturæ varias notare causas.
Vt sol purpureo micans ab ortu
Noctis luce sua fuget tenebras,
Et rursus celeri gradu recurrens
Obfusis tenebris diem recondat,
Mundi & multiplices tegat colores,
Vt defessus homo labore fractas
Alterna reparet quiete vires.
Hinc quàm sint domini Deiq; nostri
Admiranda opera & stupenda cernes,
Qui cuncta hæc hominis creauit ergo,
Vt ex his quæ oculis videt, latentem
Discat mente Deum colénsque adoret.
Hinc ergo & gelidæ citos recursus
Lunæ, & stelliferos videbis orbes
Certa lege Deo iubente, motu
Nobis perpetuo vsibúsque nostris
Seruire, & numeris ligata cernes
Rerum prima elementa, & vnde tantos
Quæ fluctus agitant maris procellæ,
Vnde sint tonitrus, graui trementes
Qui humanos quatiunt fragore sensus,
Affectúsque aliáque passiones
Cernes aëris, & fragrans vbique
Quantis vere nouo decora tellus
Sit vestita coloribus, feráxque
Vnde tam varios tibi affluenter
Autumnus pariat parétque fructus.
Quæ si cuncta pio studes frequenter
Corde voluere, senties potestas
Summi quanta Dei sit, atque quanta
Eius sit sapientia, illiúsque
Quanta sit bonitas benignitáque.
Nempè hæc de nihilo creauit ecce
Quæ cernis sapienter & gubernans
Hæc æquis vicibus modisq; miris
Cuncta temperat, vsibúsque nostris
Adoptans tribuit, benignitati,
Vt tantæ studeas amoris aptam
Gratus pro meritis vicem referre.
His ergo studiis benè institutus
Quàm putas fueris patri atque amicis
Gratus? nam sapiens solet parentis
Esse gloria filius, sed ipse
In primis tibi quam beatus atque
Fœlix visus eris, diu cupitos
Fructus dum capies tui laboris
Cuius ne pigeat, frequenter ipsam
Mentis cerne oculis tibi paratam
Quam sudor pariet pius coronam.
Laudis perpetuæ feres honores,
Quos nec mors siquidem nec vlla clades
Abstulisse queant. Opinionem
Ergo & spem studeas bonam tueri,
Quàm de te omnibus ipse concitasti.

Ad Ioannem Dampetrum. Cal. Nouemb. 1543.

Doctos hendecasyllabos tuos hinc
Sexto à mẽse datos graui & molesta
Morbi incommoditate decubanti
Reddidit mihi lentus ille tandem
Nuntius tuus, ex quibus repentè
Tanta lætitia est oborta menti

Vt mi

Vt mi non modicam moleſtiarum
Ægri corporis abſtuliſſe partem
Viſi ſint numeri tui diſerti,
Et docti hendecaſyllabi, nec vlla
Res tunc appoſitè magis magiſq;
Opportuna mihi accidiſſe poſſet.
Sum gauiſus enim quod impudicus
Ille Ganeo, perfidus, malignus,
Fallax, impius, atque caſtitatis
Dirus proditor, & lupus rapacem
Qui vrgens ingluuiem latènſque ouilla
Tectus veſte malo exitus furore
Vnam è Chriſti ouibus dolis & arte
Auerſam gregibus ſacris vorandam
Secum obduxerat, & fugam latenter
Per lucos iniens tenebricoſos
Dum ſe illic reputat latere, tandem
Cum preda ſimul eſt miſer repertus.
Reducti inde fuere vterque pœnas
Non quidèvt meritas darent, tamen quæ
Ad ſummum vſque diem ſuos ſequantur
Auctores. Sed eum breuem libellum
His ſcriptum numeris quo es exequutus
Enormen nimium grauémque caſum
Ad nos mittere non graueris, atque
Si quid eſt aliud tua officina
Quod emiſerit, hac niſi expolitum
Ad vnguem nihil exit, vt nec arbor
Ni bonos bona protuliſſe fructus
Nouit. Hinc timui manum intuliſſe
Doctis hendecaſyllabis tuis, quos
Noſtra non video indigere lima,
Nempè quæ ingenium indicet magiſtri
Obtuſum nimis & iacens, nec illi
Tantum eſt iudicij, vt queat virorum
Doctorum modulos notare tanquam
Non terſos ſatis, aut ſat expolitos.
Sed quod iam tibi ſæpè cogitáui
Noſtras mittere ineptias, & illas
In hunc vſque diem domi latentes
Apud me teneam, ſcias quod illæ
Tam ſordent mihi dum lego aut reuoluo,
Vt illas manibus tuis & horum
Qui ſunt perſimiles tui extimeſcam
Tractandas dare, vel dare intuendas.
Attamen quia me fides amico
Macrino data ſtringit obligatum
Si quenquem potero inuenire fidum
Cui tuto valeam dediſſe librum,
Ad vos ſollicitè dabo ferendum,
Vt errata quibus ſcatet notetis,
Annotatáque corrigatis. Hinc ſi
Vis locos mihi mittere, obligatum
Me tot nominibus tibi arctiore
Fortioréque vinculo obligabis.

Ad eundem.

SI quis fœminei gregis regendi
Curam difficilem nimiſq; duram
Duram inquam nimis & nimis moleſtam
Suſcepit, legat is tuum libellum
Et doctos legat is tuos phaleucos,
Quos de fœminei gregis regendi
Scripſiſti arte, quibus probè ac diſertè
Nec verè minus aut minùs venuſtè
Mores ingeniúmque fœminarum
Depingis. Medicus, ſagax, peritus,
Et ſolers poterit frequenter ipſum
Si euoluat nitidum tuum libellum,
Euaſiſſe, minus nec vnus idem
Diſcet corporis arte ſanitatem
Quam mentis, tenero pióque amore
Pater filiorum habere curam
Diſcet, ſolicitus, vigilq; paſtor
Oues paſcere, & vt bonus magiſter.
Caſtas diſcipulas docere, & vnus
Multorum officia exhibere diſcet.
Atque vt vſus erit ſciet viciſſim
Effici omnia ſingulis, vt omnes
Lucretur Domino Deo pudicas
Creditus fidei ſuæ ſorores.
Sed & quod caput eſt, vir eſſe diſcet,
Ne haram blanditiis dolíſve captus
Molleſcat miſer, & iugum ſubire
Cogatur muliebre, qui regendas
Has ſuſceperat, Ergo qui regendi
Curam fœminei gregis moleſtam
Duro & difficili labore plena
Cœpit, quique volet modos phaleucos
Pulchrè condere, & eruditionem
Multam carpere, voluat is libellos
Et doctos legat is tuos phaleucos
Præſtabunt vtique hoc tui elegantes,
Et docti, ac lepidi tui phaleuci
Vt cum ritè docent viam modumq;
Quo Chriſto valeant regi dicatæ
Virgines, variam afferant legenti
Et rara ſimul eruditionem.

De ſylua Petri Pylade monachi ad lectorem.

A Sſuerus manibus ſuis amœnos
Hortos ſeuerat, ille tam potentis
Et magni imperij potens Monarcha
Quo ſummos ſimul infimóſque vili
Qui de plebe fuere conuocauit
Ad conuiuia ſumptuoſa luxu &
Amplo magnificóque apparatu,
Vt ſui populo indicaret ampli
Gloriam imperij potentiámque.
At noſter Pylades piè ac benignè
Plantauit tibi frondibus virentem
Florum & germine ſuauiter fragrantem
Syluam, & fructibus vndique affluentem.
Hos ergo cupiens tibi placere
Affectúmque ſuum piúmque amorem
Demonſtrare volens tuos in vſus
Apparauit, vt vis fruaris. Vnde
Illectus placido hoc odore amœnam.
Hanc ſyluam pete, ſpiritúmque anhelus
Sub refrigerio virentis vmbræ
Et ſuaui ſtrepitus ſonantis oræ
Reſumens animum foue æſtuantem,
Et fructu tibi ſplendidè apparato
Fœlix perfruere, vt ſubinde lætus
Et gaudens tibi gratulánſque cantes.
Eius quem cupij ſedens ſub vmbra
Fructum cenſeo gutturi placentem
Hyblæo vt pote melle dulciorem.

Ad R. in Chriſto P. D. Balthazarem Archiepiſcopum Ebredunenſem de Eglogis ad eum deſtinatis.

HOs noſtros placido benignè Præſul
Vultu ſuſcipe, quos tibi dicatos
Luſus mittimus. Hinc libidinoſus
Laſciuæ Veneris puer faceſſat,
Faceſſántque ioci licentiores
Turpis ſcurrilitas faceſſat omnis,
Et quæcunque queunt Deo dicatas
Aures lædere, & hinc procùl moleſta
Abſint ſcommata, quæ acriore morſu
Offendiſſe animos ſolent piorum.
Comem nam decet eſſe ſed modeſtum
Et iuncta grauitate Chriſtianum.
Obſcœnus, petulans, ſed & moroſus,
Sermo nec exeat, aut malignus ore
Ex veſtro (inquit Apoſtolus) ſed ille
Qui fidem ædificet, Deóque dignas
Qui grates agat, aut piè monendo
Gratiam quoque præſtet audienti.
Quos ergo tibi mittimus ſeueros
Luſus atque iocos modeſtiores
Æqui conſule, & accipe hos ſereno
Et vultu placido benignè Præſul.

De libris Logicis editis à Petro Oliuario ad lectorem.

TV quiſquis logices peritus artis
Euaſiſſe cupis benignè lector,
Hos doctos lege quos tibi eruditus,
Et doctus, pius, elegans, diſertus
Oliuarius edidit libellos,
Hinc nudas tibi ſimplicéſque voces
Inuenire licet, locos & vnde
Argumenta trahi queant, & artem
Formandi quoque ritè ſyllogiſmos.
Vt quacunque voles queas peritè
De re diſſerere. Ergo amice lector
Hoc doctos lege quos tibi eruditus
Et doctus, pius, elegans, diſertus,
Oliuarius edidit libellos
Si eſſe vis Logices peritus artis.

Ad quandam ſanctimonialem.

AFfectu tenero, pio, & paterno
Mœſtas anxius & gemẽs querelas
Fundo cum lachrymis tuæ ſalutis
Cauſa, & nocte diéque & vſque Chriſtũ
Votis ſolicito piis, benignus
Vt mentem tibi det bonam, pioſq;
Senſus, propoſiti vt memor prioris
Non linquas iter à tuo magiſtro
Et paſtore tibi & pio parente
Qui te olim genuit Deo, frequenter
Monſtratum. Quid enim miſella patrem
Aſpernata fugis? putáſne tandem
Cuiuſquam melius, fideliúſve,
Addo verius, aut amantius, quàm
Patris conſilium tibi futurum?
Vulpes atque lupi latent ouillis
Tecti veſtibus, hos proinde cauta
Si ſapis fugies, procul tuámque

Auertes

Auertes faciem, videre, ne tam
Diram perniciem queas, venena
Qui ſpirant oculis nocentiora.
Quam quæ Regulus intuens refundit.
Qui & laudum titulis & ore fícto
Tectam blanditiis necem propinant.
Hi ſunt qui faciles vias maligni
Inſtructas Satan artibus doliſq́;
Suadent, quas male blandiens voluptas
Septas obſidet, vt procul reducti
Qui his præbent faciles libenter aures,
Chriſti à difficili via qua in altum
Sudore æthera ſcanditur per omne
Acti præcipites nefas ferantur.
Et ſicut laceris equus lupatis
Seſſorem excutit, & ferox per parua
Excurrens ſpatiatur, ac proteruus
Duro calce petens herum repellit,
Sic iſti monitus pios magiſtro
Contempto abiiciunt, ſacráſque leges
Inſtitutáque, regulaſq́; patrum
Sanctorum miſeri & ſuæ ſalutis
Obliti ſimul & Dei benignè
Præfectis renocantibus ſuperbè
Obſequi renuunt, quibus voluntas
Tantum quod iubet, hoc putant licere, &
Quod diſſuaſerit hoc putant decere.
Quare nata precor tui ſalubre
Audi conſilium patris, nec vllum
Cuiuſcunque putes tibi futurum
Vel plus vtile, vel magis fidele.
Chriſto ego genui, pióque lacte
Te doctrinæ alui docens monenſque
Vt quicquid propria imperat voluntas,
Et φιλαυτία ſuggerit maligna
Conſultrix, fugeres, eiq́; amicum
Amœnum licet, attamen periclis
Obſeſſum variis iter caueres.
Dein præcepta Dei viámque cœli
Anguſtam arriperes, bonus magiſter
Quam Chriſtus docuit, ſuiſq́; geſtis
Monſtrauit, ſimilis proteruiendo
Nequando fieres equo carenti
Et mente & ratione. Quare habenas
Sanctæ regulæ & inſtituta perfer
Sanctorum. Renues, ne amore Chriſti
Suſtinere parum, tui qui amore
Diram ſuſtinuit necem, reatus
Vt tuos proprio cruore tergens
Te ſponſam ſibi iungeret? Libenter
Ergo fer monitus patris ſalubres,
Qui te plus oculis amans frequenter
Mœrens ingemit, & tuæ ſalutis
Cauſa cum lachrymis preces refundens
Affectu tenero, pio & paterno
Pro te ſolicitat Deum. Valeto
Supremûmque diem tuum memento.

Ad Ant. Gilbertum de moribus mulierum malarum ſcilicet nam bonas nemo bonus inſectatus iure fuerit.

INfœlix miſer & quetis expers
Triſtis, anxius, & grauis ſibi ipſe
Vitam ducere qui volet, regendi
Curam fœminei gregis, grauémque
Et plenam anxietatis & laboris
Curam ſuſcipiat, malo atque damno
Doctus ipſe ſuo ſciet miſer quam
Hoc ſit fœmineum genus proteruum,
Indomabile, contumax, ſuperbum,
Quam ſit inſtabile, infidele, quámque
Suſpicax, querulum, doliſq́; tectis
Inſtructum, temerarium, inuidúmque,
Ingratum nimis, impium, rebelle
Irarúmque tenax, malignam namque
Iure ſi mulier leuique cauſa
Irritata ſit, heu miſer periſti.
Nam ſi illam placidis ſtudes loquelis
Ab errore reducere, aut rebellem
Duris niteris increpare verbis,
Contemnet monitus pios, tuáſque
Æquè deſpuet increpationes.
Quin rixas fera peſſima impudenter
Irritata magis grauéſque lites
Accendet, tibique ingeret minaces
Vultu vocéque ſæuiens querelas.
Nec ceſſabit idoneam vltionis
Explorare vicem modúmque donec
Vlta de te animum expleat malignum.
Poſt mortem quoque mortuus ſat illi
Non videre, ni exprobrando vita
Functum dilaceret, ſuiſque fictis
Verbis crimina cogitata nunquam
In te congerat. Ergo ſi quietis
Expers, anxius, & grauis tibi ipſe
Vitam ducere vis, gregis regendi
Duram fœminei nimiſque acerbam

Curam ſuſcipe, ſenties malignum
Quam ſit impatienſq3 diſciplinæ
Fœminæ ingenium. Licere credit,
Quicquid praua ſibi iubet voluntas
Et φιλαυτίαε ſuggerit. Mihi autem
Si quando datur optio, ſtrepentes
Exoptem magis anſeres, loquaces
Aut optem potius domare ranas.

Ad Lectorem.

NOlim me inde putes, amice Lector,
Crudelem nimis aut nimis ſeuerum
Quod in fœmineum genus querelam
Viſus ſum tibi fortè duriorem
Impegiſſe. Sed inde cauſa oborta eſt,
Quod certa experientia probaui
Harum difficiles, grauéſque mores.
Quanquã ſunt, fateor, quibus modeſtũ eſt
Et mite ingenium, pium & virile,
Manſuetum, facile, & ſimul benignum,
Magnis quas puto laudibus ferendas
Hoc maiore & honore proſequendas,
Quod ſexu in vario indicant viriles
Conſtanteſq3 animos, probóſque mores.
In quas nulla mihi eſt querela. Durum
Crudelem nimis, & nimis ſeuerum
Nolim me ergo putes, amice lector,

Fœminæ, nec cum flet, nec cum ridet eſſe credendum.

NE tu fœmineis iocis, nec ipſis
Fidas lachrymulis, maligna nãque
Compreſſis digito puella ocellis.
Educit lachrymas amore ficto
Deuictum crocodili ad inſtar, vt te
Incautum voret, impudénſque cum vult,
Deterſis digito doloſa ocellis
Blandis, lætitiam ſerena monſtrat.
In promptu vſque adeò puella vtrumque
Cum vult & lachrymas habet iocóſque

Hortulus.

HVius nolo ſit hortuli Priapus
Cuſtos immeritò Deus vocatus,
Monſtrum turpe nimis nimiſq3 fœdum
Et quo fœdius eſt nihil pudici
Quod ſpectent oculi. Proinde tale
Portentum procul hinc, procul nec vllus
Huic detur locus, hinc procul procaces
Et luſus procul hinc ſalaciores.
Faceſſat procul hinc libidinoſus
Laſciuæ Veneris puer, ſed inter
Vernantes violas, roſas, & inter
Fulgentes vario colore flores
Qui ſuaues arabum ferunt odores,
Et nidos auis exhibent ſuperbæ,
Noſtra perſonet hic amœna laudes,
Grates ex animo Deo rependens,
Qui cuncta ex nihilo creauit vſus
In noſtros, ſimul & creata ſeruat.

Chriſtus hominem alloquitur.

HAnc quicunque ſubis viator aulam
Huc huc flecte oculos, gradũq3 ſiſte.
En cernis ſceleris tui reatus
Quàm magnus fuit, vt mihi neceſſe
Inſonti fuerit luiſſe atroces
Has pœnas tibi debitas ob ipſum
Caput reſpice vepribus foratum
Quam largum vndique ſanguinis fluorẽ
Fundit in faciem ſacrumq3 pectus
Fœdatos etiam intuere vultus
Sputis & colaphis genas cruentis
Liuentes, & amara felle mixto
Pio pocula cerne cogitatu.
Clauis deinde manus pedéſque foſſos,
Atque ingens lateri tuere vulnus,
Totum denique contuere corpus
Flagris dilacerantibus cruentum,
Et tormenta videns tua ſalutis
Cauſa quæ patior frequens memento
Horum ſiq3 mihi vicem referre
Optas, tolle crucem tuam atque mecum
Anguſtum per iter veni, viámque
Latam deſere ſæculi maligni
Quæ ad triſtes rapit inferi lacunas
Quid ingrate facis ſequens amœna
Blandimenta doloſq3 vincientis
Te mundi? Laqueos iacit tenaces
Fallax gaudia dum tibi propinat,
Queis te in tartareas trahat paludes.
Ergo ad me redeas, meóſque greſſus
Cautus proſequere, & graues dolores
Quos pro te tolero intuens cupiti
Mi vicem ſtudeas referre amoris.
Hoc ſi feceris ad poli beatam
Hac via venies beatus aulam.

Gratiarum actio pro Vulteio ſaluti reſtituto

Grates ſumme Deus tibi, licet non
Dignas pro meritis ago, ſodalem
Quod mi reddideris pium, fidelem,
Integrum, placidum bonumq; amicum
Vulteium mihi charierem ocellis
Et qui nil ſibi deputat viciſſim
Noſtro maius amore chariúſque
Hunc mors inſatiabilis cruentis
Iam iam dentibus obterens vorabat,
Sucto & ſanguine & intimis medullis
Nil niſi oſſa remanſerant cutiſq;
Hærens oſſibus aridis, ſed imis
Raptum faucibus eruens maligna
Mortis reſtituis benignè amicis
Illum qui gemitu & dolore mœſto
Lugebant igitur videns ſodalem
Iucundum, placidum, bonúmque amicum
Vulteium mihi redditum renaſci
Mi rurſus videor, die quod ipſo
Qui natalis adeſt meus videre
Hunc ſaluum licuit necis maligna
Raptũ faucibus. Hunc diem ergo Fauſtũ
Puto albo & mihi calculo notandum
In primiſque tibi patri ſuperno
Exiles licet, imparéſque tantis
Grates pro meritis ago ſodalem
Quod mi reddideris pium, fidelem,
Conſtantem ſimul, integrúmque amicum
Quem ego plus oculis amo, oſculórque
Et qui nil ſibi chariùs viciſſim
Noſtro amore putat ſuauiúſque

Ad Antonium Arbaudum.

Seraptum placido bonum ſodalem
Complexu excipito, & piis lacertis
Hunc ſtringens Dionyſium putato
Te amplecti ſimul, & duos amicos
Vno in corpore diligens caueto
Nec cures male cui dabis ferenda
Ad me ſcripta tua expetita dudum
Quod ſi non ſtomachum mouebis, vt te
Non ſicut ſoleo iocans frequenter,
Cogar ſeriò, ſed vocare pigrum.
Quin quicquid ſolet in malum infidelem
Ingratum, immemorem, impium ſodalem
Sum dicturus ego tibi. Valeto.

Ad Maximum monachum Lerinenſem.

Vim tantam modulis tuis ineſſe
Quis nam maximè credat, vt ſuaui
Cantu de tumulo excitet ſepultos?
Nanque vt noſtra tuos ſepulta dudum
Audiuit numeros Thalia tanquam
De graui ſubitò excitata ſomno
Recluſis oculis vocata rurſus
In lucem è tenebris locuta mecum eſt
Exorans veniam ſibi vt liceret
Ad te pergere nam Diana pleno
Cornu ſplendida ter quatérve luxit,
Ad te cum ſtatuit venire, ſed qui
Commonſtraret iter fuiſſe nullum
Moleſtè nimium ferens latebat
Obſcuris tenebris ſepulta, ſed dum
Intenta aure tuas amice voces
Agnouit placidis tuis ineſſe
Vim tantam modulis repentè ſenſit,
Vt oblita ſui & ſenilis æui
Præ deſiderio tui nequiret
Expectare diutiùs fidelem
Cũ eſſet nacta hominẽ bonúmque amicũ
Qui ſe duceret, & pio ſodali
Offerret tibi. Quare amice noli
Ipſam durius increpare verbis.
Si ceſſaſſe diu tibi videtur.
Ætas illius eſt ſenilis, atque
Rauca vox nimium gradúſque tardus.
Huic ergo veniam dabis benignè
Vt quæ oblita ſui, ſuáſque vires
Non ſatis reputans iter moleſtum
Aſpero hoc Hycmis rigore prompta
Sit aggreſſa, tamen, tuis amœnis
Vim tantam modulis ineſſe ſenſit.

Ad Carolum Sammarthanum.

Quas in me innumeras amice laudes
Et præconia congeris tuo tam
Suaui carmine docto & eleganti
Dum mecum tacita reuoluo mente
Ni noſſem quis ego ſiem, repentè
Tanto auctore mihi ſuaſus ipſe
Iam pulchellus homo viderer, ad me
Sed ſenſi rediens tuis camœnis

Me affectum variè, timore partim
Partim lætitia, timore nempè
Exin afficior, quod immerentem
Dum laudas ſtudioſius, tuiſq;
Plumis conſpicuum exhibere amicum
Contendis, videare me periculo
Non paruo obiicere, vt ſi opinionem
De me, non queo ſuſtinere tantam,
Perfuſus nimio pudore ſannas
Et riſum incipiam mouere vt olim
Cornix, quando aliarum inepta plumis
Exornata auium cupit venuſta
Et decora nimis cupit videri.
Id ſed mi placuit pij ſodalis
Quod propenſa mihi patet voluntas
Et dulcis patet hinc fidele amici
Erga me ſtudium, patet fidelis
Et optatus amor, tuos qui ocellos
Ne poſſis liquidò videre verum
Præſtringens facit vt puſilla falſo
Auſis iudicio æſtimare ſumma,
Tanquam ſi ex ocularibus ſpecillis
Pigmeum aſpicias repentè factum
Gigantem, facile tibi ſed iſtam
Condono facili pióque amico
Culpam, in quam nimio te amore ductum
Incidiſſe liquet, tamen caueto
Cum ſis iudicio acri & expolito
Ad vnguem, numeris tuis venuſtis
Indignum me oneres magis quàm honores
Dum te laudibus extuliſſe credis,
Ridendúmque aliis magis propines.

Ad Proſperum Martinengum Monach. amicum ſingularem.

SVnt qui ſe titulis patrum ſuperbis
Attolant proprium nihil parantes
Vnde ſe meritò efferant, ſed ipſis
Maiorum meritis tument, & altum
Seſe iam reputant ferire ſummo
Cœlum vertice, cum tenebricoſis
Obſcurent vitiis genus vetuſtum.
A quo degeneres honore dignum
Nil prorſus referunt, inane tantum
Sed nomen retinent opéſque multo
Maiorum ſtudio & labore partas.
At tu luce nites peculiari,
Nec contentus auorum honore ſolo
Amplum Martigenum genus nitore
Auges, cum ſimul eruditioni
Virtutem ſocias, pióſque mores.

Ad Matthæum Marcillium Alenconienſem.

DOctis me modulis tuis amice
Torpentem ſenio excitans laceſſis
Rauco gutture ſtridulas, ineptas,
Doctis auribus & tuis moleſtas
Voces vt referam. Senilis ætas
Sed iam iam prohibet referre dulces
Cantus, at gemitus ſonare cogit
Pectus concutiens moleſta tuſſis,
Doctis dum modulis tuis amice
Torpentem ſenio excitans laceſſis.

Ad R. mont. Peſſul. Epiſc.

QVam dudum rogo Pontifex benignè
Innatæ tibi mititatis atque
Manſuetudinis & benignitatis
Oblitus miſeros tuos clientes
Lerinæ Monachos ſacræ fatigas
Linguis vipereis licet ne tantam
Commodare fidem, ſeuerus iræ
Implacabilis vt tenax ſuetis
Illos trudere ſedibus procúlque
Hinc pulſos prohibere cogites, &
Probatos reprobans nouare ritus
Velis, vt per iter viámque latam
Ambulare licenter omnibus ſit
Conceſſum propria vt iubet voluntas
Et φιλαυτία conſulit maligna
Conſultrix? Igitur rogo obſecróque
Iam lætam, facilem, piam, ſerenam
Frontem porrigo triſtibus, ſimúlque
Ne te authore, Deo dicata tellus
Virtutúmque ſacra officina quondam
Doctrinæ ſimul atque ſanctitatis
Impudente licentia & veterno
Profanata vagos, malos, rebelles,
Laruatos monachos alat, cucullo
Qui & tonſo capite exteriſq; ſignis
Mentitæ ſteriliſq; ſanctitatis
Specimen referant. Paternitatem
Quin tuam decet vt pio fauore
Rem dudum foueas benè inchoatam,
Pigros vt vigilent piè monendo
Noſtrorúmque patrum inſtituta rectè

Viuendi

Viuendi teneant, & illa diſcant
Obſeruare, quibus viam per arctam
Te adiutore queant ad ampla cœli
Regna aſcendere Pontifex benigne.

Ad illuſtriſſimam Margaritam Valeſiam Chriſtianiſſ. Regis Henrici ſororem.

GRato Margaritum nitore candens
Oblectare oculos ſolet tuentis,
Sed ſi auro ſocies, vtrinque fulgor
Longe pulchrius emicans coruſcat.
Sic amplum genus inclytúmque clarã &
Te illuſtrem merito exhibet, ſed alma
Virtus iuncta ſimul, ſimúlque honeſtum
Doctrinæ ſtudium te honore multo
Augent, dum ſatagens labore tanto
Amplas mentis opes tibi paraſti.
Hinc non tam titulis tuis ſuperbis
Quantum luce nites peculiari
Vt virtus radians piq́ mores
Et lumen variæ eruditionis
Iunctum ſtemmatibus ſacriſq́ ſceptris
Oblectent oculos tuentis auro vt
Vinctum Margaritum nitore candens.

De lapſu ordinis monaſtici ad Ioan. Bapt. Folengium, Deploratio.

QVis fontem capiti meo perennes
Fundentẽ lachrymas dabit, nitentẽ
Olim, vt flere queam ordinis decorem
Noſtri iam penitùs ſtatúmque ſenſim
Deflexo veteri rigore lapſum?
Indulgentia mollior parentum
Atque abſentia, ſegniorq́ cura
Ignauos ſolita eſt & inſolentes,
Duros, difficiles, graues, proteruos,
Natos reddere, vbi viam per amplam
Equorum ſimiles proteruiendo
Laxis aut laceris eunt habenis.
Heu quo nunc vetus exulat ſilentis
Diſciplinam procul fugata clauſtri?
Complures licet, heu, videre, qui nunc
Amplis nominibus ſuperbientes
Dum tonſo capite exteriſq́ ſignis
Summam religionis obtinere
Se credunt, titulos gerunt inanes
Quos ſi quis monitu pio ac ſalubri
Errantes reuocet, viamq́ patrum
Antiquam iubeat tenere, duri
Obſiſtunt, Rhodanus, Padúſque fontes
In ſuos potiùs queant reduci,
Horum quàm valeat proterua ceruix
Reflecti, vt veterem viam capeſſant.
Quinimo grauiúſque acerbiúſque eſt,
Amaro gemitúque proſequendum,
Quòd multos videas pudore frontis
Perfricto domini & ſuæ ſalutis
Et voti immemores, ſacróque tandem
Commutato habitu procos repentè.
Factos, vſque adeò mala inualeſcunt.

Ad Illuſtriſt. Reuerendiſſimúmque D. Laurentium Stroſam Epiſcopum Bæterrenſem.

ILluſtre genus & patrum ſuperbi
Te tollunt tituli beate Præſul,
Sed virtus ſimul eruditióque
Et mite ingenium, piique mores
Te reddunt magis ac magis coruſcum.
His ergo meritis beatus ille
Et ſummus Pater excitus rubentem
Inſignémque tibi Infulam parauit
Vt Chriſti domini ſacrum ſenatum
Auges dum numero, augeas & ipſum
Doctrina & meritis agénſque Chriſti
Partes ſuſtineas fidem labantem,
Noſtrum & cœnobium diu moleſtè
Vexatum tuearis, alme Præſul.

Ad illuſtriſſ. Petrum Strozam.

ME reſides prohibent anni cantare, moleſta
Et tuſſis ſenio pectora feſſa quatit.
Inclyta ſed virtus tua me Petre Stroza volentem,
Excitat in laudes promere verba tuas
Cæſaris eximia eſt virtus laudata, quod ille
Non ſine Palladiis artibus arma tulit.
Bellica te ars reddit ſimul & doctrina coruſcum,
Clarior & Chriſti relligione micas

Hinc tua dum cupio præluſtria geſta referre,
Me imparilem vocem continuiſſe iubent.
Vnde rogo tibi ſit noſtra hæc accepta voluntas,
Quod volo ſi nequeo, ſit voluiſſe ſatis.

Ad Franciſcum Raſcaſuim nobilem Senatorem, ne prouentuum acquirendorum pretextu differat ſe vocare ad ſolitudinem Modienſem.

ANxia dum longo torques mea pectora voto,
Tempus abit, tacitè & mors inopina venit.
Ergo age rumpe moras, quid enim prouentibus amplis
Eſt opus, vt poſcis iungere corda Deo?
Diuitias habeant illi, quibus ampla ſupellex
Auri & congeries complacuiſſe ſolent.
Me mea delectat tenuis ſubſtantia, dum ſit
Vnde meus rutilo luceat igne focus.
Et mihi ſat fuerit frumenti pauper aceruus,
Et vinum ſi deeſt, hauſtus ab amne latex.
Natura eſt ſiquidem minimis contenta, cupido
Improba delitias ventris amica petit.

In ſenem.

COrpora iam ſenio dudum vexante caduca
Flante leuis vt morbi flamine pulſa cadunt.
Si ſapis ergo ſenex mortem meditare paratus
Spiritus vt cœlos te moriente petat.

In iuuenem.

VIuere quid iuuenis longos meditaris in annos,
Nec reputas te iſto tempore poſſe mori?
Nonne vides pueros, teneras quoque nonne puellas
Spe vitæ longa deficiente mori?
Non valet ipſe ſenex in longum ducere vitam,
Sæpius at iuuenem mors inopina rapit.

Ad Angelum monachum Lerinenſem.

DVm tibi tempus adeſt aptum iuuenilis & ætas
Angele, & ingenij dexteritate viges,
Fac tibi non deſis, cum tot tibi commoda Chriſtus
Suggerat, ingratus ne inueniare Deo.
Virtus exornet mentem & doctrina ſalubris,
Has tibi diuitias quærere ſemper ama.
Virtutem doctrina parit, virtúſque beatum
Angelicis poterit te ſociare choris.

De morte.

INſidias mortis ſapiens meditatur, & horam
Illius incertam voluere mentem ſolet.

Ad Chriſtum.

MOrtua dum tumulo mea membra ſepulta iacebunt,
Chriſte precor mens te non moritura petat.

Charitas foras mittit timorem.

CHriſti amor expellit ſeruilem corde timorem,
Delitiis implens pectora caſta nouis.

Inimicus

Inimicus homo.

Sæpe inimicus homo lolium ſerit inter amicos,
Pectora diſſocians fœdere iuncta pio.

Laus ſolitudinis ad Eucherium Monachum

Vitam ducere qui cupit beatam,
Eucheri atque graues fori querelas
Pungentéſque animum cauere morſus,
A turbis procul vrbium remotus
Eremi tacitos amet receſſus.
Hic tutus poterit ſolutus omni
Mundano ſtrepitu & graui tumultu,&
Omni ſollicitudine expeditus
Cœleſti ſtudio vacans,frequenti &
Fœlici experientia probare
Quàm ſuauis dominus,ſilentiique
Fretus munere ſolitudiniſq;
Supra ſe attonitus per alta ferri
Angelorum acies videns beatas.
A turbis igitur procul remotus
Eremi tacitos amet receſſus,
Vitam ducere qui cupit beatam.

Ad Chriſtum.

Quàm dilecta Deus tua ſunt habitacula,ſed quis
Atria ad iſta rogo ſcandere dignus erit?
Qui graditur ſine labe,mea & mandata fideli
Pectore cuſtodit,ſcandere dignus erit.
Chriſte meos igitur tua poſt veſtigia greſſus
Dirige quo fœlix ſcandere ad illa queam.
Quiſquis te ſequitur,tenebras fugit, atque beatæ
Lumen habet vitæ,vt te duce tutus eat.
Ægypto populum ducens radiante columna
Huic miſſa è cœlo eat,larga alimenta parat.
Sic quoque me ſceleris ductum de carcere claro
Lumine perfunde,vt te vigil vſque ſequar.
Et ne deficiam cœleſtia pabula præbe,&
Pocula de latere exhauſta benigne tuo.

Ex capite ſecundo Trenorum hiere.ad Eucherium.

Surgere ne tardes media dum nocte fileſcunt
Omnia,vt effundas corda tua ante Deum.
Erectis manibus puram ſimul erige mentem,
Ardentes penetrant cœlica regna preces.
Nam Deus affectus animi miſeratur amantis,
Et veniam lachrymis corde gemente dabit.

Ad Bartholemæum Robertum Doriam.

Sunt qui ſtemmatibus patrum titulíſque feruntur,
Et nomen vanum nobilitatis habent.
Obſcuras generi claro obfudere tenebras
Degeneres,vitiis dedecorántque domum.
Diuitiis alieno auctis ſudore ſuperbi
Vertice ſupremo ſe aſtra ferire putant.
At tu non opibus partos meritis honores,
Conſpicuo factus nobilis indicio.
Nam virtute tuis prælucens patribus auges
Amplificáſque noua nobilitate genus.
Cum te antiqua domus ſibi Doria tempus in omne
Adſciuit, quare Doria nomen habes.

Primus & in patriam Genua hæc cognomina transfers,
Vnde tui hæc abs te participata ferent.

Ad Chriſtum Redemptorem.

DA mihi Chriſte precor mentem tui amore calentem,
In te tota ardens vt liquefacta fluat.
Collige diſparſos ſenſus, animiq; vagantis
Indomitos curſus continuiſſe velis.
Hunc cohibere volens vano ſudore fatigor,
Nam furtim dum non ſentio, lapſus abit.
Ergo meis adſis fautor conatibus, vt quam
Natura ipſa nequit gratia præſtet opem.
En tibi vota mei non ſunt incognita cordis,
Tu ſecreta mei pectoris ima vides.
Dum mea dilatis anguntur viſcera votis,
Corporis, heu, preſſus mole grauante gemo.
Carcere quis me ex hoc ſoluet viſcóque tenaci,
Liber vt in cœlum ſcandere mente queant?
Atras à me quis me pellet denſáſque tenebras,
Purgato vt poſſim cernere corde Deum?
Anxia nunc terpidis vrgentibus vndique curis,
Mens mea complexus ambit anhela tuos.
Reſpice Chriſte igitur ſponſam miſeratus amantem,
Te propter quæ orbis proſpera cuncta fugit.
Proſpera mundi huius ceu ſtercora fœda recuſat,
Vt ſoli valeat complacuiſſe tibi.
Ex hac pelle rogo rerum phantaſmata, ſacros
Libera vt amplexus poſſit adire tuos.
Sic liquefacta fluens in te tui amore fruetur
Lætáque cantabit carmina ſancta Syon.

Item ad dominum Chriſtum Saluatorem.

DA mihi ſincero Deus vt te amplectar amore,
Soluere & hunc nexum nulla creata queant.
Quàm fœlix eſt, qui terrena fece ſolutus
Amplexu gaudet Chriſte benigne tuo.
Corpore hinc in terris habitat, ſed amore leuatus
Iam tenet excelſi regna beata poli.
Heu, multis ſed ego ærumnis miſer vndique ſeptus
Deploro ſortem nocte diéque meam.
Hinc mala me torquent elapſi temporis, inde
Mi ingerit angentem vita futura metum.
Nam preſſus grauitate mei mihi pondus iners, &
Sarcina ſum, qua non vlla moleſta magis,
Me mea nempè premit vitiis corrupta voluntas,
Nec faciem in cœlum ferre proterua ſinit.
Semper inſidiis latitans fera dira malignis
Artibus inſtructa, heu retia mille parat,
Quis queat ingenium illius nouiſſe? quis eius
Tam varios poterit dinumerare dolos?
Illa boni ſpeciem falſa ſub imagine monſtras,

In vitia

In vitia in cautos inſidioſa trahit.
Vt nitidos eſca in naſſam piſcator & hamum
Illectos piſces arte vocare ſolet.
Hoc rogo quis valeat monſtrum ſuperare malignum
Illius technas noſcere ſi nequeat?
Te ſine Chriſte poteſt nullus, tua gratia ſi me
Roboret, hac fretus me omnia poſſe reor.
Chriſte igitur fidei lumen mihi præfer, amoris
Ardeat in mœſto pectore flamma tui.
Purus amor pellat ſeruilem corde timorem,
Vim perdat proprij purus amoris amor.
Vt iam perpetuo deinceps tibi iungar amore
Soluere & hunc nexum nulla creata queant.

Ad ampliſſimum dominum Cardinalem Bertrandum.

QVis tibi digna queat laudum præconia præſul
Æqualem meritis quis ve referre vicem?
Sedibus è propriis qui nos non iure repulſos
Criminibus fictis, exilio reuocas.
Et noſtram miſerans pater humaniſſime ſortem
Nomen & ablatam rem quoque reſtituis.
Non opis eſt igitur noſtræ tibi ſoluere dignas
Grates, nec meritis poſſe referre vicem.
Sed retributor erit factorum Chriſtus, & ampla
Præmia pro factis non peritura dabit.

Ad illuſtriſſimum principem Cardinalémque ampliſſ. Lotaringiæ.

QVis noſtrũ poterit benigne princeps
Condignam tibi gratiam referre?
Æqua & quis meritis repẽdet vnquam
Laudum vota tuis? pio fauore
Qui nos criminibus calumniiſque
Falſis exonerans procul fugatos
Noſtris ſedibus ædibúſque ſacris
Tandem reſtituis, licet que nobis
Iam te authore pio diu cupita
Tranquilláque animi frui quiete,
Denſis vt tenebris repente pulſis
Arridentéque nunc ſerenitate
Toto corde Deum atque mente tota
Et virtute ſimul colamus, atque
Totis viribus obſecremus, vt te
Succeſſúſque tuos ſecundet, vt qui
Tanta nobilitate ſtemmatúmque
Tam claris titulis in orbe fulges,
Te poſt fata beans polo locandum
Seruet perpetuò benigne princeps.

De Valle aurea Ad Baſilium Monach. Lerin.

OFœlix nimis & beata vallis
Vallis quæ aurea rite nuncuparis,
Cultis ſepta virentibúſque toto
Anni tempore collibus, placentis
Expreſſam ſpeciem refers theatri.
Polles frugibus & nites amœno
Aruorum ſimul atque vinearum
Cultu, in qua gelido fluens perennis os
E fonte vnda rigat vireta & hort
Per vallem mediam means & inde
Diuerſi generis tibi vireſcunt
Anno toto olera arborúmque fœtus

Producis varios ferax, & inter
Hoc poma aurea pendulis coruſcant
E curuis onere aggrauante ramis,
Sic, vt me Heſperidum putem ſororum
Hortos cernere, & hinc beata vallis,
Valliſque aurea iure nuncuparis.

In diuitem auarum.

INfœlix homo quid labore inani
Te tantum maceras die atque nocte?
Tempus impiger haud remittis vllum,
Dum vanis opibus ſtudes, parandis.
Quas tam continua anxiaq́ cura
Quæſitas, nimioq́ amoris æſtu
Poſſeſſas miſer, ô miſer nequibis
In morte hinc abiens tuliſſe tecum,
Solo linteolo obuolutus ibis
In Tellurem hominum omnium parẽtem,
Et quas tam vigil extruis caducas
Orbis diuitias cui relinques,
Neſcis, Si ergo ſapis, cupiſq́ verè
Iam diues fieri, tibi has parato,
Quæ ſunt perpetuo vſui futura
In cœlis, vbi nec fures, nec vlla has
Abs te vis alia abſtuliſſe poſſit.

In gratiam nobilis puellæ Franciſcæ Griomaldæ, cuidam ipſius formæ laudatori reſpondentis.

COrpoream hanc cur tot verbis laudare figuram
Niteris? hæc neſcis quam citò forma perit?
Corpora pulchra cadunt tacitè obrepente ſenecta,
Nec reuocare vllus tempora lapſa poteſt.
Nam ridens oculus, roſeus quoque fuſus in ipſo
Ore rubor, tenuis nubis ad inſtar abit.
Plenáque nunc ſucci facies ſordebit, arata,
Cum exhauſto fuerit ſanguine laxa cutis.
Vbera quietam quæ vt poma recentia turgent.
Pendula vt è collo mantica fluxa cadent,
Dic mihi, Penelopes vbi nunc eſt forma pudicæ,
Quæ tot dum vixit traxerat vna procos?
Et formoſa Helene Paridi quæ iuncta decoro
Troiani excidij perfida cauſa fuit?
Romana illa etiam Lucretia norma pudoris
Quæ ſibi lugendam conſciit ipſa necem?
Innumeraq́ aliæ, quarum ſpeciemque decuſq́
Spem & vitæ longam nos inopina tulit?
Corporis hæc igitur non eſt laudanda figura,
Quæ veluti vanus fumus & vmbra fugit.
Forma ſed interior mentis ſpecioſa putanda eſt,
In qua cœleſtis ſplendet imago patris.

Ad Cæſarium Abbatem.

FOelix illa dies meliore notanda lapillo,
Qua Lerina pio ſalua labore tuo eſt.
Cùm triſtis monachos ſors extruſiſſet, alumnos
Illa gemens flebat nocte dieq́ ſuos
Debita nunc ergo laudum præconia pangat,
Læta ferens caſto pectore vota Deo.
Quin etiam dignas ſtudeat tibi pendere grates,
Cui eſt optata tuo parta labore quies.

Animæ diuino amore affectæ deprecatio. Car. Saph.

CHriſte quid blãdos gemitus amantis
Sponſæ & affectus teneros repellis,
Spernis & dudum cruciata dulci
Pectora voto?
Anxium pectus validos amoris
Sentiens æſtus penitus furentes
Languet, ac ſenſim velut igne flaua
Cera liqueſcit.
Cernis vt vultus tenues frequenter
Fletibus caſtis madeant, quod intus
Mollis eſt imas tacitè latentes
Flamma medullas.
Cordis interdum hoſpitio receptus
Me pio amplexu refoues, ſed inter
Oſcula elapſus fugiens recedis
Ocyor aura.
Et diu ſolam thalamo gementem
Conficis tardo reditu, benigne
Huc ades, mœſtam recrea ſuperno
Munere mentem.
Sæpius mundi ſtimulata rebus
Proſperis, vanos renui fauores,
Vt tibi fido ſtudio dicata
Pectora ſeruem.
Gaudia & luſus teneros amicis
Fletibus gaudens fugio, velut dum
Luget amiſſo viduata turtur
Caſta marito.
Interim afflicta calices ſuaues,
Sunt mihi noctu lachrymæ diéque:
Dum tibi carnis merear ſoluta
Compede iungi.

Dialogus quo homo & anima ſponſi cœleſtis amore affecta loquuntur. Carmen dicolon tetraſtrophon.

QVid fles & lachrymis te anxia cõficis
Spõſum pulſo hyemis frigore cãdidi
Et ſurgente nouo vere fauonij (Homo.
Ceſſantem referent tibi.
Abſens dulcis amor me cruciat meus,
Quem ſurgente nouo vere Fauonij Ani.
Si reddent, fuerit nulla beatior
Me, nec iam metuam mori.
Chriſtũ intẽſus amor ſollicitat tui, Homo.
Cui tu caſta pij propoſiti tenax
Conſeruato fidem, mundus & hic tibi
Plus iuſto placeat, caue
Incorrupta mei propoſiti tenax Ani.
Huic ſeruabo fidem, flectere nec ſuis
Orbis me rigidam blanditiis valet,
Nempè optem potiũs mori.
Sponſo iſtæc fuerit grata proteruitas Homo.
Sed tentare Satan mille vafer modis
Non ceſſat, venus & viribus improbi
Vrget fulta Cupidinis.
Chriſti freta mei conſiliis, dolos Ani.
Eludam ſatanæ, & tela cupidinis
Spernens, aſſiduis fletibus impia
Reſtinguam veneris faces.
Ergo triſtitiam mœſtula comprime, Homo.
Sponſum lata auido pectore ſuſtine,
Quem ſurgente nouo vere Fauonij
Lenes reſtituent tibi.

De virginitate ſeruanda ad neptem. Car. dic. tetraſt.

ONeptis lepidum delitium meum
Blanda ſordidulis carnis amoribus
Ne permitte pudoris
Fœdari hoc roſeum decus.
Da Chriſto meum neptula corporis
Florem, da nitidæ mentis amabiles
Fructus grata pudici
Cui ſunt munera pectoris.
Huius dulcis amor poſſideat piam
Mentem, ſoláque iam te ſibi vendicet
Blande infuſa tenellis
Huius gratia ſenſibus.
Huius ſuauis odor te trahat, hunc pio
Et toto ſtudio nitere conſequi,
Hunc ardentis amoris
Inuentum ſinibus tene.
Et fœdæ veneris fletibus obrue
Flammas, & volucris cæca Cupidinis
Tela obtunde virili
Corde & continua prece.
Laſciuos inuenes nutibus igneas
Qui immittunt teneris cordibus has faces
Ne te virgo latenter
Vrant, ſolicitè fuge.
Hos vitare procos filia te docet,
Cœleſtes thalamos ſi cupis ingredi,
Et ſeruare dicatum
Chriſto virgineum decus.

Accenſa rutilo lumine lampade
Obſeruare etiam dæmonis improbi
Artes mille nocendi
Quas in nos vafer exerit.
Sed ne te orbis amor vanáque gloria
Vincat ſæpè crucis ſis memor, & tui
Sponſi exempla ſequuta
Iam mundo incipias mori
Nec longo tenuem ſyrmate pulueres
Verras, palla pedes longior implicat,
Vanas vnde puellas
Aſcendiſſe polum vetat.
Sed quæ virgo ſemel veſtibus eſt ſacris
Induta hac refugit mollia ſæculi
Ornamenta, ſtudétque
Vt Chriſto placeat magis.
Hoc deſiderio virginis æſtuat
Caſtũ pectus, amor quod ſtimulis premit
Orbi vt mortua, ſoli
Optet viuere iam Deo.

In Chriſti nat. ad ſodales.

VNde hoc inſolitum luminis aurei
Reſplendet iubar? en ſoluitur humi
Velum noctis opacæ (dum
Fulgoris radio noui.
Hoc Chriſtum radiis prædicat editum,
Qui terris tenebras exiget, inſcij
Quas vexere parentes
Primi per vetitum nefas.
Hinc & ſuauiſonis vocibus intonat
Æther, & placido pectora carmine
Alto preſſa ſopore
Lucis nuntius excitat.
Nos ergo teneris cantibus excíti
Et clari iubaris lumine prænio
Ducti, mitis Ieſu
Quæramus vigiles domum.
Quæramus vigili ſolicitudine
Natum, quem peperit virgineo parens
Perdura rite pudore.
Ipſa eſt quæ caput impij
Serpentis valido ſub pede conteret,
Qui ſpiris hominem complicitum diu
Ferræ affixit, Olympi
Ne poſſet iubar intui
Virus fraude mala hic primitus intulit
Terris, hinc macies tantáque febrium
Hauſto ex angue veneno
Nobis incubuit cohors.
Hinc longum exilium diráque funera
Expulſi ætherea perpetimur domo,
Sed nos ortus Ieſus
Vagitu tenero vocat.
Infantem tepido virgo fouet ſinu,
Hunc & næniolis ſedula blandulis
Mulcens dulcia figit
Labris oſcula paruulis.
Arrident placidis vultibus inuicem,
Et nutus referunt mutuo amabiles,
Geſtit virgine matre
Proles, prole Deo, parens.
Demiſſò ergo genu fletibus & piis
Profuſis veniam oremus vt intimo
Pulſis corde tenebris
Lux nobis radiet noua,
Et dignè ſuperum perpetuo choris
Admixti hymnidica voce puerperæ &
Nato carmen amoris
Cantemus domino nouum.

De tempore vetis carmen Monocolon.

QVam multis placido vere coloribus
Ridet terra leui fœta Fauonio,
Hinc fulgent violæ, hinc & roſeus pudor
Fiſſis folliculis purpureas opes
Oſtentat, niueum & lilia geſtiunt
Expandiſſe decus, cunctáque gemmeis
Arrident placidè gramina honoribus.
En cernis virides vitis vt explicet
Crines, & teneris nexibus ambiat
Vlmos, en patulas omne nemus comas
Euoluit, volucres frondibus inſident
Mulcentes variis aera cantibus.
Leni graminibus murmure perſtrepunt
Dum florum exiguæ ſumma legunt apes,
E queis conficiunt mella liquentia,
Et dulces rutilis lampadibus fauos
In Chriſti obſequium dant alimoniam.
Nos fœcunda igitur floribus admonet
Tellus, nos volucres vocibus incitant,
Ingratos ſtrepitans nos apis arguit,
Exemplúmque pigris mentibus ingerit,
Vt puris pariter cordibus & ſacris
Laudemus dominum cantibus, omnia
Qui verbo omnipotens condidit, vt patri

Et

Et Chriſto reſonent verè nouo nouæ
Voces, ſitq; ſimul laus, honor, & decus
Ambobus pariti gloria flamini. Amen.

De amore diuino carm. Saph.

QVi tibi fido placidóque amoris
Hæret amplexu Deus alme nullis
Rebus aduerſis quatitur, nec vlla hunc
Proſpera tollunt.
Ille confertos opibus penates
Spernet, & paruo tenuiq; ſumptu
Gaudet, algoris patiens æſtus
Atque laborum.
Orbis inuiſi fugiens inanem
Gloriam & vanos populi fauores,
Falſa pro veris renuit caducæ
Gaudia vitæ.
Quin & irriſus tolerat malorum
Probra & inſultus hominum frequentes,
Fert & ad nunquam meditata promptas
Crimina linguas.
Non eum flectit ſtimulans Cupido,
Quippe qui putres Veneris lacunas
Odit expertus latices ſalubris
Fontis Ieſu.
Hinc tua fretus bonitate nullo
Criminum morſu premitur, quietus
Viuit, & nulla capitur maligni
Damonis arte.
Corde ſeruilem charitas timorem
Pellit, atque æſtus animi latentes
Sedat, vt curis volet expeditus
Liber ad aſtra,
Ergo diuino appropians calori
Liquitur dulci reſolutus igne,
Vt ſolet Phœbi glacies tepente
Lumine ſolui.
Hic nouum nomen capit, abditúmque
Manna præguſtat ſpecimen futuri
Sæculi, donec capiat polorum,
Regna beatus.
Chriſte tu noſtros miſerans dolores
Anxios leni recrea fauore,
Et tua noſtro pietate pelle
Corde tenebras.
Temporis lapſi memores moleſtis
Angimur curis, ſceleríumque mentes
Conſcias diri exagitant diéque &
Nocte timores.
Hinc malum præſens, metus & futuri
Inde nos torquet, variiſq; nobis
Artibus mundus, caro, dæmonéſque
Inſidiantur.
Territi tantis igitur periclis
Supplici voto auxilium precamur,
Vt crucis ſuaui foueas anhelos
Chriſte ſub vmbra.
Vre cor noſtrum Deus igne ſancti
Spiritus, gratam tibi ſeruitutem
Corpore vt caſto exhibeamus atque
Mente fideli.
Intimos noſtri rege cogitatus
Pectoris, vita vt ſine labe puris.
Moribus pollens tibi vota laudum
Debita ſoluat. Amen.

De diua Catharina.

FEſta lux mundo rutilans coruſcat,
Qua Dei virgo Catharina cœlum
Scandit optatos referens ſubacto
Hoſte triumphos.
Candido Chriſto teneris ſub annis
Corporis florem nitidæq; fructus
Vouerat mentis ſimul & pudici
Cordis amorem.
Vnde cœleſti irradiata luce
Gaudia inſani peritura mundi
Cauta contempſit, genus & ſupremi
Culmen honoris.
Spreuit & lætam ſpeciem venuſti
Oris, & Chriſto ſociata caſtis
Nexibus, carnis ſtimulos virili
Mente repreſſit.
Quin & inuictam ſtuduit profanus
Hoſtis à cœlo reuocare mentem,
Ceſſit at nullis precibus miniſq;
Inclyta martyr.
Vnde nec vultus timuit minaces
Regis infenſi, gladios rotáſque
Vicit, hinc virgo duplicem recepit
Cæſa coronam.
Diuæ virtutum meritis opacas
Vicit Ægypti tenebras, refulgens
Vt iubar ſolis ſuperat coruſca
Lampade noctem.

Cui parentarunt rosei ictus beati
Angeli Chriſto cecinere laudes,
Et Synæ in ſancto poſuere ſanctum
Vertice corpus.
Ergo nunc noſtræ memores ſalutis
Virginem puris animis rogemus,
Vt piis noſtro precibus repellat
Corde tenebras.
Robur inuictúmque animi vigorem
Præſtet, vt nulla Satan irruentis
Arte vincamur, domitúmque nobis
Sternere donet.
Præſtet & vani renuiſſe faſtus
Orbis, & blandos ſuperare carnis
Impetus, caſtam vt mereamur inde
Ducere vitam.
Laudibus patrem celebremus almum,
Eius & prolem paritérque ſanctum
Spiritum, qui nos recreans ſuperno
Munere donet. Amen.

Ad Salmonium Macrinum.

CVm fides plectro ad numerũ Macrinus
Pulſat ecquid plus ſolito refulgens
Aëris ridet facies, benigna &
Mœſta ſerenat.
Námque Salmoni fugiunt camœnas
Nubila, & læto comitata plauſu
Gaudia & dulces Charites ſequuntur
Plectra mouentem.
Mollibus lauri viridéſque mixti
Flatibus motæ Zephyri ſtrepentis
Sibilo applaudunt tenui, Macrino
Plectra mouenti.
Ipſe Neptunus placidos ab alto
Extulit vultus, tumidámque Tethyn
Auribus captam fidibus Macrinus
Traxit ab vndis.
Quin greges Prothei vitreis ab antris
Et maris nymphæ modulos ſequutæ
Saltibus ludunt, reſonátque rauco
Murmure pontus.
Macte virtute, ingenio, ſimálque
Artibus ſacris redimite, blandis
Qui grauem muſis ſocias Macrine
Docte Mineruam.
Te nouem ſemper celebrent ſorores,
Cui ſerant caſtis manibus nitentes
Floribus mixtis viridíſque laurus
Fronde corollas.

Ad Ioan. Memerium ſummum Prouinciæ Præſiden. Car. dico. diſtr.

CVm mea ſapè tuas contendit promere laudes
Camœna Præſes optime,
Debilis inſoliti perterrita mole laboris
Hæret ſtupens & conticet.
Ingenij quis enim tam clara eſt dote beatus,
Carmen quod fundit tam potens.
Vt tua condigno celebret præconia cantu,
Creſcentis & famæ decus?
Iuſtitia populos ſolitus frænare ſuperbos,
Togatus & ius dicere.
Nunc hoſtes fidei dextra expugnare potenti
Aggreſſus es viriliter.
Vnde triumphatis truculentis hoſtibus amplam
Victor tuliſti gloriam.
Macte ergo ingenio, atque animi virtute, tuorum
Haud immemor natalium,
Extimulas animos, Martiſque ferocibus auſis
Turbam inſolentem reprimis.
Cuius tanta fuit vertit quæ inſania mentem,
Vt impudenti audacia.
Tabificum vomeret infœlix ore ſceleſto
Mentis venenum perfida.

Quo iam iam paſſim totas infecerat vrbes
Pagos & agros occupans.
Vnde hac ſuccreſcente lue obrepebat inultus
Sermo licenter in dies,
Affore iam tempus, quo deiicerentur vbique
Dicata Chriſto altaria.
Nec precibus diuos colerent, delubra crucémque
Igni cremanda traderent.
Heu pietas, heu priſca fides, quam pectora dirus
Humana perculit furor,
Vt libertatis falſo ſub nomine carni
Seruire ſueſcant improba.
Hinc alios poterant plures habuiſſe ſequaces,
Sibiq; cunctos iungere,
Vt pote quos facile trahat ad ſe blanda voluptas,
Libidiniſque amor mala.
Sed tua iam clara eſt induſtria cognita tandem,
Ortis malis quæ obſiſteret.
Conſilio pollens, Martis quoque viribus audax,
Deique Zelo percitus,
Fortiter hinc cæſis aliis, aliiſque ſub haſta
Miſſis triumphas hoſtibus.
Nam tibi pro ſacris pugnanti numina longe
Pulſis periculis fauent.
Vnde tuis meritis & ſi Prouincia grates
Nequit referre debitas.
Perge tam fœlix, pulſiſq; erroribus almam
Fidem labantem ſuſtine,
Et tibi magna Deus perſoluet præmia, magnam
Tibi rependet gloriam.

Ad Ant. Ayneſium Niſam Renſpon.

OTium nobis virides & vmbræ
Siũt, & hic flatus Zephyri ſtrepẽtis
Mulcet, vt ſomnos liceat vtramuis
Carpere in aurem.
Lesbium ſed non datur aureúmque
Carmen indocto cecinisſe, qui non
Alta Parnaſi ſuperauit vnquam
Culmina montis.
Te nouem ſuaues teneris ab annis
Dum fouent muſæ, docuere cantum
Et leui ſcitè tremulos ciere
Pectine neruos.
Vnde cœleſtes potis es diſerto
Carminis cantu celebrare ciues,
Atque mordaces pepuliſſe mentis
Pollice curas.

De diuo Nicolao hymnus.

MOribus fulgens Nicolaus almis
Hoc die carnis laqueis ſolutus
Orbe deuicto meruit polorum
Scandere ſedem.
Affluens largis opibus parentum
Pauperes Chriſti refouens cauebat
Ne fauor vulgi meritum leuiſq;
Tolleret aura.
Nobiles pauper genitor puellas
Fornicis turpi maculare probro
Vult, vt inſani valeat lucello
Ducere vitam.
Audit horrendum facinus, ſeniſq;
In domum ſanctus tacitè talentum
Aureum iactat veniens opaca
Nocte per vmbras.
Vnde virtutum meritis relucens
Voce dilapſa domini creatur

Præſul,& quamuis renuens ſacrata
Sede locatur.
Infulis ergo redimitus illum
Mentis inuictam rigidæ vigorem
Proferens Chriſti auxilio iuuante
Mira peregit.
Tres bonus paſtor iuuenes auari
Conſulis iuſſu gladio necandos
Concito greſſu properans iniqua
Morte redemit.
Territis nautis pater inuocatus
Affuit,ſæuas pelagi tumentis
Illius Chriſto meritis fauente
Comprimit vndas.
Chriſte ſaluator precibus beati
Huius,inſanas animi procellas
Mitiga noſtri,ſimul & periclis
Erue cunctis.
Huius exemplo ſtatuiſſe vitam
Ritè concede,vt tibi corde puro
Et pio dignas mereamur ore
Promere laudes.
Laudibus patrem celebremus almum,
Eius & natum paritérque ſanctum
Spiritum,qui nos recreans ſuperno
Munere donet. Amen.

De S. Martha hymnus.

VIrginis Marthæ celebremus almum.
Hunc diem lætis animis precantes
Eius vt nobis meritis corruſcet
Sidere dextro.
Ædibus Chriſtum propriis frequenter
Virgo ſuſcepit ſtudióque toto
Seruiens illi meruit beari
Hoſpite tanto.
Laude ſed multo magis eſt habenda
Digna,quæ puri nitido receſſu
Pectoris talem caperet fideli
Cordis amore.
Chriſtus hinc eius precibus ſepultum
Fœtidum fratrem reuocans ab orco
Mortis implexos adamante nexus
Voce reſoluit.
Nominis Chriſti auxilio potenti
Fulta crudelem ſuperat draconem,
Qui metu multo variáque cunctos
Clade premebat.
Diua tu noſtram miſerata ſortem
Hoſpitem Chriſtum rogita reatus
Tollat vt noſtros reuocans tremendæ
Morte ſepultos.
Mortis internæ gradibus ſolutis
Vinculis noſtras placidis reformet
Moribus mentes,ſimul atque noſtros
Dirigat actus.
Renibus cinctis liceat draconem
Fraudibus ſtructum cohibere,blandæ
Nocte qui nobis pariter diéque
Inſidiatur.
Vt Deo noſtro valeamus aptum
Pectoris caſti hoſpitium parare
Atque ſinceris manibus nitentes
Ferre lucernas.
Et piis ſponſo veniente votis
Noctis incurſu mediæ micante
Lampada cœli thalamos ſubire
Promereamur,
Laudibus patrem celebremus almum,
Eius & prolem,paritérque ſanctum
Spiritum,qui nos recreans ſupernis
Dotibus ornet. Amen.

De laudibus vitæ ruralis.

DIuitias alius quærat,petat alter honores
Et primas cathedras ambitioſus amet.
Sat mihi parua domus,mihi ſat focus igne coruſcans.
Sat mihi & vnde queam pane fugare famem.
Sat mihi fonte cadens tenui cum murmure riuus,
Qui hortum perpetuo rore fluente riget.
Delitias ventris cupit inſatiata Charybdis
Ingluuiem ructans nocte diéque ſuam.
Ruris vita placet,victúſque labore paratus,
Partus ſudore eſt,dulcis in ore cibus.

Inſita

Inſita quæ noſtris manibus fuit arbor onuſta
Fructibus, en nobis munera grata refert,
Nam mihi penſilibus dependent dulcia ramis,
Quæ porrecta queat carpere poma manus.
Ambiat vrbanos faſtus quicunque moleſta
Viuere continuo in anxietate volet.
Rura mihi cordi ſunt, & ruralis amica
Vita mihi inuocua ſimplicitate placet.
Nam mihi mordaces animo depellere curas
Hîc licet, vt læta degere mente queam.
Sero leues videas ſuper alta cacumina fumos
Surgere, qui cœnæ tempus adeſſe notant.
Tunc iuuat ex agris feſſos vidiſſe colonos,
Cùm redeunt ſolis luce Cadente domum.
Et vomere & inuerſo iuuat aſpexiſſe trahentes
Collo ſudante & languido aratra boues.
Adueniente viro coniux pia ponit inemptos
Menſis conſueta ſedulitate cibos.
Non ibi dira ſonant rixarum iurgia, caſtus
Et ſincerus amor inter vtrunque viget.
Ambitus, inuidia, atque auri ſcelerata cupido
Hinc procul, hoc ſemper dines auarus eget.
Sufficiunt illis profert quæ pauper agellus,
Sufficit his tantum vincere poſſe famen.
Puluerulenta æſtas rediens optata colonis
Farra fore incurua falce metenda monet.
Tum videas alacres ſtructos ruralibus armis.
His quibus eſt flaua deiicenda Ceres.
Hos audire licet claris lenire laborem
Cantibus, & potu ſæpe leuare ſitim.
Caſta thori conſors ſudans iuuat ipſa maritum
Spicarum faſces ſolibus vſta ligans.
Area & excuſſis reſonat ſimul icta maniplis,
Et lætis hominum vocibus æthra ſonat.
Hinc inde auditur rurale celeuma, coloni
Quo defeſſa graui membra labore leuant.
Furcis iacta ſuo recidunt dum pondere grana,
Pluma leuis venti flamine rapta volat.
Autumno redeunte graues decerpere botros
Atque inferre lacum plena caniſtra iuuat.
Omnia calcatis ſordent refluentibus vuis,
Vnde merum fiat dat modo muſta lacus.
Ergo rura placent, placet & ſudore paratus
Victus & inuidia ruſtica vita carens.
Otia ſectetur lata qui inglorius aluo
Illecebras carnis deſidioſus amat.
Ructuet heſternam crapulam, ventrémque tumentem
Et vino & dapibus vix trahat ipſe ſuum.

In quendam vitæ longioris cupidum & honorum dignitatúmque ambitioſum.

QVid peregrine putas vano deceptus amore
Fallacis mundi, viuere poſſe diu?
Arida nonne vides regum vacuata medullis
Oſſa? & te credis viuere poſſe diu?
Cernis & vt pueros, iuuenéſque ætate vigentes
Mors rapit, & ſperas viuere poſſe diu?
Mors nulli ætati, nulli quoque parcit honori,
Et te ſtulte putas viuere poſſe diu?
Supremas cathedras ambis, populáris & auræ
Plauſus, te credens viuere poſſe diu.
Sed caſu grauiore ruit, qui eliſus ab alto eſt,
Dum ſperat ſeſe viuere poſſe diu.
Si te ſumma iuuant, cœli mediteris honores,
Si & verè fœlix viuere ſemper amas.

Ad Beatricem puellam de memoria mortis.

PEnſa coli tanquam vitæ mortalis imago
Te hortantur mortis vt memor eſſe velis.
Carpuntur ſenſim tenuem ſectantia filum,
Dum ad finem fuſus vſque rotando trahat.
Sic noſtram Lacheſi fuſos voluente caducam
Ad ſeſe vitam mors inimica rapit.

Ad ſeipſum Dionyſius.

ANxius & triſtis memori cur mente volutas,
Quæ tibi ſi ſapias ſunt fugienda magis?
Non mala te vexent tranſacti temporis, vltrix
Sit tibi præteriti vita futura mali.
Illos eſſe ſinas triſtes, qui crimine merſi
Non ſperant illinc vellere poſſe pedem.

De cruce poſt Chriſtum tollenda.

QVi cupit ætheream fœlix conſcendere ſedem,
Poſt Chriſtum gradiens tollat & ipſe crucem.
Crux timor eſt domini, crux eſt patientia, cœli
Quæ violenta poteſt ſola aperire fores:

In puellam quandam amœnioris cultus nimis cupidam.

QVid tanto ſtudio adſciſcis tibi ſtulta decorem,
Qui leuiter morbo pulſus vt vmbra fugit?
Conciliare procos tibi vis fucata colore,
Sit pudor in vultu, pulchra puella ſat es.

De nuptiis nobilis Renati Grimaldi & Violandæ à Villa noua Epithalamium.

IAm votis optata diu lux aurea fulget,
Quæ cantu celebranda nouo noua gaudia nobis
Indixit, Procul ergo hinc triſtis & anxia cura.
Contrahat hic frontem nullus, ſed lætus amicum
Porrigat aſpectum, blandè faciéſque renidens
Monſtret vt internos titillent gaudia ſenſus.
Hæc vt honeſta decent, neq; religione vetantur,

Quin

Quin etiem Chriſtus præſens impendit honorem
Connubio, vitis cùm deficiente liquore
In vinum mutauit aquas, hinc voce canora
Pangite io ter Hymen pueri inuptæq; puellæ:
Nam votis optata diu lux aurea fulget,
Qua matris ſolito amplexu de more, Renatus
Nobilis auulſam vocat in ſua iura puellam.
Ergo Hymenæe veni, Paphia quoque tempora myrtho
Cinctus ades, choreas gaudens initura iuuentus
Iam dudum expectat, gliſcens & voce canora
Pangit Hymen Hymenæe veni, lux aurea fulget
Quæ votis optata diu noua gaudia mandat.
Huc ergo accelerate gradum, properare miniſtri,
Spargite veris opes, tota atria floribus habent.
In thalamis arabum ſuaues profundite rores,
Maſcula & hinc atq; hinc fumantia thura vaporem
Spargant, & viridi cingantur limina fronde,
Vnde frequens vario contexta è flore corona
Pendeat, atque viri vxoriſq; inſignia monſtret.
Et paries ſuſpenſa tenens aulæa reducat
Ad mentem veterum res & geſta ampla parentum.
Omnia nunc ergo teſtentur gaudia, cuncti
Pangite io ter Hymen iuuenes ſimul atque puellæ,
Nam votis optata diu lux aurea fulget,
Qua noua nupta nouo fœlix Violanda marito
Aſſocianda venit, violæ cui nomina rectè
Conueniunt, pulchro vernanti flore iuuentæ.
Compta caput, præ ſéque ferens roſeo ore pudorem
Splendicat aſpectu placido, Violentia cuius
Blanda ferit ſponſum, cuius ſpecie ipſa viciſſim
Capta, latens nutrit ſub pectore vulnus amoris.
Nobilibus ſiquidem inſignes natalibus ambo,
Ingenio & forma inſignes præſtantibus ambo,
Sed virtute magis morúmque nitore coruſcant.
Pangite io ter Hymen pueri ingenuæq; puellæ,
Nam votis optata prope eſt nox ſydere fauſto,
Qua Violanda pio amplexu auellenda parentum
Caſta viri amplexum ferat, atque ingalia iura.
Hinc illi notat ora rubor, frontémque ſerenam,
Vnde illi geminat roſeus pudor ipſe decorem.
Nam pudor in vultu vera ornamenta decúſque
Suggerit, & ſimul eſt cuſtodia cauta puellis.
Vos igitur ſuperbos precibus pulſate frequentes
Semper vt vnanimes concordi pace fruantur,
Quam neque mors ſoluat, nec debilitare vetuſtas
Cladéſve vlla queat, & quos Deus ipſe ſacrato
Fœdere coniunxit, iunctos conſeruet vbique,
Vt genus amplificent fœcunda prole, beatis
Moribus vt referant nati & virtute parentes.

Relligione Deum pura venerentur, amentque
Iuſtitiam, vt iuſti cunctis ſua iura miniſtrent.
Multiplicata etiam natis domus atque redundans
Virgineos Chriſto fœtus monachóſque futuros
Proferat. vt pietate fidem fulcire labantem
Doctrina &, titulos patrum illuſtrare priore
Poſſint ſic & erit fœlici hoc omine cœptum
Coniugium, ſemper hic proſperè & omnia cedent.

De miſeria vitæ humanæ ad Ioan. Faucherium nepotem.

VIta humana quid eſt, niſi malorum
Succedens ſeries? vidéſne vix dum
Infantem ex vtero parentis ortum
Vagitu tenero ſuam moleſtam
Et duram nimis increpare ſortem
Nudus naſcitur impotens, inopſq;
Indigens alienæ opis, locóque
Tanquam truncus iners mouere ſeſe
Infœlix nequit. Obſitus perinde
Hinc atque inde malis nouam recentis
Semper materiam inuenit doloris.
Sic & continuò neci propinquans
Viuens iam moritur, nihilque quam mors
Longa, eſt iſta breuis putanda vita.

Epithaphium Laurentij Garini.

LAurea ſerta decent, qui victo de hoſte triumphant,
Et quibus intendit clarus Apollo lyram.
Hinc igitur doctus Laurentius orbe ſubacto
Aſtra abiit ſerta conduplicata gerens.

Item aliud.

ORnatus lauro Laurentius aſtra petiuit.
Cui longo merita eſt parta dolore ſalus.
Ad cœlos illum conſtans patientia vexit
Quo molli greſſu ſcandere nemo poteſt.
Nam crucis æthereas aperit violentia portas,
Crux parit æternum ſola refrigerium.
Feſſa igitur voluit vario vexata labore
Hic ſua ſub pario marmore membra tegi.
Donec ea in melius Chriſtus mutanda iubebit
Surgere, & æterna lucis honore frui.

Ad illuſtriſſimam Margaritam Valeſiam illuſtriſſ. Philiberti Ducis Sabaudiæ conſortem.

REgia te reddunt illuſtrem ſtemmata clara
Sed virtute magis nobilitata nites.
Exterior frontem ſpecies tibi & ora venuſtat,
Interior mentem condecorátque fides.
Dux igitur Philibertus erit te coniuge fœlix,
Túque illo fœlix coniuge ſemper eris.
Margarita es pretioſa illi, theſaurus & ipſe
Eſt tibi, quo nullus carior eſſe poteſt.
Conueniunt mores, ambobus & vna voluntas
Syncera eſt fidei dogmata ſancta ſequi.
Ergo qui ſacro vos fœdere iunxit amoris,
Perpetuo iunctos ſeruet vbique Deus.
Illuſtrémque domum fœcundet prole, decoram
Vt matrem referat fœmina maſq; patrem.

Egloga

Egloga de cœleſti & diuino amore Εὐλόγιτος & Maurus, Ad Baſilium monachum Lerinenſem.

Aſpicis vt medio torrens nunc ferueat æſtas Ev.
Maure die, & gelida paſtum pecus ecce ſub vmbra
Ruminat, ardentem patula ergo ſub illice ſolem
Declinare licet. quæ altum caput obuia ſurſum
Erigit & ramis frondentibus obiicit vmbras,
Frigus & optatum ſponte officioſa miniſtrat.
Quo me quocunque pater ducas, audire paratus Mau.
Sum tibi, nec quicquam gratum magis atque ſalubre,
Eſt mihi, quam pia ſi fuero tua iuſſa ſequutus.
Dum licet ergo refer ſi qua eſt tibi fabula nobis Ev.
Non audita prius, huic dum ſucceſſimus vmbræ.
Ne ſomnus ſubrepat iners, vel tempus inane
Tranſeat. Hoc natura etenim fert, otia quando
Ducimus, vt rerum quicquam didiciſſe nouarum
Optemus, quin cura gregis dormire volentes
Non ſinit, inſidias ſemper metuiſſe ferarum
Nempè decet, quare nunc ſi qua recondita ſeruas.
Profer & alterno hic animum ſermone leuemus.
Quando ita vis, referam quæ ſunt iucunda relatu, Mau.
Nec minus vtilia, & quæ caſto digna recondi
Pectore, quæ & decies poſſunt repetita placere.
Ante dies paucos cœleſti afflatus amore,
Extitit huic iuuenis noſtro vicinus agello,
Quem pater inuitum tæda vincere iugali
Dum ſtudet, is contra obſirmata mente reſiſtens
Fœmineos mores & iura iugalia ferre
Poſſe negat. Nempè hic ſecreta ſilentia ſolus
Captare aſſuetus, ſolus ſua rura colebat,
Solus oues paſcens, loca ſolus amica petebat
Fletibus, & lachrymis ſuſpiria laſſa frequenter
Admiſcens, precibus ſuperos pulſare ſolebat.
Antra vel amotos nemorum procul ille receſſus
Sæpè adiens cytharam plectro pulſabat eburno,
Concordem fidibus doctus componere vocem.
Nec teretes tantum calamos inflare ſciebat,
Norat enim & facili percurrere pectine cordas,
Et ſuperum celebrare pio præconia cantu.
Nil triuiale ſonans cœleſtia ſola flagranti
Pectore & conceptos recitabat verſibus ignes.
Vt quondam afflatus diuino numine paſtor
Tentabat Dauid facili pſalteria dextra,
Ventura edicens rerum cauſáſque latentes.
Ergo puer tremulis ſuperum præconia neruis
Dum canit, effigiem quandam vidiſſe Deorum
Creditur, vt Moſes Synæ cum celſa ſubiſſet,
Innocuis vidit dumos ardeſcere flammis.

Inde thori iuuenis blandos genialis amores
Exoſus ſpreuit, ſanctæ integritatis honorem
Anteferens thalamis: aſt importunus & aſper
Obſtitit his genitor ſanctis conatibus, atque
Coniugio ligat inuitum, ſed facta ſequuta
Iam iam audire libet, nam virgo flagrabat eiſdem
Ignibus, & tedas dudum aſpernata iugales,
Vt ſoli Chriſto placeat, ſub iura mariti
Ire recuſabat, ſed ſollicitata parentum
Hortatu, inuiſo tandem pia colla ſubegit
Mœſta iugo, & triſti gemitu teſtata dolorem.
Iam quaſi corruptum flet caſta puella pudorem.
Sed Deus omnipotens qui hæc inſpirauit vtrique
Vota, dedit finem votis ab vtroque cupitum.
Nempè dies aderat dudum exoptata parentes
Qua deſideria expleri & ſua gaudia credunt.
Scilicet vt thalami tandem ſibi ritè nepotes
Reddant, iámque micans ſurgebat veſper Olympo,
Horáque ſuadebat iam pingues linquere menſas,
Vt ſponſam in thalamos vocet & ſua iura maritus.
Ergo vbi ſecluſi ſecreta ſilentia noctis
Captarunt, iuuenum torquent pia pectora curæ,
Dum ſibi vterque timet, nam ſtupa propinquior igni
Vertitur in tenuem citiùs reſoluta fauillam.
Ille prior ſponſam dictis affatur amicis.
O, mihi delitiis cunctis mage chara, beatam
Te reor, inque vicem memet reputare beatum
Audeo, ſi de te verum mihi fama loquuta eſt.
Audio te inuitam thalamos proferre iugales,
Et te virgineum Chriſto voluiſſe pudorem
Conſecrare, ſed huc patrem traxiſſe coactam.
O te fœlicem, tibi ſi ſententia conſtet,
Nempè habitura tuis virgo es caſtiſſima caſtis
Qui faueat votis, mihi dummodo vita ſuper ſit.
Eſt mihi mens eadem tecum concórſque voluntas.
Nam mihi luctanti contra pater obſtitit, atque
Perpulit, inuitus quare hæc in fœdera veni.
Vnanimes igitur ſimus, diuina ſequamur
Iuſſa, nec à cœlo quoquam diuertere mentem
Iam liceat, ſed perpetuo firmata voluntas
Propoſito, conſtet ſibi, nam iubet ire per arctum
Chriſtus iter, magnis quod ad aſtra doloribus itur.
Lata via eſt mundi, facilíſque, ſuóſque ſequaces
Ad pœnas ſtygias per inania gaudia ducit.
Ergo quid eſt melius, breuia aut per gaudia mundi
Æternos luctus, modicis vel fletibus illa
Quærere, quæ nullo ſunt deficientia fine?
Difficiles aditus regni cœleſtis, at ipſa
Iam via trita patet Chriſto aſcendente, nec vllus

Pellitur

Pellitur inde, niſi ſi quis violenter ad illud
Non graditur, nempè hoc virtus violenta meretur.
Per crucis opprobrium Chriſtus mortémque cruentam
Hoſte triumphato cœli penetrare meatus
Et patris ad celſam meruit conſcendere dextram.
Hoc iter innumeri poſt hunc tenuere beati
Supplicium paſſi & pulchram per vulnera mortem.
Quin etiam teneræ ſexu atque ætate puellæ
Sanguine profuſo thalami cœleſtis honores
Hoc pretio meruere ſibi ceu dote ſoluta.
Margarita Atroces quam pertulit ecce dolores,
Et Catharina, Agnes, Iuſtina, Agatéque micantes
Illuſtris ſplendore domus titulíſq; ſuperbis,
Inclyta virgo etiam tantis comitata pudicis
Vrſula virginibus, roſeo cœleſtia regna
Sanguine promeruere ſibi conquirere. Sed quis
Illos atque illas numeret, qui morte caduci
Corporis, æternæ meruerunt præmia vitæ.
Ecce coronatus meritis & nomine primus
Vi lapidum pulſus fœliciter aſtra petiuit.
Ad mentem reuoca quos pertulit inclytus ignes
Laurea cui meritum nomen poſuiſſe videtur.
Quinetiam inuictus per quæ tormenta tyrannum
Vicit, & ad cœli ſcandit Vincentius aulam
Ergo quid innumeros fruſtra numerare laborem?
Huic victor gladio, flammis hic, ille ferarum
Dentibus, ille vndis, hic fuſtibus, ille tenebris
Carceris incluſus cœli ſuper aſtra volauit.
Quis monachorum acies, confeſſorúmque cohortes,
Virgineos cœtus, viduarúmque agmina dignis
Laudibus attollat? calcato qui orbe maligno
Inculti ſquallore, ſitu, maciéque rebellem
Spiritui, carnem domuere, eiúſque petulcos
Senſus, & paruo meruerunt tempore magna,
Præmia, quæ finem non ſunt habitura modúmque.
Ergo ne condignos quiſquam putet eſſe labores
Ad palmam nobis æterno à patre paratam?
Fac animo ſis æqua precor mea caſta voluptas,
Difficilis quanquam eſt inceptio, nulla maligni
Attamen ars hoſtis noſtros deterreat auſus.
Chriſtus adeſt caſtis conatibus, ipſe fauorem
Suggeret, hoc præſente nihil non poſſumus, ergo
Virgineum decus & caſtum ſeruare cubile
Sit ſtudium, hæc qui vota dedit, ſua dona tuetur.
Cæciliæ virtus, animus, pectúſque virile
Nos ſtimulet, ſancti quoque pulchra exempla ſequamur
Coniugis, intactum qui firmo fœdere florem
Virgineum ſtudio dum ſeruat vterque fideli,
Angelus è ſummo veniens delapſus Olympo,

Lilia ad hos roſeis portauit mixta corollis.
Eu. *Mira refers fili, & quæ ſunt digniſſima condi*
Pectore, ſed ſponſæ quæ ſunt reſponſa ſequuta?
Mau. *Illa verecundo vultum ſuffuſa pudore*
Et tepido rorante genas teſtata recentem
Lætitiam fletu, facie manibúſque ſupinis
In cœlum erectis: gratis tibi Chriſte benigne
Qui mihi velle dabas, ait, en modo poſſe dediſti.
Nam nequit integritas ſine te inſpirante placere,
Quin nec propoſitum niſi te firmante teneri.
Sed tibi (vera loquar) iuuenis caſtiſſime, nexu
Me tua perpetuò vinctam tenet inclyta virtus,
Sic tua dicta animi penetrarunt intima noſtri,
Vt ſi etiam non hæc ſententia fixa ſederet,
Sola meam poterat ratio tua flectere mentem.
Non minus ergo tuis mea ſunt incenſa loquelis,
Viſcera, quàm ſi oleum iungas aut ſulfura flammis,
Aut ſi calcar equo currenti ſubdere pergas.
Accipe conſortem, natam ſimul, atque ſororem,
Tu vice rectoris mihi ſis, patris, atque magiſtri,
Vt mea virginitas ſub te cuſtode rogatur.
Inter eos igitur conuenit tempore toto
Vt ſine congreſſu morem nuptialem iugalem
Vita exacta ſimul patrum ſpes ludat inanes.
Interea caſtis precibus noctúque diéque
Intenti veneris tentamina ſueta retundunt.
Mutua & interdum miſcent conformia vitæ
Colloquia, & ſacris ſe confirmare loquelis
Certant, & Chriſti domini pia iuſſa ſequuti
Otia lenta animæ metuenda inimica, repellunt,
Vt pote cunctorum quæ ſunt ſentina malorum.
Ergo paſcendis gregibus vel rure colendo
Exercent corpus, cantu & mala tædia mentis
Expellunt, cytharæ aſſueti componere vocem.
Hinc pſalmis animum refouent, ſacriſque legendis
Sæpè voluminibus ſancti tutantur amoris
Quos Chriſtus veniens in mundum accenderat ignes.
Interea ſponſi genitor deceſſit, at illi
Vrbe domos, & rure gregem, & magalia linquunt
Et meditata diu ſubierunt clauſtra, cucullum
Induit hic monachis admixtus, at illa
Virgineis adiuncta choris tegumenta pudoris
Perpetui quæ ſunt inſignia ſacra recepit.
Eu. *Mira exempla refers, queis noſtra nec audiit ætas*
Admiranda magis, nec quæ mage digna relatu
Audítúve ſient, veterúmque ſimillima rerum
Cùm ſint, qui caſtos geſtant in pectore ſenſus,
Ne ſibi mente fluant, debent curare, proinde
Hortor & admoneo ſemper meliora ſequutus

Illa

Illa tuæ fugias, quæ ſunt inimica ſaluti
A Chriſtóque tuam poſſunt abducere mentem.
Hæc exempla tibi poſſunt ſatis eſſe ſuperq́,
Attamen attentam mihi ſi porrexeris aurem,
Et tibi quæ ſenior ſum iuſſa daturus alumno
Accipis, ipſa tuæ poterunt prodeſſe iuuentæ.
Nam tua iampridem placuit mihi cognita virtus,
Et mores mihi qui referunt grauitate ſenectam.
Hinc te præ reliquis dilexi charius vnum,
Cui cupio ſenior iam iamq́, ætate fatiſcens
Hæc tibi quæ cernis liquiſſe armenta gregéſque
Iam premit ecce grauis baculum incuruata ſenectus
Iamq́, diu intentat triſtis mihi mille querelas.
Cura Dei tibi ſit, tecum quæ militet omni
Tempore, nonne vides quam ſit ſententia vera,
In domino quicunque ſuum iactauit amorem,
Ille Deo curæ eſt, nec eum ſinit eſſe relictum,
Etſi dura pati interdum ſinit, atque moleſta,
Quæ æternam pariunt illi tolerata ſalutem.
Quinetiam virtus magno niſi parta labore
Non venit, vt nautæ non eſt induſtria nota,
Flamine ſi optato ſemper ſua cymba feratur.
Laude nec eſt dignus miles certamine nullo
Tentatus leuitérve manus dans victus in ipſo
Primo congreſſu, à pugna pauidúſve recedens.
Quanta putas iuuenes perpeſſos bella malignis
Hoſtibus hinc atque hinc ſurgentibus, inde moleſtis
Nunc caro blanditiis tentat, nunc mundus, & ille
Antiquus ſerpens, artes cui mille nocendi,
Mille modis ſtimulat, ſed eorum pectora nullis
Freta Deo ſtimulis cedunt, Babilonia fornax
Ignibus accenſis glomerabat in æthera flammas,
Tres tamen in medio pueri candente camino
Illæſi domino laudes vno ore canebant.
Sic caſti iuuenes virtutis amore flagrantes
Naturæ ardentem iuuenili ætate vigorem
Extinxere pio rorantes pectora fletu,
Et domino laudes & vota vno ore ferebant.
Quid magis exemplar flammæ retuliſſe videtur,
Quam Moſes dumo innocuam vidiſſe refertur?
Ergo Deo fretus caſtam traducere vitam
Et carnis poteris motus ſuperare rebelles,
Vt quam vim natura negat, tibi gratia Chriſti
Suggerat, vt valeas inimici vincere fraudes.
Tantum ſolus ama tecum vixiſſe, frequentem
Deuita turbam, præluſtria & alta relinquens
Elige neſciri, bene qui latuit, bene vixit.
Ipſa etenim ſanctam ſeruata ſilentia mentem
In cœlos rapiunt, ſuperis reddunq́, propinquam.

Quare multiloquus non ſis, nam ſæpè loquaces
Pœnituit piguitq́, ſui, quia multa neceſſe eſt,
Vt vitia incurrat, qui non compeſcere linguam
Nouerit, & doleat ſe ſæpiùs eſſe loquutum.
En Dauid pecudum cuſtos reticenda putauit
Interdum bona præ ſtudio curáque ſilendi.
Sed ſi quando iuuat ſeſe recreare viciſſim
Alterno ſermone, nihil docet ore ſonare
Terrenum carnaléve, quod pia pectora poſſit
A ſummo abduxiſſe Deo, qui prompta benignus
Vſibus vt noſtris ſeruirent, cuncta creauit.
Hæc meditata queunt animum cohibere vagantem
Atque vnire Deo, cœli ciuémque locare,
Vt licet in carnis mortali carcere clauſus
Sæpè tamen conuexa poli tranſcendat amore.
Nempe his ceu gradibus ſtructis cœleſtia mente
Scandere & ex multis variiſque effectibus vnam
Supremámque licet rerum cognoſcere cauſam.
Hinc ingens nobis aperitur campus & ampla
Materies ſermonis, vt omnipotentia ſummi
Artificis laudetur, & hic ſapientia, & inde
Excellens bonitas, nam noſtris vſibus iſta
Condidit omnipotens, & condita ritè gubernat.
Quis referat quanto humanum genus auxit honore
Factus homo Deus, vt factus Deus ille viciſſim
Gratus cœleſtem noſcat redamétque parentem?
Moribus innocuis ergo & ſermone, pióque
Corde Deo laudes atque intima vota feramus.
Verba Deum reſonent, cœleſtem ſpiret amorem
Pectus, ſic legimus quondam eueniſſe duobus
Diſcipulis, Chriſti de morte loquentibus, illo
In medio adſiſtente illis, nam dixerat olim
Quandocunque meo ſub nomine tréſve duóve
Conueniunt, medium inter ſe me ſemper habebunt.
Sic pridem noſtros hæc experientia patres
Paſtores docuit, nec enim cantare ſolebant
Formoſos pueros, Amarillida, ſiue Lycorin,
Sed ſua diuinis de rebus dulcia leni
Gutture, vel tremulis cantabant carmina neruis,
Sicut & is de quo paulà ante ſtupenda canebas.
Vtilia & pecori quænam ſint paſcua & amnes
Nos tractare decet, norint vt noxia cauti
Pabula paſtores vitare vndasq́, nocentes.
Vana igitur vanis, aut qui torpentia ducunt
Otia linquentes, deſerta ſilentia magnis
Vrbibus & falſo mundi anteferamus amori.
Sed nos hora monet finem impoſuiſſe loquelis,
Sol cadit, & longas occumbens porrigit vmbras.

Egloga

Egloga de lapſu Monaſtici ordinis, Ad Ioan. Baptiſtam Folingium. Candidus & Simplicius.

Bruma riget, ſummis & pendet ſtiria tectis, Cand.
Et niueis candent dudum herbida prata pruinis.
Hinc glacialis hyems Borea reflante per agros
Ire vetat, quare rutilos contexere ad ignes
Verba iuuat, varióque animum ſermone leuare,
Dum pecus in ſtabulis præmanſas ruminat herbas. Simp.
Non mihi de lana lites texiſſe caprina
Rixando, aut vanis pretioſa hæc tempora verbis
Expendiſſe placet. Propriis defendere ſenſus
Dum obſirmato animo contendimus, inde mouentur
Lites, & fructu vacuum irreuocabile tempus
Præterit, & modica de re conſurgere magna
Iurgia ſæpè, ſolent puerorum imitantia morem
Fœmineúmve, leui nam cauſa mota querelas
Suſcitat ingentes mulier, credas fore magnum
Quid, ſi rem neſcis, ſed nos potiora ſequuti
Tractemus noſtris quæ ſunt accommoda rebus.
Vtilis & mihi grata tua eſt ſententia, quare Cand.
Tractemus noſtris quæ poſſunt vſibus eſſe
Commoda, quæq; ouibus valeant afferre ſalutem.
Sic olim legimus ſanctos feciſſe patres, &
Illorum quoſdam ſacris dum caſta loquelis
Corda fouent eſcam oblitos ſumpſiſſe paratam
Corporis immemores animi dum pabula ſumant.
Hi Ægypti deſerta gregum impleuere ſacrorum, &
Paſcendorum ouium leges ſtatuere periti
Artis, & intenti pecudes ſeruare luporum
Morſibus immunes tandem meruere beati
Iſtius erepti mortis de corpore paruis
Commutare caſis immenſa palatia cœli.
His non marmoreis habitatio ſtructa columnis
Extitit, vt noſtra hæc ætas malè ſana requirit.
His humiles habitare caſas, ſeu rupe cauatas
Speluncas placuit, nec eis fuit ampla ſuppellex
Rerum aut prouentus, totam in cœleſtia curam
Tranſtulerant, ſola his ſemper cœleſtia curæ.
Talis Honoratus quondam, Benedictus, Amandus,
Maximus, Hilarion, Antonius, Ægidiúſque,
Baſilius magnus, ſed quid numerare laborem,
Quos numerus prohibet? paſcendi qui arte periti
Delegere locos à vulgi turbine longè
Semotos montes, alij aut redolentia myrto
Littora, vel denſas imis in vallibus vmbras.
Hic tacitas habuere domos, ſanctiq; tenaces
Propoſiti, vigiles morſu incurſúque ferarum
Innocuos ſeruare greges, & amœna ſolebant

Ducere per prata, aut montes, ripáſque virentes,
Pro captu cuiuſque ſua & dare pabula gnari.
Non ſcabies immunda, grauis ſiue altera peſtis
Inuadebat oues, queis ſolicitudo magiſtri
Tam pia, tam ſolers, vigilans ſtudiúmque medendi
Proſpexiſſe ſolet, doctaq́ ſilentibus antris
Pabula manſa prius, rurſum reuocata per ora
Voluere, & impuras ſuetæ vitare latunas
Sumebant vitreo puros de fonte liquores.

Simp. *Vera canis, mi Candide, ſed mihi tanta malorum*
Colluuies dic vnde in nos exundat, vt hinc &
Inde malis creſcentibus, heu deleta gemanus
Illa vetuſtatis veſtigia ſancta, nec vllus
Relligionis amor tepefacta, heu, corda remordet.

Cand. *Neſcio, ni forſan nimium curamus inanes*
Diuitias & opes, opera & ruralia, & amplas
Ædes dum ſtruimus & Pontificalia tecta
Tecta opere immenſo pariis & fulta columnis
Corda ſacerdotum ſtimulis vrgemus, vt illa
Vſibus apta ſuis cupiant habitare, ſed & nunc
Militibus iam ſunt effecta habitacula dudum.
Heu pietas, vbi nunc ſecreta ſilentia? vbi nunc
Sunt caſti gemitus, lachrymaq́, precéſque potentes
Agregibus cunctos olim depellere morbos?
Scilicet eſt mirum varia ſi peſte laborat
Nunc pecus, atque lupi irrumpunt in ouilia, paſtor
Cùm deſit, vigili cura aſſiduóque labore
Qui inſiſtat, nec enim nitida qui veſte videri
Conſpicui cupiunt, vilem geſtare cucullum
Pallia nec villoſa volunt, queis ferre moleſtos
Præualeant imbres, ventos, & frigora, & æſtus
Sed domibus regum mollem traducere vitam
Aſſueti duros metuunt fugiúntque labores,
Et ſat habent ſi lac detonſáque vellera tollant.
Hinc pecus huc illúcque vagum paſtore remiſſo
Aut abſente lupis vltrò obuiat, Inde malorum
Tanta & colluuies, morbi & genus omne fatigat
Vſque greges, languens caput à tellure leuare
Iam nequeunt pecudes, tanta eſt violentia morbi.
Sed grauius quod amant tantúmque nocentia carpunt
Gramina & exhorrent curam ſtudiúmque medentis.
Nulla tenent priſcæ veſtigia certa ſalutis,
Prolixis tantum balatibus omnia complent,
Tundentes aures grauia & faſtidia gignunt.
Talibus eſt igitur facilè vt medicina paretur,
Commoda quæ renuunt certa & medicamina, tantum
Quærentes quæ ſunt propriæ nocitura ſaluti?

Simp. *Non opus eſt ergo vt fruſtra nitamur inanem*
Ludentes operam, ratis eſt confracta ſalubre

Conſilium

Conſilium fuerit, ſibi quiſque vt conſulat, immo
A Chriſto imploremus opem paſtore benigno,
Vt noſtras conſeruet oues, morſúſque ferarum
Hinc procul auertat, peſtes cunctáſque repellat
A gregibus clades, & nos antiqua ſequentes
Sanctorum documenta patrum ſacra pabula ſanis
Atque hauſtos ouibus nitido de fonte liquores
Ritè propinemus. Sed iam nos tempus & hora
Tarda monet tándem verbis imponere finem.

Egloga cui tumulus, Religio ad Ioan. Baptiſtam Folingium, Fortunatus & Iucundus. Monach.

VNde rogo Iucunde venis? ad ouilia tandem Fort.
Quis te traxit amor, quorum te obliuio dudum
Cœperat? hinc inter ſpinoſa rubeta relictæ
Velleribus laceris pecudes ſine lege vagantes
Sponte venenatas detondent dentibus herbas,
Sponte lupos adeunt, & ſponte ſalubria linquunt
Paſcua, & immundas inquirunt ſpontè lacunas.
Innumeri pecudes morbi, innumeræq; malorum
Inuadunt ſpecies, quis enim diſcrimina cuncta
Dinumeret, quæ ouibus ſunt impendentia, quanquam
Paſtor adeſt vigilans? ergo hoc abſente quot illas
Perpeti acerba putes, cùm ſit natura magis nunc
Ad mala procliuis vltróque aſſueta ruinis?
Quare te Iucunde graues perferre labores
Nocte diéque decet. Pluuias timuiſſe, vel æſtus,
Ventos, aut tonitrus, reliquas aut aëris iras
Officium non eſt veri paſtoris, inertis
Sed ſerui, ſiue eius qui mercedis amore
Paſcit oues domini tantum ſua commoda pendens.
Hinc benè ſi reputes, ratio reddenda, grauiſque
Pœna luenda tibi eſt, pereat ſi fortè vel vna
Culpæ quam Iucundè tua periiſſe liquebit.
Otia tanta tibi nunc fortunatæ ſuperſunt, Iuc.
Vt miſſis propriis aliena negotia cures?
An ego ſi cogar rationem rationem reddere, pro me
Te ipſe vadem facies? quare tua ſint tibi curæ,
Mitte aliena, pecus noſtrum nihil attinet ad te.
Quiſque ſuum portabit onus, quid tempus inane
Anxius amittis, & fruſtra te ipſe fatigas?
Conſcio tam longis mihi tædia longa querelis
Attulit, hæc documenta olim inculcare decebat
Patribus antiquis, quibus ætas aurea fulſit,
Et quibus in caſto ſuccenſus corde flagrabat
Chriſti amor & pietas validæq; in corpore vires
His inerant, nobiſcum nunc agitur benè, ſi illos.
A longè aſpicimus, non quos imitemur inanem
Eludendo operam puerorum more volantes
Qui vano ſtudio venantur in aëre muſcas,

Siue leues ſtulto conamine pappiliones.
Iuc. *Nos igitur monuit Paulus debere volantes*
Venari muſcas, quando vt ſua facta ſequamur
Admonet, atque Dei vt ſimus digniſſima proles
Toto hortatur eum ſtudio vt ſectemur, & inde
Omnia geſta hominum ſcriptis mandata piorum
Eſſe quis ignorat, nempè vt documenta relicta
Poſteritati eſſent viuendi & norma ſalubris.
Fort. *Sed quis adeſt noſtro hoc qui tempore ſigna patrare*
Poſſit, vt ad vitam norit reuocare ſepultos,
Et lumen cœcis, auditum reddere ſurdis,
Inſuper inſomnes totas traducere noctes
Peruigil in precibus, ſola & cœleſtia guſtans
Protrahere ad quartam poſſit ieiunia lucem?
Non imitanda igitur, magè ſed miranda videntur.
Iuc. *Non tibi Chriſtus ait miracula vt edere diſcas,*
Sed vigil obſerues, quia neſcis tempus & horam
Iudicij aut mortis, veniens ne forte ſopore
Te incaute preſſum inueniat dum torpidus æuum
Tranſigis, & longas conſueſti ſtertere noctes.
Et docet elatas humilis demittere Criſtas,
Sollicitéque monet pecudum curare ſalutem,
Quodque monet, factis monſtrat prior eſſe ſequendum.
Naſcitur in ſtabulo cœli terræq; creator
Pauper, inops, patiens, intenſi algoris & æſtus,
Pro gregibus tandem tormenta necémque cruentam
Pertulit, vt per iter ſtrictum nos ſcandere cœlum
Edoceat, dum tu iucundam ducere vitam &
Otia lentùs amas genio indulgere ſuetus.
Et quaſi cogaris ieiunia ducere quartam
Vſque diem, aut totas ſine ſomno ducere noctes,
Non ſectanda tibi reputas veſtigia patrum.
Hæc ab amore venit proprio prudentia carnis,
Quæ eſt inimica Deo, antiquis ſempérque repugnans
Legibus, inde nouas his ſpretis condere gaudet,
Anguſtámque viam linquens ſpatioſa requirit.
Hinc veteris ritus vix vlla inſignia profert.
Fort. *Tu veteris ritus ſequere, & ne perge moleſtus*
Eſſe mihi, dudum ſanctorum tempora dixi
Præteriiſſe tibi. Paupertas ſi tibi cordi eſt,
Sordidus, abiectus, dura aſſuetúſque labori
Hanc ſequere, & ſit tanta tibi penuria rerum,
Vt cogaris egens ad raſtros atque ligones
Conuerti, & victus tibi ſit ſudore parandus.
At mihi longè alia eſt ſententia, & ampla ſupellex
Réſque relicta meo quæ non ſit parta labore
Complacuit ſemper, nec enim tractare ligones
Aut raſtros ſoleo. Quid fortunate laceſſis
Me toties? fruſtra noli me obtundere verbis.

Non ego ſum ſanctus, fateor, ſatis eſt mihi, ſi non
Cùm veniet Chriſtus ſua præmia reddere cunctis,
Hædis me ſocient ſtatuens in parte ſiniſtra.
Nec benè de ſuperis illi ſentire videntur,
Qui eſſe Deum immitem credunt iræq́; tenacem,
Promptior vt non ſit noſtris ignoſcere culpis,
Quàm nos pro factis cupiat damnare merentes.
Ergo abeant quibus eſt de nobis tam anxia cura,
Vt ſtimulent ſcrupis tam pectora noſtra minutis.
Vix ſpirare licet nobis, momenta moleſtus
Singula perſequeris, iam iam ſermonis & vſum
Aufers, & tetrica nocturna ſilentia fronte
Obſeruans muſſare vetas, iámque hiſcere nemo
Audet, & noſtrò tanta eſt querimonia mores,
Vt neque quæ in noſtros vſus Deus ipſe creauit,
Manducare, vel illa etiam contingere fas ſit.
Nec iucunda licent, tanquam ſi morte ſepulti
Iam ſimus, ſatagénſque nouos inducere mores,
Cogis inauditam in cœlis terráque remotam
E terra natos homines traducere vitam.
Non noua ſunt Iucunde tibi quæ dicimus, olim Fort.
Tradita ſunt, primi nos hæc docuere parentes,
Curandiq́; gregis certam paſtoribus artem
Liquerunt, & ſolliciti ſtatuere ſalubres
Leges, ſed nos degeneres malè ſana ſequendo
Nunc ſtudia, heu, quantum patribus diſtamus ab illis.
Stulta igitur res eſt, ſeſe laſſare ſequendo Iuc.
Tam procul abſentes, quos prendere ſpes tibi nulla eſt.
Aſt ego contra iſthæc Flaccum dixiſſe recordor. Fort.
Eſt quodam prodire tenus, ſi non datur vltra.
Sed mihi ſi attentè patientem porrigis aurem,
Nec mea te (vt dicis) hortantia verba laceſſunt,
Hæc referam, tibi quæ poterunt afferre ſalubre
Conſilium, vnde rogo morbis ſcabiéque laborant
Tam multa pecudes, ſpretis & ouilibus vltrò
In diſcrimen eunt cupidæ faucéſque luporum?
Faſtidire etiam videas ſua pabula & amnes,
Atque aliena ſequi & ſi ſunt inimica ſaluti.
Iampridem requieſſe ſolent, præmanſáque rurſum
Mandere, nunc capreis ſimiles hœdiſq́; petulcis
Stare loco nequeunt, his tanta licentia creuit.
Segnities paſtoris id, ô Iucunde remiſſi
Efficit, hinc tanta illuuies effuſa malorum
Exceptis paucis corripit ouilia paſſim.
Fortunate, nimis qui emunxit, ſæpè cruorem Iuc.
Elicit, & nimium reſtrictus labitur anguis.
Sed curare greges Iacob Patriarcha beatus
Me docuit metuens nimio ne fortè labore
Afflictum vna dies cunctum proſternat ouile.

Segnitiem improperas mihi, ſi diſcretio virtus
Præcipua in votis ſemper fuit, hac ſine nulla
Eſſe poteſt virtus, ſemper ſatis eſſe putaui
Æris ſi ſonitum ſequerer, tanto feruore quid vltra
Eſt opus? an reliquis prudentior eſſe putabor.
Si tetrica me fronte velim oſtentare ſeuerum?
Iucundus dicor, quare & Iucundus haberi
Percupio, valeant ergo grauitatate Catones
Qui referunt, alius mihi mos, alia & mihi mens eſt.
Semper & hæc mihi viſa fuit prudentia ſumma,
Plurima quod ſequitur pars, hoc ſtatuiſſe ſequendum.

Fort. *Nunc ita ſunt mores, vitium vt ſub imagine falſa*
Inclyta quo poſſit virtus vtcunque, videri,

Iuc. *Virtutis titulos & inania nomina ſumit.*
Tu ne malum reputas pecudes ſi pabula mutent,
Cum placeant etiam diuerſa cibaria nobis?

Fort. *Non mirum eſt igitur, ſi abs te didicere magiſtro.*

Iuc. *Ne magnum eſt ſi aliquam lupus obripuiſſe videtur.*

Fort. *Sed ne hoc accideret, te proſpexiſſe decebat.*

Iuc. *Tam fœlix quis erit iuuentus cultor agrorum,*
Aëris aduerſa qui non aliquando laboret
Tempeſtate, cui & pro votis omnia cedant?

Fort. *Obſirmata tibi frons eſt Iucunde, ſed iſtud*
Mente tene, veniet veniet ſuprema dies, quæ
Te inuitum coget ſuſpiria mœſta profundo
Ducere corde, vtinam tibi non contingat inanes
Fundere tunc gemitus, dum mortis venerit hora,
Heu quantum velles abs te excuſſiſſe teporem,
Heu quantum velles lachrymas fudiſſe ſalubres,
Et Chriſti meminiſſe necem, & tormenta ſequacem
Téque fuiſſe crucis, quam tunc ſpreuiſſe pigebit.
Sed quid ego ſaxum voluens male tempora ſumo?
Iam finem facio, ne te mea verba fatigent.
Amplius, hora etiam iam iam monet eſſe ſilendum.

Egloga de deſolatione monaſterij Lerinenſis & de extruſione monachorum, ad Proſperum Martinengum Mon. Tit. & Cand.

Tit. *DIc rogo cur ſolito mihi triſtior eſſe videris,*
Et tuus aſſiduo vultus mœrore macreſcens
Indicat occultum cordis nimiúmque dolorem?

Cand. *Tu ſolus neſcis noſtris quid ouilibus annos*
Contigit ante duos, ablata vt paſcua, pulſi &
Paſtores hinc? Quin etiam veniſſe ferunt, qui
Diſperſurus oues procul hac à ſede fugabit.
Immò & nos etiam ſenio languente grauatos
Decreuere locis iſtis extrudere tandem,
In quibus (heu) dudum inuenile exegimus æuum.
Ergo ne miraris, demiſſa fronte dolorem
Si indicat occultum vultus mœrore marceſcent.

Tit. *Heu me, quid narras? horum ſed cauſa dolorum*

Dic

Dic mihi quæ fuerit? Scabie num fortè laborant?
Aut alio morbo pecudes? ſtabuliſve relictis
Laſciuæ inuadunt aliena an paſcua furtim,
Paſtores ne etiam quicquam admiſiſſe ferantur.
Vt meritò extruſi tam turpiter eſſe putentur?
Nil niſi quod normam montis ſeruare Caſini
Dicimur, & veterum ritus renouare parentum.
Hinc grauis hæc in nos conficta calumnia ſæuit.
Verius at dicam, noſtra hinc nos prædia, noſtri
Prouentus abigunt. Nec enim queis mantica ſola eſt,
Sedibus hos pellunt, cupidi qui lucra ſequuntur.
Hinc benedicte ſenex leges moréſque peroſi
Sancte tuos, cupiunt te transformare Medeæ
Exemplo in iuuenem, quæ herbarum gnara venenis
In iuuenile æuum norat reuocare ſenectam.
Nomine vel Benedicte tuo introducere certant
Qui iuuenis veteres ritus abolere nouóſque
Ferre ſciat, cui ſit damnoſa licentia cordi.
Veſte nitente tegi exoptet, renudíque cucullum
Et procul à gregibus ſolitus ſit ducere vitam.
Candide quid dixti? tibi num credenda putabo
Quæ canis? vt poſſit quiſquam reuocare iuuentam, Tit.
Corpora & herbarum ſuccis renouare vetuſta.
Titire ſi neſcis quantum hæc medicamina poſſint,
Plinius ipſe docet, docet hoc te carmine Macer. Cand.
Circe nonne homines in bruta animalia verbis
Et potu vertit? hinc auxiliaria iungunt
Carmina, quæ procerum valeant præſtringere ſenſus,
Sontibus vt parcant, inſontes ſede repellant.
Hinc cantata ſuas vires medicamina monſtrant,
Quod iuniore pecus Benedicto authore vagando
Nunc ſolitos renuit paſtus vndáſque ſalubres,
Paſtoriſq; iter antiqui obſeruare recuſat,
Per latas & ferre vias veſtigia gaudet,
Queis patet infœlix inferni ianua Ditis.
Vis verò vt referam quæ dixit Batrachus olim,
Cum quo erat hac de re ſolitus contendere Mirmix?
Dic rogo, quando etiam ſunt temporis otia nobis.
Vir fuit à primo antiquis ſub legibus æuo Tit.
Nutritus, qui dignus erat reputatus oues qui Cand.
Paſceret, vnde gregis curam ſuſcepit alendi.
Oblatus ſed honor prius actæ obliuia vitæ
Induxit, ſiquidem mores mutantur honore
Sæpius in peius, docet experientia factum.
Incipit hinc mutare cibos, mutare cubile,
Mollibus & veſcens odiſſe legumina iam iam
Cœpit, quinetiam culmus iuncúſque paluſtris
Diſplicet, & mollem lecto conſternere plumam
Exquirit, valeat ſuaues vt carpere ſomnos.

Hinc varia iuniore greges paſcente laborant
Peſte, ſed & morſum ignorant vitare luporum
Greſſus ſectantes & praua exempla magiſtri.
Hic igitur cupiens ſedes habitare beatas,
Dum compulſus ab hac tandem decedere vita,
Pro foribus Paradiſi adſtans miſer, anxius orat
Lampadibus vacuis porta vt radiantis Olympi
Iam dudum adſtanti tandem ſibi aperta pateſcat.
Clauiger æthereus pulſu iam ſæpe vocatus
Petrus adeſt percunctans quid petat, ille gemendo
Expetit ingreſſum Benedicti nomine fretus,
Sub quo olim primis vitam tranſegerat annis.
Tum Petrus, hic tantiſper, ait, te ſtare decebit,
Dum veniat, ſi forte ſuum te agnouerit ille.
Intuitus Benedictus eum, obſcura, inquit, amice
Signa refers, niſi quod collo tibi paucula pendent,
Sed facies rubicunda ſimul quoque venter obeſus
Non tua crebra fuiſſe nimis ieiunia monſtrant.
Hæc vbi dicta dedit, diſtenta vt protinus alnus
Mandat aperta ſiet, ſi forte legumine turget,
Aut variis ignaua cibis conſerta tumeſcit.
Non ibi Pythagoræ menſa, ſed pinguia cernit
Prandia, commixta & dapibus feruentia vina.
Iſta ſenex cernens, non te cognoſcimus, inquit,
Lampade qui extincta, crucis & ſpoliatus honore
Cœleſtem reputas te poſſe apprendere ſedem.
Vi crucis arripitur cœlum, hoc crux ſola meretur,
Cœlum crux aperit, tu Sardanapale ſupinas
Delitias ſectans iſtuc meminiſſe frequenter
Debueras, mundi qui gaudia falſa requirit,
Non valet infœlix cœli conſcendere regna.
Tit. *Appoſitè reſponſa dedit, nam impoſſibile eſt hic*
Vana lætitia, ac æterna deinde fruiſci,
Nec tumidus potis eſt venter penetrare polorum
Angustos aditus, quos pauci intrare merentur.
Nos æquis animis illata aduerſa feramus,
Déque manu noſtri ſumamus cuncta parentis,
Vſibus & noſtris illa eueniſſe putemus.
Seu iucunda ſient, ſiue iniucunda videntur.
Si Deus ergo patrem tibi ſe exhibet vltrò benignum,
Cur doleas? longo cur te mœrore fatiges
Candide, dum rebus ſpoliaris, & inde coactus
Truderis? hoc aliis nobis melioribus ante
Contigit, immò etiam vitam amiſere cruore
Effuſo Chriſti veſtigia ſancta ſequuti.
Sed noſtris iam iam magalibus ecce paratur
Cœna, rogo venias, video iam culmina fumant.
Illa tibi vt pateant ſemper volo, ſemper amicus
Optatus venies, triſti ſed corde dolore
Depoſito, lætam nobis rogo porrige frontem.

Ad Ioannem Faucherium Fratrem chariſſimum.

ÆTas noſtra fluit ſenſim fugientibus annis
Et nos ad mortem lex violenta rapit.
Et velut vndarum fluctus iactantur ab alto
Littus & extremum flatu agitante petunt.
Dúmque aliis alia ſuccedunt comminus vnde
In ſcopulos ſpumans lympha refracta cadit,
Sic noſtræ ætates ad metam mortis & horam
Viribus illiſis deficiendo abeunt.
Vix & erunt noſtri memores poſt fata propinqui,
Qui ergo ſapit, viuens ſit memor ipſe ſui.
Et bona conquirat nullos metuentia caſus,
Quæque ſolent nullos pertimuiſſe fures.
Caſta pio affectu cœlo ſint fixa & amore
Corde vbi perpetuo gaudia vera manent.

Auctoris Aegrotantis deprecatio ad deum.

GLoria laus & honor tibi ſit decus atque poteſtas,
Nunc & ſemper & in ſæcula cuncta Deus.
Qui me verberibus dignatus es atque flagellis,
Caſtigare, igitur ſit tibi laus & honor.
Corrigat hic tua me nunc diſciplina ſalubris
Ne ex reprobo videar natus adulterio.
Et tua quæ promerar tandem bona cernere in illa
Viuorum terra, his, & ſine fine frui.

Ad Aegrotantem.

DIc rogo quid longam cupis hic traducere vitam,
Vndiq; concuſſam quam mala tanta premunt?
Incolumis fieri exoptas, ſed fortè tibi non
Expedit, hoc nouit cui omnia nota Deus.
Ergo tuas illi ſtudeas committere curas,
Nam quæ commoda ſint, prouidet ipſe tibi.

Diſtiticon de cœleſti amore.

FOelix illa anima eſt, quæ corpore clauſa gemiſcens
In cœlis auido pectore fixa manet.

Teſtraticon de cruce amplectenda.

IN cruce reſpiciens Chriſtum pendere memento
Quod tua ſunt eius crimina cauſa necis.
Hanc ergo amplectens fletus perfunde ſalubres
Et ſtrictam teneas vltimum ad vſque diem.

In eos qui blaſpemant.

ORto manè rubens iam nos aurora coruſca
Luce monet laudes domino vt iubilemus, & ipſas
Inſpiciamus aues, que docto gutture pro ſe
Quæque ſuo dulci Chriſtum modulamine laudant.
Sed malè gratus homo longè pietate reiecta,
In cœli & terræ dominum rerumq; parentum
Audet blaſphemas inſanus fundere voces,
Quæ ſolo auditu quatium pia corda tremorem.

Infœlix idcircò hominum id genus eſſe videtur
Quod ratione carens volucris damnare probatur.

Non rebus fortunæ aut naturæ ſed ſoli Chriſto fidendum eſt.

Quid te tollis homo, quia valdè opulentus haberis.
Et pinguis glebæ iugera magna colis?
Quid te tollis homo, quia ſublimaris in alta
Sede, Atque immeritò cultus honore tumes?
Quid te tollis homo, tibi quod popularis ad horam
Aura fauet, vulgi & plauſus inanis adeſt?
Quid te tollis homo, de forma corporis, atque
Quod tibi tam firmo robore membra vigent?
Omnia prætereunt vt inanis in aëre fumus
Et velut excurrens vnda fluentis aquæ.
Nempè hæc mors veniens immiti falce ſecabit
Demptáque cùm fuerint omnia nudus eris.
Chriſtum igitur quæras in quo tibi cuncta manebunt.
Proſpera, nec mortis falx metuenda tibi eſt.

De ridentibus, & beatus, qui Chriſti aduentum vigilans præſtolatur.

Quid rides, quid ſtulte iocis intendis ineptis,
Hoc lachrymis tempus te dare nempe decet.
Namque breuem gaudes iſtam traducere vitam,
Cum tibi dum neſcis imminet atra dies.
Stultorum ſi quidem nunc riſus abundat in ore,
Lætitiæ at longam ſpem rapit hora breuis.
In lachrymas etenim riſus mutatus amaras,
Os cogit triſti claudere fine diem.
Ergo horam mortis lugens meditare paratum
Te chriſtus veniens ſemper vt inueniat.
Eius ſolicitus qui aduentum ſperat in horas
Nocte diéque vigille beatus erit.
Præparat ad mortem ſeſe ſplendente lucerna,
Pulſanti vt gaudens obuius ire queat.
Audiet hic vocem domini inuitantis amicam
Intra ſerue bone in gaudia vera Dei.

Ad quendam nouitium exhortatio. Dionyſius.

Otia pigra caue, Monachi ſi nomine dignus
Eſſe velis, alias nomen inane feres.
Ad quid veniſti prudens meditare frequenter
Quo tanquam ſtimulo torpida corda cites
Dilige virtutes, animum cole moribus almis,
Diſce & ſcripturas voluere mente ſacras.
Viue tibi quantúmque potes, conſortia vita,
Quicquid agant alij, ſis memor ipſe tui.
Fœdera cum Chriſto pepigiſti, pacta frequenter
Volue animo, & retro ne tueare caue.
Iamq; voluptatem ſpernens, iter arripe durum
Digna & pro duo dona labore feres.

Epitaphium

Epitaphium Franciſci Faucherij per Dionyſium filium.

Sparge ſacros latices ad buſtum ô caſte ſacerdos,
Vocibus & caſtis funde benigne preces.
Funde preces ſuauémque ſimul ſpirantia odorem,
Imponas ſacris maſcula thura rogis.
Túque puer teneras dum condimus oſſa parentis
Sparge roſas tumulis, ſpargite veris opes.
Ipſe pio gemitu, & triſti ſqualore ſepultum
Perſequar, & lachrymis ſaxa rigabo meis.
Hæc Franciſce tuæ prolis cape vota, pióſque
Fletus, quæ heu nollem triſtia dona dedi.

De loco in agro Modienſi, vbi ſitum eſt Sacellum diuæ virgini Mariæ dicatum.

Est in ſeceſſu vaſto locus vndique celſis
Rupibus hinc, atque hinc ſinuoſo flumine clauſus.
Virginis hic matris pendet de monte ſacellum,
Ritè die feſto quod religioſa frequentat
Plebs deuota Deo, magna & pietate colendo
Sacratas onerat donis ingentibus aras.
Horrida ſylua locum dumis atque ilice nigra
Complet, & obſcuris horreſcunt antra latebris.
Diſiectæ moles ſaxa & pendentia ſurſum
Speluncas faciunt monachis habitacula dudum.
In quibus hi Chriſto quibus eſt nil charius, atque
Cœleſtem toto ſitiunt qui pectore vitam,
Sponte latent taciti & ſecum ſub rupe ſilenti
Caſta pio gemitu cœlo tranſmittere vota
Gaudent, & leni meditantes gutture carmen
Blandiſono inuitant ceſſantem murmure Chriſtum.
Qui pia dum longo ſuſpendit gaudia voto,
Cœlitus inflicto fœlici vulnere languent.
Temporis hinc lapſi memores admiſſa gemiſcunt.
Aut tibi quanta Deus clemens bona ſponte miniſtret,
Mente reuoluentes ſtudiis cœleſtibus ardent,
Corpore vt in terris cum ſint, ſuper aſtra leuati
Spe ac deſiderio iam iam ſedéſque beatas
Poſſideant. Tanta eſt animi fiducia amantis.
Quàm iucunda igitur Chriſtum quærentibus iſthæc
Sunt loca, turbarum longè ſemota tumultu,
Hoc & amœna magis, quod ſunt inculta virente
Perpetuo ſylua, quæ optata ſilentia & vmbras
Suggerit, & fluidos tenui cum murmure riuos.
Qui vitreo de fonte fluunt, errántque per herbas.
Hinc ferrugineos paſſim decerpere flores,
Hinc & perpetuo berlas humore madentes
Collegiſſe iuuat, fragra hinc hinc, & mora rubetis
Stringere, & aſparagos, lupulos quoque ſumma tenaci
Qui arbuta complexu cingunt, terræq; feracis
Diuerſos fœtus, quos ſponte benigna miniſtrat.

Mordaces igitur valeant curæ, atque fugaces
Orbis delitiæ meritaque plectere pœna
Cultores proprios norunt, œſtróque latenti
Pungere. Quocirca mihi ſi datur optio, longe hic
Sera velim potiùs ieiunia ſoluere glande,
Dulcia quam mundi de ſpinis lingere mella.

In Chriſti ſaluatoris natali. Ad Ioan. Faucherium fratrem.

FEſta dies orbi Chriſto naſcente coruſcat,
Vos, ô mortales animo propellite curas
Degeneres, mortale nihil, nil caſta caducum
Corda putent, noſtræ ſed ſacramenta ſalutis
Mente pia cunctli recolant, venerantur, odorent.
Noctis erat mediæ tempus, cum victa ſopore
Occupat alta quies mortalia membra, ſilentq;
Omnia, tum ſummi proles generoſa parentis
Virginis ex vtero ſuſcepta carne ſerenam
Prodiit in lucem cœlo applaudente, per auras
Nempè eſt vox audita piis paſtoribus, illa
Qui in regione greges ſeruabant, noctéque pulſa
Occupat hos ſubito noua lux, nimióque pauore
Angelus attonitos verbis ſolatur amicis
Ponite corde metum, vobis magnámque nouámque
Affero lætitiam, quia natus finibus iſtis
In ſtabulo eſt pauper ſummi fabricator Olympi,
Olim qui patribus multum expectatus, vt almæ
Virtutis monſtraret iter, tenebriſq; fugatis
Factus homo eximeret hominum genus anguis iniqui
Implexum ſpiris, celſóque inferret Olympo.
Dixerat, hinc dulci totum modulamine cœlum
Completur, patri cœleſtis concio laudes
Terrigeniſq; diu exoptatæ nuncia pacis
Læta refert. Illi ergo gradu properante puſillam
Expetiere caſam culmo iuncóque paluſtri
Contectam. Non ergo hic aurea ſtramina cernunt,
Non famulos famuláſve, ſed ad præſepe iacentem
Infantem rutila ac diuina luce coruſcam.
Cernuus hinc bos, cernuus hinc procumbit aſellus,
Húncque fouent trepidum halantes ex ore vaporem.
Quis queat ô virgo digno ſermone referre
Quanta tuum tacitè exagitarent gaudia pectus,
Cùm iumenta tuis vltro famulantia cunis
Aſpiceres, natiq; tui famam ire per agros?
Et tibi ſancte ſenex animus quis ſigna videnti
Tam manifeſta Dei in Chriſto teſtantia numen?
Ergo vtroque genu ſummiſſi numen adorant
Paſtores, & dona ferunt à rure, nouumq;
Carmen, & inſolitum tenuit modulantur auena.
Nos igitur veterem vitam emendemus, vt illi
Rite nouos læti valeamus promere cantus.

Ad

Ad Chriſtum Saluatorem de infœlicitate huius ætatis lamentatio.

CHriſte quis has poterit tantas euadere clades,
Cùm mala ſuccedant grauiora prioribus vltro?
Hinc nos bella famésque premunt, atque inde malorum
Tam condenſa cohors hominum genus vſque fatigat.
Nempè alia ex aliis incurrimus, vnde Charybdis
Eiectos nos in Scyllam detrudit & inde
Voluimur, atque illinc, atque hinc illudimur vndis.
Nec ſpirare licet, nec iam ſperare ſecundos
Curſus, aduerſa mage crudeſcente procella
Triſtem noſtra igitur fœcunda doloribus ætas
Materiam nobis lugendi ſponte miniſtrat.
Sed non vlla magis clades bone Chriſte dolenda eſt,
Quam quod relligio contempta iacet, tua paſſim
Paſſio deſpicitur, ſacri pretiumq; cruoris
Et crux conculcata iacet, tibi cultus honoſq;
Debitus abnuitur, cuncti quæ ſunt ſua, non quæ
Sunt tua conquirunt, tanta excœcatio mentes
Occupat, eſt igitur mirum ſi tanta malorum
Colluuies hominum genus inuaſiſſe videtur?
Noſtra quidem ſcelera his multo grauiora merentur,
Quando mortales nulla aut reuerentia ſummi
Iudicis, intenſus vel amor pietáſve parentis
A vitiis prohibet. Longo hinc turpiq; fugata
Exilio virtus ſceleri ceſſiſſe coacta eſt.
Nunc latum per iter iuuat ire & amœna viarum,
Queis patent ad mortem ſaui horrida ianua Ditis.
Ingluuies ventris velut inſatiata Charybdis
Ieiunas acuit fauces nidoribus, atque
Contemnit mandata Dei, dum turpis Orexim
Expleat, & crapulam exhalans ieiunia ridet.
Inde alia exurgens qua nulla nocentior vſquam
Peſtis adeſt, piceam flagranti ſulfure pinum
Fœda libido gerens magna comitante caterua:
Heu miſerum mortale genus, quod pone ſequaces
Blanda trahit ficto arridens fera peſſima vultum?
Pocula mortifero Babylonia plena veneno
Porrigit, inque hominum mentes obliuia ducit.
Obliti inde Dei atque ſui cœleſtia tanquam
Nulla forent, animo terris & corpore adhærent.
Vnde & adulterium, ſtupra, inceſtuſq; nefandi,
Et ſcelus horrendum, quod mixtis ſulfure flammis
Cœlitus emiſſis olim Deus ipſe repreſſit.
Ardet auaritia, & numquam ſatiatus habendi
Ardet amor, ſæua inuidia, & furor, atque miniſtra
Sordidæ auaritiæ fraus, inſidiaq; doliq;,
Furta, venena, neces, violentia dira, rapinæ, &
Cætera monſtra Herebi triſti Phlegetontis ab amne

Contra nos emiſſa furunt, tenet Orcus habenas,
Imperióque premit mundum virtute fugata.
Vſque adeò ſceleri conceſſa licentia creuit.
Chriſte parens rerum rõſeo qui ſanguine noſtrum
Veniſti inſtaurare genus ſpolia ampla reportans
Dum fortem cruce viciſti dirúmque tyrannum.
Heu, noſtris quantum damnoſa licentia rebus
Atque ignaua patrum ſegniſq; incuria damnum
Intulit, inde patet vitiis via aperta malignis,
Hinc furiæ, hinc & monſtra Herebi reuocata profundo
Imperio immiti toto dominantur in orbe.
Ergo age Chriſte precor fuſum memorare cruorem,
Et memorare crucem, mortem memorare cruentam,
Ne in vanum toleraſſe velis tot Chriſte dolores.
Arma moue in ſtygias peſtes, & monſtra ferarum
Hinc procul expelle, vt redeant fœlicia tandem
Tempora, relligio, pietáſque fidéſque reuecta
Chriſtigenum pia corda regant, moréſque reforment,
Vt renouata colant ſacris te pectora votis,
Et tibi perpetuum cuncti referamus honorem.

Ad Renatum Grimaldum de pace inter Chriſtianos principes inita.

VEnerunt tandem expectatæ nuntia pacis,
Quæ ſuſpenſa auidis tenuerunt anxia votis
Pectora noſtra diu, dum terrificante tumultu
Bellico & aſſiduis totum quatientibus orbem
Cladibus infauſtos nos iam ſupereſſe pigebat.
Nempè alia ex aliis pariunt incommoda lites,
Nec facile inuenias tam clara dote beatum
Ingenij quemquam, vel tam ſermone diſertum,
Qui omnia dinumeret mala, quæ diſcordia gignit.
Ergo Deum qui huius pacis eſt amator & autor
Moribus innocuis, vitæ integritate, ſacriſq;
Canibus & vera mentis pietate colamus.
Omnia teſtentur communia gaudia, cœli &
Terra creatorem laudent pelagúſque profundum.
Et ſummis rutilent flagrantes turribus ignes,
Æráque feſtiuis reſonent tinnitibus, atque
Compita & ſuccenſis radient lucentia flammis,
Quæ obſcuram vincant fulgenti lumine noctem.
Has circum tenero pueri innuptæq; puellæ
Gutture Oſanna pium canent, & vbique reſultent
Auditæ voces lætum Pæana canentum.
Hinc fuſis ſurſum crebris miſcet ignibus æther,
Inde frequens mittat ardentes machina bumbos,
Queis mare & excelſi reboantes vndique montes
Atque cauæ referant ſimulata tonitrua valles.

Finis totius operis Chronologiæ.

INDEX.

SANCTORVM LERINENSIVM

ORDINE ALPHABETICO QVORVM

pagina denotat acta & geſta ipſorum.

Tandem admoneberis, Lector, quod vbi reperies b, cum numero, incipiendum eſſe numerum paginæ, ab I, mediæ partis totius operis.

A

AGricolus Epiſcopus Auenionenſis. pagina 321
Amandus Abbas Lerinenſis. b, 80.
Anſelmus Epiſcopus. 135.
Anſelmus Abbas Lerinenſis. b, 81
Antolius, ſiue Anatolius Epiſcopus. 369
Apollinaris Epiſcopus Valentiæ. 377
Apollinaris monachus Lerinenſis. b, 149
Ardemius Abbas Lerinenſis. b, 149
Arnulphus Epiſcopus Metenſis. 194
Attalas Lerinenſis Abbas Luxouienſis. 97.
Aygulphus Abbas & martyr cum 37. ſociis. 327

B

BAſſius Epiſcopus Niciæ 135
Bernarius monachus Lerinenſis, cũ S. Adelhardo. 52
Bononus, ſeu Cononus Abbas Lerinenſis. 186
Bricomus Monachus Lerinenſis, cum S. Aygulpho martyr. 327

C

CApraſius Abbas Lerinenſis. 191
Cæſarius Epiſcopus Arelatenſis. 229.
Eius ſermones. 277
Columbanus Abbas. b, 83
Columbus Monachus Lerinenſis cum ſancto Porcario martyr. 220
Concordius Epiſcopus Arelatenſis. b, 149.

E

EBidobius Abbas Lerinenſis. b, 149
Eleutherius monachus Lerineſis. 220
Eligius monachus Lerinenſis in vita S. Mauri Abbatis. 52
Eucherius Epiſcopus Lugdunenſis, 379
Ipſius quædam operæ. 390
Eucherius Abbas Lerinenſis, cum S. Nazario. 79
Eudo Monachus Lerinenſis & Abbas Cameliacenſis. b, 81
Euodius Abbas Lerinenſis. b, 149

F

FAuſtus Epiſcopus Rhegienſis. 52
Ferriolus confeſſor. b, 149
Florentius Abbas Lerinenſis. 367
Fronto Epiſcopus Petragonienſis. 136

G

GErmanus Epiſcopus Pariſienſis. 184

H

HIlarius Epiſcopus Arelatenſis. 103
Honoratus Epiſcopus Arelatenſis. 15
Hoſpitius Confeſſor Niciæ. 129

I

IOannes Abbas Reomenſis. 367
Iuſtus Epiſcopus Lugdunenſis. 316

L

Lambertus Epiſcopus Ventiæ. 149
Lupus Epiſcopus Trecenſis. 204
Leufredus Abbas 198

M

Maguntius Epiſcopus Viennæ. b, 149
Maximus Epiſcopus Rhegienſis. b, 115. 120

N

Nazarius Epiſcopus Arelatenſis. b, 149,
Nazarius Abbas Lerinenſis. 79

P

De ſanctis Philippo & Philippo imperatoribus & Martyribus. 137
Polemius Abbas Lerinenſis. b, 149
Porcarius Abbas & martyr cum quingentis ſociis. 220

S

Salonius Epiſcopus. 372
Seduſtus Epiſcopus Viennenſis. b, 149
Siffredus Epiſcopus Carpentoratenſis. 130
Siacrus Epiſcopus Nicienſis. 132

T

Theodorus monachus & martyr. b, 149.
Thomas Epiſcopus Tarantacienſis. 149
Tranſlatio S. Honorati Epiſcopi. 129
Tranſlatio ſancti Germani Epiſcopi. 204
Tranſlatio S. Florentij Abbatis. 193
Tranſlatio S. Aygulphi & ſociorum. 129
Turianus Epiſcopus Dolenſis. 186

V

Valerius Epiſcopus Niciæ. 203
Venantius confeſſor. 187
Veranus Epiſcopus Ventiæ S. Eucherij filius. 362
Virgilius Epiſcopus Arelatenſis. 87
Vincentius presbyter & monachus Lerinenſis. 138

FINIS.

Varia quædam ſcitu digna.

Priuilegium Caroli Simplicis Francorum Regis. b, 212
De locatione ſeu fundatione turris Lerinenſis. b, 213
Inſtructio perbreuis pro nouitiis ſacræ Inſulæ Lerinenſis. b, 215
Vincentij Salernæ epiſtola. b, 217
Corollaria quædam ſanctarum Reliquiarum, quæ in Inſula Lerinenſi aſſeruantur. b, 184
R. Patris D. Dionyſij Faucherij monachi Lerinenſis varia opera, b, 211

INDEX

INDEX
SANCTORVM ORDINE MENSIVM.

Ianuarius.

1. *Dilonis Abbatis.*
Marini Abbatis.
2. *Bernarij Monachi.*
15. *Eligij Monachi.*
16. *Honorati Archiepiſcopi.*
Fauſti Epiſcopi.
20. *Tranſlatio S. Honorati.*

Martij.

5. *Virgilij Epiſcopi.*
10. *Attalæ Abbatis.*

Maij.

5. *Hilarij Epiſcopi.*
Leontij Epiſcopi.
15. *Tranſlatio S. Honorati iterum.*
16. *Tranſlatio S. Aygulphi.*
21. *Hoſpitij Confeſſoris.*
23. *Siacrij Epiſcopi.*
24. *Vincentij Lerinenſis.*
26. *Lamberti Epiſcopi.*
28. *Germani Epiſcopi.*
29. *Boni Abbatis.*
30. *Venantij Confeſſoris.*

Iunij.

1. *Capraſij Abbatis.*
21. *Leufredi Abbatis.*
27. *Translatio S. Florentij.*

Iullij.

13. *Triviani Epiſcopi.*
18. *Arnulphi Epiſcopi.*
24. *Valerij Epiſcopi.*
25. *Translatio T. Germani.*
29. *Lupi Epiſcopi.*

Auguſti.

12. *Porcharij Abbatis.*
Ilduini Epiſcopi.
16. *Translatio S. Armulphi.*
27. *Cæſarij Epiſcopi.*

Septembris.

2. *Iuſti Epiſcopi.*
Agricoli Epiſcopi.
3. *Aygulphi Abbatis,*
10. *Verani Epiſcopi.*
22. *Florentij Abbatis.*
Ioannis Abbatis.
25. *Anatolij Epiſcopi.*
28. *Salonij Epiſcopi.*
Saluiani Epiſcopi.

Octobris.

4. *Dedicatio Eccleſiæ Lerinenſis.*
5. *Apollinaris Epiſcopi.*

Nouembris.

16. *Eucherij Epiſcopi.*
18. *Nazarij, Eucherij, Vincentij, Amandi, Siluani, Abbatum.*
Anſelmi Abbatis.
20. *Eudonis Abbatis.*
21. *Columbani Abbatis.*
27. *Maximi Epiſcopi.*
29. *Siffredi Epiſcopi.*
Translatio eiuſdem.

Decembris.

28. *Antonij Monachi Lerinenſis.*

INCERTI DIEI IN CALENDARIO VLTIMO POSITI.

Apollinaris Monachi.
Ardemij Abbatis.
Concordi Epiſcopi.
Ebidobij Abbatis.
Euodij Abbatis.
Ferrioli Confeſſoris.
Maguntij Epiſcopi.
Nazarij Epiſcopi.
Polemij Abbatis.
Sedaſti Epiſcopi.
Theodorij Monachi & martyris.
Thomæ Epiſcopi.
Vincentij Epiſcopi Sanctonenſis.

FINIS.

INDEX
NOMINVM PROPRIORVM ABBATVM LERINENSIVM DE QVIBVS IN hoc opere fit deſcriptio.

A

ALdebertus I. pagina b. 152
Aldebertus II. b,153
Aldebertus III. b,168
Alziarius. b,173
Amalricus. b,151
Andreas de Fontana. b,181
Antonius. b,180
Audebertus. b,165
Augerius. b,ibid.
Auguſtinus Grimaldus. 183
Aycardus. b,163

B

BBernardus Ayglerius. b,169
Bertrandus Furoni. b,172
Boſo. b,163

F

FVlco I. b,158
Fulco II. b,162
Fulco III. b,171

G

GAncelmus. b,170
Garinus. b,160
Gaufredus I. b,165
Gaufredus de monte. b,177
Giraudus. b,167
Giraudus de Suſa. b,171
Guilliermus I. b,166
Guillermus II. b,167
Guilliermus III. b,172
Guillermus Vayſerius. b,180

H

HVgo. b,162
Hugo Carolus. b,171

I

IAcobus Gaſtolius. b,179
Ioannes Thornafortis. b,173
Ioannes Andreas. b,183
Iſnardus, b,182

L

LEotmundus b,150

N

NIcolaus I. b,170
Nicolaus II. b,171
Nicolaus III. b,174

O

ODilo. b,151

P

PEtrus I. b,158
Petrus II. b,ibid.
Petrus III. b,170
Petrus de Hiſpania. b,176
Pontius Fortis. b,157

R

RAymondus I. b,163
Raymondus II. b,ibid.
Raymondus III. b,164
Raymondus IIII. b,165
Raymondus V. b,168
Roſtagnus I. b,165
Roſtagnus II. b,166
Roſtagnus III. b,171
Roſtagnus IIII. b,173
Roſtagnus V. b,174

V

VVarnerius. b,151

FINIS.

ligion pretendue reformee, cy deuant affem-

de ceux qui nous auront bien, & fidelle-

reformee, a fait profession de la Religion Ca-

noſtredict couſin le Prince de Condé pour

CHRONOLO
GIA SANCTOR
VERONENSIS
TO 1.° ET 2.°

1638